image
not
available

Digitized by Google

A

O.K

1.7.19

Digitized by Google

Digitized by Google

1.7 19 vol. I
B1

DANIELIS GEORGII MORHOFII

POLYHISTOR,

LITERARIVS,

PHILOSOPHICVS

ET

PRACTICVS

CVM ACCESSIONIBVS VIRORVM CLARISSIMORVM
IOHANNIS FRICKII ET IOHANNIS MOLLERI,
FLENSBVRGENSIS.

EDITIO QVARTA.

TOMVS SECVNDVS
ET
TERTIVS,
SIVE

POLYHISTOR

ET

PRACTICVS.

LVBECAE,
SVMTIBVS PETRI BOECKMANNI,
MDCCXLVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOHANNIS MOLLERI
FLENSBVRGENSIS,
SCHOLAE PATRIAE RECTORIS,
IN
DANIELIS GEORGII MORHOFII,
VIRI SVMMI,
POLYHISTORIS
TOMOS DVOS POSTERIORES,
PHILOSOPHICVM ET PRACTICVM,

PRAEFATIO.

§. 1.

Diu me, L. B. an duo hi *Polyhiſtoris* Morhofiani Tomi Poſteriores publico Orbis Literati, mea qualicunque opera, ſiſtendi eſſent conſpectui, ac *Polyhiſtori*, qui primum Operis Tomum conſtituit, *Literario* ſubjungendi, hæſiſſe ancipitem, & invitum ferme, aſſiduisque Bibliopolæ flagitationibus ægre exoratum, laborem hunc ſuſcepiſſe, haud diffiteor. Cum enim Muneris Scholaſtici occupationes ne tantum quidem ſucciſivi mihi relinquant temporis, quod Scriptis propriis elucubrandis ſufficiat, ab alienorum publicatione merito horreo, talium præſertim, quale Opus hoc Morhofii eſt poſthumum, Editioni nec ab Autoribus ſuis initio deſtinatorum, nec idoneorum ſatis atque maturorum. Certe, quod ipſe Morhofius (*T. I. Polyhiſt. Lib. I. c. 2. §. 27. & c. 16. §. 5.*) de Commentariolo *de Univerſæ Eruditionis a N. C. propagatione* Conringiano, in argumento verſante haud diſſimili, ac Uratislaviæ nuper edito, tulit Judicium, eum *plane eſſe compendiarium, extemporalibus Autori ſuo natum Diſſertationibus, & multis acceſſionibus augendum*, in hunc etiam quadrat Polyhiſtorem, ac Tomos præſertim illius poſteriores. Primi enim Libros III. priores, a ſuperſtite editos, quatuor item reliquos, Lipſiæ, auſpiciis Carpzovianis, a Viro Docto ita, licet contra voluntatem autoris ultimam, reformatos & interpolatos, ut novam plane faciem induerint, iſtis & accuratiores longe eſſe, & pleniores, αὐτοψίᾳ demonſtrat. Totum ſcil. hoc Opus natales ſuos Prælectionibus debet Academicis, privatim Kilonii, in Studii hiſtoriæ Literario-Librariæ Tyronum gratiam, aliquoties inſtitutis, quas ipſummet nunquam in chartam conjeciſſe, ſed omnia e penu memoriæ, librorum, ſecum allatorum, ſubſidio interdum ſublevatæ, depromſiſſe, & Auditoribus, ſermone, ob impares horum in linguæ etiam Latinæ cognitione profectus, humili ac intellectu facili, ad calamum dictaſſe, quot-

quot

Digitized by Google

quot iſtis interfuere, poterunt teſtari. Qualibus in Acroaſibus, ſive Collegiis, quæ vocant Academicis, cum a docentibus ad captum potius Auditorum, quam doctrinæ accurationem, ſoleat reſpici, & *principium* inſuper plerumque *ferveat*. *medium tepeat*, *ultima frigeant*, in Morhofianis etiam hiſce Recitationibus, præſertim, ubi ad finem paulatim declinant, & ad σωματοποίησιν ac perfectionem Operis complura deeſſe, & ubique, nec parem obſervari accurationem, nec ſtylum ſatis eſſe caſtigatum, nemo mirabitur, vel Autori vitio poterit vertere. Poſthuma enim ille hæc ſua manum & limam non experta ultimam, iisdem facile verbis excuſabit, quibus Diſſertationes ſuas *de Orbis univerſis Rebuspublicis* Academicas, per Phil. Andr. Oldenburgerum, ſub *Theſauri Rerump.* Titulo, ignaro ſe atque invito, editas, adverſus Cenſuras easdem, in *Admonitione* de iis peculiari, Herm. Conringius, Germanorum ſuæ ætatis doctiſſimus, A. 1675. vindicavit: *Nihil horum calamo a me fuit conceptum, - - omnia ex tempore, & ſolius memoriæ beneficio diſſertata ſunt. Quoniam vero captus Auditorum, tanto in promiſcuo numero, multum diverſus, univerſi autem juvenilis ætatis eſſent, & ſatis induſtrii quidem, tyrones tamen: hinc officii mei eſſe duxi, ita temperare ſemper ſermonem, ne vel illi audiendo, vel ego verba faciendo, operam perderemus. Itaque ego quidem ſemper continere me coactus fui infra rerum ſublimitatem, interque anguſtos limites, ad prolixiora autem & majora quæque digitum duntaxat intendere. Quotiescunque vero, ut fieri ſolet, ne ſic quidem omnes me ſatis aſſequi obſervabam, repetenda mihi eadem ſubinde fuerunt, idque aliis atque aliis verbis, pro meo in docendo nunquam non uſitato more. Nec enim licuit in extemporaneis illis Diſſertationibus elegantiam Latini ſermonis affectare, quinimo exiſtimavi, ſufficere, ſi perſpicue omnia auribus juvenilibus proponerentur. - - - Enimvero cruda iſthæc omnia erant, non abs me ipſo calamo tradita, ſed ad captum & uſum eorum tantum, qui præſentes me audiebant, quorum nemo non juvenis, & hactenus ejusmodi rerum rudis, compoſita & accommodata. Qualia ſua nemo ſani cordis ſolet publicare.* Sed nec Conringiano Operi huic opus eſt patrocinio, ad cujus nævos palliandos atque excuſandos Lectores cordatos vel ſola illa, quæ Autor ipſe *Tomi I.* inſeruit Proœmio, Apologemata facile permovebunt.

§. II. At, inquies, ſi poſthuma hæc talia erant, Editionem illorum Autorem moribundum non debuiſſe permittere, ſed haud eadem, quæ Tyronibus, Orbi etiam Erudito & Poſteritati convenire, poſthumasque Scriptorum ſimilium, a J. Henr. Bœclero, Aug. Buchnero, aliisque Viris doctis, relictorum, Publicationes, in ipſo etiam hoc *Polyhiſtore*, a ſe paſſim eſſe improbatas, memorem, ſerio potius, cum Conringio, impedire atque prohibere, imo Maronis exemplo, Labores hujusmodi affectos. nec limam ullam paſſos, igni addicere. Verum enimvero, Autori, ſi vel maxime in Fœtum hunc ſuum, immaturum quidem, nec ſatis exaſciatum, ſed ob plurimas tamen Obſervationes in Scientiis ſingulis præclaras, & vel ſola Judicia de Autoribus omnis generis accurata, ſummo in pretio habendum, rigidiori ſævire ſententia, in voluntatis ultimæ tabulis, voluiſſet, neutiquam illud fuiſſe integrum, ſi in Operis conditionem ac Fata accuratius inquires, facile obſervabis. Libri Tomi Primi priores

Digitized by Google

res, ab Autore recenſiti, caſtigati ac locupletati, ipſo ſuperſtite, jam prodierant. Horum, ſummo cum applauſu ab Orbe Literato exceptorum, Continuationem, etſi haud æque accuratam, cum ſperari talis ab Autore valetudinario vix poſſet, non Bibliopola ſolum, quocum de toto Opere publicando erat transactum, jure velut ſuo exigebat, ſed Lectores etiam numeroſi, & hos inter Viri complures Eruditiſſimi, quibus ſalivam illi moverant, velut Ἐργοδιώκται aſſidui, cupide, & tantum non importune, efflagitabant. Quibus etſi Autor, rigidus certe ſuorum Cenſor, cum triennio poſt Primitias Operis luce donatus publica, Lubecæ morbo decumberet fatali, morem gerere noluiſſet, verendum tamen erat, ne, quod Conringio ſuperſtiti, ipſi poſt fata accideret, Sociique Lucripetæ, aut alii Prælectionum ſuarum MSStarum, per omnem jampridem divagantium Germaniam, Poſſeſſores imperiti, e mendoſo eas exemplo, *erratis plurimis & vitiis, tam rerum ipſarum, quam ſermonis, haud tolerandis, fœdatas*, imo mancas quoque forſan ac mutilas, aut centonibus alienis interpolatas, vel ſuis in Orbis Eruditi conſpectum protruderent ingratiis. Quale fatum ſiniſtrum ejus *de Epiſtolis conſcribendis*, *Argutiarum diſciplina*, aliisque Argumentis, Commentationes, ob importunitatem Tenebrionum quorundam temerariam, effugere non potuiſſe, nemo ignorat. His ille cauſis, & amicorum precibus, adductus, Bibliopolæ Lubecenſi moribundus, Partes Operis reſiduas, ab Homine Erudito accurate prius reviſas atque emendatas, e MSStis evulgandi poteſtatem quidem conceſſit, ſed diſerte ſimul ceu Amici, qui morienti adfuerunt, teſtantur Lubecenſes, ne quid alienum Laboribus ſuis admiſceretur, interdixit. Quod mandatum ejus ultimum, cur a Viro docto, qui, Frid. Bened. Carpzovii, Peireſcii Germanici, auſpiciis, *Libros IV. Tomi I.* poſteriores, ſatis alioquin dextre & accurate, futuræ præparavit Editioni, ſit neglectum, & plurima Autoris Textui Additamenta, imo integra Capita, egregia quidem omnia & luculenta, ſed ſeorſim tamen rectius adjicienda absque ullo ſigno διακριτικῷ, quid Morhofio, quidve ipſi debeatur, edocente, temere immiſta, cauſam me juſtam videre nullam, in Operis totius *Prolegomenis* jam monui.

§. III. Ego, cui religio fuit, hac in parte a voluntate Autoris ultima diſcedere, cum a Bibliopola, ut curam novæ hujus Operis integri Editionis in me ſuſciperem, ægre licet, eſſem perſuaſus, *Tomum Primum Literarium*, dimidia ſui parte jam ante editum, reliqua autem hactenus ἀνέκδοτον, qua par erat accuratione, perlegi, a mendis, partim Typographicis, partim Graphicis, repurgavi, & in Paragraphos diſtinctum Capitum Summariis (quæ ſoli Libri IV. poſteriores exigebant) inſtruxi, *Hypomnematisque* pauculis *Hiſtorico - Criticis*, ac Prolegomenis de Autoris Vita, in Literas Meritis, Scriptisque omnibus, & hoc præſertim Comment. Polyhiſtorico, prolixioribus, illuſtravi. In Tomis duobus, qui primam jam ſequuntur, Poſterioribus, *Philoſophico* & *Practico*, recenſendis, longe plus laboris fuit exantlandum, moleſtiæque devorandum. Cum enim Apographum Lectionum *de Autorum Notitia* Academicarum, quod Morhofius (cujus nullum ſupereſſe Αὐτόγραφον jam monui) in ſuos de-

Digitized by Google

ſcribi uſus a Studioſo curaverat, & non niſi paucis in locis ἰδιόχειρι correxerat, mihi transmiſſum, longe eſſet mendoſiſſimum, ter quaterve illud mihi quam accuratiſſime fuit perlegendum, & tam cum Codicibus MSStis earundem aliis, quam cum *Prælectionibus* Autoris *Polyhiſtoricis*, in eodem verſantibus argumento, ſedulo conferendum. In hac collatione occupatus, Sphalmata Scribæ innumera, tum alia, tum Orthographica præcipue in Nominibus Autorum propriis, turpiter depravatis, quæ ceteris erant crebriora, ſuſtuli, Solœciſmos, qui incuria ejusdem paſſim irrepſerant, Syntacticos emendavi, Lacunas aliquot e MSS. aliis ſupplevi, & Cognominibus Scriptorum, quæ ſæpiſſime ſola allegabantur, Prænomina adjeci. Textum deinde Librorum, Sectionum Capitumque ſingulorum, in Paragraphos diſtinxi, brevibusque inſtruxi Lemmatis ſive Summariis, & Additamenta Autoris propria (mea enim nulla Textui ſunt admiſta.) quæ vel in Margine manu ejus inveniebam annotata, ac præ ceteris minoris pretii Obſervationibus (in MSSta hæc, ceu Locos quosdam Communes, congeſtis) luce digna judicabam, vel e *Prælectionibus*, uti ipſemet juſſerat, ſeligi poterant *Polyhiſtoricis*, locis ſuis inſerui. Quæ non pauca eſſe, totumque *Librum Tom. II. Tertium* Μετεωρότεχνον, de Artibus Divinatoriis ac Magia (quarum nulla in *Lectionibus de Notitia Autorum* occurit Hiſtoria, in ſolis obvia *Polyhiſtoricis)* breviter diſſerentem, his accenſendum, MSti utriusque Poſſeſſores Αὐτοψίαι docebit. In Locum *Libri Secundi* Tomi ejusdem, ſive *Polyhiſtoris Phyſici*, qui Μετεωρότεχνον præcedens, campum Diſciplinæ hujus, Philoſophicarum omnium præſtantiſſimæ & jucundiſſimæ, ampliſſimum, præcipuis tantum aliquot illius Scriptoribus obiter recenſitis, Judiciisque de iſtis e *Naturali* excerptis ac repetitis *Hiſtoria*, paucis emetiri velle videbatur paſſibus ipſam illam, Bibliopola ſic volente (ego enim ſeorſim edi maluiſſem) ſubſtitui *Hiſtoriam Naturalem*, Opus bipartitum prolixum, nec eruditum ſolum, ſed &, in Cauſis Phænomenorum Naturalium veſtigandis, perquam ingenioſum. Quod, ab Autore duobus diverſis, ſolius itidem memoriæ beneficio, propoſitum Collegiis, eodem quo reliqua, ſtudio revidi, contuli, emendavi, Autorum Prænominibus auxi, in Paragraphos diſtinxi, Summariis exornavi & e *Prælectionibus de Notitia Autorum* ac *Polyhiſtoricis* pauculisque Morhofii ipſius Notis marginalibus αὐτογραφείοις, hinc inde ſupplevi & locupletavi. Exhibentur tibi proinde, L. B. unico hoc Volumine, τὸ πᾶν Morhofii, tum *Polyhiſtor* integer, aliis ad Πολυϊστορίαν viam oſtenſurus regiam, tum *Hiſtoria Naturalis*, Methodo Eclectica, genioque Seculi noſtri, in Phyſicis perquam curioſa, ſed in Magiſtri nullius verba juranti, congrua, dexteritate ſingulari concinnata, Opera, non quidem omnibus numeris abſoluta, & juſta, quam ſuperſtes abhibiturus fuiſſet, accuratione exaſciata, ſed publica tamen luce, ob plurima, quibus ſcatent, præclare monita & ſolerter obſervata, nihilominus digniſſima. Quibus uti meum nihil immiſcui, ita privata aliquot Dogmata, Phyſica præcipue (de Anima ſc. Mundi, Transmutatione Metallorum, &c.) & ſingularia de Scriptoribus nonnullis Judicia, paucorum forte applauſum meritura, magnamque partem nimio, quo flagrabat, Chymiæ Secretioris ſtudio imputanda, Autori me ſuo relinquere, nec patrocinium

Digitized by Google

cinium illorum ſuſcipere, profiteor. Quæ in Bibliopolæ ac Tyronum Hiſt. Liter. gratiam, ſeorſim adjeci *Hypomnemata* paucula *Hiſtorico-Critica*, partim lapſus Autoris Hiſtoricos modeſte emendant, ac ea, de quibus dubitavit, confirmant aut refellunt, partim Librorum aliquot Hiſtoriam, ubi neceſſum id videbatur, uberiorem, novasque & præſtantiores Editiones, ac adverſarios recentiores, ſuggerunt, quos velut ἀνεκδότους, ille laudavit, in lucem poſtea prodiiſſe oſtendunt, atque ἀνωνύμους, aut ſine Autorum nominibus allegatorum, Parentes veros detegunt, partim denique alias ſiſtunt Obſervationes, Locis quibusdam lucis nonnihil fœneraturas. Uberiora totius Operis Supplementa, ipſum illud, ſi Autorum allegatorum Hiſtoriam accuratius perſequantur, ceterosque mentione dignos adjungant, mole ſuperatura, quæ mihi, ob temporis penuriam, cauſasque alias, addere nec libuit, nec licuit, unicuique, cui neceſſaria ea videbuntur, attexere per me eſto integrum. Exſtant Scriptores, e quibus magnam ea partem depromi poterunt, in quolibet Scientiarum & Literarum genere Iſagogici & Bibliothecarii non pauci, partim ab ipſo jam laudati Morhofio, partim vero præteriti, aut poſt fata demum illius ſua edere aggreſſi, e quibus, Recentiſſimis inprimis, potiores, aliisque præferendos, Tyronibus obiter commendari, forſitan haud erit inutile.

§. IV. *Sic Polyhiſtoris Literarii Libro I. Bibliothecario* augendo atque illuſtrando, præter X. Indices, Phil. Labbei *Bibliothecæ Bibliothecarum*, ab Ant. Teiſſierio auctæ, ſubjunctos, inſervient, quæ, de omni re & Hiſtoria Literaria, Valent. Henr. Voglerus, *in Introd. in Scriptorum omnis generis bonorum notitiam*, Henr. Meibomius Jun, in *Acceſſionibus* illi A. 1691. adjectis, & cum novo Augmento A. 1700. recuſis, Adrian. Bailetus in *Judiciorum de Eruditis* Gallicorum *Tomis II.* prioribus, & noviſſime, hoc ipſo Anno 1704. Burch. Gotthelfius Struvius, in *Introd. ad Notitiam rei Literariæ*, in ſupplementum Libri hujus Morhofiani ſcripta, congeſſerunt. Bibliothecarum Hiſtoriam, poſt Scriptores Autori laudatos, & cum aliis, a Joh. Joach. Madero ac Joh. Andr. Schmidio in unum Syntagma congeſtos, luce aliqua Caſp. Sagittarius in *Notitia Bibliothecarum ἀνεκδότων*, & Struvius, tum *in Ep. ad Chriſtoph. Cellarium* peculiari, An. 1696. edita, tum *Introductionis Capite I.* perfuderunt. MSStorum notitiam accuratiorem, oſtenſa Scripturæ illorum Seculis diverſis diverſitate, Joh. Mabillonius in eximio *de re Diplomatica* dedit Opere, &, qui in eodem jam verſari Argumento traditur, Joh. Burch. Menkenius, Hiſt. in Acad. Lipſ. Profeſſor, pari diligentia porro excolet. MSStorum Ævi veteres Catalogos, poſt Poſſevinum, Thomaſinum, Labbeum, Lambecium, Spizelium, aliosque Cap. VII. recenſitos, e Biblioth. Cæſarea Dan. Neſſelius, Lambecii Succeſſor, ex Anglicis & Hybernicis omnibus Edu. Bernhardus, e Cantabrigienſi & Oxonienſi Thom. Jameſius, e Cottoniana Londinenſi Thom. Smithus, e Belgicis Aub. Miræus, Ant. Sanderus & Franc. Swertius, ſimiles autem ἀνεκδότων recentiorum Theod. Janſonius hujusque *Bibliothecæ Latentis & Promiſſæ* Continuator, Rud. Mart. Meelführerus, publicarunt.

De Libris damnatis ac prohibitis, illorumque Indicibus, præter Th. Raynaudum & Gabr. Putherbeum *c. 16. §. 28.* allegatos, conſulendi Jac. Gretſerus, Jeſuita, Indicum illorum Patronus in *Tr. de Jure & more Libros Hæreticos & noxios prohibendi, expurgandi & abolendi* (Ingolſt. 1703. *in* 4.) eorundemque e Proteſtantibus Adverſarii, Dan. Francus in *Tr. de Indicibus Libr. prohibitorum & expurgandorum Papiſticis* erudito (Lipſ. 1684. *in* 4.) & Caſp. Löſcherus *in Schediaſm. de Hæreticorum in Scriptores Publicos, præcipue Patres, Latrociniis* (Marti b. 1674. *in* 4.) Anonymis & Pſeudonymis larvam detraxerunt Joh. Rhodius, Pet. Scavenius, Frid. Geislerus, & Vinc. Placcius, qui trium illorum Schedas breviores Tractatui ſuo, Hamburgi A. 1647. edito, adjunxit & immiſcuit, Curasque hujus argumenti ſecundas, ingenti comprehenſas Volumine, Gerhardo a Maſtricht, Syndico Bremenſi (quem ipſummet tale Opus moliri a Struvio, *c. 4. Introd. p. 168.* perperam traditur,) publicandas moribundus reliquit. Spicilegia poſt meſſem Placcii, aut Symbolas, Operi ejus majori augendo inſervituras, dedere poſtmodum Joh. Deckerus (in *Conjecturis de Scriptis Adespotis, Pſeudepigraphis & Suppoſititiis*, tertia vice Amſt. A. 1686. recuſis,) Paulus Vindingius & Pet. Bœlius (in Epiſtolis Libello Deckheriano adjectis,) J. Frid. Mayerus (in *Diſſ.* ad Placcium *Epiſtolica*, Hamb. 1689. *in* 4.) Joh. Pet. Jacob. Villanius, ſive Angelicus Aproſius, Italus *(en la Viſiera Alzata*, Parmæ 1689. *in* 12.) Joh. Albert. Fabricius (in *Decade Decadum ſive Plagiariorum, & Pſeudonymorum Centuria*, Halæ 1689. *in* 4.) & noviſſime Adrian. Bailetus (in Tr. Gallico *des Auteurs Deguiſez*, &c. Pariſ. 1690. *in* 12. Rob. Coci, Andr. Riveti & Joh. Dallæi, de Patrum Pſeudepigraphis labores taceo. Scriptorum Homonymorum, & Confuſionis illorum, Hiſtoriæ Specimen aliquod, una cum Autorum, qui certorum quorundam Prænominum aut Cognominum Viros Eruditos celebrarunt, Indice, mea A. 1697. exhibuit *Homonymoſcopia Hiſtorico-Critica. De Impoſtoribus doctis* Diatriba exſtat B. G. Struvii. Jenæ A. 1703. edita, Plagiarios complures, poſt Steph. Forcatulum & Jac. Thomaſium, Furti coram Orbe Erudito Literarii Theod. Janſonius (*in Opuſculis* Miſcellis, Amſt. 1686. *in* 8.) & J. Alb. Fabricius, modo laudatus, inſimularunt, excuſare autem quodammodo, ſed haud feliciter in *Tentamine de Plagio Literario*, Halæ Sax. A. 1701. aggreſſus eſt Joh. Conr. Schwartzius. Libros Ethnicorum Myſticos, de quibus ſeorſim nemo egit, Hiſtoriæ ſingularum Gentium Philoſophicæ Scriptores *T. II. L. I.* enumerati, Judaicos, ſive Cabaliſticos, J. Franc. Buddeus, in eleganti *ad Philoſ. Hebr. Introductione* (Halæ 1702. *in* 8.) Chriſtianos autem Gothofr. Arnoldus, in *Theologiæ Myſticæ Hiſtoria* (Francof. eod. A. 1702. *in* 8.) Gallusque Anonymus (Pet. Poiretus, ni fallor) in *Ep. de Scriptorum Myſticorum præcipuorum Principiis & Characteribus*, iſti ſubjuncta, recenſuerunt. Chymicorum notitia, non e Pet. Borelli *Bibliotheca* illorum, Heidelbergæ A. 1656. recuſa, futili plane & Rhapſodica, ſed ex Ol. Borrichii *de Ortu & Progreſſu Chemiæ Diatriba, Sapientia Hermetis & Ægyptiorum Vindicata*, & *Conſpectu Scriptorum Chemicorum*, Morhofii *de Transmut. Metall.* Epiſtola, Herm. Conringii *de Medicina Hermetica Libris*, Mich. Mayeri *Symbolis Menſæ XII. Nationum*

rum Auctis, Thomæ Reineſii *Chymiatria*, & noviſſimo Celebriorum Scriptorum Chymicorum Syntagmate Genevenſi (Borrichii etiam *Diatribam* & *Conſpectum*, cum *Epiſtola*, exhibente, Morhofiana,) quod, ſub *Bibliothecæ Chemicæ Curioſæ* titulo, J. Jac. Mangetus A. 1702 (*in fol.*) edidit, eſt haurienda.

§. V. Hiſtoriam Societatum Literariarum omnium Gotfr. Vockerodius, Gymn. Gothani Rector, A. 1687. eſt aggreſſus, ſed præter *Introductionem* eruditam, & *Sect. I. de Societatibus Antediluvianis*, Jenæ excuſas, nihil hactenus edidit. Solam jam Europæarum, trecentis plurium, Hiſtoriam Chriſt. Junckerus, Athenæi Schleuſingenſis Conrector, a ſe jubet expectari. Scriptores plerique, de Academiis, tum univerſis in genere, tum ſingulis ſpeciatim, commentati, a Caſp. Thurmanno in *Bibliotheca* enumerantur *Academica*, Halæ A. 1700. edita, ſed haud ſatis accurata, & Spicilegium aliis relinquente non exiguum. *De Ephemeridibus Eruditorum* modernis lectu dignum eſt *Schediaſma Hiſtoricum* Chriſt. Junckeri, Lipſiæ Anno 1692. (*in 12*) excuſum, cujus donec Editio locuplerior prodeat, de Diariis Anno 1692. recentioribus Henr. Meibomii *Additamenta ad* Vogleri *Introd.* An. 1700. recuſa, & B. G. Struvii *Cap. III. Introd. ad Notit. Rei Lit.* conſuli poterunt. Quorum poſtremus de Judiciis etiam & Fragmentis Virorum Celebrium Poſthumis, ad *Scaligerianorum*, *Thuanæorum* & *Perronianorum*, exemplar catervatim nuper edi cœptis, nec non de Bibliothecis Univerſalibus, & Hiſtoriæ ſingularum Gentium, Regionum ac Urbium, Literario-Librariæ Scriptoribus (in *Apparatu* noſtro *ad Notitiam Reip. Lit. Geographicam* plenius atque accuratius olim recenſendis, *Capite IV.* complura Morhofio, vel præterita, vel ignota, congeſſit. Biographorum, qui in Vitis ſingulorum Virorum Doctorum deſcribendis fuere occupati, indicem, in *Catalogo Catalogorum*, dedit Ant. Teiſſierius, ſed imperfectum valde, & neutiquam accuratum. Fœminas Eruditas, præter J. C. Capaccium, Jac. Thomaſium, J. Bapt. Fregoſum, & Ott. Sperlingium (cujus MStum, mihi lectum, luce digniſſimum eſt publica,) a Morhofio laudatos, Veteres item, Philochorum Athenienſem, Apollonium Stoicum & Charonem Carthaginenſem, jamdudum deperditos, e Recentioribus celebrarunt Joh. Boccatius, Jac. Phil. Bergomenſis, Andr. Tiraquellus, Paulus de Ribera, Franc. Auguſt. de Chieſa, Joh. Beverovicius, Hilarion de Coſte, Franc. de Grenailles, Joh. Fronto, Joh. Herbinius, Joh. Paſchius, Chriſt. Junckerus, ſpeciatim autem Germanicas Magnus Dan. Omeiſius, & Chriſt. Franc. Paulinus, Danicas Matth. Henr. Schachtius, Hiſpanicas Joh. Pereſius Moya, Theologicas Joh. Andr. Schmidius, Hæreticas & Fanaticas idem Schmidius ac Joh. Henr. Feuſtkingius, Medicas Joh. Ulr. Meurerus, Philoſophas Æg. Menagius & Joh. Esbergius, Poëtrias Laur. Legatus & Seb. Kortholtus. De quibus, ſicut & Marci Zuerii Boxhornii, Lud. Jacobi a S. Carolo, Vinc. Placcii, Er. Franciſci, Georg. Matth. Königii, Corn. a Beughem & Guyoneti, Operibus ejusdem argumenti ineditis aut promiſſis, locus dicendi ſe alibi forte offeret commodior. Sic & juvenes puerique ingenii præcocis Eruditi Adr. Bailetum, in Tr. Gallico *des Enfans devenus celebres par leurs études ou écrits* (Pariſ. 1688. *in 8.*) Seb. Kortholtum, in *Tr. de*

Tr. de Eruditis Præcocibus, a Baileto, omiſſis, brevi prodituro, Ὀψιμαθῆς eundem Kortholtum in *Diſſ.* Kilonienſi *de Studio Sentli*, A. 1701. edita, Principos autem Eruditi, (quorum, ſicut & Cardinalium, Bibliothecas Lud. Jacobus a S. Carolo, Labbeo teſte, moliebatur integras, *Pontificiæ*, a ſe editæ, geminas) Val. Ern. Löſcherum in *Bibliotheca Purpurata*, ſeu Specimine ejus brevi Academico (Witeb. 1698. Georg. Henr. Götzium in Triga Schediaſmatum *de Principibus Concionatoribus, Græceque & Hebraice doctis*, nuperorum; & Sam. Reyherum *in Diſſ. de Rege Mathematico* (Kil. 1674.) nacti ſunt Encomiaſtas. De fructu Hiſtoriæ Bibliotheçariæ Henr. Meibomius, in *Proleg.* Acceſſionum ſuarum ad Vogleri *Introduct.* eleganter diſſeruit, Inventa Seculi noſtri, præter J. Joach. Becherum, collegerunt, & magnam partem antiquioribus poſtliminio vindicarunt, Theod. Janſonius in *Tr. de Inventis Medicis Novantiquis*, (Amſt. 1684. *in 8.*) & in *Rerum Inventarum Onomaſtico, Opuſculis*, A. 1686. publicatis, inſerto, Chriſtoph. Wegleiterus, Theol. Altorfinus, in *Or. de palmariis Seculi noſtri Inventis*, A. 1679. habita, Georgi Paſchius, Philoſophus Kilonienſis, in *Tr. de Curioſis hujus Seculi Inventis, quorum cultui accuratiori facem prætulit Antiquitas*, Editione ſecunda auctiori Lipſiæ A. 1700. publicato, & Corn. a Beüghem in *Syllabo recens. in re Medica, Phyſica & Chymica, exploratorum*, Amſt. A. 1696. (*in 12mo*) edito, ſed ex Ephemeridibus tantum modernis Medico-Phyſicis, Indicis inſtar ſine delectu, congeſto. De Epiſtolographis tandem, quos Ultima *Libri I.* Capita recenſent, conferri cum hiſce poſſunt Rol. Mareſii *Epiſtola I. Libri Secundi*, Henr. Meibomii *Additt. ad Introd. Vogleri, p. 145-155. 179. 180.* Magni Dan. Omeiſii *Commentatio de Scriptoribus Epiſtolicis Latinis, Proluſionibus Academicis*, Altorfii An. 1677. (*in 12.*) editis, adjecta, Ad. Rechenbergii *Schediaſma de Epiſtolarum Virorum Clar. & Illuſtrium Uſu*, Lipſiæ An. 1693. publicatum, Joh. Franc. Buddei *Diſſ. de aucta, per recentiſſimas Epiſtolarum Collectiones, Re Literaria & Eccleſiaſtica Præliminaris* nupero *Epiſtolarum Lutheri Supplemento* A. 1703. præfixa, B. G. Struvii *Introd. ad Notit. Rei Lit. c. 4. p. 184-190.* ipſiusque Morhofii *Cap. I. Libri I. de conſcribendarum Epiſtolarum ratione.*

§. VI. *Libro Tomi I. Secundo*, ſive *Methodico*, Supplemata ſuggerent Struvii, toties jam laudati, Prolegomena *de formandorum Studiorum Scriptoribus*, Bapt. Gvarini *de ordine docendi & ſtudendi Libello*, Jenæ A. 1704. a ſe nuper recenſito, præfixa; *Tertio* autem, ſeu *Paraſcevaſtico*, Vinc. Placcii Caput *Libri de Arte excerpendi*, Anno 1689. editi, Primum, Scriptores hujus Argumenti univerſos, Judicio de ſingulis adjecto, enumerans. Linguarum, ac Scriptorum in ſingulis Grammaticorum, Claſſicorum, aliorumque, Hiſtoria, *Libro IV.* propoſita, ſuos itidem habet, e quibus ulterius illuſtrari poſſit, Autores. E quibus, Orientalium Amaſiis J. Henr. Hottingeri *Bibliotheca Orientalis*, Heidelb. An. 1658. & Aug. Pfeifferi *Introductio in Orientem*, Witteb. An. 1670. edita (cui & *Criticam* ejusdem *Sacram.* ac *Conſultationem de Lexici Biblici Ebræo-Chaldaici novi editione Epiſtolicam*, Dresdæ Anno 1679. excuſam, jungere licebit,) commendari præſertim merentur. De Linguæ Græcæ Scriptoribus antiquis,

Antiquis, in IV. Ætates, totidem Anni temporibus comparatas, digestis, Paulus Vindingius, Hellenismi in Acad. Hafnienſi Stator, in *Vere & Æstate Linguæ Græcæ*, A. 1693. & 1699. publicatis, cœpit commentari, *Autumnum* istis & *Hyemem* haud dubie subjuncturus, uberius autem differet *Bibliotheca Græca* Joh. Alb. Fabricii, Polyhistoris Eximii, quam, post Joh. Meursium, Leonem Allatium, Joh. Conr. Dietericum, Phil. Labbeum, Humphr. Hodium & Henric. Chr. Henninium, simile quid, sed absque successu, molitos, a se jubet expectari. Editionem hujus accelerari optant, quotquot Musas mecum depereunt Argolicas, & e politissima *de Lexicis Græcis Dissertatione, Decadi Decadum* A. 1689. subjuncta (quam in Librum itidem transformabit integrum,) quid ab eo in hisce Literis expectandum, jampridem cognoverunt. Grammaticorum & Didacticorum Græcorum Joh. Conr. Dieterieus, in *Specillo Chrestomathiæ Græcæ*, A. 1649. edito, agit Censorem. Sermonis Latini Grammaticorum & Philologorum Notitia uberior e G. Joh. Vossii *Aristarchi Libro I.* & *Tr. de Philologia*, Lexicographorum ex Ol. Borrichii de istis Diatriba, Scriptorum autem Classicorum e Casp. Barthii Commentatione, *Lib. 50. Adversar. c. 9.* obvia, & *Apparatui* quoque *Philologico* Joh. Mich. Dilherri inserta, Casp. Scioppii *de Scholarum & Studiorum ratione Consultationibus*, Henr Jul. Scheurlii, *Statua Mercuriali*, Ol. Borrichii *Cogitationibus de Ætatibus L. Lat.* & *Præstantiorum ejus Scriptorum Conspectu*, ac Joh. Alb. Fabricii, *Bibliotheca Latina*, in ipso jam, ni fallor, *Polyhistore* commendatis, iis item Autoribus, qui de Historicis, Oratoribus, Epistolographis Poëtisque Latinis, seorsim sunt commentati, est haurienda. Phil. Caroli *Bibliotheca Romana*, cujus Editionem Christoph. Arnoldus 1663. in *Præfat. Animadversionum* ejusdem *in A. Gellium*, promisit, Altorfii etiamnum, teste Mehlführero, in Biblioth. Omeisiana latet *ἀνέκδοτος*. In Criticos, *Lib. V.* sibi vindicantes, Casp. Scioppius, in *Diss.* de iis *Commentariolo de Arte Critica* præfixa, in horum vero Comites, Antiquarios (quorum Phil. Labbeus, in *Mantissa Antiquaria*, tantum egit Nomenclatorem,) Romanos præsertim, Joh. Georg. Gravius, in Tomorum sui *Antiquitatum Romanarum Thesauri* singulorum Prolegomenis, & B. G. Struvius, in *Syntagmatis Antiqq. Rom. Quadripartiti* (cujus sola hactenus *Pars I. de Ritibus Sacris* Jenæ A. 1701. prodiit) Procœmio, Crisin dextre satis exercuerunt. Nec contemnenda est ejusdem Struvii *Bibliotheca Numismatum Antiquorum*, ibidem A. 1693. (*in 12mo*) excusa, in qua Studii hujus Cultoribus, post Phil. Labbeum (*in Biblioth. Nummaria*) & Car. Patinum (*in Introd. ad Historiam Numismatum,*) viam ad adyta ejus commonstravit regiam. Quæ *Liber VI.* de Oratoribus ac Rhetoribus habet profanis, Lud. Cresollii *Theatro Veterum Rhetorum ac Oratorum*, & Gerh. Joh. Vossii *Lib. de Rhetoricæ Natura, deque antiquis Sophistis, Rhetoribus & Oratoribus*, Autori jam laudatis, lucem ulteriorem desiderant. Inscriptionum modernarum Artifices Christ. Weisius *Libro I.* sui de istis Syntagmatis, Jenæ A. 1688. (*in 8.*) impressi, Oratores autem Sacros Lud. Bailius, *Bibliotheca Concionatorum*, Parisiis A. 1666. publicata, celebrarunt. Poëtæ, quorum Recensui Critico *Liber VII.* est dicatus, tot invenere Nomenclatores, Encomiastas, Censores, ut vel sola horum nomina brevitatis studioso recitare vix liceat.

Tr. de Eruditis Præcocibus, a Baileto, omiſſis, brevi prodituro, Ὀψιμαθῆς eundem Kortholtum in *Diſſ.* Kilonienſi *de Studio Sentli*, A. 1701. edita, Principes autem Eruditi, (quorum, ſicut & Cardinalium, Bibliothecas Lud. Jacobus a S. Carolo, Labbeo teſte, moliebatur integras, *Pontificiæ*, a ſe editæ, geminas) Val. Ern. Löſcherum in *Bibliotheca Purpurata*, ſeu Specimine ejus brevi Academico (Witeb. 1698. Georg. Henr. Götzium in Triga Schediaſmatum *de Principibus Concionatoribus, Græceque & Hebraice doctis*, nuperorum; & Sam. Reyherum *in Diſſ. de Rege Mathematico* (Kil. 1674.) nacti ſunt Encomiaſtas. De fructu Hiſtoriæ Bibliotheçariæ Henr. Meibomius, in *Proleg.* Acceſſionum ſuarum ad Vogleri *Introduct.* eleganter diſſeruit, Inventa Seculi noſtri, præter J. Joach. Becherum, collegerunt, & magnam partem antiquioribus poſtliminio vindicarunt, Theod. Janſonius in *Tr. de Inventis Medicis Novantiquis*, (Amſt. 1684. *in 8.*) & in *Rerum Inventarum Onomaſtico, Opuſculis*, A. 1686. publicatis, inſerto, Chriſtoph. Wegleiterus, Theol. Altorfinus, in *Or. de palmariis Seculi noſtri Inventis*, A. 1679. habita, Georg. Paſchius, Philoſophus Kilonienſis, in *Tr. de Curioſis hujus Seculi Inventis, quorum cultui accuratiori facem prætulit Antiquitas*, Editione ſecunda auctiori Lipſiæ A. 1700. publicato, & Corn. a Beüghem in *Syllabo recens in re Medica, Phyſica & Chymica, exploratorum*, Amſt. A. 1696. (*in 12mo*) edito, ſed ex Ephemeridibus tantum modernis Medico-Phyſicis, Indicis inſtar ſine delectu, congeſto. De Epiſtolographis tandem, quos Ultima *Libri I.* Capita recenſent, conferri cum hiſce poſſunt Rol. Mareſii *Epiſtola I. Libri Secundi*, Henr. Meibomii *Additt. ad Introd. Vogleri, p. 145-155. 179. 180.* Magni Dan. Omeiſii *Commentatio de Scriptoribus Epiſtolicis Latinis, Proluſionibus Academicis*, Altorfii An. 1677. (*in 12.*) editis, adjecta, Ad. Rechenbergii *Schediaſma de Epiſtolarum Virorum Clar. & Illuſtrium Uſu*, Lipſiæ An. 1693. publicatum, Joh. Franc. Buddei *Diſſ. de aucta, per recentiſſimas Epiſtolarum Collectiones, Re Literaria & Eccleſiaſtica Præliminaris* nupero *Epiſtolarum Lutheri Supplemento* A. 1703. præfixa, B. G. Struvii *Introd. ad Notit. Rei Lit. c. 4. p. 184-190.* ipſiusque Morhofii *Cap. I. Libri I. de conſcribendarum Epiſtolarum ratione.*

§. VI. *Libro Tomi I. Secundo*, ſive *Methodico*, Supplemata ſuggerent Struvii, toties jam laudati, Prolegomena *de formandorum Studiorum Scriptoribus*, Bapt. Gvarini *de ordine docendi & ſtudendi Libello*, Jenæ A. 1704. a ſe nuper recenſito, præfixa; *Tertio* autem, ſeu *Paraſcevaſtico*, Vinc. Placcii Caput *Libri de Arte Excerpendi*, Anno 1689. editi, Primum, Scriptores hujus Argumenti univerſos, Judicio de ſingulis adjecto, enumerans. Linguarum, ac Scriptorum in ſingulis Grammaticorum, Claſſicorum, aliorumque, Hiſtoria, *Libro IV.* propoſita, ſuos itidem habet, e quibus ulterius illuſtrari poſſit, Autores. E quibus, Orientalium Amaſiis J. Henr. Hottingeri *Bibliotheca Orientalis*, Heidelb. An. 1658. & Aug. Pfeifferi *Introductio in Orientem*, Witteb. An. 1670. edita (cui & *Criticam* ejusdem *Sacram.* ac *Conſultationem de Lexici Biblici Ebræo-Chaldaici novi editione Epiſtolicam*, Dresdæ Anno 1679. excuſam, jungere licebit,) commendari præſertim merentur. De Linguæ Græcæ Scriptoribus antiquis,

Antiquis, in IV. Ætates, totidem Anni temporibus comparatas, digeſtis, Paulus Vindingius, Helleniſmi in Acad. Hafnienſi Stator, in *Vere & Æſtate Linguæ Græcæ*, A. 1693. & 1699. publicatis, cœpit commentari, *Autumnum* iſtis & *Hyemem* haud dubie ſubjuncturus, uberius autem diſſeret *Bibliotheca Græca* Joh. Alb. Fabricii, Polyhiſtoris Eximii, quam, poſt Joh. Meurſium, Leonem Allatium, Joh. Conr. Dietericum, Phil. Labbeum, Humphr. Hodium & Henric. Chr. Henninium, ſimile quid, ſed absque ſucceſſu, molitos, a ſe jubet expectari. Editionem hujus accelerari optant, quotquot Muſas mecum depereunt Argolicas, & e politiſſima *de Lexicis Græcis Diſſertatione, Decadi Decadum* A. 1689. ſubjuncta (quam in Librum itidem transformabit integrum,) quid ab eo in hiſce Literis expectandum, jampridem cognoverunt. Grammaticorum & Didacticorum Græcorum Joh. Conr. Dieterieus, in *Specillo Chreſtomathiæ Græcæ*, A. 1649. edito, agit Cenſorem. Sermonis Latini Grammaticorum & Philologorum Notitia uberior e G. Joh. Voſſii *Ariſtarchi Libro I.* & *Tr. de Philologia*, Lexicographorum ex Ol. Borrichii de iſtis Diatriba, Scriptorum autem Claſſicorum e Caſp. Barthii Commentatione, *Lib. 50. Adverſ. c. 9.* obvia, & *Apparatui* quoque *Philologico* Joh. Mich. Dilherri inſerta, Caſp. Scioppii *de Scholarum & Studiorum ratione Conſultationibus*, Henr. Jul. Scheurlii, *Statua Mercuriali*, Ol. Borrichii *Cogitationibus de Ætatibus L. Lat.* & *Præſtantiorum ejus Scriptorum Conſpectu*, ac Joh. Alb. Fabricii, *Bibliotheca Latina*, in ipſo jam, ni fallor, *Polyhiſtore* commendatis, iis item Autoribus, qui de Hiſtoricis, Oratoribus, Epiſtolographis Poëtisque Latinis, ſeorſim ſunt commentati, eſt haurienda. Phil. Caroli *Bibliotheca Romana*, cujus Editionem Chriſtoph. Arnoldus 1663. in *Præfat. Animadverſionum* ejusdem *in A. Gellium*, promiſit, Altorfii etiamnum, teſte Mehlführero, in Biblioth. Omeiſiana latet *ἀνέκδοτος*. In Criticos, *Lib. V.* ſibi vindicantes, Caſp. Scioppius, in *Diſſ.* de iis *Commentariolo de Arte Critica* præfixa, in horum vero Comites, Antiquarios (quorum Phil. Labbeus, in *Mantiſſa Antiquaria*, tantum egit Nomenclatorem,) Romanos præſertim, Joh. Georg. Gravius, in Tomorum ſui *Antiquitatum Romanarum Theſauri* ſingulorum Prolegomenis, & B. G. Struvius, in *Syntagmatis Antiqq. Rom. Quadripartiti* (cujus ſola hactenus *Pars I. de Ritibus Sacris* Jenæ A. 1701. prodiit) Procœmio, Criſin dextre ſatis exercuerunt. Nec contemnenda eſt ejusdem Struvii *Bibliotheca Numiſmatum Antiquorum*, ibidem A. 1693. (*in 12mo*) excuſa, in qua Studii hujus Cultoribus, poſt Phil. Labbeum (*in Biblioth. Nummaria*) & Car. Patinum (*in Introd. ad Hiſtoriam Numiſmatum,*) viam ad adyta ejus commonſtravit regiam. Quæ *Liber VI.* de Oratoribus ac Rhetoribus habet profanis, Lud. Creſollii *Theatro Veterum Rhetorum ac Oratorum*, & Gerh. Joh. Voſſii *Lib. de Rhetoricæ Natura, deque antiquis Sophiſtis, Rhetoribus & Oratoribus*, Autori jam laudatis, lucem ulteriorem deſiderant. Inſcriptionum modernarum Artifices Chriſt. Weiſius *Libro I.* ſui de iſtis Syntagmatis, Jenæ A. 1688. (*in 8.*) impreſſi, Oratores autem Sacros Lud. Baillius, *Bibliotheca Concionatorum*, Pariſiis A. 1666. publicata, celebrarunt. Poëtæ, quorum Recenſui Critico *Liber VII.* eſt dicatus, tot invenere Nomenclatores, Encomiaſtas, Cenſores, ut vel ſola horum nomina brevitatis ſtudioſo recitare vix liceat.

Ne quid enim dicam de Scriptoribus hujus argumenti Vetuſtioribus, Tricenarium excedentibus numerum, jam deperditis, e Recentioribus Poëtas Græcos Antiquiores celebrarunt Pomp. Gauricus, Lil. Greg. Gyraldus, G. Joh. Voſſius, J. Pet. Lotichius, Tanaqu. Faber, Laur. Craſſius, Baſil. Kennetus, Ren. Rapinus, Ol. Borrichius, Adr. Bailetus, Joſ. Barberius & Georg. Matth. Königius, Latinos autem Veteres, præter Gyraldum, Voſſium, Lotichium, Rapinum, Borrichium, Bailetum, & Königium, jam laudatos, Pet. Crinitus, Cæſ. Scaliger, Honor. Domin. Caramella & Phil. Brietius. De Poëtis Latinis Recentioribus in univerſum commentati ſunt iidem, qui de Antiquis, Gyraldus, Lotichius, Caramella, Rapinus, Borrichius & Königius, de Vernaculis autem Linguarum Europæ Vulgarium, præter Borrichium ac Bayletum, Morhofius noſter Parte Scripti *de Lingua & Poëſi Germanorum* Germanici Secunda. Solos Italos Recentiores, vel Latinos, vel Vernaculos, vel utrosque, celebrandos ſibi ſumſerunt Alex. Ziliolus, Hartm. Scopperus, Nicol. Francus, Apoſtolus Zenus, Joh. Franc. Lauredanus, Laur. Craſſus, Laur. Legatus, nuperrimusque Poëſeos Vulgaris Hetruſcæ Vindex, Joh. Marius Creſcimbenus, ac; qui circa Dramaticos occupatus tantum fuit, Leo Allatius. Simili inſtituto Poëtas deprædicarunt Hiſpanos Lupus Felix de Vega; Arragonicos Joh. Franc. Andr. Uztarrozzius; Gallicos Henr. de Mesmes, Gvilh. Colletetus, & Anonymi duo, qui Selectiorum Poëmatum atque Epigrammatum vernaculorum Collectiones Lutetiæ A. 1692. & 1698. publicarunt; Provinciales Ævi Medii (præter Hugonem de S. Cæſario, Hermanterum Monachum Lirinenſem, Hilarium de Martinis, Monachum Maſſilienſem, Roſtagnum Brincolienſem, duosque Anonymos, Labbeo memoratos, ſed non viſos) Joh. Noſtradamus, Joh. Judex, Claud. Falcetus, & Pet. Caſanova; Germaniæ Latinos Georg. Fabricius, Joh. Bocerus, Barthol. Bilovius, Vernaculos autem Morhofius (*in Lib. cit.*) Car. Ortlobius, Georg. Neumarkius, Chriſt. Grübelius, Erdm. Neumeiſterus, aliique inter modernos complures; Rythmopoeos ævi inferioris Teutonicos (die Meiſter-Sänger) Cyr. Spangenbergius, J. Chr. Wagenſeilius, & W. E. Tenzelius; Vates Thuringos Joh. Weitzius; Anglos Edu. Philips & Wilh. Winſtanley, Dramaticos autem Angliæ Langbainius & Car. Gildonus; Scaldros Veteres Arctoos Autor Catalogi illorum antiqui Anonymus, Ol. Wormius, Magnus Olavius & Thom. Bartholinus Jun. Poëtas Daniæ modernos Joh. Olavius; Arabes Abulcaſem & Abunazar, ac Letifus tandem Turcicos. Taceo And. Chr. Eſchenbachium, qui Poëtas Chriſtianos Sacros, Henr. Muhlium, qui Poëtas Epiſcopos, Thom. Bartholinum, qui Poëtas Medicos, & Laur. Legatum, qui Poëtrias, Scriptis peculiaribus recenſuerunt.

§. VII. TOMI POLYHISTORIS SECVNDI, ſive PHILOSOPHICI, *Liber I.* Philoſophiæ, Sectarumque ſingularum Philoſophicarum, Hiſtoriam, & hujus Scriptores, exhibens, e Thomæ præcipue Stanleji *Hiſtoria* illuſtrandus eſt *Philoſophica*, omnium, quæ hactenus prodierunt, abſolutiſſima, Anglice Lond. A. 1655. 1687. & 1701. Belgico autem Idiomate (in quod Salom. Borrius eam transfudit) Lugd.

Lugd. Bat. A. 1702. *(in fol.)* edita. Latine tantum Ἀποσπασμάτιον ejus prodiit, *Hiſtoria* ſc. *Philoſophiæ Orientalis*, a Joh. Clerico translata, &, cum Additt. quibusdam, ſeorſim Amſtelod. A. 1690. *Tomo* autem *II. Operum* ibidem An. 1698. *(in 8.)* publicata. Jungi huic, præter Scriptores ab Autore jam allegatos, poſſunt Joh. Jac. Friſii *Bibliotheca Philoſophorum-Claſſicorum Chronologica* (Tig. 1592. *in 4.*) Ant. Poſſevini *Apparatus ad Philoſophiam*, ſeorſim Vicentiæ A. 1599. (*in 8.*) editus, & *Tomo* deinde *Bibliothec. Selectæ Secundo* (Ven. 1603. *in fol.*) præmiſſus, Abrah. Gravii *Hiſtoriæ Philoſophicæ Libri IV.* (Franequ. 1674 *in 8.*) Leonh. Cozzandi, Servitæ Brixiani, *de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum Libri VI.* (Genev. 1684. *in 12.*) Burch. Gotth. Struvii *Biblioth. Philoſophica* (Jenæ 1704. *in 8.*) & Jac. Thomaſii *Schediasma*, breve quidem, ſed accuratiſſimum, *de Originibus Hiſtoriæ Philoſophicæ & Eccleſiaſticæ*, Lipſiæ A. 1665. (*in 4.*) auctiusque Halæ A. 1699. *(in 8.)* excuſum. Scriptores hujus argumenti minutiores, Opera item Majora, a Phil. Labbeo & Æg. Menagio promiſſa, ac *Bibliothecas* Iſr. Spachii, Pauli Bolduani, Georg. Draudii & Mart. Lipenii, *Philoſophicas Reales*, prætereo. Omnes hos ſuperabunt, quas Joh. Franc. Buddeus expectari a ſe jubet, de ſingulis Philoſophorum Sectis Commentationes, ſi eadem Hiſtoriam illarum ubertate & accuratione, qua Hebræorum Philoſophiam illuſtravit, proponere Viro Doctiſſimo vaſtitas argumenti permiſerit. De *Philoſophia Sectaria & Electiva* in genere lectu digna eſt Diſſ. Joh. Chriſtoph. Sturmii elegans, Altorfii A. 1679. publicata. Philoſophiæ Hebræorum, non Moſaicæ tantum, ſed & Cabaliſticæ atque Rabbinicæ, Hiſtoriam & Scriptores luculentius nemo enarravit, quam Buddeus, modo laudatus, in nupera *ad Hiſt. Philoſoph. Hebr. Introductione*, Halæ Sax. A. 1702. (*in 8.*) edita. De Philoſophia Barbarica Chr. Kortholti *de ejus Origine & Progreſſu Tractatus* (Jenæ 1660. *in 4.*) de Chinenſi autem Theoph. Spizelii *de re Sinenſium Literaria* Libellus (Lugd. Bat. 1660. *in 12.*) Proſp. Intorcettæ *Lib. de Sinarum Scientia Politico - Morali* ad mentem Confutii, Sinice Goæ A. 1669. Latine autem *Tomo VII. Comm.* Pet. Lambecii *de Biblioth. Vindobon.* editus, Confutii ipſius *Scientia Sinica*, ejusd. Intorcettæ, Phil. Coupletii, Chriſt. Herdtrichii & Franc. Rougemonti, Jeſuitarum, ſtudio Latine expoſita, & cum luculenta *Declaratione Proœmiali*, Pariſiis A. 1687. *in fol.* publicata, Athan. Kircheri *China Monumentis, qua Sacris, qua Profanis, illuſtrata* (Amſtelod. 1666. *in fol.*) Iſ. Voſſii *Caput XIV. Libri Variarum Obſervationum*, & Dav. Algoueri *Exercit. de Matheſi Sinica* (Helmſt. 1702.) conſulantur. Ægyptiacæ Cognitioni Hermann. Conringii & Ol. Borrichii Scripta *de Medicina & Sapientia Hermetis Ægyptiorumque* contraria, Athan. Kircheri *Oedipus Ægyptiacus Quadripartitus* (Romæ 1652. 1654. *in fol.*) & Abenephii, Medici Hebræi, *Lib. de Veterum Ægyptiorum Diſciplinis* Arabicus ἀνέκδοτος (quem Kircherus, Welſchio *in Exercit. de Vena Medicin. p. 97.* & Alegambio *in Biblioth. Jeſ. p. 49.* teſtibus, habuit & Latine tranſtulit,) Perſicæ autem Chaldaicæ & Indicæ (de quibus & Conringius, in *Supplement. Antiqq. Acad. p. 214* ſua promiſit Meletemata) Thom. Hydii Hiſtoria Religionis Veterum Perſarum (Oxon. A. 1700. *in 4.*) & Joh. Schmidii

Diſſ. de Gymnoſophiſtis Indorum (Lipſ. 1683.) inſervient. Celticæ Germanorum Gallorumque Veterum Philoſophiæ Hiſtoriam & λείψανα Joh. Picardus, *in Libris V. de priſca Celtopædia*, inepte doctrinæ omnis origines Galliæ vindicantibus (Pariſ. 1556. *in* 4.) Steph. Forcatulus *in Libris VII. de Gallorum Imperio & Philoſophia* (Pariſ. 1579. *in* 4.) Janus Cæcil. Frey *in Philoſophia Druidum*, *Opuſculis Variis* inſerta (Pariſ. 1646. *in* 8.) Cæſ. Egaſſius de Boulay *in Hiſtoria Veterum Academicarum Galliæ Druidicarum*, *hiſtoriæ Academ. Pariſienſis*, ſex Voluminibus Anno 1665. publicatæ, præmiſſa, Thom. Smith *in Syntagm. de Druidarum Moribus & Inſtitutis* (Lond. 1664. *in* 8.) Ulric. Obrechtus *in Exerc. de Philoſophia Celtica* (Arg. 1676. *in* 4.) Eſ. Pufendorfius, Conrad. Sam. Schurtzfleiſchius & Petr. Lagerlofius, in Diatribis *de Druidis*, Lipſ. A. 1650. Witteberg. A. 1697. & Upſaliæ A. 1689. evulgatis, & neſcio quis Marſilius (a G. Naudæo, *in Diſſ. de inſtruenda Biblioth. p. m.* 117. commendatus,) in Tr. de iisdem inedito, exhibuerunt. Sectæ Philoſophorum Græcorum diverſæ Scriptores itidem plures, præter eos, quòs Morhofius recenſuit, invenere Iſagogicos, Hiſtoricos & Bibliothecarios, Pythagoræa ſc. Joh. Schilterum, JC. Doctiſſ. in *Diſſ. de Diſciplina Pythagoræa* Lipſienſi, & M. Joh. Jacob. Syrbium, *in Pythagora intra Sindonem noſcendo, ſive Introduct. in Phyſicam Pythagoræam Hiſtorica* (Jen. 1702. *in* 8.) Heraclitica Gotfr. Olearium, Profeſſ. Lipſ. Epicurea Nicol. Hillium in *Hiſtor. Philoſoph. Epicureæ*, A. 1605. uti fertur, edita, & Trog. Arnkielium, in *IV. Diſſertt.* Kilonienſibus, A. 1671. publicatis, Sceptica Mart. Schookium in *Scepticiſmo* (Gron. 1652. *in* 8.) & Joh. Ulr. Wildium in Pentade Diſputationum, *quod aliquid ſcitur*, Lipſienſium, A. 1664. & ſeqq. propoſitarum, Platonica pariter atque Ariſtotelica Ant Poſſevinum *P. II. III. & IV. Apparatus Philoſophici*, ſola autem Platonica Foucherium, Canonicum Divionenſem, cujus *Diſſertationum de Philoſophia Academica* Gallicarum *Libri IV.* Pariſiis, ab A. 1690. ad 1693. (*in* 12.) prodierunt, & plures expectantur. De Doctoribus Scholaſticis Jac. Thomaſii *Diſſ.* perbrevis, Lipſ. A. 1676. edita, & *Or. XII. de Secta Nominalium*, *de* Carteſianis Adr. Baileti, Valent. Alberti, Pet. Dan. Huetii, & hujus Adverſariorum, Scripta, in *Hypomn. ad T. II. L. I. c. 15. §. 5 & 6.* jam allegata, de Philoſophia Paracelſico-Chymica Conringii & Borrichii Amœbæa, aliaque de Chymicis jam ante laudata, de Sectarum denique in Philoſophia diverſarum Conciliatoribus Jac. Thomaſii *Or. XV. de Syncretiſmo peripatetico*, J. Bapt. Roſchelii, Prof. Phyſ. Witeb. *Diſſ.* de Philoſophia Conciliatrice, A. 1692. propoſita, conferantur.

§. VIII. Hiſtoria Phyſices, ejusque Scriptorum, Literaria Univerſalis, culturam licet, præ ceteris diſciplinis, merita diligentiorem, turpiter hactenus eſt neglecta, ſolusque ferme Morhofius, in hac ipſa, quæ *Librum II. Tomi II.* ſibi vindicavit, *Hiſtoria Naturali*, minus quamvis, ubi ad finem vergit, plena atque accurata, aliquod operæ pretium feciſſe videtur. Quæ enim Herm. Conringius, *Introd. ad Philoſ. Naturalem* Helmſt. A. 1657. *in* 4. edita, attulit licet haud contemnenda, juſto tamen ſunt pauciora, & quia ævi recentioris Dogmata, Scripta atque Inventa, parcius delibant,

libant, imperfecta. Cornelii vero a Beüghem *Bibliographia Medico - Phyſica*, quæ Amſtelod. A. 1681. (*in 12.*) prodiit, Alphabetica ſolos Librorum, poſt A. 1650. editorum, Titulos, absque ullo ſelectu, enumerat, ac in Librariorum tantum Indicum claſſem eſt referenda.

§. IX. Scientiarum, de quibus *Tomi II. Libr. IVtus* diſſerit, Mathematicarum Libris Iſagogicis & Bibliothecariis, præter Martin. Hortenſii *Conſilium de Studiis Mathematicis*, Elzevirianæ Scriptorum *de Studiis inſtituendis* Syllogæ Amſtelod. A. 1645. incertum, Joh. Chriſtoph. Sturmii Diatriben *de Mathematis & Mathematicis* Altorfinam, A. 1678. publicatam, brevem quidem, ſed lectu dignam, & Corn. a Beüghem *Bibliographiam Mathematicam & Artificioſam* Librorum, qui poſt A. 1650. prodierunt, Alphabeticorum, Amſtelod. A. 1688. (*in 12.*) editam, quos adjungam, non habeo. De Cosmographis, & diverſis illorum Syſtematis Mundanis, Sam. Reyheri *Diſſert. de Mundo* (Kilon. 1673.) de Geographis Joh. Bapt. Riccioli *Geographiæ & Hydrographiæ Reformatæ* (quæ Bononiæ A. 1661. auctiorque Venet. A. 1672. *in fol.* prodiit) *Lib. III. Periegeticus & Lib. XI. Onomaſticus*, G. J. Voſſii *Libri de Philologia Partis II. Cap. XI.* Joh. Chriſtoph. Becmanni *Hiſtoria Orbis Terrarum Geographica & Civilis* (*P. I. Cap. I. & ſub reliquorum initium*) & B. G. Struvii *Biblioth. Hiſtoricæ Cap. XXXI.* de Pneumaticis Sam. Reyheri *Diſſert. de Aere* (Kilon. 1668. & 1673.) de Acuſticis Ejusdem *Exerc. de Natura & Fere Auditus ac Soni* (Kil. 1693.) de Muſicis Joh. Alb. Bannii *Diſſert. de Muſices Natura & Studio*, in Syntagm. Scriptorum *de Stud. Inſtit.* Elzeviriano obvia, Joh. Andr. Angelini Bontempi, Peruſini, *Hiſtoria Muſica*, Peruſiæ A. 1695. *in fol.* Italice edita, & in *Actis Erud. M. Majo Anno* 1696. commendata, Scriptumque ejusdem Tituli Germanicum, a Wolfg. Caſp. Prinzio Dresdæ A. 1690. (*in 4.*) publicatum, conferri cum his, quos Autor allegavit, poterunt. Hiſtoria Computi variarum Gentium ab Æg. Strauchio, in Diatribis hujus Argumenti Witebergenſibus, IV. vero Artium Popularium, Scriptoriæ, Muſicæ, Gymnaſticæ & Pictoriæ, a Gerh. Joh. Voſſio Lib peculiari, eleganter eſt tradita.

§. X. De Logices Hiſtoria & Scriptoribus, poſt Keckermannum & Voſſium, Jac. Frid. Reimannus in Scripto Germanico, ſub Titulo des Critiſirenden Geſchichts-Calenders von der Logica ridiculo atque abſono, Francof. A. 1699. (*in 8.* publicato cœpit commentari. Diſſertationes hujus Argumenti breviores Academicas (quas inter J. Alb. Fabricii *Specimen Hiſtoriæ Logicæ Elenchticum*, Hamburgi eod. A. 1699. editum, præcipue arridet) prætereo. Uberius illud poſthac illuſtrabunt Joh. Petr. Ludovicus, Prof. Hallenſis, *in Polyhiſtore Logico Libris IX.* comprehenſo, cujus σχιαγραφίαν *Diſſertationi de Rationalis Philoſophiæ apud Arabes & Turcas Hiſtoria*, Specimnis inſtar A. 1699. præmiſſæ, adjecit, & Philoſophus Acad. Hafnienſis Doctiſſimus, Sever. Lintrupius, præter *Hiſtoriæ Logicæ Breviarium*, *Schediaſma* quoque *de Fatis Metaphyſicæ Hiſtoricum*, in *Reliquiis Incendii Bergenſis p. 47.* nuper pollicitus.

§. XI. Universæ Philosophiæ Practicæ, cujus Partem *Tomi Polyhistor. Tertii*, sive PRACTICI, *Libri III. priores*, sed minori, quam par erat, studio, pervagantur, Scriptores recenset Vinc. Placcius, *in Epitome Consilii de Studio Philosoph. Pract. optime instituendo* (Hamburg. 1695. *in 8.*) & Georg. Schubartus, in *Bibliotheca* (quam ἀνέκδοτον, teste Struvio, *c. 6. Biblioth. Philosoph. p. 102.* reliquit) *Philosophiæ Practicæ Selecta*; solius autem Ethicæ (post Scheurlium & Rachelium) Pet. Resenius, in Prolegomenis de Quatuor Scriptorum hujus Generibus, Gnomicorum sc. Paradigmaticorum, Apodicticorum & Characteristicorum, Editioni suæ, *Eddæ* Snorronis Sturlesonii *Islandicæ* Hafniensi A. 1665. præmissis. Specimen hæc esse voluit Operis, *de Ethicis, usque ad nostra tempora, per Scriptores Hebræos, Arabicos, Græcos, Latinos, Italicos, Hispanicos, Gallicos, Germanicos, Anglicos, Danicos, & Islandicos, propagatione*, majoris, cujus jacturam solari poterit Georg. Paschii, Professoris Kilonienf. *Liber*, quem eadem Methodo dispositum esse observo, *de variis Moralia tradendi formis modisque*, Disputationibus biennio jam proximo ventilari cœptus Academicis. Politices, Scientiæ illius Regiæ, cultoribus longe plures viam ad adyta illius, & Scriptorum notitiam, præter Naudæum (cujus *Bibliographiam* Georg. Hieron. Welschius auctiorem edere, teste Schröckio *in Memor. Welsch. p. 69.* voluit) Conringium (cujus huc quoque spectat *Dissert. de Civili Philosophia, ejusque optimis ac præcipuis Scriptoribus*, Helmstadii A. 1673. publicata,) Caselium, Scioppium, Colerum, cæterosque a Morhofio allegatos commonstrarunt Hodegi. Joh. Henr. Bœcleri *Bibliographia Historico-Politico-Philologica Curiosa, ἀνωνύμως* Germanopoli A. 1677. & 1696. *(in 8.)* excusa, fœtus est posthumus, affectus potius quam perfectus, atque idcirco informis ac mendosus, ob judicia tamen de variis Scriptoribus haud plane contemnendus, sed cum Libello ejusdem *de Eloquentia Politici*, Argent. A. 1654. edito, sociandus. Accuratiores sunt Joh. Andr. Bosii, Polyhistoris eximii, *Introduct. Generalis ad Notitiam Rerump. Orbis Universi* An. 1676. & *Dissertt. duæ de comparanda Prudentia & Eloquentia Civili Isagogicæ*, A. sequ. 1677. Jenæ, post obitum Autoris, a Georg. Schubarto publicatæ, & A. 1698. recusæ. Quarum uti posterior, in secunda hac Editione (sub nova *Rationis legendi tractandique Historicos, Civilis Vitæ Scopo accommodatæ*, Titulo,) auctior comparuit, ita prior *Bibliographiæ* Bœclerianæ, velut Appendix, sed manca, inepte interpolata, & mendis, non minus quam illa, deformis, omisso Autoris nomine, jam ante accesserat. Diatribas quoque de Scriptoribus Politicis Academicas Helmstadii Gebhart. Theodor. Meierus, & Jenæ, Joh. Georg. Jochius, evulgasse perhibentur. Recentiores, qui, ab A. 1651. ad 1680. sua publicarunt, Alphabetico enumerat ordine Cornelii a Beüghem *Bibliographia*, quæ Amstelod. A. 1680. *(in 12.)* prodiit, *Juridico-Politica*, potiores autem ex his nonnullos Censura, rigidiori quidem, sed satis plerumque accurata, sub ficto Eubuli Theosdoti Sarcmasii nomine, A. 1699. *in Judiciis de XV. noviss. prudentiæ Civilis Scriptoribus*, perstrinxit κριτικώτατος Conr. Sam. Schurtzfleischius, quo minus Continuationem iis promissam subjungeret, Crabronum, quos irritaverat, tumultuantium multitudine prohibitus

tus. In Argumentis Politicis ſpecialibus, ſatis tamen diffuſis verſantur Caſp. Thurmanni *Bibliotheca*, quam vocat, *Statiſtica*, Autorum, qui de Ratione Status, Principumque Miniſtris, Conſiliariis, Legatis & Bonis Domanialibus, ſcripſere, recenſum inſtituens, Halæ A. 1701. (*in* 4.) edita, & Gabr. Naudæi *Bibliographia Militaris* e luculento *de Re Militari Syntagmate* per Georg. Schubartum, Auctaria quoque pollicitum, decerpta, & ſeorſim Jenæ A. 1683. (*in* 12.) evulgata. Qui de Oeconomicis Scriptoribus in univerſum egerit, nemo mihi innotuit. *Ruſticæ* tamen *Rei Autorum, quorum Scripta, tam extant, quam deſiderantur, Græcorum, Latinorum, Arabum, Germanorum, Italorum, Gallorum, &c. Catalogum* a Joach. Camerario Jun. Poliatro Norib. Opuſculis hujus Argumenti nonnullis Norib. an. 1570. (*in* 4.) a ſe publicatis, eſſe ſubjunctum, Labbeus (*in B. B. p.* 174.) teſtatur.

§. XII. Ad Hiſtoriæ Tractationem, juſto breviorem, *Libri IV.* ductu, delati, Scriptoribus hujus Iſagogicis & Bibliothecariis, Voſſio (*Libri* etiam *de Philologia Parte II.* paucis de illa commentato,) ejus illuſtratoribus ac Cenſoribus (quos *Hypomnemata* ad hunc lib. noſtra plenius enumerant) Wheario item, Reineccio, Bodino, Mothæo, cæterisque ab Autore laudatis, addi itidem haud paucos poſſe, cum Generales, tum Speciales, obſervamus. E Generalibus mentionem, præ cæteris, merentur Scripta J. H. Bœcleri & J. A. Boſii, paulo ante memorata, Joach. Paſtorii duæ *de præcipuis Hiſtoriæ Auctoribus Orationes* (Dant. 1656. *in* 4.) Burch. Gotth. Struvii *Bibliotheca*, quæ Jenæ hoc ipſo A. 1704. lucem aſpexit, *Hiſtorica*, & Corn. a Beügheim *Bibliographia Hiſtorica, Chronologica & Geographica noviſſima*, ab an. 1651. ad 1685. (quo Amſtelod. *in* 12. prodiit) ordine perducta Alphabetico. De Hiſtoriæ Univerſalis Scriptoribus plenius Bœclero, ab Autore commendato, diſſeruit Joh. Andr. Boſius, in *Notitia* illorum, *Diſſertationibus de Prud. & Eloqu. Civili*, in Editione anni 1698. Noviſſima Jenenſi, ſubjuncta, de Lexicis vero Hiſtoricis Struvius, in *Introduct. ad Notit. Rei Lit. c.* 4. §. 17. & *in Biblioth. Hiſtor. c.* 13. §. 28. meretur conſuli Hiſtoricorum, qui ſuperſtites ſunt, Græcorum omnium, tam Gentilium, quam Chriſtianorum, Notitiam, ab Herodoto ad Metrophanem uſque Smyrnæum pertextam, Caſp. Sagittarius, teſte Schmidiano Scriptorum ejus *Catalogo*, reliquit ineditam. Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ Imperatorum, tum junctim omnium, tum ſingulorum, Michael Hertzius *Parte III. Biblioth. Germanicæ*; Caſp. Sagittarius *in Introd. ad Hiſt. Eccl. c.* 23. & 24. ac Struvius *in Biblioth. Hiſtor. c.* 5. 6. & 7. Sacro-profanæ autem Pontificum Lud. Jacobus a S. Carolo, Carmelita Gallus, *Libro Poſteriori Bibliothecæ Pontificiæ*, Lugd. Gall. an. 1643. (*in* 4.) editæ, hujusque veſtigiis inſiſtens C. Sagittarius, *l. c. c.* 25. 26. & 27. fuſe ſatis enumerarunt. Ex Hiſtoricis, cuivis Regno, Genti ac Regioni propriis, potiores a Joh. Bodino, *in Methodo Hiſtorica*, *c.* 10. H. Conringio *in Lib. de Prud. Civ. c.* 14. Bœclero *in Bibliographia*, Boſio *in Introd. ad Not. Rerump. & Diſſertationum de Prud. & Eloqu. Civili*, J. Chriſt. Becmanno *in Hiſtoria Orbis Terrarum Geographica & Civili*, aliisque, breviter, a Struvio autem *in Bibliotheca Hiſtorica* paulo

paulo fusius, sunt recensiti. Imo nec desunt, qui universos singulorum Regnorum, Populorum, Regionumque, Historiam, ac res cæteras, persecutos, diligentia curiosiori, sollicite congesserunt, & seorsim, Librisque peculiaribus, accuratius celebrarunt. Quorum cum Recensum pleniorem *Apparatui ad Notitiam Reip. Lit. Geographicam* reservemus, Indicem aut Compendiarium in *Isagoges ad Historiam Chersonesi Cimbricæ*, circa Rerum Cimbricarum Scriptores simili Instituto occupatæ, A. 1691. jam dederimus Prolegomenis, breve jam saltem, in hoc præteritorum instituemus Spicilegium. Addantur ergo istic enumeratis Encomiastis ac Nomenclatoribus.

HISTORICORVM ROMANORVM Pet. Angelius Bargæus & Adr. Politus in suis *de Ordine Historiæ Romanæ legendæ* Libellis, ac Burch. Gotth. Struvius in *Syntagmatis Antiqq. Rom. Prolegomenis.*

GALLICORVM Herm. Diet. Meibomius, Hist. Prof. Helmst. *Programmate* de iis prolixo & erudito, A. 1703. edito.

GERMANICORVM idem Meibomius in *Or. Auspic. de genuinis Historiæ Germ. fontibus.*

MISNICORVM Joh. Conr. Knauthius in *Bibliographia Historicorum Misniæ*, ac *Prodromo Misniæ Illustratæ Latino*, in *Prodromo* ejusdem Vernaculo, Dresdæ Anno 1692. edito, promittis.

SILESIACORVM Frid. Lucæ in *Præfat. Memorabilium Silesiæ*, Germanice Francof. Anno 1688. (*in 4*) editorum, Godfr. Rohnius *in Epistolis III. de Ineditis quibusdam Historiæ Silesiacæ Scriptoribus*, Uratisl. A. 1693. & 1694. (*in 4.*) publicatis, Autorque *Præfationis Silesiographiæ* Nicol. Henelii, quæ hoc ipso A. 1704. prodiit, *Renovatæ*, Mich. Jos. Fibigerus.

ANGLICORVM Rich. Smithous in Elogiis Scriptorum de Rebus Anglicis *Floribus Hist. Eccl. Gentis Anglorum* (Paris. 1654. (*in fol.*) præfixis, Guilh. Nicholson, Episc. Carleolensis, *in Bibliotheca Angliæ Historica* (*English Historical Library,*) Tomis II. Londini A. 1696. & 1697. (*in 8.*) edita Herm. Diet. Meibomius in *Programmate de Historiæ Anglicæ Periodis & præcipuis Scriptoribus* Helmstadiensi, A. 1702. publicato, & Gilb. Burnetus (de potioribus tantum Hist. Eccles. Scriptoribus judicans) *in Præf. P. I. Hist. Reform. Angl.*

SCOTICORVM Guilh. Nicholsonus *on the Scottish Historical Library* (Lond. 1702. *in 8.*)

ARCTOORVM Historiæ Ecclesiastico-Literariæ Danicæ, Norvegicæ ac Suedicæ, Prolegomena nostra ad Bibliothecam Septentrionis Eruditi, A. 1699. editam.

ISLANDICORVM Thormodus Torfæus *Capp. VI. prioribus Libri I. Serici Dynastarum & Regum Daniæ, e Monumentis Islandicis*, Hafniæ Anno 1702. (*in 4.*) evulgatæ.

De Scriptoribus Genealogicis Jac. Frid. Reimannus, Rector Scholæ Halberst. *in Historia*

ſtoria de ſatis ſtudii Genealogici Literaria (Quedlinburg. 1702. *in 8vo,*) de Heraldi
Thom. Gore in *Catalogo* illorum *Alphabetico* (Oxon. 1675. *in 4.*) & Pet. Palliot,
pogr. Divionenſis, in Prolegomenis *Indicis Armorialis*, Divione anno 1660.
fol.) Gallico Serm. excuſi, uterque a Labbeo & Teiſerio laudatus, de Fabulis
em Romanenſibus Per. Dan. Huetius & Georg Paſchius ſingularibus commen-
i ſunt Diatribis. Scriptoribus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Bibliothecariis, J. Andr.
lio & Sev. Walth. Slutero (cujus *Propylæum Hiſt. Chriſtianæ* Lüneburgi anno 1696.
in 4to,) triplo auctius eſt recuſum,) ab Autore laudatis, jungendi ſunt J. Chri-
ph. Rumetſchius, qui *Schediaſma de Hiſtoria Theologorum Evangelicorum* Spiræ an.
79. (*in 4to*) publicavit *Univerſali*, de Eccleſiaſticæ etiam reliquæ ac Patrologicæ
ſcriptoribus priſcis ac modernis diſſerens, ceterisque omnibus præferendus, Caſp.
gittarius. Cujus *Introductionis ad Hiſt. Eccleſ. & ſingulas ejus partes, poſthuma* To-
s prior, a Joh. Andr. Schmidio, Theologo πολυμαθεστάτῳ, Jenæ anno 1694.
4to,) editus, Scriptis quotquot in iſto proſtant argumento, univerſis uberior,
ſterioris, a Schmidio ſuppleti ac continuati, deſiderium eo vehementius in no-
accendit. Hiſtoriam Reformationis (de cujus ſcribendæ modo & ratione digna
lectu J. Henr. Hottingeri *Diſſert. Epiſtolica*, Tiguri anno 1664. (*in 8vo*) excuſa)
cleſiaſticam Vito Lud. Seckendorfio & Gilb. Burneto debemus, Literariam au-
n ab Herm. ab Hardt, Profeſſ. Acad. Juliæ Celeberrimo, expectamus. Patro-
os Bellarmino & Labbeo, quos Autor memoraſſe fuit contentus, longe præ-
ntiores noſtra protulerunt tempora, e Pontificiis ſcil. Ludov. Ellies du Pin, *No-*
Scriptorum Eccleſiaſticorum Biblioth. Gallicæ a Matthæo Petitdier *Obſervationibus* im-
gnatæ contrariis, Caſim. Oudinum *Supplementi Bellarminiani*, & Nicol. Nourrium
paratus ad Bibliothecam Patrum Maximam Lugdunenſem, e Reformatis Guilh. Cavium
Henr. Whartonum, *Hiſtoriæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Literariæ*, e Lutheranis
em J. Gotfr. Olearium *Abaci Patrologici*, & Thom. Ittigium *Bibliothecæ Patrum*
uli I. Apoſtolicorum, Autores candidos pariter atque eruditos. Conciliorum Edi-
es ac Illuſtratores J. Georg. Dorſchens Roſtochii anno 1654. Programmate re-
ſuit Academico, ſimulque *Iſagogen* pollicitus eſt *Synodologicam*. Scriptorum Ju-
corum, quos Chriſtianis Hottingerus aliique Syntagmatum H. E. Conditores,
niſcent, Notitia plenior ex Bibliothecis Rabbinicis Joh. Buxtorfii & Joh. Plante-
ii & J. Franc. Buddei, *ad Philoſ. Hebr. Hiſtoriam Introductione*, præſertim vero e
. Bartoloccii IV. *Bibliothecæ Magnæ Rabbinicæ* Voluminibus, Romæ anno 1675.
78. 1683. & 1693. *in fol.* excuſis, quintoque *Bibliothecæ Latino-Hebraicæ*, anno
94. per Car. Joſ. Imbonatum his adjecto, nec non R. Schabthai Ben Joſeph.
שפתי ישנים (*Labiis Dormientium,*) Opere Hebraico, Amſt. an. 1681. (*in 4*) edito.
ijus Verſionem fruſtra hactenus e Septentrione, a Chr. Wormio & Guſt. Perin-
o, expectavimus Latinam,) eſt haurienda.

§. XIII. *Polyhiſtor Theologicus, Libro V. Tomi III.* exhibitus, cum nonniſi de

Theolo-

Theologia Naturali, Biblico-Exegetica, Thetica & Polemica, nec de his ipsis plene satis aut accurate, differat, plurimis indiget Supplementis, quæ Scriptores Isagogici ac Bibliothecarii ab Autore laudati, Sixtus Senensis, Ant. Possevinus, Paulus Bolduanus, Glsb. Voetius, Gerh. Meierus, S. W. Sluterus, Mart. Lipenius, & quos merito cæteris prætulit, G. Calixtus ac J. Henr. Hottingerus, haud parce suppeditabunt. E Recentissimis, quos his jungam, non habeo, nisi referre quis huc velit Pet. Annatum, Scriptorem Pontificium, Dogmatum cœtus sui tenacem, de cujus *Apparatus ad Theologiam Positivam Methodici Libris VII*, Lutetiæ anno 1700. (*in* 4.) editis, *Acta Erud. Lipsiensia Anno 1700. p. 537. & seqq.* consulantur. Non indigna tamen mentione est, quam Mart. Kempius, *Historiogr.* Brandeb. e solis Britannorum Scriptis congessit, & Regiom. an. 1677. (*in* 4.) publicavit, *Charismatum Sacrorum Trias, sive Bibliotheca Anglorum Theologica*, Libris se Tribus in omnes Theologiæ partes diffundens, cujus Continuationem ab Henr. Ludolpho Benthemio, Antistite Bardovicensi doctissimo, in *Præf. Libri de Statu Ecclesiæ Anglicæ* Germanici elegantis, promissam, cupide expectamus. *Bibliothecam S. Scripturæ* Longius, Oratorii Parisiensis Presb. eruditus, jam molitur amplissimam, quicquid de Libb. Biblicorum Historia Codd. MStis, Editionibus, Versionibus, Commentatoribus, & aliis quibusvis Illustratoribus, imo & LL. Or. Grammaticis & Lexicographis, undecunque congeri poterit, junctim exhibituram, cujus σχιαγραφίαν plerisque Germaniæ Ephemeridibus Literariis nuper curavit inseri. Quæ ad Historiam Librorum spectant Biblicorum, e Pontificiis Sixtus Senensis *in Bibliotheca S.* Pet. Dan. Huetius *in Demonstr. Evangelica* Rich. Simon in *Hist. V. & N. T. Critica*, & Lud. Ellies du Pin *in Diss. Præliminari ad S. Biblia*, Gallice, Tomis II. Paris. anno 1699. (*in* 8.) publicata, e Reformatis Andr. Rivetus *in Isagoge in S. Script.* (Lugd. Bat. 1627. *in* 4.) & Joh. Henr. Heideggerus in *Enchiridio Biblico* Ἐισαγωγικῷ (Tig. 1681. *in* 8.) e Nostratibus autem Georg. Calixtus *in Tract. de Auctoritate S. Scr. & Libb. Canon. V. T. numero* (Helmst. 1654. *in* 4.) Mich. Waltherus in *Officina Biblica*, Chr. Kortholtus *in Tract. de S. Scr. Canone*, Henr. Kippingius *in Exercc. de S. Scr. V. & N. T.* (Francof. 1665. *in* 12.) Aug. Pfeifferus *in Critica Sacra*, Laur. Fabricius *in Partitionibus V. T. Bibliis*, aliique plures, sunt persecuti. De Apocryphis, præter horum plerosque, Joh. Rainoldi *Censura Libb. V. T. Apocryphorum*, & singulorum Editiones, a J. Alb. Fabricio curatæ de ceteris vero, quæ Sacris, N. T. præcipue, Scriptoribus supposita sunt, ψευδεπιγράφοις, Sixti Senensis *Lib. II. Bibl. S.* And. Riveti *Lib. I. Critic. Sacri*, Rob. Coci *Censura Scriptorum quorund. Ecclesiasticorum* (Sec. I.) Thomæ Ittigi *Diss. I. Hepradis Dissertationum, Appendici ad Tr. de Hæresiarchis* an. 1696. adjectæ, J. Andr. Schmidii *Diss. de Pseudo-Novo Testamento* (*Helmst. 1699.*) & Joh. Alb. Fabricii *Codex N. T. Apocryphus*, ὑπερβολικῶς ista Notis illustrata sistens eruditis (Hamb. 1703. *in* 8.) consulantur. Editionum Biblicarum (quarum *Bibliothecam* quoque Lud. Jacobus a S. Carolo est molitus) Catalogos Rich. Simon. (Censuram subinde addens,) *in Appendicibus Historiæ V. & N. T. Criticæ*, J. Henr. Hottingerus L. 2. *Biblioth. Quadrip. c. 1. & 2.* Guilh. Crowæus

Crowæus ſub initium *Elenchi Scriptorum in S. Scr. Alphabetici* (Lond. 1672. *in 8.*) & Pet. Terpagrius *in Prodromo Biblioth. Sacræ* (Hafn. 1680. *in 8.*) texuerunt, ſolam autem Operum Biblicorum πολυγλώττων Hiſtoriam Chriſt. Kortholtus *Libri de Variis S. Scr. Editionibus* (ſeu Verſionibus potius) *cap. ultimo*, & Wilh. Ern. Tenzelius Diatriba peculiari (Witeberg. 1686.) fuſius expoſuere. Verſionum Biblicarum Recenſus Hiſtorico-Criticos, præter Hottingerum & Huetium ab Autore laudatos, Joh. Wouwerius *in Syntagm. de Græca & Latina Bibliorum Interpretatione*, Mich. Walcherus *in Officina Biblioth.* Brianus Waltonus *in Apparatu Biblico*, Chriſt. Kortholtus *in Tr. de variis S. Scr. Editionibus* (in Ed. ſecunda Kilon. an. 1686. auctiore, quam in prima an. 1668.) & Rich. Simon *Lib. 2. Hiſtor. Crit. V. T.* ac *in Hiſtoria Verſionum N. T. Critica*, Gallice Roterod. an. 1690. publicata, exhibuerunt. Quibus utinam accedat Syntagma, quod ſe de iisdem molitum olim eſſe, Celeb. Tenzelius nuper (*Sect. X. Biblioth. Curioſæ p. 1008.*) ſignificavit. De Chaldaicis Paraphraſibus Scripta exſtant Chriſtoph. Helvici & Aug. Pfeifferi peculiaria, de Verſionibus Syriacis Diatribæ And. Müllеri (*in Symbolis Syriacis* Col. Brandenb. 1673.) & Bernh. Pet. Karlii, de Gothica (IV. Evangeliorum) Diſſert. Georg. Frid. Heupelii (Witeb. 1693.) de Germanicis, tum ſequioris ævi Verſtionibus, tum Lutherana, Joh. Frid. Mayeri, Joh. Reiskii & Georg. Frid. Magni, Commentationes, *in Hypomn. ad §. 14.* Libri hujus commendatæ, de Gallicis Anonymi *Hiſtoire des Traductions Françoiſes de l'Eſcriture Sainte, tant Manuſcrites, que imprimées, ſoit par les Catholiques ſoit par les Proteſtans* (Pariſ. 1692. *in 12.*) de Danicis Epiſtola Joh. Wandalini Jun. in *Tr. de Verſ. Luth. Germ.* Mayeriano (*c. 6. p. 68-72.*) obvia, de Suedicis Prolegomena, nuperrimæ Bibliorum Suedicorum Editioni Holmienſi, an. 1703. *in fol.* excuſæ, ab Erico Benzelio, Archiep. Upſalienſi, præfixa. Metaphraſtarum S. Codicis Metricorum, e quibus Biblia facile congeri poterunt Poëtica, Recenſum exhibent Dan. Guilh. Molleri *Lateculus* illorum imperfectus, Joh. Calfhilli, Angli, Translationi *Libri Sapientiæ* Heroicæ, Altorfii an. 1699. (*in 8.*) editæ, præfixus, & Joh. Georg. Neumanni *Diſſ. de Metaphraſtis, qui N. T. Græco Carmine expreſſerunt*, Witeb. anno 1686. publicata. Commentatorum in S. Cod. Librosque ejus, & horum Capita ac Loca illuſtriora, Nomenclatores (præter Poſſevinum, Bolduanum, Draudium, Voetium, Hottingerum, Gerh. Meierum, Lipenium, aliquos Bibliothecarum, in quibus & hi enumerantur, Theologicarum Architectos) habemus haud paucos, ſeorſim Indices illorum ſcribere aggreſſos, Fabianum ſcil. Juſtinianum, Jac. Pamelium, Ang. Roccham. Andr. Schottum, Jac. Zannachium, Joh. Georg. Dorſcheum, ejusque Generum, Joh. Grambſium (*Bibliorum Numeratorum* Collectores,) ac nupertimum *Repertorii Biblici* Compilatorem, Henn. Wittenium. Solos Exegetas Britannos, ſed prolixe ſatis, Mart. Kempius, *Lib. I. & II. Bibliothecæ Anglorum Theologicæ*, & cui multa hic debere perhibetur, Vernevillius, Catalogi eorundem Vernaculi, Lond. an. 1668. (*in 8.*) excuſi, Autor, enumerarunt. Hiſce tamen, ſola Autorum ac Librorum nomenclatura contenti, ego, qui Hiſtoriam aut Criſin aliquam de ſingulis, aut potioribus, adjungunt, prætulerim,

Sixti ſc. Senenſis *Biblioth. S. Lib. III. & IV.* Rich. Simonis *Lib. III. Hiſt. V. T. Critica, & Hiſtoriam Criticam Commentatorum N. T. præcipuorum*, Gallice Roterod. an. 1693. evulgatam, Gullh. Crowæi, Ludimag. in Anglia Croydonienſis, circa Exteros ſubinde ceſpitantis, *Eleuchum Scriptorum in S. Script. Alphabeticum*, Lond. an. 1672. excuſum, & J. Frid. Mayeri *Bibliothecam*, quæ, per aliquot jam annos, publicis in Athenæo Gryphico ventilata Diſputationibus, integra nondum prodiit, *Biblicam*. De Concordantiarum Hiſtoria & Uſu, poſt Conr. Kircherum, Scriptorem illarum eximium, Andr. Glauchius Libellum edidit ſingularem, Lipſiæ an. 1694. *(in 8.)* impreſſum.

§. XIV. Ab Exegetis Biblicis ad Theologos pergimus Polemicos. Hos inter, ex Atheiſmi Antagoniſtis, Hiſtoriam ejus, poſt Voëtium, Spizelium & Ant. Reiſerum, Autori laudatos, diligentius ceteris perſecuti ſunt Tob. Wagnerus in *Examine Atheiſmi Speculativi Elenchtico* (Tub. 1677. *in 4.)* &, qui Zelotis quibusdam moderatior, ab iſtis Atheiſmi falſo inſimulatos, contra Cenſuram hanc præcipitem, defendit, Imman. Weberus, Prof. Gieſſenſis, in Libello Vernaculo: Beurtheilung der Atheiſterey, wie auch der mehreſten deshalben berüchtigſten Schrifften, (Francof. 1697. *in 8.)* De Naturaliſmo conſulantur Ad. Tribbechovii *Hiſtoria* illius, poſthuma licet & valde imperfecta, Jenæ an. 1700. (*in 4.*) a Filio edita, &, quod huic acceſſit, ſeorſim antea (Kilon. 1683. *in 4.*) & Lipſ. 1684. *in 12.*) excuſum, Joh. Diecmanni, Theologi πελυΐτορος, *Sched. de Naturaliſmo, cum aliorum, tum Joh. Bodini*, elegantiſſimum, de Indifferentiſmo autem, cum Hiſtoria accuratior nondum prodierit, Caſp. Löſcheri, Conr. Tyb. Rangonis & Val. Velthemii, Diſputt. Academicæ, parce quamvis Hiſtorica delibantes. Scriptorum de Religionibus, Sectisque variis, ingens eſt numerus. Anti Judaicos, aut de Religione Rebusque Judæorum commentatos, Car. Jof. Imbonati *Bibliotheca Latino-Hebraica*, Romæ an. 1694. (*in fol.*) edita, plenius aliis enumerat. Hæreſeologorum, qui de Hæreſibus, vel univerſis, vel nonnullis, vel ſingulis, ſunt commentati Seculo XVI. antiquiorum, Notitia e Thomæ Ittigii Prolegomenis, quæ Tractatui ſuo *de Ævi Apoſtolici, & Apoſtolico proximi Hæreſiarchis*, an. 1690. & 1703. præmiſit, eruditis, Antiquiorum vero pariter atque modernorum, e Caſp. Sagittarii *Introd. ad Hiſt. Eccl. Cap. 32. & 33.* ac Sev. Walth. Sluteri *Propylæo Hiſt. Chriſtianæ*, (*p. 191-242. Edit. Sec.*) poterit parari. Inter Scriptores de Religionibus Sectisque Chriſtianiſmi modernis, Hiſtoriam illarum Eccleſiaſticam pariter atque Literariam plenius aliis proponunt Conr. Schlüſſelburgius in *Catalogo Hæreticorum*, Libris XIII. Francof. an. 1597. & ſeq. (*in 8.*) edito, Joh. Hornbeckius *in Summa Controverſiarum*, & Gottfr. Arnoldus in grandi *Hiſtoriæ Eccleſiaſtico-Hæreſiologicæ* Opere Germanico, Tomis IV. haud ita pridem publicato, ille Zelotarum Lutheranorum, iſte Reformatorum, hic vero Separatiſtarum, partibus addictior, ac ὑποθέσεις ſæpe δελέυων. Sunt quoque haud pauci, qui Sectarum ævi noſtri ſingularum Hiſtoriam, vel ſolam, vel Diſceptationibus Polemicis miſtam, accuratius propoſuerunt, e quibus conſuli merentur: I. De PONTIFICIA Mart. Chemnitii

mnitii *Examen Concil. Trident.* Joh. Gerhardi *Confessio Catholica*, Phil. Mornæi *Myste-rium Iniquitatis* (Salmur. 1611. *in fol.*) Petr. Molinæi Opus *de Novitate Papismi* (de quo in *Hyponm.* dictum est) Gallicum, Joh. Henr. Heideggeri *Historia Papatus Lud. Hainburgi, Historiæ Lutheranismi & Calvinismi* (sub larva Nicandri ab Hohenegg.) κατὰ βίαιον reposita (Amstelod. 1684. *in* 4.) & G. Calixti Scripta de Controvers. pecialibus luculenta. II. De IANSENISTICO in ea Schismate, e Pontificiis Phil. Labbei *Biblioth. Anti-Jansseniana* (Paris. 1655. *in* 4.) & Abbatis du Mas *Histoire des cinq Propositions de Jansenius* (Leod. 1699. *in* 12.) e Lutheranis Joh. Adrian. Oliandri *Specimen Jansenismi* (Tub. 1666. *in* 4.) & Ægid. Strauchii *Jus Tertii Orthodoxi circa Causam Jesuitico - Jansenianam* (Witteberg. 1663. *in* 4.) e Reformatis Joh. Henr. Ottii *Or. de causa Jansenitica* (Tig. 1653. *in* 8.) & Melch. Leydeckeri *de Historia Jansenismi Libri IV.* (Ultraj. 1695. *in* 8.) e Jansenistis autem ipsis Anonymi *Histoire abregée du Jansenisme* (Col. 1697. *in* 8.) & alterius itidem Anonymi (ob diligentissimum Scriptorum utriusque Partis recensum ceteris præferendi) *Histoire Generale du Jansenisme*, Amst. Anno 1700. (*in* 8.) Tomis III. edita. III. De Schismate Mysd. QVIETISTICO Gilb. Burneti *Iter Italicum*, & Anonymi Epistolæ III. Gallicæ *de Statu Italiæ præsenti*, in supplementum istius editæ (Col. 1688. *in* 12.) Inerti *Recueil de diverses Pieces, concernant le Quietisme* (Amst. 1688. *in* 8.) Anony-mi *Traité Historique, contenant le Jugement d'un Protestant sur la Theologie Mystique, sur le Quietisme, & sur les Demelez de l'Eveque de Meaux avec l'Archeveque de Cambray* (Amst. 1699. *in* 12.) Joh. Frid. Mayeri *Dissert. de Quietistarum Persecutionibus* (Hamburg. 1688. *in* 8.) & Joh. Andr. Schmidii *Dissert. de Quietismi Revolutione in Quietistis Veti & hujus Seculi* (Helmst. 1697. *in* 4.) IV. De Ecclesia REFORMATA Conf. Schlüsselburgii *Libri IV. Theologiæ Calvinisticæ* (Francof. 1592. & 1610. *in* 4.) J. Maimburgii, Jesuitæ, *Historia Calvinismi* Gallica (Paris. 1682. *in* 12.) variique alius e Reformatis Adversarii, in Slutteri *Propylæo p. 205. 206.* enumerati, Jac. Basnagii *Historia Relig. Reformatæ* Gallica, Bossuetiano *de Variationibus Ecclesiarum Protestantium* Operi oppositæ (Tomis II. Roterod. 1690. *in* 12.) ac Henr. Ludolphi Bennii Scripta de Ecclesiarum Scholarumque Angliæ & Belgii Fœderati statu moderno Germanica (Lüneburg. 1694. & Martisb. 1698. *in* 8.) de solo autem Certamine Eucharistico, e Lutheranis *Historia Augustanæ Confessionis*, Ambr. Wolfii Scripto ad. Tituli, per Theologos aliquot, Germanice oppositæ (Erfurti 1584. *in* 4.) & Anonymi Historie des Sacramentstreits (A. 1591. *in* 4.) e Reformatis autem Edm. Martini *Libri III. de Eucharistia* (Daventr. 1654. *in fol.*) Lud. Lavateri *Historia de Orig. & Progr. Controvers. Sacramentariæ*, ab Anno 1523. ad 1563. deducta (Tig. 1563. *in* 8.) Rudolphique Hospiniani *Historia Sacramentaria* (Tig. 1598. *in fol.*) V. REMONSTRANTIBVS *Epistolæ* illorum *Ecclesiasticæ & Theologicæ*, a Phil. Limburgio & Christ. Hartsœkero Amstelod. A. 1660. (*in* 4.) longe vero auctiores a Limburgio ibid. A. 1684. (*in fol.*) publicatæ, Ejusd. Limburgii *Historia Vitæ Simonii* (Amstelod. 1701. *in* 8.) Joh. Utenbogardi *Historia Ecclesiæ Belgii Fœderati*, ad

finem usque Synodi Dordracenæ, vernacula, a Jac. Triglandio, Prof. Leid. opere impugnata contrario, & Gerh. Brandii *Hiſtor. Eccleſ. Belgicæ*, itidem vernacula, cujus Pars I. (ab A. C. 712. ad 1573.) Amſtelod. anno 1663. Continuatio hujus (ad an. 1600. ib. anno 1671.) Pars II. (ab anno 1600. ad 1618.) ib. 1674. Tertia autem & Quarta, metu Reformatorum diutius ſuppreſſæ, Roterodami nuper anno 1704. (*in* 4.) prodierunt. VI. De SOCINIANIS, & Unitariis reliquis, Chriſtoph. Sandii *Biblioth. Anti-Trinitariorum*, cum Joh. Stoinii Georg. Schomanni & Andr. Wiſſowatii Opuſculis, ad eorundem ſpectantibus Hiſtoriam (Freiſtadii, ſeu Amſt. 1684. *in* 8.) Stanisl. Lubienicii *Hiſtoria Reformationis Polonicæ* (ibid. 1685. *in* 8.) & Mart. Ruari *duæ Epiſtolarum Centuriæ* (ib. 1677. & 1681. *in* 8.) VII. De ANABAPTISTIS, præter J. Henr. Otii *Annales Anabaptiſticos* (Baſ. 1672. *in* 4.) merito ab Autore commendatos, Frid. Spanhemii Sen. *Diatribe de Origine, progreſſu & Sectis Anabaptiſtarum*, J. Cloppenburgii Gangrænæ Theologiæ Anabaptiſticæ (Franequ. 1656. *in* 4.) ſubjuncta, Anonymi *Hiſtoire des Anabaptiſtes* (Pariſ. 1695. *in* 12.) E. M. P. Ἔπιδειγμα *Hiſtoriæ Anabaptiſticæ* (an. 1701. *in* 8.) J. H. V. P. N. Mennonitæ Batavi, ob candorem in Vitis ſuorum etiam Gregalium detegendis laude dignillimi, Beginſel en Voortgang der Geſchillen, Twiſtringen en verdeeltheden, onder de doopgeſinden, tot an. 1615. (Amſtelod. 1658. *in* 4.) junctaque eidem Ubb. Philippi *Confeſſio ultima*, ob parem Φιλαληθειαν commendanda. VIII. De DAV. GEORGIO, ejusque Aſſeclis, præter Frid. Jeſſenii *Larvam*, quam Autor laudavit, *Davidi detractam*, Vitaque ejus auctam, Germanice Kil. ann. 1670. (*in* 4.) editam, Acad. Baſileenſis *de Vita illius & Doctrina Narratio* (Witeb. 1559. (*in* 8.) Nicol. Blesdikii, generi Davidis, ſed Sectæ deſertoris, *Hiſtoria* illius (Daventr. 1642. *in* 8.) ac Jac. Stolterfothii Biographia ejusd. Germanica, Lub. an. 1635. (*in* 4.) edita, & in Chr. Thomaſii *Tomo I. Hiſtoriæ Sapientiæ & Stultitiæ* Vernaculo an. 1693. recuſa. IX. De ENTHVSIASTIS (quorum Hiſtoriam Morhofius quoque & Mart. Schoockius olim promiſerunt) Nicol. Hunnii *Conſideratio Novæ Theologiæ Paracelſicæ & Weigelianæ* Germanica (Witeb. 1622. *in* 8.) Aug. Pfeifferi *Anti-Enthuſiaſmus* (Lub. 1692. *in* 8.) Joh. Hornebekii Opuſculum *de Paradoxis & Heterodoxis Weigelianis* (Ultraj. 1645. *in* 12.) & *Pantheon Anabaptiſticum atque Enthuſiaſticum*, plurimos de illis Scriptores, ſed diſparis pretii ac fidei, junctim exhibens (Halberſt. 1702. *in fol.*) X. De FANATICIS, Angliæ præſertim Quakeris, Thom. Eduardi, Eccleſiaſtæ Gospelenſis, *Gangræna Errorum, Hæreſium ac Blaſphemiarum illorum*, (Lond. 1646. *in* 4. *Ed.* 3.) Honorii Reggii (ſive Georg. Hornii) *Tr. de Statu Eccleſiæ Britannicæ hodierno* (Amſt. 1646. *in* 4.) Pet. Gartzii Puritaniſcher Glaubens- und Regiments-Spiegel (Lipſ. 1650. *in* 12.) Joh. Conr. Danhaueri *Culluvies Quackerorum* (Argent. 1665. *in* 4.) Anonymi *Hiſtoire Abrée du Quackeriſme* (Col. 1692. *in* 12.) Gerh. Croeſii, Paſt. Alblaſienſis (cæterorum omnium de Tremulis Scriptorum accuratiſſimi & moderatiſſimi) *Hiſtoriæ Quackerianæ Libri III.* (anno 1696. *in* 8. Latine Amſtelodami, Berolini autem Germ. editi,) Philalethæ (ſive Kolhaunii Med. Amſtelod. Quackeriani) *Neceſſariæ* in Croeſii Lib. *Dilucidationes*, in quibus

Errores

irrores ejus deteguntur (Amſtelod. 1696. *in 8.*) Joh. item Laſſenii, aliorumque, cripta varia contra Quakeros Germanica, in *Pantheo*, paulo ante memorato, junlim recuſa. XI. De IOH. LABADIO, ejusque Cœtu Schiſmatico, Petri Yvon, Doctoris illius, *Fidelle Narrée des dernieres Paroles & diſpoſitions de diverſes perſones de Egliſe de Wiewert* (Amſtelod. 1681. *in 12.*) Anonymi aſſeclæ Labadiani, *Abregé ncere de la Vie, de la conduite & les vrais ſentiments de feu Mr. de Labadie*, ad An. usue 1666. pertexta, & a Gotofr. Arnoldo an. 1703. *in Supplem. Hiſt. Eccl.* Germaicis (*pag. 199 297.*) publicata, Anonymi ejus adverſarii *Hiſtoire Curieuſe de la Vie Jean de Labadie* (Hagæ 1670. *in 12.*) Chriſt. Niſanii *Maracologia Labadiana*, Mindæ mo 1673. (*in 8.*) Germanice edita, aliique Scriptores contra Separatiſtas hoſce, *II. Iſag. ad Hiſt. Cimbr. c. 5. pag. 121 - 127.* fuſius enumerati. XII. De ANTOIA BOVRIGNONIA, ejusque aſſeclis, Vitæ ejus Hiſtoria Gallica prolixa, ipſa ſcribi cœpta, & ab Anonymo (qui Pet. eſt Poiretus) continuata, Gallicee ſeorſim Amſtelod. an. 1683. *ac T. I. & II. Operum* an. 1686. Belgice vero ibid. mo 1684. (*in 8.*) excuſa, *Teſtimonia Veritatis de Vita, Moribus ac Scriptis ſuis*, ab ſamet collecta & Joh. Berkendalio Germanico oppoſita, Huſæque anno 1673. *n 4.*) edita, deinde vero Gallice translata, & *Parte II.* cæteris Adverſariis Sacri rdinis repoſita Holſaticis, aucta, Pet. Poireti Epiſt. de Vita, Doctrina ac Scriis Magiſtræ Gallica, in Bælianis *Reipubl. Lit. Novellis*, (*M. April. & Majo Anno 85.*) publicatæ, ejusdemque *Monitum*, Relationi de Operibus Antoniæ, *in Actis ud. Lipſ.* (*M. Jan. A. 1686.*) obviæ Amſtel. an. 1686. ἀνωνύμως repoſitum, ex Adrſariis autem Viri Lud. Seckendorfii *Defenſio* Relationis iſtius, a ſe conſcriptæ, ntra Poiretum (Lipſ. 1686. *in 4.*) Georg. Henr. Burgardum *Animadverſiones in Erres Bourignonianos Germanicæ*, an. 1674. Slesv. *in 4.* & Hamb. *in 8. publicatæ*, & *in rata Narratione* adverſus *Lapidem* Bourignoniæ *Lydium*, an. 1677. (Slesv. *in 8vo*) fenſæ, Cockburnii Angli *Bourignianiſm Detected.* circa an. 1698. evulgatus, aliae, tum Aſſeclarum, tum Adverſariorum, Scripta, in *Iſag.* noſtra, *P. II. c. 6. pag. 1-164.* recenſita. XIII. De aliis Mulieribus Hæreticis ac Fanaticis, Joh. And. hmidii *Diſſ. de Muliere Heterodoxa* (Helmſt. 1697. *in 4.*) & J. Henr. Feuſtkingii *meæum Hæretico-Fanaticum*, Germanice an. 1704. (Francof. *in 8.*) editum. XIV. e CHILIASTIS Promachi illorum, J. Wilh. Petræi, *Nubes Teſtium Veritatis de gno Chriſti Glorioſo, Libris III.* exhibita (Francof. 1696. *in 4.*) ex Adverſariis aum Diſſertt. Academicæ Gisb. Voëtii (*T. II. Diſputt. Select.*) Ad. Tribbechovii (Kil. 567. *in 4.*) Chriſtoph. Laur. Meelführeri (Gieſſæ 1678.) & Joh. Gvilh: Baieri, r. Anonymi qui Dan. Brenius fuit pro Chiliaſmo Belgicum adorti (Jenæ 1678.) guſtique Pfeifferi *Anti-Chiliaſmus* Germanicus (Ratzeb. 1691. *in 8.*) XV. De ertaminibus modernis SYNCRETISTICIS Abr. Calovii *Hiſtoria Syncretiſmi* ermanica (Ratzeb. 1658. *in 4.*) & Conr. Tyb. Rangonis Scriptum ejusd. Tituli ernaculum bipertitum (1674 & 1680. *in 12.*) cujus Continuationem reliquiſſe perbetur. XVI. De certaminibus PIETISTICIS, e Pietiſtarum Adverſariis,

Anonymi

Anonymi Unfug der Pietiſten, Scriptum autoritate publica ſuppreſſum, & Sam. Schelvigii *Itinerarium Antepietiſticum* (Holm. 1695. (*in 4.*) ex adverſa autem parte Phil. Jac. Speneri, aliorumque, Apologiæ, Diumviris hiſce oppoſitæ, Viti Lud. Seckendorfii *Reſponſio ad Imaginem Pietiſmi* Vernacula, cum *Præfat.* Hiſtorica Speneri an. 1692. ἀνεκδότως publicata, ipſiusque Speneri Erzehlung, was wegen des Pietiſmi in Deutſchland vorgegangen (Francof. 1697. *in 12.*)

§. XV. Scriptores Theologiæ Moralis Gebh. Theod. Meierus in *Introd.* ſua *ad ſtudium ejus univerſum* (Helmſt. 1671. *in 4.*) Aſceticos autem Myſticosque Gottfr. Arnoldus & Pet. Poiretus an. 1702. ille in *Hiſt. Theol. Myſticæ*, hic in *Ep. de Scriptoribus Myſticis*, ei adjecta, recenſuerunt. *Opuſculorum Aſceticorum, quæ inter Patrum reperiuntur Opera, Indiculum* Lucas d'Achery, Mon. Benedict. teſte Teiſerio (*in C. Ci. p. 19.*) Pariſiis an. 1648. (*in 4.*) edidit. Ad Oratoriæ tandem Sacræ Hiſtoriam ſpectant, Lud. Bailii, Theol. Pariſ. *Bibliotheca, Concionatorum illuſtriorum Vitas continens* (Pariſ. 1666. *in 4.*) nec non Catalogi Scriptorum Homileticorum Reales, ab Henn. Wittenio *in Repertorio Homiletico*, & Ephr. Prætorio, in *Biblioth. Homiletica* Vernacula (Lipſ. 1698. *in 4.*) ſed abque juſto ſelectu, exhibiti. De *Poſtillis*, quæ barbara voce ſic appellantur, *Eccleſiaſticis* Diatribe Gottfr. Wegneri nuper Regiomonti prodiit. Quallum Librorum, quibus nihil frequentius aut vendibilius, neminem adhuc Bibliothecam, in Plagiariorum tot Sacrorum, quibus in deliciis ſunt, gratiam, miror congeſſiſſe, labore exiguo plures illorum, non Centurias tantum, ſed & Chiliades, conquiri poſſe, perſuaſus.

§. XVI. Theologiam *Libro VI. Tomi III.* excipit Jurisprudentia. Hujus Hodegos, & Scriptores Bibliothecarios, cum haud vacet recenſere univerſos, ſolos ex recentiſſimis commendo Gotfr. Gvilh. Leibnitium *Methodi diſcendæ docendæque Jurisprudentiæ* (Francof. an. 1668. *in 12.*) Nic. Chriſtoph. Lynckerum *Inſtructorii forenſis* (Jen. *in fol.*) Pet. Müllerum *Tr. de Studio Juris tractando* (Duderſt. 1670. *in 4.*) & Burch. Gotth. Struvium *Biblioth. Juris Selectæ*; Jenæ 1703. (*in 8.*) editæ, (quæ *c. 1. §. 1. & c. 4. §. 2.* alios fuſe enumerat,) Autores. Addo, cum a Struvio omittantur, licet ipſe non viderim, ſed in Ephemeridibus ſaltem memorari obſervaverim, Auguſtini Fontanæ *Amphitheatrum Legale Alphabeticum, ſeu Bibliothecam Legalem omnium Autorum ampliſſimam*, IV. Tomis *in fol.* Parmæ an. 1681. editam, & Dion. Simonis *Nouvelle Bibliotheque Hiſtorique & Chronologique des principaux auteurs & interpretes en Droit Civil, Canonique & particulier de pluſieurs Etats & Provinces, depuis Irnerius, avec les Characteres de leurs eſprits, & les jugemens de leurs Ouvrages* (Pariſ. 1692. *in 12.*) Henr. Ern. Keſtneri *Polyhiſtor Juridicus* (Francof. 1699. *in 4.*) Tituli magnificentiæ non reſpondet. Cui an Joh. Gröningius, *Polyhiſtorem* itidem *Juridicum*, in Morhofiani Supple-

Supplementum, pollicitus, accuratius sit satisfacturus, Struvius dubitat, nec ipse definire ausim. Georg. Beieri *Specimina IV. Notitia Autorum Judiciorum*, Lipsiæ quinquennio edita proximo, circa Libros tantum paucos, nullo ordine observato, occupantur, Casp. autem Thurmanni *Bibliotheca Canonica & Duellica* A. 1700. *Metallicaque & Salinaria* A. 1702. Halæ Sax. editæ, in Argumentis versantur specialibus, & ob laborem potius, quam judicium, sunt commendandæ. Juris Nat. & Gentium Universalis Scriptorum Notitia, ex Er. Mauritii *Specimine Dissertt. de Principiis J. Publ.* eximio, sed imperfecto (Tub. 1665. *in 4.*) Vinc Placcii *Epitome Consilii de studio Philos. Pract.* (Hamb. 1695. *in 8.*) Jac. Frid. Ludovici *Delineatione Historiæ J. Div. Nat. & Positivi Universalis* (Halæ 1701. *in 4.*) Joh. Gröningii *Biblioth. J. Gent. Exotica & Europæa.* (Hamb. 1703. *in 8.*) & J. Franc. Buddei *Historia J. Nat.* quæ, Halæ nuper A. 1704. inter *Selecta J. Nat. & Gent.* auctior recusa, cæteris ob κρεῖττον de singulis accuratam, merito præfertur, est hauriendæ. Juris Civ. Rom. ejusque Librorum, Historiam & Fata, post Gentilem, Seldenum, Duckium, Gothofredum, Maurilium & Riccium, Autori memoratos, exposuere Sim. a Leuwen *in Narratione de J. Civ. Rom. Origine, Progressu, Usu, Autorit, & varia Editione atque Emendatione*, Jenæ A. 1697. (*in 8.*) recusa. Joh. Dousatius *in Historia J. Rom. Civ.* (Paris. 1678 *in 12.*) Georg. Schubartus in Triade *Exercc. de Fatis Jurisprud. Romanæ, ab U. C. ad primos usque Impp.* Jenæ 1696. *in 8.*) & Joh. Vinc. Gravina *in Lib. de ortu & progressu J. Civ.* (Neap. 1701. *in 12.* Lipsi. 1704. *in 8.*) Plures Struvius c. 4. §. 1. suppeditabit. In autoritatem illius in Germania, post Conringium (*in Lib. de Orig. J. Germ.*) in Bi- *Disputt. de Juris Justinianei receptione atque Autoritate in Germania*, Altorfii Anno 679. inquisivit Henr. Linckius, Conringio ei longe addictior. Commentatorum *Institt.* Indicem, in *Subsidio Juris* (Rost. 1659. *in 4.*) dedit Chr. Woldenbergius Ctorum Vett. Biographis, hoc Lib. & *T. I. L. I. c. 19. p. 248.* commendatis, jungendi præ aliis Nic. Henelius in *Comm.* de illis peculiari (Lipsi. 1641. & 1654. *in 8.*) & Guilh. Grotius, qui *Vitas* itidem *JCtorum, quorum in Pandectis exstant nomina*, reliquit, ex lustris post obitum ejus elapsis, a Filio Lugd. Bat. A. 1690. (*in 4.*) publicatas. Jus Canonici Studiosis, præter Gentilem, Duckium & Rittershusium, adjumento sunt Gerh. a Mastricht *Historia J. Can. sive de illius Ortu, Progressu, Incrementis, Collectionibus Autoribusque, Tractatio* (Duisb. 1677. *in 8.*) Joh. Doulatii *Histoire du Droit Canonique* (Paris. 1676. *in 12.*) & *Prænotionum Canonicarum Libri V. quibus Sacri Juris, atque universi studii Ecclesiastici, principia & adminicula enucleantur* (Paris. 1687. *in 4.*) Joach. Clutenii *Historia J. Can.* (Arg. 1609. *in 4.*) Georgiique Wernerii & Huld. Cybenii Disputt. hujus argumenti Helmstadienses, A. 1669. & 1672. publicatæ. Ad Hist. Can. Orientalis cognitionem Historicam Christoph. Justelli & Gebh. Theod. Meieri duæ Præfatt. *Codici Canonum Ecclesiæ universæ*, in Edit. A. 1663. Helmstadiensi, præmissæ, & Petri de Marca *de Veteribus Canonum Collectionibus Diatriba, Opusculis* ejus *posthumis* (Paris. 1681. *in 8.*) a Steph. Baluzio inserta, manuducent. De Juris Feudalis Scriptoribus Er. Mauritii *Nomenclator* illorum consulatur posthumus, e schedis defuncti,

defuncti, ordine Alphab. a Joh. Nic. Hertio congeſtus, & in *Diſſertt.* ejusd. Volumine (Franc. 1692. *in 4*) publicatus, ſingulorum Hiſtoriæ Judicia ſubjungens. In Juris Publici Germanici Hiſt. Literaria omnes haud dubie idem ſuperaſſet Mauritius, ſi Opus ei *de hujus Principiis* affectum, amplum atque diffuſum, eadem, qua *Specimen* illius, de J. Nat. ſeu primo agens principio, ac lectiſſimas de Argumentis J. Publ. variis Diſſertationes, doctrinæ copia & ἀκριβείᾳ perficere licuiſſet. Jacturam hanc ſolantur Sam. Rachelii *Introd. ad Jus Publ. Germ. præcipuos ejus Scriptores exhibens* (Amſt. 1680. & 1685. *in 12.*) & J. G. Sulpicii (ſive Joh. Georg. Kulpiſii) *Diſſ. de ſtudio J. Publ. recte inſtituendo, & Scriptoribus eo pertinentibus*, cum *Epiſt. de Studiis Juvenis Nobilis Academicis*, A. 1688. & 1700. (*in 8.*) edita, quam Scripto etiam Racheliano Struvius merito prætulit. Addatur his J. Henr. Bœcleri *Conſignatio de Scriptoribus J. Publ. præcipuis* poſthuma, *Notis in Dan. Ottonis Jus Publ.* præmiſſa, & deinde a Phil. Reinh. Vitriario ſuis *Inſtitt. J. Publ.* ſubjuncta, a Kulpiſio pariter atque Struvio laudata. De Juribus Statutariis Germaniæ Herm. Conringius in *Comm. de Origine Juris Germanici Hiſtorico*, perquam luculento, tertia vice (poſt Editt. A. 1643. & 1649. priores) Helmſt. An. 1665. cum augmento inſigni, publicato, de Danicis Andr. Sev. Vellejus, Pet. Galthius, Pet. Reſenius & Otto Sperlingius Jun, in Scriptis, (quæ *Prolegomena* noſtra ad *Biblioth. Septentr. Erud. §. 45.* fuſius enumerant) ineditis, de Cimbricis, Lubecenſi etiam & Hamburgenſi, Tr. quo *Iſagogen ad Hiſt. Cimbr.* exhibuimus, quadripartitus, de Svedicis Joh. Olai Stierenhök, JC. Aboënſis, *in Libb. II. de Jure Sveonum & Gothorum Vetuſto* (Holm. 1672. *in 4.*) Car. Lundius in *Hiſtoria Juris Sveo-Gothici*, & *Collatione LL. Sveo-Gothicarum & Atticarum*, prælo maturis, & Laur. Ludenius in duobus, quæ Wittenius memorat (*T. I. D. B. ad A. 1654.*) hujus argumenti Schediaſmatis, Hiſtorice ſunt commentati. Circa Anglica eodem inſtituto occupati fuere Joh. Seldenus *in Diſſ. ad Fletam*, & *Notis ad Joh. Forteſcue Lib. de laudibus Legum Angliæ* (Lond. 1616. *in 8.*) Morhofio laudatis, Matthæusque Haleus *in Hiſtoria & Analyſi Legum Angliæ ἀνεκδότῳ* (cujus, e Jac. Tyrellii *Hiſt. Anglica*, Lipſienſes, *in Act. Erud. A. 1705. p. 315.* injecere mentionem,) circa Hiſpanica autem Gerh. Ern. de Franckenau, Secret. Danicus, in *Sacris Themidis Hiſpanæ Arcanis, Jurium Legumque Ortus, Progreſſus, Varietates & Obſervantiam, cum præcipuis Gloſſarum Commentariorumque Auctoribus, & Fori Hiſpanici Praxi hodierna, complexis*, (Hannov. 1703. *in 4.*) ac quem is laudat, Joh. Lucas Corteſius, Regii Caſtellæ Senatus Conſiliarius, *in Hiſtoria Juris Hiſpanici* inedita. Gallicorum Hiſtoriam qui tradiderit, nondum inveni, niſi referendus huc ſit Joh. Douſatius, qui, in *Hiſtoria J. Civ. Rom.* Gallici etiam originem teſte Titulo, perſtrinxit. *Introductiones ad Praxin forenſem*, de Scriptoribus diſſerentes Practicis, Er. Mauritius, ab Autore commendatus, &, poſt hunc (A. 1694.) Sam. Strykius, Struvio (*c. 7. p. 250.*) laudatus, dedere, JCti ambo illuſtres, quibusque peritiores nemo Hodegos deſiderabit.

§. XVII. Diſſertatio de Arte Medica perbrevis, quæ toti finem imponit *Polyhiſtori*,

biſtori, adeo, fateor, imperfecta eſt & jejuna, ut vel ſola, Acroaſibus, quarum *ultima* plerumque *frigent*, Academicis totum hoc Opus deberi, teſtetur, & niſi lacuna iſta mancum illud reddidiſſet atque mutilum, luce indigna haud immerito potuiſſet videri. Supplementa, quibus præ ceteris indiget partibus, longe plurima, præter Herm. Conringii *Introductionem in Artem Medicam*, laudibus, quas a Noſtro reportavit, eximiis digniſſimam, ſed cum Acceſſionibus præclaris, quibus, in noviſſima Anni 1688. Editione, Gener eam Autoris haud degener, G. C. Schelhammerus, dexterrime illuſtravit & continuavit, ſociandam, Scriptoresque Bibliothecarios & Biographicos, *h. l. & T. I. Lib. I. c. 18. p. 228. ſeq.* memoratos, alii etiam, Opere hoc tum Antiquiores, tum Recentiores, ſuppeditare poterunt. De illis, præſertim Biographis, & Laboribus quoque hujus generis affectis Th. Reineſii, Æg. Menagii & Phil. Labbei (quibus J. Bapt. Capponus e *T. I. L. I. p. 228.* addi poterit,) conſuletur Henr. Meibomii Jun. *Epiſt. de Medicorum Hiſtoria Scribenda*, Helmſt. 1669. *(in 4.)* edita, Operis inprimis *de Vitis Medicorum*, a Parente πολυμαθεσάτῳ, J. Henr. Meibomio, Libris IV. ab O. C. ad A. C. 1450. perductis, a ſe vero auctis & emendatis (quod, poſt ſemiſeculi ab Autoris obitu intervallum, nondum prodiiſſe miramur,) σχιαγραφίαν proponens. Plerosque etiam, tum Biographos, tum Bibliographos Medicos, recenſuit, & accurata ſimul de iis tulit Judicia, Val. Henr. Voglerus *Cap. 8. Introd. in Notit. Bonor. Scriptorum.* Inter Recentiſſimos, Bibliothecarum Medicarum auxit numerum Georg. Abr. Merclinus *Lindenio* ſuo *Renovato* (Norib. 1686. *in 4.)* in quo Lindani Libros II. *de Scriptis Medicis* augere ac continuare (poſt Conr. ab Hove, Med. Brem. El. Pilulandum Danum, & D. Becherum Saxonem, quorum ipſe Labores *in præfat.* memorat affectos) aggreſſus, e ſuis eos Annott. & Georg. Hier. Welſchii Schedis, non ſolum emendavit, ſed & dimidia fere parte amplificatos, Libris plusquam 1700. Vitisque Medicorum brevioribus pene 300. locupletavit. Autoribus de Studio Medico Iſagogicis, præter Joh. Rhodium, & alios, *Introd.* Conringianæ a Schelhammero adjectos, Rod. a Caſtro *Medicus Politicus, ſive de Officiis Medico-Politicis Libri IV.* (Hamb. 1614. *in 4.*) Pet. a Caſtro, Poliatri Veron. *Bibliotheca*, quæ Patavii A. 1654. *(in 12.)* prodiit, *Medici Eruditi* (cujus Tituli Scriptum, Caſtriano locupletius & accuratius, τὸν πάνυ G. H. Welſchium molitum quoque eſſe, Schröckiana ejus *p. 56.* teſtatur *Memoria,*) & Caſp. Höfmanni *Iſagoge Medica, Oratt. 2. de ratione Medicinam, tum diſcendi, tum exercendi*, propoſita & a Collega Jac. Paner. Brunone Curiæ Varisc. A. 1661. *(in 12.)* cum Supplemento, edita, jungi merentur. Peregrinationis Medicæ Hodegos ſe Thom. Bartholinus, in Diatr. eleganti, Hafn. A. 1674. edita, & Joach. Vitus Wigandus (ſive Joh. Val. Willius) in *Triga Diſſertt. de Philiatrorum Germanorum Itineribus* (Frib. 1678. *in 12.)* præbuere peritiſſimos, *Deſiderata Medicinæ* a Georg. Hier. Welſchio *im Somnio Vindiciani* (Aug. A. 1676. *in 4.)* ſunt recenſita. Oblitus pene eſſem *Hiſtoriæ Artis Medicæ*, quæ principem inter Modernorum Scripta hujus argumenti locum meretur, Gallice, Amſtelod. A. 1702. *(in 4.)* a Dan. Clerico, Med. Genev. editæ, Tribusque Partibus (quarum Prima ſeorſim Genevæ A. 1699. *in 12.*

pro-

prodierat) ad Galeni usque ævum perductæ. In qua cum Autor Celeberrimus Medicinæ Universæ Antiquioris, ejusque Sectarum, Autorum & Propagatorum, Dogmatum item & Scriptorum, singulis propriorum, Historiam summa eruditione, & judicio accurato, proposuerit, præclare utique, si quisquam modernorum, de Arte sua meruisse est censendus, præclarius vero adhuc meriturus, si telam inchoatam, a Galenicis temporibus, ad nostram usque ætatem, pari dexteritate pertexet. E Scriptoribus de singulis Medicinæ Partibus Isagogico Historicis, Chymicos jam supra recensuimus. Physiologiæ Historiam, & Scriptorum Censuram, in sua ad illam *Introduct* (Helmst. 1681.) exhibuit G. C. Schelhammerus, *Anatomes* vero *Origines* A. 1683. Regiomonti, *Dissert. IV.* ab antiquissimis repetiit temporibus & ad nostra deduxit, Phil. Jac. Hartmannus. Thom. Bartholini *Biblioth. Anatomica*, qua Professorum omnium, tam Vett. quam Recentiorum, Vitas, Inventa, Scripta, & multorum etiam effigies, erat complexus, in Biblioth. ipsius periit incendio, Rei Lit. & Medicæ admodum funesto. Quæ Genevæ A. 1685. *in fol.* sub eod. Titulo, prodiit, *Biblioth. Anatomica*, a Dan. Clerico & J. Jac. Mangeto in *Tomos II.* digesta, Celebriorum recentioris ævi Anatomicorum Tractatus selectiores, junctim recusos, exhibet. *Biblioth. Botanicam*, sub larva Joh. Ant. Bumaldi Bonon. A. 1657. *(in 24.)* editam, Ovidio debemus Montalbano, Prof. Acad. Bonon. Medico, in Placcii *Tr. de Scr. Anon. & Pseudon. p. 170.* detecto. Praxeos tandem Medicæ Cultoribus Autores, de morbis commentatos singulis, suggessere Matthias Moronus *in Directorio Medico-Practico*, Lugd. Gall. A. 1647. & 1650. *(in 8.)* publicato, &, qui istud, a se auctum, Francof. A. 1663. *(in 4.)* denuo recensuit, Seb. Schefferus, Poliater Francofurtanus. Sed finis aliquando Recensui huic Scriptorum de Arte Medica Historicorum est imponendus, ne in majorem is, quam Autoris nostri de eadem Commentatio justo brevior, molem excrescat. Vale ergo, L. B. & Morhofii, Viri de Re Literaria præclare meriti, Labores justo mecum æstimans pretio, de posthumis hisce, illorumque imperfectione, ac nævis aliis, quos *emendaturus, si licuisset, erat*, benignius judica, memor illorum, quæ ipse, de Operibus ejusmodi affectis, T. I. *Polyhist.* hujus, *Lib. I. c. 7. p. 66.* inculcavit: *Qui imperfecti sunt Libri, neque extremam limam senserunt, & vel ruditer tantum designati, cum Orbe tamen erudito communicandi essent, etiam contra Autorum morientium vota, qui sibi ipsis interdum iniquiores sunt, quam alii, Judices. Apellis tabulæ, etiam imperfectæ, in pretio fuere: Ita Virorum ingeniosorum opera imperfecta suis Autoribus dedecori non sunt. Ac sint in illis nævi, facile hos excusat non adhibita operi ἀκρίβεια, tegunt illos, & quodammodo pulchriores faciunt, opera perfectiora.*

Scribebam Flensburgi Cimbrorum,
M. Decembri Anni
Æræ Christianæ. M. DCC. IV.

IO. MOL-

IOHANNIS MOLLERI

Flensburgo-Cimbri,

SCHOLAE PATRIAE RECTORIS,

IN

DANIELIS GEORGII MORHOFII,

POLYHISTORIS INCLYTI,

POLYHISTOREM LITERARIVM PROLEGOMENA,

Autoris Vitæ ac Scriptorum, non Editorum modo, ed & Ineditorum atque Affectorum, præsertim vero POLY-HISTORIS hujus, Historiam exhibentia, ac plurimis Virorum Eruditorum Judiciis, quibus & Autorem, & singulas ejus Lucubrationes publice commendarunt, Honorificis illustrantia.

§. I.

POLYHISTORIS (h. e. *Multiscii*) agnomen honorificum solis olim iis, quos eruditio multiplex pariter atque solida præ aliis nobilitabat, & supra Literatorum ævi sui vulgus longissime evehebat, nec tamen omnibus, fuisse tributum, nemo, In Veterum Monumentis, & Historia Literaria Antiquiori, el mediocri versatus diligentia, ignorat. Tales utique fuere, quos coævorum lud, aut Posterorum, Judicio reportasse, Joh. Wouverius nostras, in eleganti *de olymathia* Libello (1) annotavit, ALEXANDER CORNELIVS (quem Svias Milesium, Stephanus, aliique, Coryæum fuisse perhibent) Cornelii Lentuli ex ædagogo Libertus, & Grammaticus Syllanis temporibus Romanus, ac M. TE-

(1) *Cap. 15. num. 8. p. 152.*

RENTIVS VARRO, Equeſtri Romæ natus familia, ſuæque a C. Julio Cæſare Bibliothecæ, cum dignitatibus, quibus in toga pariter atque ſago functus erat, ampliſſimis valedixiſſet, præfectus. Tales etiam extitere, quos Idem Alexandro & Varroni adjungit, C. IVLIVS HYGINVS, Hiſpanus, Auguſti Imperatoris Libertus & Bibliothecæ Palatinæ Cuſtos, APIONque, Ægyptius, Tiberio σύγχρονος, & Alexandrinorum ad Succeſſorem ejus, C. Caligulam, Legatus. Scriptis ſinguli, in omni ferme Literarum genere, inclaruere quamplurimis, quæ, licet pleraque dudum perierint, ab aliis tamen Autoribus Vetuſtis, non ſine luculentis illorum Elogiis, frequenter allegantur. Quæ fuſe recenſere, Voſſique, Jonſii, Hanckii, ac aliorum, de ſis Analecta exſcribere, cum inſtituti noſtri ratio haud permittat, pauciſſimis erimus contenti. ALEXANDER CORNELIVS, Cognomen hoc a Lentulo Patrono mutuatus, Vir fuit, Euſebio (2) teſte, πολύνους καὶ πολυμαθής, τοῖς τε μὴ πάνυ παρέργως τὴν ἀπὸ παιδείας καρπὸν πεποιημένοις ἐλλογιμώτατος. De VARRONE ſilere propemodum præſtat, quam pauca dicere, cum merita ejus in Literas immortalia, & laudes, quas iſtis promeruit, Ciceronis, Quintiliani, Auguſtini, aliorumque Ordinis Literarii Principum, invidendæ, vel Libro integro exponi digne vix poſſint. *Nemo* certe, ſi Lactantium (3) audias, *unquam, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, illo vixit doctior.* APIONEM, qui a συγχρόνοις πλησονίκης jam *(Pluriniorum Victor)* ac Μόχθος *(Labor,)* a Tiberio autem Imperatore *Cymbalum Mundi*, ob dotium ingenii præſtantiam, diligentiam incredibilem, & famæ magnitudinem, ſalutabatur, Aulus quoque Gellius,(4) propter *Literas multas, rerumque imprimis Græcarum plurimam atque variam ſcientiam*, extollit. HYGINO eundem Polyhiſtoris Titulum a coævis fuiſſe delatum, Wouwerius (5) & Gerh. Joh. Voſſius (Hieronymi etiam *Chronicon Euſebianum*, ad A. M. VIII. hunc in finem allegans,) (6) ex hiſce Suetoniani de *Illuſtribus Grammaticis Libelli*, verbis c. 20. in Vita illius, obviis, evincere allaborant: *C. Julius Hyginus, Auguſti Libertus, natione Hiſpanus, etſi nonnulli Alexandrinum putant, & a Cæſare Romam affectum, Alexandria capta. Studioſe & avide imitatus eſt Cornelium Alexandrum, Grammaticum Græcum, quem, propter Antiquitatis notitiam, Polyhiſtorem multi, quidam Hiſtoriam vocabant.* Verum, ne quid diſſimulem, iſte Suetonii Locus pro Hygino a Duumviris πολυμαθεστάτοις perperam videtur allegari, & Alexandro potius Cornelio, quem ille imitatus eſt, paulo antea nobis laudato, Polyhiſtoris agnomen aſſerere. Quod Tobiæ etiam Magiro, (7) quanto Alexander apud Romanos habitus fuerit in pretio, ex illo probanti, video jam eſſe obſervatum. Non indignum interim eodem Titulo Hyginum fuiſſe lubentes fatemur, & duo ingenii ipſius Monumenta, quæ ſola e tot injuria temporum amiſſis ſuperſunt, Literaria, *Poëticon* nempe *Aſtronomicum* & *Fabularum Liber*, haud obſcure teſtantur.

II. Verum

(2) *Lib. 9. de Præparat. Evang. 17.* (3) *L. 1. Inſtit. Divin. c. 6. p. m. 23.* (4) *L. 5. Noct. Att. c. 14.* (5) *l. c.* (6) *Lib. 1. de Hiſt. Lat. c. 20. p. 102.* (7) *in Eponymologio Critico, p. 11.*

213
31

II. Verum eidem fato ac mutationi Titulus hic Polyhiſtoris, aliique ejusdem generis Literarii, fuere obnoxii, cui Politici, Auguſtis olim, Principibus, aliisque Viris illuſtribus, ceu tanto faſtigio proprii, honoris gratia, a Veteribus attributi. Hos enim nemo ignorat, Seculis poſterioribus, & præſertim XVIImo nuperrime elapſo, laxiore admiſſo ſignificatu, hominibus ſubſellii longe inferioris delatos, ita paulatim degeneraſſe, ut Monarchis, Supremique Ordinis Magnatibus, de novis, quibus ipſi ſoli gauderent, in iſtorum locum adſciſcendis, hactenus ſæpe fuerit & inpoſterum quoque ſit cogitandum. In Republica Literaria, uti dictum, partim ſtolidæ ambitionis, partim vero φιλαργυρίας ſordidæ & turpiſſimæ adulationis vitio, non minor, quod Titulos attinet, invaluit ἀταξία Graduum certe, quos vocant, Academicorum, ſolis olim vere Eruditis deſtinatorum, appellationes, honorificæ ſane ac plauſibiles, poſtquam pretio iſti venales eſſe, & dignis atque indignis promiſcue conferri, cœperunt, adeo jam eviluerunt, ut Illiterati eas rideant ac contemnant, Eruditiſſimi quique faſtidiant, mulique ex ipſis Profeſſoribus ac Brabeutis, iisdem olim donati, nominibus ſuis, tanquam parum ſibi decoras, adjicere dedignentur. *Clariſſimi* Titulus, tantæ olim dignationis, ut Viris Conſularibus, Provinciarumque Præſidibus, Romæ eſſet proprius, Seculo autem XVIto ſolis ferme Literarii Ordinis Proceribus cœperit tribui, multis jam Literatoribus Umbraticis, illo ob famæ & doctrinæ obſcuritatem ne quidem dignis, itidem ſordet; faſtuoſæ autem contra, & Magnatibus merito relinquendæ, *Excellentiſſimorum* ac *Magnificorum* appellationes etiam ab iis ambitione nonnunquam ſibi vindicantur ridicula, in quibus, ſi dotes ſpectes ingenii, nil niſi exile & vulgare, nedum magnum aliquid, aut τῶν ἄλλων ἔξοχον, deprehendes. Non eſt igitur, quod miremur, Polyhiſtoras etiam, imo πανσόφους nonnunquam & πανεπιστήμονας, noſtra ætate, ab Aſſentatoribus imperitis, &, quid æra lupinis diſtent, ignaris, ſalutari, qui ad Polymathiæ veræ adyta nunquam penetrarunt, ſed vel in uno tantum Literarum, ſive Elegantiorum, ſive Sublimiorum, genere diligentius aliis ſunt verſati, vel, ſi pluribus vacare libuit, ſtudio illa fugitivo & deſultorio, canis inſtar e Nilo bibentis, obiter tantum delibarunt, nullius autem accuratam atque ſolidam adepti ſunt peritiam. *Vera* nimirum, in Republica etiam Literaria, quod Salluſtius Romanæ indignabundus olim exprobravit, *verum Vocabula jampridem amiſimus*, nec Studiorum ſaltem præmia, ſed ipſum etiam eruditionis nomen, & Titulos huic ſoli debitos, Indocti cum Doctis partiuntur, ac ſæpiſſime illis præripiunt.

III. Non tamen tanta eſt noſtrorum temporum infelicitas, ut nullos amplius habeant, quibus gloriari, quosve Priſcis opponere queant, vere Polyhiſtoras. Decreſcit, fateor, ob quotidiana barbariei, & turpiſſimi doctrinæ ſolidioris contemptus, incrementa, paulatim illorum numerus, ſed nondum tamen omnino diſparuit. Inclaruere, noſtra etiam ætate, inter Germanos, Batavos, Italos, Gallos, Britannos, imo in Cimbria etiam, ac vicino ei Septentrione, & etiamnum, numero licet imminuto, ſuperſunt, Heroes nonnulli Literarii, qui accurata totius Polymathiæ peritia,

& immortalibus in omne Literarum genus meritis, Seculi ſe eſſe Ornamenta ſatis ſuperque demonſtrarunt, ac Polyhiſtores, non priſco ſolum illo ac genuino Vocis ſignificatu, ſed & κατ' ἐξοχὴν, appellari meruerunt. Indicem τῶν ἐξοχωτέρων ſiſterem, niſi brevitatis ſtudium, & timor indignationis Pſeudo-Polyhiſtoum quorundam, in Republica Φιλοπρωτευόντων Literaria, ob mentionem ſui in illo forte omiſſam, graviſſimæ, calamum ſufflaminarent. Unus ergo, ceterorum omnium loco, in ſcenam prodeat Polyhiſtor, quem Cherſoneſus hæc Cimbrica Ornamentis Chori ſui Literarii adoptivis potioribus accenſet, plane eximius, & Titulo iſto, præ aliis, extra omnem controverſiam, longe digniſſimus,

DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS.

Polyhiſtorem hunc Viri jam Eruditi quamplurimi, & hos inter, Polyhiſtores etiam ætatis noſtræ Celeberrimi, ſuo paulo poſt loco enumerandi, in Monumentis ſuis Literariis, publice ſalutarunt. Polyhiſtorem Auditores Academici in Cathedra publica, & Muſeo domeſtico, Amici autem, in Colloquiis Familiaribus, & Commercio Epiſtolico, ſunt experti. Polyhiſtorem Scripta tot, quibus omnes ferme Polymathiæ Elegantioris partes inſigniter illuſtravit, exaſciatiſſima, nemine Lectorum diffidente, oſtendunt, & Poſthuma, quæ, manum ac limam Autoris ſui ultimam experta, luce publica digna Cenſoribus videbuntur accuratis (delectu enim hic opus, hactenus forte interdum neglecto), itidem demonſtrabunt. Polyhiſtorem denique fuiſſe, vel ſolus hic *Polybiſtor Literarius*, qui tertia nunc vice, & integer quidem, dimidiaque parte jam redditus auctior, Orbi erudito ſiſtitur, cum *Philoſophico* & *Practico*, eum ſecuturis, teſtis eſt omni exceptione major. Longe potiori utique Jure ἐπιγραφὴν iſtam ſibi vindicat, quam C. JVLII SOLINI, Scriptoris, a quo Noſter mutuatus eam eſſe videtur, Veteſti equidem, ſed Eruditioribus minus probati, *Polybiſtor*, ex *Hiſtoria Naturali* Pliniana, aliisque Veterum laboribus, nec fideliter ſatis, nec judicioſe, compilatus, aut ANT. GVIBERTI COSTANI, Toloſatis, JCti, *Polybiſtor* miſcellæ doctrinæ, ſed ſex tantum octernionum, exiguus, cum ejusdem *Quæſtionibus Juris Memorabilibus* A. 1557. editus, ac Hanoviæ A. 1598. (8) recuſus.

IV. Verum de Opere hoc illuſtri, totiusque Rei Literariæ exhibente Pandectas, ac ceteris Morhofii noſtri Laboribus, Editis, Ineditis, atque Affectis, fuſius dicendi, ſuasque ſingulis laudes, allegatis hunc in finem Eruditorum Judiciis, admetiendi, commodior poſtea recurret occaſio, ubi Vitæ Viri Summi Hiſtoriam brevem atque Synopticam præmiſerimus. Prolixiorem equidem, & ſtudio accuratiori (quali Phil. Melanchtonem Joach. Camerarius, & Tychonem Braheum, ac Mecænatem Galliæ, Nicol. Fabricium Peireſcium, Pet. Gaſſendus, celebrarunt) concin-

(8) *in 8vo.*

natam, Wilh. Ern: Tenzelius, Hiſtoriographus Ducum Saxoniæ πολυμαθέσατος, ante decennium, publice (9) a me efflagitavit. Verum ignoſcet mihi, qua eſt humanitate, haud gravate, ni fallor, Vir Celeberrimus, quod deſiderio iſte ſuo ab aliis diſtracto laboribus, nec hactenus ſit ſatisfactum, nec jam ſatisfiat, ſed Palma iſta Theologo in Literatura elegantiori verſatiſſimo, HENRICO MVHLIO, communi utriusque Amico, ac Morhofii non Diſcipulo ſolum γνησίω, interiorisque admiſſionis domeſtico, ſed & in Profeſſione Kilonienſi Poëtica Succeſſori, quem Vitæ Laborumque Præceptoris moliri Hiſtoriam, ipſemet paulo poſt (10) ex Epiſtola ejus ad ſe A. 1692. exarata, ſignificavit, relinquatur. Cujus Meletematis ſui Editionem ut Vir Summe Reverendus, de Manibus jam ante Morhofianis venuſto Poëmate Elegiaco, iis ſacro, (quod Lipſiæ An. 1691. (11) ſeorſim prodiit, deinde vero, ſub *Libri III. Polyhiſtoris Literarii* initium, Lubecæ Anno 1692. & in *Diſſertationum Academicarum atque Epiſtolicarum* Noſtri Appendice (12) Hamburgi A. 1699. eſt recuſum) præclare meritus, maturet, ſerio eum obteſtor. Lenient interim ejus exſpectationem Schediasmata breviora, partim Biographica, partim Encomiaſtica, Viri Summi memoriæ a Tanti Nominis Cultoribus, intra Undecennium hoc, a morte ipſius elapſum, conſecrata. Hos inter agmen ducit ipſe CL. TENZELIVS, cujus Narratio de Morhofii Vita, & in Literas Meritis, compendiaria, ex Henr. Muhlii Epicedio modo laudato, & Epiſtola ad ſe Familiari, ſermone collecta Germanico, bimeſtri poſt obitum τῦ μακαρίτε tempore vix elapſo, *in Dialogis Anni 1691. Menſtruis*, M. Septembri, (13) lucem aſpexit publicam. Anno ſequenti 1692. MATTHIAS HENRICVS BVRCHARDVS, Slesvicenſis, Georgii Henrici, Antiſtitis Regii Segebergenſis, Viri eleganter docti, nobisque olim amiciſſimi, Filius haud degener, ſed morte immatura ante quinquennium extinctus, in Nundinarum, ſive (uti ipſe, ad Nonen Vernaculum Umbſchlag alludens, has appellat) *Vertumnalium* Kilonienſium Panegyri Anniverſaria, XIV. Kal. Febr. Oratiuncula Præceptorem defunctum Panegyrica celebravit haud ineleganti, iſtique, triennio poſt, (A. 1695) Lubecæ, & ſeorſim (14) excuſæ, & Secundæ Trium priorum *Polyhiſtoris Literarii* Librorum Editioni adjectæ, *Laurus Cimbricæ Arteſcentis, ad Buſta Morhofii ſparſæ*, Titulum præfixit. Noviſſime, A. 1699. in Voluminis *Diſſertationum* Noſtri *Academicarum atque Epiſtolicarum*, Junctim Hamburgi publicatarum, Appendice (15) Vitæ Morhofii prodiit Hiſtoria, ab ipſomet MORHOFIO, continua narratione, ab Anno Natali 1639. ad 1671. ſive ætatis triceſimum ſecundum, perducta, ſed Editioni, uti credo, haud deſtinata. Adjecit iſti Amicus Autoris Ἀνώνυμος (quem *Bibliothecæ Morhofianæ forulos ac ſchedas fere omnes diligenter excuſſiſſe*, Joh. Burch. Maji teſtatur *Præfatio*, Studioſum autem Juris fuiſſe Veteranum, &

(9) *In Dialogis Menſtruis Germanicis, M. Jan. A. 1692. p. 63.* (10) *M. Jul. A. 1692. p. 603. 604.* (11) *in fol.* (12) *p. 138 - 143.* (13) *p. 801 - 808.* (14) *in 4to.* (15) *p. 1 - 48*

τῦ Μακαρίτε per annos complures domeſticum, ab aliis accepi) Continuationem ſuam, ad A. usque 1691. (qui Noſtro fuit Emortualis) laudabili pertextam diligentia, niſi quod ordinem ſubinde magis concinnum, & delectum accuratiorem, deſideres. Subjunctus eſt utrique (16) CASPAR. THVRMANNI, Roſtochienſis, J. U. D. & Conſiliarii olim Saxo - Lauenburgici, Recenſus Scriptorum Morhofii, ac Judiciorum, quæ de Autore pariter atque iſtis Viri Docti tulerunt, honorificorum, laudabili ſane inſtituto, ſed parce nimis, quod Elogia attinet, ex ſolis ferme Actis Eruditorum Lipſienſibus, Dialogisque Tenzelianis, ac paucis allorum Scriptis, deprompta, congeſtus, cuique, e prolegomenis hiſce noſtris, haud exiguum forte accedere poterit Auctarium. Mentionem etiam aliquam meretur, quæ idem *Diſſertationum Academicarum* inſerta eſt *Appendici*, (17) Sylloge locuples Carminum Adoptivorum, quibus Collegæ Roſtochienſes ac Kiloniēnſes, Amicique alii, vel de Titulis ac Dignitatibus Academicis Noſtro ſunt gratulati, vel in Nuptiis ejus, ac Filiorum Natalibus, Applauſum, in Uxoris autem funere συμπάθειαν ſuam, teſtati, vel Scriptis, ab illo editis, hederam ſuſpenderunt, vel obitum tandem ipſius, Orbi Literato luctuoſum, deplorarunt. Suggerit enim & iſta, quæ Hiſtoriam Vitæ Noſtri illuſtrant, cujus σκιαγραφίαν brevem, ex hac *Diſſertationum Appendice*, eodem, quo illa prodiit, Anno 1699. LIPSIENSES quoque *in Actis Eruditorum*, (18) Literatis exhibuerunt. Horum nos exemplo, in Vita eadem exponenda, ipſius potiſſimum Morhofii Biographiam, ejusque Continuationem ſequemur ἀδέσποτον, ac utriusque narrationes obſervationibus ſubinde noſtris augebimus atque illuſtrabimus.

V. Natus eſt MORHOFIVS Wismariæ, Urbe Ducatus Megapolitani veruſta ac munitiſſima, Portuque inſuper egregio & Commerciis maritimis præſigni, Anno Æræ Chriſtianæ Vulgaris 1639. (non 1636. quem Celeb. Tenzelius (19) perperam ſubſtituit,) diemque Sextum Februarii, Romanis olim nefaſtum atque inauſpicatum, ortu ſuo, & Patriæ, & Orbi Literato, fauſtiſſimum reddidit atque auſpicatiſſimum. Natalem hunc, cum Socrate, Alexandro Magno (cui idem Emortualis etiam fuiſſe traditur,) Friderico Wilhelmo, Electore Brandeburgico, hujusque Primogenito, Carolo Æmilio, ſibi communem, Heroumque proinde, & Bellicorum, & Literariorum, fœtura jam olim illuſtrem, ac ab Athenienſibus præterea, Græcisque ceteris, ob victorias crebras a Perſis eodem reportatas, inter fortunatiſſimos relatum, ipſemet, ductu Æliani (20) quatuor celebravit Carminibus, ad Principes Brandeburgicos, paulo ante laudatos, Genethliacis. Quæ cum prolixiora ſint, quam ut huc poſſint a brevitatis Studioſo trans-

(16) p. 49 - 60. (17) p. 61 - 143. (18) M. Jul. p. 291. 292. 293. (19) in Dial. Menſtr. Germall. M. Sept. A. 1691. p. 806. (20) L. 2. Var. Hiſt. c. 26.

ransſcribi, in *Operibus* Autoris ſui *Poëticis*, (21) ab Elegantiarum hujusmodi Amaſiis, evolvi merentur ac perlegi. Patrem habuit *Joachimum Morhoſium*, Notarium Publicum, Senatuique Urbano a Judicii Inferioris Secretis, tenuioris quidem ſortis Parentibus in Marchia procreatum Brandenburgica; ſed probitate pariter atque doctrina conſpicuum; Matrem vero *Aguetem*, Danielis Hintzii, Mercatoris honeſti, Filiam. Quæ in hujus, Noſtro in tenera fato præmaturo ereptæ infantia, locum ſuccеſſit, *Anna Tabberta*, Friderici Petræi Vidua, Noverca licet eſſet, affectu tamen vere materno Privignum eſt proſecuta, & Bona ſua, Marito omnium Hærede nuncupato, ad ipſum pervenire voluit.

VI. A teneris unguiculis, ductu Parentis (cujus ſe cura, conſilio & informatione, ſolida variorum Studiorum jeciſſe fundamenta, Ipſe, in Vitæ propriæ Hiſtoria, grato agnoſcit animo,) tum Pietatis Exercitiis, & Lectioni S. Codicis quotidianæ, tum Hiſtoriarum etiam, e Verſione *Chronici* Carionis Germanica, cognitioni mature aſſuevit, Muſica autem, in qua progreſſus deinceps fecit inſignes, ipſemet, etiam adhuc ἀναλφάβητος, ſummopere eſt delectatus. Primis Latinitatis rudimentis ab eodem imbutus eſt Parente ſuo, qui e Ludo eum, in quem miſſus erat, Literario, quod caput Pueri, per Orbilium quendam, fuſte ita læſum eſſet, ut tubera inde orta, ac præ pudore diſſimulata, in febrim illum periculoſam conjicerent, domum revocavit, triennioque ipſe informavit integro. Iſto elapſo, Athenæi Wismarienſis Urbani (nec enim, vel Scholam Civitatis Roſtochienſis Trivialem Anno eum ætatis nono acceſſiſſe, a Matth. Henr. Burchardo, (22) nec Lubecenſem deinceps frequentaſſe, a Lipſienſibus, (23) perſvaderi, cum ipſe neurius, in Vitæ ſuæ Hiſtoria, mentionem injiciat, patior) commiſſus Præceptoribus, Rectoris ejus, Joh. Poltzii (Scholæ poſtea Lubecenſis Subrectoris ac tandem Conrectoris,) auſpiciis, ita, & in ſoluta, & ligata Oratione, profecit, ut 14. natus annos ea utriusque daret ſpecimina, quæ ab ipſis Ludi Doctoribus extollebantur. Poltzium hunc non in Vitæ ſolum Hiſtoria, *unicum* ſe *ad Bonos Autores, & Sectiorem Latinitatem, Ductorem* habuiſſe, grata mente eſt profeſſus, ſed & jam ante, A. 1683. in Programmate, Studioſi cujusdam Kilonienſis dicato Exequiis, (24) ſequenti dignatus Elogio: *Erat Viro illi ſingularis, in bonis Autoribus enucleandis, Induſtria, Judicium de iis acerrimum, Græcarum & Latinarum Literarum accurata peritia. Nec præpoſtera, ut nunc plerumque fit, Juvenes via ducebat, ſed λεωφόρον Bonarum Literarum Viam ad Artes ſternebat.* Non autem ſatis habuit Noſter Linguas, Hiſtoriam, Artesque dicendi ac diſſerendi, in prima hac ætate familiares ſibi reddidiſſe, ſed Mathematicarum etiam, Arithmeticæ inprimis, Sphæricæ, Geometriæ & Geographiæ,

(21) *Libro ſecundo Charitum p. 51-56.* (22) *in Or. Fun. p. 7.* (23) *in Actis Erud. M. Jul. A. 1699. p. 291.* (24) *V. Programmata, Orationum ſubjuncta Faſciculum. 56. p. 775.*

graphiæ, ab Andrea Pauli, Wismarienſi, Scholæ Patriæ Subrectore (cujus *Thematorologiam N. T, Radicum & Derivationis Terminationem uſum exhibentem*, Lubecæque A. 1661. editam, prælectiones ipſius *de Notitia Autorum* Academicæ MSStæ, *c. u.* honorifice commendant) non minus feliciter hauſit principia.

VII. Ex Urbe Natali, ſedecim natus Annos, d. 7. Mart. anno 1655. Stettinum abiit, & in Pædagogium iſtic admiſſus Regium, in Philoſophia Joh. Micrælium, hujus Rectorem (cujus in ſe merita nec publice diſſimulavit,)(23) in Lingua Hebræa Joach. Fabricium, Superintendentem, in Jurisprudentia autem (cujus jam Tyrocinia, Parentis ductu, abſolverat) Joh. Sithmannum, ejus Profeſſorem, fideles habuit Hodegos. Nulli tamen Præceptorum Stettinenſium plus debuit, aut familiarius ſe applicuit, quam Henrico Schævio, Kilonia Holſato, Med. Doctori, Literarumque Humaniorum & Poëſeos Interpreti Publico, aut Gymnaſii tandem Thorunienſis (cui morte immatura anno 1661. æt. 37. eſt ereptus) Rectori, *Viro*, prout ipſe teſtatur, *ad omnes elegantias facto, Poëtæque, Muſico, Mathematico, Mechanico, & Philoſopho Sectæ Carteſianæ* eximio, cujus Scriptis ſuis paſſim mentionem inſeruit perquam honorificam. (26) Hujus Doctoris, cui ipſe viciſſim in deliciis fuit, χειραγωγίαν fidelem ſecutus, univerſæ Matheſeos Curriculum abſolvit, Phyſicam doctrinam eſt ingreſſus, & in Poëticis diligenter ſe exercuit. Acres tamen illos primæ ætatis ad Poëſin impetus, Schævii exemplo in ſe excitatos, poſtea freno indiguiſſe, Judiciüque accuratioris lima fuiſſe emendandos, ipſe, in Vitæ ſuæ Hiſtoria, verbis hiſce ingenue fatetur: *Quoniam Vir ille* (Schævius) *Statium imitandum ſibi unice propoſuerat, Ingenio olim ſuo plus juſto indulgens, ſolam tum ſcribendi carminis vim ſequebar; a qua tandem me ipſum revocabam, judicio maturiore, & Poëtarum antiquorum lectione, monitus. Nam, ut impetus ad Poëticam facultatem illius Viri exemplo magis, quam præceptis, excitati ſunt; ita poſtea felicior Carminis cultura ab ingenio, Exercitatione & Lectione, ſuccrevit. Scribebam XVI. annorum Adoleſcens alicui Carmen de dignitate Conſulari Gratulatorium juſtæ magnitudinis, cujus dictio Statii, & aliorum arduorum Poëtarum, floſculis tota erat concinnata. Mirifice id nonnullis placebat. Verum ipſe & conatus meos poſtea ridebam, & illos, qui tantopere Carmen illud celebraverant.*

VIII. Biennio (non autem, uti Tenzelio (27) relatum eſt, quadriennio) Stettini exacto, & Schævio ſuo (cui *Poculum boni Dæmonis*, ſive Carmen hujus Tituli Apobaterium elegans (28) diſceſſurus obtulit,) & ceteris valedixit

(25) *in Comm. de Lingua & Poëſi Germ. Vernaculo, P. III. c. 2. p. 482.* (26) *V. Miſcell. Poët. p. 73. Polybiſt. Lit. Lib. 2. c. 6. p. 374. 375. & L. 3. c. 10. p. 66. 67. Orat. VIII. p. 243. & Comm. de Lingua ac Poëſi Germun. P. III. p. 620.* (27) *in Dialog. Menſtr. M. Sept. A. 1691. p. 806.* (28) *Vid.* illud in *Operibus* Noſtri *Poëticis, p. 909-914.*

ledixit Profeſſoribus, ac, annos natus XIIX. d. 29. Maji a. 1657. Roſtochium commigravit, Studioque Juridico ductu Henr. Rud. Redekeri, Jac. Seb. Laurembergii, Henricique imprimis Rahnii (quem Præſidem A. 1658. elegit ſuæ *de Jure Morborum* Diſputationis, proprio Marte conſcriptæ, nec vel leviſſimam ab illo paſſæ mutationem,) incumbere feliciter perrexit. Non tamen iſti ſoli vacabat, ſed Polymathiæ etiam reliquæ, & Poëſi, ad quam naturæ vehementiori ſe rebatur inſtinctu, haud minimam temporis ſui partem invidendo admetiebatur ſucceſſu, nec exiguo cum famæ, Carminibus argutis atque venuſtis quamplurimis, Latinis ac vernaculis, in amicorum gratiam, magnamque partem ſub nominibus etiam illorum, publicatis, acquiſitæ incremento. Alacriter ſponte jam ſua, in Stadio hoc Poëtico ad palmam contendenti calcar exemplis atque hortatibus ſuis addebant Andr. Tſcherningius, Poëſeos Profeſſor, Ἐγγοδιάκτης hujus Auditorum ſuorum Primicerii, nec multo poſt ſucceſſoris, perpetuus, & Commilitonum, uti olim Scholaſticorum Stettinenſium, ita nunc Academicorum Roſtochienſium intimo, Joh. Rölingius, Lütkenburgo Holſatus. De quo ipſius Pylade, in *Cymbria* fuſius celebrando *Literata*, hic tantum noramus, eodem illum, quo Noſter Tſcherningio Roſtochii ſucceſſit, Anno 1660. Regiomonti Simoni Dachio, in Profeſſione itidem Poëtica, eſſe ſubrogatum, eolemque cum ipſe die, ante diſceſſum, Roſtochii ſupremos Philoſophiæ Honores, pplaudente, uti poſtea dicetur, communi utriusque Præceptore, Henr. Schævio, deptum. (*29*)

IX. Profeſſionem Poëſeos in Academia Roſtochienſi, antehac a Nathane Chytræo, Eilhardo Lubino, Joh. Kirchmanno, Pet. Laurembergio, Viris magni in ep. Literaria nominis, &, quem paulo ante laudavimus, ipſe autem accuratius celebravit, (*30*) Andrea Tſcherningio, ornatam, A. 1660. cum luſtrum ætatis quarum vix impleviſſet, raro præcocitatis Literariæ exemplo, Epicedii in Ciconiam ocularis occaſione, obtinuit, Alebat iſtam, *Adriani* a ſe nomine donatam, domi ſuæ aur. Bodockius, J. U. D. & Rhetor Academicus, qui, cum, d. 25. Oct. A. 1659 reatos a ſe novos Magiſtros, aliosque Hoſpites, ſolenni excepiſſet convivio, ab orum uno ſub noctem, Avis innocua telo eſt transfoſſa. Noſter, fatum illius iſte miſeratus, accedentibus Amicorum monitis, Leſſu ei Heroico, adjectaque uic Inſcriptione pereleganti, parentavit, & utrumque iſtud Poëmation joculare odem anno editum, Bodockio inſcripſit. Quod cum Joſuæ Arndio, Guſtaphi

(*29*) v. Morhofii Carmen ad Rölingium, Regiomontum diſcedentem, Propemticum, *in Poëmatis Germanicis p. 111 - 114. & Comm. de Lingua ac Poëſi Germ. P. II. cap. 9. pag. 432.*

(*30*) *V. Scazontes in Natalem Tſcherningii in Miſcell. Poët. p. 47 - 50.* Anagrammata bina, & Scazontes iſtorum Interpretes, in ejusdem Obitum, *in Funeribus p. 12. 13.* nec non Elogium Poëmatum illius Germanicorum inſigne, *in Comm. de Lingua & Poëſi Germanica, P. II. c. 9. p. 428. 429.*

Adolphi, Ducis Megapolitani, Protecclesiastæ Aulico, Theologo peritia Literarum Elegantiorum singulari conspicuo, Poëtæque haud vulgari, esset lectum, adeo placuit, ut Principi suo istud, simulque Autorem ejus, antehac sibi ignotum, de nota meliore commendaret. (31) Permotus ista Commendatione Princeps Eruditorum amantissimus, Morhofium, posthabita Palæstra, cui Parens eum destinaverat, forensi, dissuadentibus incassum Dav. Mevio, JCto patriæ percelebri, Martinoque Böckelio, Syndico Lubecensi (Filii simul natu majoris, in Academias abituri, offerente Ephoriam,) Professionem, quæ Tschernigii obitu vacabat, Poëticam modeste ambeuntem, voti confestim A. 1660. fecit compotem. Quam Musagetæ hujus Illustrissimi, Panegyri in Natalem ipsius (d. 26. Febr.) Heroica, paulo ante in Acroaterio recitata Academico, prolixius a se celebrati, benignitatem Oda ille Eucharistica, Sermone scripta Germanico, (32) deprædicavit. Munus deinde sibi commissum, cum Magistri ante Titulum, una cum Rölingio suo, d. 26. Jul. Brabevta Aug. Varenio, Collega, reportasset, Oratione *de Genio & Spiritu Poëtico* solenni d. 17. Oct. A. 1660. est auspicatus, applaudentibus gemino huic honori, tum Academiæ Rostochiensis Professoribus plerisque, tum Amicis ac Fautoribus aliis. (33) Quos inter Henr. Schævius, ejus olim in Gymnasio Stettinensi Præceptor, in prolixo *Epiphonemate* ad ipsum & Rölingium, Auditores suos, & Magisterii, & Spartæ Professoriæ, Honoribus eodem tempore potitos, *Heroico*, Castorem & Pollucem Duumviros hosce Doctissimos atque amicissimos salutavit. (34) Quoniam vero annuo, antequam publice doceret, spatio peregrinandi potestatem a Principe suo Noster obtinuerat, exeunte eodem A. 1660. in Bataviam & Angliam abiit, Viros utriusque celebres salutavit, Caroli II. Britanniæ Regis, inaugurationi interfuit, suumque applausum Carmine illi testatus est Gratulatorio, & in Academia Oxonienſi, ut Bibliotheca hujus Illustri uteretur, aliquamdiu substitit. In reditu, Franequeræ Frisiorum, Supremos Juris utriusque Honores Academicos, a Joh. Jac. Wissenbachio, Athenæi illius Antecessore Primario, sibi collatos, habita d. 26. Sept. A. 1661. Disputatione *de Jure silentii* Inaugurali, Laur. Banckii, Sueci, JCti Franequerani, & sui ibidem Hospitis, Collegarumque & Amicorum Rostochiensium, Elogiis compluribus ornata Metricis (35) haud difficulter exambiit.

X. Rostochium redux, quam nactus erat, Spartam egregie ornavit, non Prælectionibus solum in Claudiani *de Raptu Proserpinæ Libros*, aliosque melioris

(31) v. Epistolas duas ad Bodeckium & Arndium Lessii isti Anno 1667. in Editione secunda Kilonienſi, præfixas. (32) vid. eam *in Poëmatis Germanicis*, *P. I. pag. 39-42.* (33) Carmina illorum Gratulatoria una cum Alb. Willebrandi, JCti Rostoch. programmate ad Orat. Auspic. Invitatorio, leguntur in *Appendice Dissertt. Acad. pag. 68. 77.* (34) *ibid. p. 69-72.* (35) v. illa *in Append. Dissertt. Acad. p. 78-83.*

ris notæ Poëtas, Publicis, ſed privatis etiam Acroaſibus Juridicis, Oratoriis atque Poëticis, menſaque & hoſpitio, quod cœlebs eſſet, primum Henr. Rahnii, JCti (cui, A. 1662. defuncto, Oratione parentavit publica) eximii, & Caſparis deinde Marchii, Profeſſoris Medici, integro uſus eſt quadriennio. Hoc elapſo, cum fama doctrinæ ejus multiplicis, ceterarumque ingenii dotium, longe lateque ſparſa, in Cimbriam etiam noſtram penetraſſet, a Chriſtiano Alberto, Duce Holſatico, A. 1665. una cum tribus Collegis, *Chriſt. Kortholto*, Theologo, *Caſp. Marchio*, Medico, & *Matthia Wasmuthio*, Philologo, in Academiam Kilonienſem recens a ſe conditam, eſt evocatus, &, poſt miſſionem a Principibus Megapolitanis ægre impetratam, Doctor in illa publicus eloquentiæ ac Poëſeos conſtitutus. Inaugurationi Athenæi hujus Cimbrici, d. 5. Oct. A. 1665. non interfuit ſolum, ſed & Odis ſuis in laudem Ferdinandi III. ac Leopoldi, Imperatorum, Fridericique & Chriſtiani Alberti, Holſatiæ Principum, per Muſicos Ducales decantatis, & Oratione ſolenni, die ſequenti recitata, illuſtriorem eandem reddidit. Anno, qui hunc excepit, 1666. d. 22. Jan. quo Gradus Academici Quatuor, quas vocant, Facultatum Candidatis prima vice, ſumtu Principis, conferebantur, ipſe, Prodecanus Ordinis Philoſophici, in locum Mich. Watſoni, Decani, paulo ante defuncti, electus, habita *de Cauſis, ob quas multi ad minus ſolidam perveniant ſapientiam*, Oratione eximia, ſeptem Philoſophiæ creavit Magiſtros, Actorumque primæ iſtius Promotionis Academicæ Hiſtoriam, a ſe conſcriptam, una cum Strenis, ſub novi Anni initium, Principi, Patronisque & Profeſſoribus Academiæ, diſtributis, ceterisque *Primitiis Parnaſſi Kilonienſis Poëticis*, juris fecit publici. Sex Annos Vitæ Kilonienſis priores cœlebs, in convictu Caſp. Marchii, Profeſſoris Medicæ Artis Primarii, quem Roſtochii etiam Hoſpitem habuerat, exegit. Rectoris Academici Officium, d. 5. April Anno 1669. prima ſibi vice demandatum, Oratione *de Intemperantia in ſtudiis* elegantî eſt auſpicatus, & Semeſtribus poſtea Annorum 1677. 1685. 1690. æſtivis denuo adminiſtravit; Philoſophici vero Ordinis Decanatu Anno jam 1667. & ſæpius deinde functus, laurea ejus ſuprema Juvenes ſubinde haud paucos exornavit.

XI. Anno 1670. media æſtate, ſub initium Feriarum Canicularium, iter denuo, Principis permiſſu, in Batavíam & Angliam, maximo ſuo fructu, ſuſcepit Literarium, & cum Viris illarum Doctiſſimis, partim ante duo jam luſtra ſalutatis, partim nunc demum viſis, amicitiam vel contraxit, vel renovavit. Ultrajecti Joh. Georgio Grævio familiariter innotuit, magni nominis Critico ac Philologo, Amſtelodami autem Theod. Kerckringio, Joh. Swammerdammio (Hiſtoriæ Inſectorum, quibus muſeum ejus inſtructiſſimum abundabat, Scrutatori induſtrio,) Mart. Birrio, Matthiæ Slado, ac Juſto Schradero, Medicis atque Chymicis celeberrimis. Quibus addi etiam meretur, illiteratus licet, Nicol. Petterus, Oenopola, quem certo & æquali vocis ſuæ ſono vaſa vitrea diverſa disrumpentem coram ſpectavit, iſtudque Experimentum Societati dein Regiæ Anglicanæ præſens expoſuit,

fuit, ac, Kilonium reverſus, Diatriba Epiſtolica peculiari luculenter illuſtravit. Leldæ cum Joh. Frid. Gronovio eſt converſatus, Hagæ Comitum vero cum Nicol. Heinſio, Conſtant. Hugenio, Conſiliario Principis Arauſionenſis Intimo (cui, multiplicem ejus expertus favorem, *Horas* poſtea inſcripſit *ſubſecivas Poëticas*) ac Franc. Junio, quo duce Iſaaci Voſſii, in Anglia abſentis, Bibliothecam ac Codices MSStos perluſtravit. In prædio Sam. Schaſſii, Hagæ vicino, Marquardum Gudium noſtratem ſalutavit, Schaſſii tunc Ephorum, poſtea vero Duci Holſatico, & tandem Regi Daniæ a Conſiliis, inſpectisque in Bibliotheca ejus locupletiſſima MSStis plurimis rarioribus, Operibusque Poſſeſſoris ἀνεκδότοις atque affectis, arctiorem cum illo contraxit familiaritatem, in Cimbria deinceps ab utroque, ad fata usque ſuprema, continuatam. E Batavia in Angliam iterum transgreſſus, Londini diutius hæſit, conſuetudine potiſſimum Rob. Boylii, Philoſophorum modernorum facile Principis, Iſaaci Voſſii, Polyhiſtoris eximii (cujus beneficio Bibliothecam ipſi videre licuit Regiam,) & Henr. Oldenburgii, Societatis Illuſtris Anglicanæ (in cujus Conſeſſum, hoc Proxeneta, admiſſus eſt Philoſophicum) Secretarii, delectatus. Cum ex Anglia in Bataviam maritimo remearet itinere, præſentiſſimum naufragii, prope Brielam, vix evaſit periculum, quod rumori de ipſius in undis æquoreis morte, Holſatiam tunc pervagato, & Epigraphis, quibus inter Amicos, huic credulos, Chriſtianus a Stöcken, Protecclesiaſtes Aulicus Eutinenſis, Germanico, Johannes autem Georgius Pellicerus, Collegii Canonicorum Lubecenſium Secretarius, Latino Idiomate, ſuperſtiti parentarunt, Feralibus (*36*) præbuit occaſionem. In Batavia veteres amicos denuo ſalutavit, Pauli Würtzii, Archiſtrategi Ordinum Fœderatorum Eruditi, Huſæ Cimbrorum in lucem editi, prolixum expertus eſt favorem, & Amſtelodami tandem ingens, ope divina, vitæ diſcrimen iterum ſuperavit. Cum enim in Bibliopolio Elzeviriano Libris perluſtrandis eſſet intentus, magna Librorum atque Chartarum moles, quæ trochleis in ſuprema attrahebatur tabulata, in aream decidit, & tergum ei laterali motu concuſſit, ſi vertici incidiſſet, certiſſime enecatura.

XII. Cum, finita altera hac peregrinatione, Anno 1671. (ad quem Vitæ ſuæ Hiſtoriam ipſemet perduxit) Kilonium rediiſſet, vitæ cœlibis pertæſus, uxorem d. 23. Octob. duxit *Margaretam*, Caſpari a Degingk, Tremonia Weſtphali, Lubecenſis Reipublicæ Senatoris (quem ad Conſularem ejusdem evectum tandem eſſe dignitatem, Scriptor, qui vitam Noſtri, ab ipſo inchoatam, pertexuit, Anonymus, (*37*) & hunc ſecuti Lipſienſes, (*38*) falſo perhibent,) Filiam (*39*). Cujus Virtutes cum Maritus ipſe, in Programmate, quo Exequias defunctæ, M Jun. A. 1687.

(*36*) Pelliceri Inſcriptionem in obitum Morhofii, falſo creditum, recuſam invenies in *Append Diſſertt. Acad. p. 91 - 94.* (*37*) *in Append. Diſſert. Acad. p. 12.* (*38*) *in Actis Erud. M. Jul. A. 1699. p. 291. 292. 293.*

A. 1687. Rectoris Academici nomine, indixit, Funebri (in Programmatum, Orationibus Anno 1698. ſubjunctorum, Sylloge perperam omiſſo,) (40) & Collegæ Kilonienſes, in Epicediis, memoriæ ejus conſecratis, (41) debitis ornaverint laudibus, mentione illarum prolixiori, brevitatis ſtudio, ſuperſedemus. Quatuor ex illa ſuſcepit Filios, Caſparum nempe Danielem, Primogenitum (eodem, quo Avus paternus Wismariæ efferebatur, die octavo Aprilis A. 1675. in lucem Kilonii editum (42)) Georgium Marquardum, Fridericum, & Ericum Georgium. Quos inter Secundus atque Quartus in ætate deceſſerunt tenera, Primus vero ac Tertius Patri fuerunt ſuperſtites, & Poſthuma ejus nonnulla Juris fecerunt publici.

XIII. Ceterum, ut, a rei domeſticæ facie, ad munera, quibus Kilonii functus eſt, revertamur Academica, Profeſſioni geminæ, quam ab A. 1665. ornaverat, Oratorio Poëticæ, poſt reditum ex Secundo Itinere Literario, aliæ Dignitates, fama ejus ſubitis progreſſibus accreſcente, ſunt adjectæ. Anno enim 1673. Adamo Tribbechovio, Theologo inſigni ſibique amiciſſimo, in Aulam evocato Saxo-Gothanam, in Profeſſione ſucceſſit Hiſtorica. Sequenti autem 1674. Curà ſcribendorum publico Academiæ nomine Programmatum, & ſexennio poſt, A. 1680. Bibliothecæ, cui Sam. Rachelius, JCtus percelebris, hactenus præfuerat, Academicæ Ephoria, a Principe ipſi eſt commiſſa. Hiſtoriographi etiam Ducalis Officium eodem, quo Hiſtorias docere juſſus eſt, Anno 1673. ei fuiſſe deſtinatum, Joh. Adolphi Kielmanni, Aulæ Holſaticæ Præfidis, omniumque Miniſtrorum Ducalium ea tempeſtate Principis, quem ſummum Noſter habuit Patronum atque Evergetam, Literæ, Slesvigæ d. 13. Nov. Anno jam dicto, ad eum exaratæ, & inter Schedas defuncti repertæ, oſtendunt. Intervenit tamen aliquid, quod conſilia iſta irrita redderet.

XIV. Quanta fide, qua item dexteritate & diligentia, ſingulis, quæ in novellis Cimbriæ Athenis commiſſa ipſi ſunt, inſigni cum famæ harum incremento, & ſtudioſæ Juventutis emolumento, functus ſit officiis, ſatis ſuperque, ne Collegarum & Auditorum allegem teſtimonia, Prælectiones, quibus, per quinque luſtra, Cives Academicos, non in Oratoria ſolum, Poëſi & Hiſtoria, ſed reliqua etiam Polymathia Elegantiori univerſa, præclare admodum erudiit, Publicæ pariter atque Privatæ, demonſtrant. Syllabum illarum, e Catalogis Operarum Academicarum Semeſtribus, Continuator Vitæ ejus Anonymus operoſe congeſſit. Nos prolixo ingularum Recenſu, cum pleræque infra in Ἀνεκδότων Noſtri indice denuo ſint

(39) V. Epithalamia Erici Mauritii, Joſiæ Arndii, Pet. Muſæi, Chr. Kortholti, Pauli Sperlingii, Sam. Rachelii, Ad Tribbechovii, Mich. Kirſtenii, & aliorum, in *Appendice Diſſert. Acad. p. 94 - 97.* (40) Recuſum iſtud eſt in eadem *Append. 113 - 119.* (41) Leguntur hæc Epicedia in eadem *Appendice, p. 119 - 126.* (42) V. Carmina Genethliaco-Epicedia Ad. Tribbechovii & Pauli Sperlingii in ejus Natalem, in *Appendice* ſæpius laudata, p. 107 - 112.

memorandæ, ſtudio brevitatis h. l. ſuperſedemus. Addemus tamen, quæ de earum ſcopo atque inſtituto in illo ipſemet diſſeruit Programmate, quo, d. 2. Sept. A. 1683, Juventutem Studioſam ad audiendas Lectiones de Argumentis Selectioribus (Patavinitate ſcil. Liviana, Germanorum in literas Meritis, Juris Romani Hiſtoria, τῷ θείῳ in Diſciplinis, aliisque ſimilibus) Acroamaticas & Extraordinarias, ſemel hebdomadatim habendas, invitabat: (43) *Cum Eloquentiæ*, ait, *& Hiſtoriæ genuinæ atque ſororiæ, ut ita dicam, Partes mihi ſint injunctæ, id ſemper operam dedi, ut earum diſciplinarum interiora pro virili excuterem, eaque Auditoribus meis inculcarem. Publicis enim privatisque Lectionibus, toto hoc, quo docui, tempore, Eloquentiæ, tam Solutæ, quam Ligatæ, Partes ita explicui, ut, quæ aliis omiſſa, vel leviter tractata, mihi præ cæteris excolenda ſumerem. Nam vel Oratorem Civilem præceptis exemplisque lectiſſimis exhibui, vel totam Characterographiam, ſive de Stylo doctrinam, vel Pathologiam Oratoriam, vel de Arguta dictione, de Excerpendi ratione, de Argutis Thematibus ſacris eruendis, de Epiſtolis ſcribendis, Inventionibus Poëticis, de omni tam Latina, quam Germanica Poëſi, ea propoſui, quæ publicam aliquando lucem, ſi ultima illis lima acceſſerit, non ſpernendo, ut puto, juventutis fructu, videbunt.* Interjectis deinde quibusdam, de Hiſtoricis ſuis Laboribus ita diſſerit: *In Hiſtoria, ex quo Eloquentiæ Profeſſioni illa juncta fuit, ea præ cæteris ſpectavi, quæ & Civilis uſus eſſent, & ab horum temporum Viris doctiſſimis nove obſervata, vel etiam prætermiſſa, aut mea induſtria, ut ſe interdum aliqua obtulerunt, notata. Hiſtoriam itaque vel univerſam propoſui, vel eam, quæ a Caroli Magni imperio ad noſtra ſe tempora extendit, vel Taciti quædam Commentationibus illuſtravi; unde nonnulla ſuo quoque tempore ad Editionem ſeligentur. Neque Literariam Hiſtoriam prætermiſimus, cujus bonam partem Lectionibus Publicis de re Bibliothecaria, privatis de Notitia Autorum, expedivimus. Et hunc campum, vaſtum ſane & diffuſum, intra tres annos proximos, operoſo ſane labore bis decurrimus. Naturalem quoque Hiſtoriam, ut hodie illa tot Obſervationum fœcunda meſſe ditata eſt, tentavimus. Quæ omnia, ubi paulo diligentius tractata, & continuis acceſſionibus perculta fuerint, prælo, Deo ita volente, ſubjicientur; præſertim, cum non deſint, qui ad editionem eorum maturandam impellunt, Viri doctiſſimi.*

XV. Prælectionibus ſubinde miſcebantur Diſputationes, nec non Orationes, tum publico Academiæ nomine, tum alias ob cauſas, habitæ. In quibus, uti & Recitationibus Ordinariis, etſi extemporanea dicendi facultate haud pollebat, eorum tamen, quæ permeditatus erat, elegantia, ſoliditate, multiplicique eruditione, ac obſervationum, quas lectionibus ſuis, e Libris præſtantioribus atque rarioribus, in Auditorium a Famulo deportatis, immiſcebat, egregiarum copia, iſtam linguæ tarditatem abunde compenſavit. Taceo Programmata, quæ nomine publico frequenter ſcripſit, & *Orationum* Faſciculus, in adjecta his Appendice, junctim recuſa exhibet, non ob rerum minus pondera

(43) Recuſum eſt Programma iſtud in Sylloge *Programmatum* reliquorum, *Orationibus* adjecta, *n. 93. p. 961-965.* & in *Appendice Diſſertationum Academicarum, p. 28-31.*

dera ac varietatem, quam Styli nitorem, commendanda. Taceo item ingentem illam Carminum varii generis, Latinorum pariter atque Vernaculorum, quæ vel ingenio obſequens proprio, vel Amicorum precibus adactus, quotidie propemodum pangebat, multitudinem. Quæ ſane, ſive Inventionis acumen & crebras ſpecies argutias, ſive Numerum facilem & Dictionis Poëticæ venuſtatem, ad Veterum præſtantiam proxime accedunt, modernis autem, & Germanorum, & Exterorum, palmam vel dubiam reddunt, vel extorquent. Laboribus his Academicis, quibus Athenæo Cimbrico famam paravit ingentem, imo Cherſoneſum hanc univerſam, lumine ipſius adoptivo inſigniter illuſtratam, æternum ſibi devinxit, haud contentus, totum etiam Orbem Literatum Scriptis tot exaſciatiſſimis atque eruditiſſimis, in omni ferme Literarum genere editis (ut de affectis atque *ἀνεκδότοις*, quorum ſumma ubivis fuit expectatio, ſileam,) demeruit, & in ſui rapuit admirationem Verum de iſtis uberius differendi infra commodior ſe offeret occaſio.

XVI. Miretur forſan aliquis, quomodo tot laboribus Academico-Literariis exantlandis, tot Libris & Operibus, non niſi infinita congeſtis Lectione, elucubrandis, Homo unus, nec longævus admodum, nec firmæ valetudinis ſuffecerit. Mirarer & ipſe, niſi ſtupenda & incomparabilis Morhofii diligentia ex familiari cum illo mihi innotuiſſet converſatione. *Totus ille*, uti Biographiæ, ab ipſo inchoatæ, Continuator vere affirmat, *in Literis erat & Libris, continuaque Lectioni ſic deditus, ut vix cibum quidem caperet, vel iter faceret, quin Librum ſimul legeret, vel evolutum penes ſe haberet.* Bibliotheca gaudebat locuplete, & Libellis præcipue ac Schediaſmatis minutioribus notæ melioris inſtructiſſima. His enim, quod cito diſtrahi ſoleant, & ſæpe nullo poſtea, ob raritatem, parari pretio poſſint, coëmendis magis, nec ſane immerito, ſtudebat, quam Libris grandioribus, vaſtisque Voluminibus, quorum uſum vel Bibliothecæ Publicæ, Bibliopolarum Tabernæ, nunquam non hominibus Eruditis concedent. Bibliothecæ hujus (cui, ſelectum Librorum quod attinet, paucas pares fuiſſe, Wilh. Ern. Tenzelius, (44) fidem licet tantum alienam, & rumorem ſecutus publicum, vere perhibet) Catalogus, poſt obitum Poſſeſſoris concinnatus, in eam excrevit molem, ut Plagularum numerus Centenarium excederet. Ipſe ſuperſtes Autores, quorum aliqua poſſidebat, in Indicem, Cognominum ſerie obſervata, digeſſerat Alphabeticum, Materiarum vero, ſive Argumentorum, circa quæ Libri occupabantur ſinguli, nullum, præter Memoriam, habebat.

XVII. Hujus tenacitati confiſus, ſtudio etiam lecta excerpendi, magno itique temporis compendio, parcius vacavit, ſed iſtam ob cauſam, ceu ipſemet ıtetur, *ἁμαρτήματα* ſubinde *μνημονικὰ* evitare haud potuit, in Scriptis, & Prælectionibus imprimis Academicis *ἀνεκδότοις*, paſſim obvia. Verba ipſius hac de re adjicio:

(44) *in Dial. Menſtr. German. M. Jan. A. 1692. p. 63.*

adjicio: (45) *Ego certe Excerptis congerendis mum multum operæ me impendiſſe fateor, etſi aliorum diligentiam laudo, meæque in his negligentiæ ſuccenſeo, magno tamen in lucro reputaturus, ſi aliorum mihi opera mi conceſſum fuerit. Nunc ego, memoriæ proviſendæ contentus, ſcribo multa, quæ fallat quidem nunquam, & res ſuas repetenti raro reſpondeat, plerumque tamen, cum argumenti occaſio ſollicitat, ultro offerat, & quaſi ex capſula depromat.* In Carmine etiam condendo, primas Meditationes & Inventiones, ſponte ſibi, in Enthuſiaſmum abrepto Poëticum, a ſolo ingenii ſuggeſtas impetu, longe plerumque præſtantiores iis eſſe eſt expertus, quàs artis Poëticæ ſecutus præcepta, e Locis Fontibusque Inventionum, huic ſitatis, ſtudio conquirebat laborioſo. Quam ob cauſam *φροντίδας* illas *πτυχῆς* τῶν *δευτέρων*, ſecus ac in Græcorum traditur proverbio, *σοφωτέρας* in chartam confeſtim ne ſibi perirent, tumultuaria ſcriptione antequam de Diſpoſitione & ornamentis cogitaret ulterioribus, conjicere aſſveverat. (46)

XVIII. Mores Morhofii quod attinet, Ideam illi Viri vere Boni exprimebant, & Symbolo, quod ſibi elegerat, familiari (PIETATE, CANDORE, PRVDENTIA) exacte reſpondebant. Animo enim in Deum erat religioſo, &, hypocryſin omnem exoſus, pietati vitæque probitati infucatæ ſerio ſtudebat. Candor, res licet hoc ævo pene intermortua, in Verbis pariter ac Factis illius omnibus, illuſtres adeo ſpargebat radios, ut ætatis priſcæ, ſive aureæ, non noſtrorum temporum, ferreis pejorum,

quorum ſceleri vix invenit ipſa
Nomen, & a nullo poſuit Natura metallo,

Hominem eſſe crederes. In ipſo certe, ſi in quoquam alio, Perſiani illi Viri boni Characteres ſpectabantur:

Compoſitum Jus Fasque Animi, Sanctique receſſus
Mentis, & incoctum generoſo Pectus Honeſto.

In Converſatione cum aliis modeſtus erat, comis, & ad officia Humanitatis paratiſſimus. Sermone quidem, præſertim, ſi ab ignotis ſalutaretur, utebatur parcius, Homo quippe natura nec *πολύλογος*, nec *περιαυτόλογος*, ſed, abſque ulla tamen moroſitate, ad quæſtiones ſingulorum ea regerebat, quæ conſummatam ſolidamque & eruditionem prodebant, & Prudentiam. Cum Amicis vero etiam jocari, & Salibus Argutiisque lepidis, quæ & ſcribenti, & ſermones cædenti, nunquam non in promptu erant, certare, quotiescunque res poſceret, aſſveverat.

XIX.

(45) *e Lib. III. Polybiſtor. Lit. cap. 1. §. 21.*

(46) *v. Partem III. Commentarii de Lingua & Poëſi Germanica, c. 15. p. 725. 726. 727.*

XIX. Tantæ ingenii dotes, tot virtutum decora, uti omnibus Reip. Literariæ Civibus merito eum reddiderunt venerabilem, ita Optimates ejusdem, paris gloriæ vel jam compotes, vel cupidos, ad amorem ejus non potuerunt non provocare. Natæ hinc ipsi tot cum Viris, & Germaniæ, & Regionum Europæ exterarum, Summis, & ob doctrinam omnigenam inclytis, Amicitiæ, & cum plerisque literarum etiam commercia. Batavos atque Anglos supra, in secundi itineris Literarii Historia, (§. 11.) jam recensui, sed Gisbertum tamen Cuperum, summæ in patria dignationis, nec minoris doctrinæ, Virum, ac Jac. Tollium, magni nominis Philologum ac Chymicum, illis, Thomam autem Willisium, Medicum atque Anatomicum Regiæ Londinensis incomparabilem, & Eduardum Bernhardum, Polyhistora Academiæ Oxoniensis Inclytum, his jungendos, prætereii. Ex Italis, suis Noster Amicis annumeravit Ant. Magliabechium & Joh. Ciampinum; e Gallis Pet. Dan. Huetium, Ægid. Menagium & Pet. Petitum; e Danis Thomam Bartholinum, Vitum Beringium, Ol. Borrichium, Wilh. Wormium, Pet. Resenium & Hildebrandum ab Horn, Kilonienſem, Regium ex Auditore quondam suo ad Moschos Legatum; in Svecia Ol. Rudbeckium, Ol. Verelium, Laur. Normannum, & ornamentum Regni hujus adoptivum insigne, Joh. Schefferum; in Livonia Nicolaum & Henningum Wittenios; in Borussia Joh. Rölingium Nostratem & Joh. Pet. Titium. E Germanis, quorum longe major est numerus, brevitatis studio non nisi paucos, & τὰς ἄλλας ἐξέχειν, allegabo, Vitum scil. Ludovicum Seckendorffium, Ezech. Spanhemium, Jobum Ludolfum, Gotfr. Guilh. Leibnitium, Frid. Rappoltum, Joh. Andr. Bosium, Frid. Bened. Carpzovium, Henr. Meibomium Junioiem, Ott. Menckenium, Joach. Fellerum, Casp. Vogtium (Wismariæ, Patriæ utrique communis, Consulem,) & Heroinam Illustrem atque Eruditissimam, Henriettam Catharinam Gersdorfiam.

XX. Chersonesus hæc nostra, uti Patronos ei dedit Principes suos Serenissimos, Magnatesque in horum Aulis præcipuos, Joh. scil. Adolphum Kielmannum, Parentem, ejusque tres Filios, Joachimum Alefeldium & Mart. Böckelium in Gottorpiensi, & in Eutinensi Christianum Cassium, ac haud paucos præterea alios ex Ordine Equestri Proceres, ita Amicos etiam, ex Eruditorum Cœtu, conciiavit plurimos. Quos inter e Slesvicensibus haud prætereundi Marqu. Gudius, ceterorum omnium facile Princeps, Joel Langellottus, Archiater Ducalis, Ad. Olearius, Bibliothecæ Præfectus, Joach. Rachelius, Scholæ Moderator, & Pet. Axenius, JCtus, ceteris jam defunctis superstes; ex Hamburgensibus, Mich. Kirchenius, Mart. Fogelius & Vinc. Placcius, Gymnasii Professores; e Lubecensibus, Henr. Bangertus ac Abraham. Hinckelmannus, Athenæi publici Rectores, & Achilles Daniel Leopoldus, JCtus; e Tanningensibus denique (cum alios, qui diversis in locis vixerunt, fusè jam enumerare non liceat,) Jac. Holstius, doctrinæ majoris, quam famæ, Poliater. E Collegis tandem Kilonienſibus, Mulæum, Christ. Kortholtum, Paulum Sperlingium & Christoph. Franckium, Theologos, Ericum Mau-

ritium, Sam. Rachelium & Sam. Reyherum, JCtos, Caſp. Marchium, Joh. Dan. Majorem & Joh. Nicol. Pechlinum, Medicos, & e Philoſophis Ad. Tribbechovium, præ ceteris æſtimabat, Kortholtique imprimis, Franckii, Mauritii, Marchii Hoſpitis, Pechlini (Convictoris ſui per annos complures ac Domeſtici,) Tribbechovii, atque Georg. Ern. Heldbergii, Logices Ethicesque Profeſſoris (cui Uxoris Soror erat nupta,) familiari ac frequentiori delectabatur conſuetudine.

XXI. Tot Amicorum, imo Cimbriæ totius atque Orbis Literati, votis ſi fata annuiſſent, diuturniore haud dubie lucis uſura Noſter eſſet gaviſus. Sed eadem, quæ tantam illi gloriam Literariam, tantumque in Orbe Erudito nomen, conciliaverat, nimia pene in ſtudiis aſſiduitas Corpuſculi ejus Vires paulatim proſtravit, & κακχεξίαν iſtud lethali afflictum exanime tandem reddidit. Haud parum iſtam auxit invaletudinem luctus, quo obitum Conjugis, M. Jun. an. 1687. ſibi ereptæ, proſequebatur, immodicus. Ab eo enim tempore cum languore conflictatus eſt pene aſſiduo, qui in morbum an. 1690. degeneravit periculoſum, & lecto aliquamdiu ipſum affixit. Hoc ægre ſuperato, Medici cujusdam intempeſtivo ac præcipiti conſilio obſecutus, ad Acidulas, quarum ope vires ſe priſtinas ſperabat recuperaturum, Pyrmontanas Iter an. 1691. ſuſcepit inauſpicatum, ſpretis Amicorum, & hos inter Joh. Dan. Majoris, Medici itidem Experientiſſimi, cum indignatione & lacrymis iſtud diſſuadentis, precibus contrariis. Verum, uti æger illas adibat, ita tantum non exanimis relinquebat, &, cum, in reditu, Hamburgi fores Andreæ Leſeri, Mercatoris Literati ſibique amici, pulſaret, his illum vocibus compellabat extremis: *Unde alii Vitam, ego Mortem hauſi. Ibo igitur Lubecam ad Socrum ocyus, ut domi ejus moriar. Valete o mei! Nunquam enim huc redire dabitur.* Lubecam delatus, paucis poſt diebus, tricesimo Julii An. C. 1691. æt. 53. Cachexia totius Corporis inſanabili, deceſſit. Exuviæ defuncti Monumento Socrus, Margaretæ Degingiæ, Sepulchrali, in Æde Lubecenſi Catharinæa, ante Chorum extructo, d. 5. Aug. funere illatæ ſunt ampliſſimo, quod, præter Aug. Pfeifferum, Eccleſiarum Lubecenſium Antiſtitem, & Enochum Svantenium, Scholæ Rectorem, aliosque in Civitate hac Amicos, plerique etiam Collegæ Kilonienſes ſuis decorarunt Epicediis, (47) Kilonii, in Profeſſione gemina Hiſtorico-Oratoria, Joh. Burchardus Majus, Pforrzenſis, eodem in Gymnaſio Marchionatus Badenſis Durlaceno antea functus munere in Poëtica autem Henr. Muhlius, Bremenſis, Auditor ipſius, Theologiam etiam ſimul, Linguasque Græcam & Orientales, docere paulo poſt juſſus, Succeſſor ei obtigit.

XXII. Eccum habes, Lector Benevole, Hiſtoriam Vitæ atque Exceſſus DANIELIS GEORGII MORHOFII, Polyhiſtoris noſtrorum temporum plane eximii, compendioſam, quem uti Polymathiæ univerſæ, Sublimioris pariter atque Elegantioris, peritia inſigni excelluiſſe ſupra jam aſſeruimus, ita, haud temere, aut aſſentandi ſtudio, a nobis id eſſe factum brevi jam ſingularum utriusque

(47) Leguntur illa in *Appendice Diſſert. Acad. p. 127-137.*

que partium, & Meritorum τȣ̃ Μακαρίτȣ in has plurimorum, Recensu, ostendemus. Theologiæ sincerioris quam solida instructus fuerit scientia, vel solæ ostendunt profundæ de rebus divinis Meditationes, in Carminibus ac Programmatis Sacris obviæ, non soli inhærentes Theoriæ, sed Praxin etiam Christianam, uti par est, ubique serio inculcantes. Inter Affecta ipsius, suo infra loco enumeranda, Commentaria & Schediasmata Argumenti Theologico - Philosophici, Theologico - Historici ac Theologico - Politici, quæ molitus aliquando est, tibi se offerent complura. Sed consilium de istis perficiendis maturiori ætate abjecit, tum quod sacrum stud multorum assidue de Mysteriis litigandi Cacoethes, cujus vitio Theologia in Matæologiam non raro degenerat, aversaretur, tum ne πολυπραγμοσύνης, in messem alienam falcem immittentis, a Xelotis accusaretur immodestioribus. Suos ergo in Doctrina Sacra profectus Vitæ ac Morum pietate exprimere, quam Scriptis ambitiose ostentare, maluit, Joh. Frid. Gronovium imitatus, Polyhistorem magni itidem nominis e Cimbria Batavicum, qui a Christophoro Arnoldo, Theologo Noribergensi, de Periocha Josephi, quæ Jesum Servatorem summis decorat laudibus, controversa, rogatus sententiam, ita An. 1651. illi respondit: (48) *De loco τȣ̃ ἑλληνίζοντος Ἑβράιȣ noli me in palæstram istam vocare. Τοῖς μαθȣ̃σι γράμματα res expeditissima est. Sophistis non potest persuaderi, qui statim ad impietatem Bonis Viris objiciendam, & Grammaticos esse Theologiæ (quam isti in Sophisticen converterunt) ignaros, decurrunt. Hoc Scaligero, Casaubono, Salmasio, accidit. Itaque constitui ansas istas calumniaturis non dare, & Vita potius ac sententiis pietatem, ac si quid in sacris profeci, ostendere, quam quæstiones, quas sui fori esse putant, tangendo ostentare.*

XXIII. Juris eum Consultissimum fuisse nemo inficiabatur, qui illius potissimum studio juvenem incubuisse, Praxi ejusdem in Palæstra forensi a Parente fuisse destinatum, Doctorisque Titulo mature satis reportato, Scholas, tam Rostochii, quam Kilonii, Juridicas privatim subinde aperuisse, imo & de Morborum ac Silentii Jure Diatribas edidisse eruditas, integros autem, una cum Juris Romani στορȣμένοις, promisisse Commentarios, cognoverit. Medicinæ peritiam haud contemnendam, præter Schediasma *de Morbis, eorumque Remediis*, Juridicum, modo laudatum, tot egregii, quibus Philosophiam Naturalem, hujus matrem, illustravit, Labores, Editi atque Inediti, Autori suo vindicant. Præ ceteris tamen ejus partibus, Chymiam, & imprimis quidem Arcaniorem illam χρυσοποιητικὴν, deperiit, cujus sicut Junior, in *Epistola de transmutatione Metallorum*, egit Hyperaspisten, ita, accrescente ætate, longe adhuc majori flagravit studio, Operationibus etiam, si diutius vixisset, manum forsitan admoturus. Quod ab eo factum non esse, Joh. Ludov. Hannemannus, Collega, uti video, dolet, (49) cum *sub tali fuerit natus constellatione,*

(48) In Epistola ad Arnoldum, quam in hujus *Testimonio Flaviano p. 204. 205.* invenies. (49) *in Ovo Hermetico-Paracelsico, sive Tr. de Auro p. 283.*

ne, quæ felicem iſtis exitum promittat, ea præterea pietate, candore & amore in pauperes, qui beneficium hoc ipſi a Deo potuiſſent impetrare. Verum iſtam Chymicorum Ἀγερμάντειαν, & vanas pollicitationes, parum moramur, nec diſſimulamus Nævum Morhofii, ex quo ſtudiis hiſce Hermeticis animum applicuit, in nimiam ac ſuperſtitioſam quandam prolapſi credulitatem, Chymicis plerisque familiarem, cujus vitio Vir cetera Κριτικώτατος Narrationes de his rebus falſas aut incertas pro veris, Scriptaque iſtius argumenti ſpuria, Veteribus ſuppoſita, pro genuinis, juſto audacius ſubinde venditavit. Qua de re infra, ubi de *Epiſtola de Tranſmutatione Metallorum*, *Libroque Primo Polyhiſtoris Literarii*, erit dicendum, plura forte monebuntur.

XXIV. Inter Diſciplinas Philoſophicas, Metaphyſicam & Logicam haud quidem neglexit, ſed difficilibus tamen, quibus Scholaſticorum culpa hodie ſcatent, nugis, facere a ſe in Poëmate de Ente Rationis Satyrico explosis, immorari ingenio ſuo merito putavit indignum. Naturalem contra Philoſophiam ſumma excoluit atque illuſtravit diligentia, Eclecticum ubique agens, *nullius in Magiſtri verba jurare addictum*, ſed Veteres Recentioribus jungentem, & ex illorum Ratiociniis, horumque Experimentis, ſedulo ex Hiſtoria Philoſophica Novantiqua collectis, ac judicioſe inter ſe collatis, vero propiora ſolerter ſeligentem. Quod Inſtitutum perpetuo ei arriſiſſe, præter *Stentorem* Ταλοχλάϛην, ſive Ingeniolum de Vitro, certo vocis humanæ ſono diſrupto, Commentarium (peritiæ etiam ipſius Diſciplinarum Mathematicarum, Muſicæ inprimis & Acuſticæ, teſtem omni exceptione majorem,) quas *de Sole Igneo*, *Metallorum Tranſmutatione & Senſuum Paradoxis*, publicavit, Diatribæ oſtendunt, & *Hiſtoria* integra *Naturalis* Bipartita, luculentius confirmabit. Nec minus de Practica illum Philoſophia bene eſſe meritum, licet nihil propemodum hujus Argumenti a ſuperſtite, præter prima *Theologiæ Gentilis Poëticæ* lineamenta, ſit editum, patebit, ſi, quæ *de Heroibus*, *Bono Viro*, *Fatoque Politico*, una cum *Polyhiſtore & Polypragmone Civili*, eſt pollicitus, aut in Tacitum jam olim commentatus, ultimam Autoris ſui manum ſunt experta, & in lucem proferri poterunt.

XXV. E Linguis, Hebræam eum Stettini jam familiarem ſibi reddidiſſe, ſupra eſt monitum. Græcæ (qua Carmina etiam ſubinde haud infeliciter exaravit) cognitione paucis, Latinæ autem (cujus dictionis puræ atque urbanæ genium quam accurate perſpexerit, vel ſolus *de Patavinitate Liviana* Commentarius teſtabitur) peritia interiori nemini coævorum fuit ſecundus. Quid quod primus ferme veras utriusque in Germanica Veteri veſtigavit Origines, in Scripto, cujus jacturam merito dolemus, *de Linguarum Græcæ ac Latinæ Novitate*, ſi diutius vixiſſet, detegendas. Specimen iſtius, uti & *Originum*, quas expectari a ſe itidem juſſit,

Germa-

Germanicarum, perquam luculentum exhibet Commentarius *de Lingua & Poëſi Germanorum* Germanicus, An. 1682. juris factus publici. E quo etiam, quantum Vernaculæ ſibi Teutonum Linguæ ornandæ atque illuſtrandæ ſtudium impenderit, nec minus, quantam Belgicæ, Anglicæ (cujus notitia etiam Tyrones Academicos Kilonii aliquoties imbuit,) Danicæ, Svedicæ, Gallicæ, Italicæ, & aliarum Europæarum Vulgarium, peritiam ſibi comparaverit, perſpicies. Quantus Rhetor fuerit, Opuſcula *de Arguta & Copioſa Dictione, ſcribendisque Epiſtolis*, Poſthuma, etſi limam nondum & manum experta ultimam, una cum aliis hujus generis etiamnum ἀνεκδότοις; Quantus autem Orator ac Poëta, *Orationum* & *Programmatum* Academicorum, nec non *Carminum* Latinorum atque Germanicorum, integra, quæ in luce publica verſantur, & applauſum Eruditorum omnium meruerunt unanimem, Syntagmata, quæ jam §. 15. ornata laudibus, ſatis ſuperque evincunt.

XXVI. In Hiſtoria tandem, quam publice Kilonii docuit, & Re Antiquaria, verſatiſſimum Polyhiſtorem noſtrum fuiſſe, Schediasmata, quæ de *Theologia Politica*, *Novo Anno*, *ejusque Ritibus*, *ac Principe Medico*, evulgavit, paucula quidem, ſed eximia, Lectoribus ſuis facile perſuadebunt, & ut *Hiſtoriæ Cimbricæ*, *Myſterii Septentrionis*, ceterorumque affectorum, jacturam eo vehementius doleant, eosdem incitabunt. Nullo tamen Noſter ingenii monumento doctrinam ſuam multiplicem, inſignemque ſimul judicii accurationem. Orbi Literato magis approbavit, quam poſtremo omnium, *Polyhiſtore* ſcilicet triplici, *Literario*, *Philoſophico & Practico*. Quo non ſolum Hiſtoriam, cujus ſcientiſſimus erat, Literariam pene univerſam perſequi, ſed ejus etiam de omni Literarum genere Obſervationes, ac Judicia de Scriptoribus Linguarum, Scientiarum & Artium ſingularum, ἐξοχωτέρους, e Lectionibus 30. Annorum Academicis, ceterisque Laboribus, quos abſolvi a ſe non poſſe prævidebat, Affectis, exhibere, eſt aggreſſus. Quod Opus, Pandectarum titulo dignum Panſophicarum, etſi Partis tantum Primæ, ſive *Polyhiſtoris Literarii*, tres Libri priores, qui ſoli manum Autoris ſui ultimam, mortis immaturæ ceteris ſubtractam vigentia, ſunt experti, hactenus prodierunt, adeo tamen eruditis ferme omnibus, ceu Phidiæ quoddam ſignum, placuit, ut reliquorum, e Schedis defuncti & Acroaſibus Academicis, tumultuariis licet, & minus perfectis atque accuratis, Editionem flagitare, per aliquot jam luſtra, non ceſſaverint. Quibus illorum votis quatenus jam ſatisfiat, infra, in *Polyhiſtoris* hujus Hiſtoria, fuſius exponetur.

XXVII. Sed erunt forſan, qui hactenus a nobis de Eruditione Morhofii, in omni Literarum genere, multiplici & præclara, ad Titulum Veri Polyhiſtoris ei indicandum, in medium allata, aliorum ævi noſtri Polyhiſtorum ac Hominum Eruditorum Suffragiis, Elogiisque eidem paſſim tributis, ut fidem eo facilius mereantur, deſiderent confirmari. Horum votis, licet a CASP. THVRMANNO, Cto erudito, & Morhofii ipſius laudes (50) merito, in Sylloge Elogiorum τῶ Μακαρίτου,

(50) *Lib. I. Polyhiſt. Lit. c. 18. p. 211.*

καρίτα, §. 4. jam commendata, aliquatenus iis sit satisfactum, morem lubentes geremus, præsertim cum justo pauciora sint, quæ ille congessit, & pleraque nobismet etiam observata. Nec tamen omnia promiscue, ex Analectis nostris, copiam judiciorum istiusmodi honorificorum suppeditantibus ingentem, huc transcribemus, sed potiora tantum, & a Scriptoribus singularum ferme Europæ cultioris gentium ἐξοχωτέροις, aut famam saltem aliquam doctrina haud vulgari jam assecutis, profecta, ceteros obscuriores haud morati, brevitatis studio, seligemus.

XXVIII. Agmen ducant ITALI, & hos inter, Jesuitæ duo Romani, doctrina multiplici, Sacra atque Profana, nomen jamdudum celebre ubique terrarum consecuti. Alter horum, ATHANASIVS KIRCHERVS, gente Germanus, in *Phonurgia Nova*, A. 1673. edita, *Virum Eruditum*, alter autem DANIEL BARTOLVS, Ferrariensis, *in Libro de Sono & Tremoribus Harmonicis*, Sermone Italico Bononiæ A. 1681. excuso, (51) *Autorem Doctum*, Morhofium nostrum salutat. Loca utriusque integra §. 63. in *Epistolæ de Scypho Vitreo sono Vocis humanæ disrupto*, honorifice ab ipsis allegatæ, Historia, αὐτολέξει recitabuntur. Accedat his tertius BENEDICTVS BACCHINVS, Casinensis, & Ducis Mutinensis Historiographo Theologiæ in Acad. Bononiensi A. 1693. factus Professor, qui, in Ephemeridibus suis Literariis Anni 1692. Parmensibus, Italice exaratis, (52) Epistolæ Viri Illustris, Godofr. Gvilh. Leibnitii ad Ant. Magliabechium Excerpta, &, in istis, hoc de Morhofio, ejusque *Polyhistore*, judicium exhibet, ab Achille Daniele Leopoldo, JCto Lubecensi eximio, mihi communicatum: *Havendo il Sig. Magliabechi, con sue Lettere al solito dottissime, relevato alcuni sbagli presidal Morhofio nel suo Polistore, il Sig. Leibnitio gli accorda procediti dell' imperfetta notitia delle cose, e delle Lingue ad esso estranee, quantumque fosse il* ***Morhofio huomo di gran lettione, di vasta erditione, Poëta egregio e Filosofo buono***, *e sia desiderabili il vedere ascita la continuatione dell' opera sodetta, un Tomo di cui manoscritto si dice in istato da uscit posthumo alla luce.*

XXIX. Italos GALLI sequantur. E quibus AVTOR *Continuationis Europæ modernæ* (Suite de l' Europe Vivent), quæ Genevæ A. 1671. prodiit, ANONYMVS, in Professorum Academiæ Kilonensis ἐξοχωτέρων Recensu, (53) sequenti Nostrum dignatus est Elogio: *G. D. Morhof, Professeur en Philosophie, outre sa profonde Erudition, est admirable dans la Poësie, & pour le beau fair de il, & pour la netteté de l' expression.* AEGID. MENAGIVS, Vatum Galliæ modernorum Celeberrimus, Poëmata Morhofiana tanta prosecutus est admiratione, ut Poëtarum eum Germaniæ Principem (*Le Premier Poëte de l' Allemagne,*) in *Anti-Bailleto* suo, (54) appellare non dubitaverit. Nec minus honorificum est HENR. BASNAGII, JCti πολυμαθεστάτου, ob religionem patria extorris, in Diario Gallico Anni 1688. Literario (*l' Histoire des Ouvrages des Sçavans,*) de Scriptis

(51) *Tract. III. c. 8.* (52) *pag. 67.* (53) *p. 498.* (54) *Tom. II. p. 71.*

Scriptis Noſtri omnibus Judicium, (55) quæ ſuo ille Idiomate vocat *Ouvrages remplis d'une Literature, ſi agreable, & ſi curieuſe.*

XXX. Inter BATAVOS, IANVS BROVKHVSIVS, Vates & Elegiarum præſertim Artifex cultiſſimus, cum anno ſuperiori (1701.) Sebaſt. Kor:holto, Viro Clariſſimo, de Profeſſione Academiæ Kilonienſis gratularetur Poëtica, a Morhofio antehac ornata, ſequenti Prædeceſſorem hunc ipſius celebravit Diſticho:

Scilicet his Ingens quondam Morhofius orſis
Ingenii cœpit promere ditis opes.

THOMAS CREENIVS, Philologus, quem Germania Belgio largita eſt Fœdeato, plurimæ lectionis Doctiſſimus, in *Animadverſionibus* ſuis, quarum lectione haud arum delector, *Philologicis ac Hiſtoricis, Virum* eundem ſalutat (56) *Eruditiſſimum, arumque rerum* (ad Hiſtoriam ſpectantium Literariam) *apprime prudentem*, ac (57) *olybiſtorem Celeberrimum;* PETRVS vero RABVS, cui Batavi Ephemerides lebent Literarias, patrio ſcriptas Idiomate, (58) Eenen Hoofdmann van't gilde der Boockwijzen.

XXXI. Nec minus dotes ingenii Morhofiani eximias, & Venæ imprimis oëticæ præſtantiam, Noſter admiratus eſt Septentrio. Teſtem e DANIS allego enſorem Poëtarum, quos inter ipſe eminuit, dexterrimum, OLAVM BORRICHIVM, ita (59) de Noſtri Latinis judicantem Poëmatis: *D. G. Morhofii Poëmata ſæ Gratiæ finxiſſe videntur, ita, in omni Carminum genere, in omni argumento, lecta ei ictio eſt, ſubtile judicium, inaffectata jucunditas, clauſulæ argutiſſimæ. Quam fœcundam & erſatilem venam declaravit in Pontici & Accæ nuptiis? Sed &, ſi Autoſchediaſmata conſuntur, ſi Miſcellanea Poëtica, Veneres, Fimera, Epigrammata, ubique curæ, nitor, lepos & ata ubertas occurrunt.* Germanica IOH. OLAVIVS, Parochus in Jutia Randruenſis, Poëta & ipſe venuſtiſſimus, in Elegia de Poëtis ſingularum gentium Vernaulis potioribus, quam Petri Sylvii *Grammaticæ* an. 1685. præmiſit *Danicæ*, verſu hoc ommendavit Pentametro:

Morhofii purgat Muſa beata Sliam.

TTONI SPERLINGIO Juniori, JCto multiplici doctrina conſpicuo, & uguſtiſſimi Danorum Regis Conſiliario, in Opere (quod beneficio Autoris penes ie habui,) de *Fœminis doctis, ἀνευδέτῳ*, ſed luce publica digniſſimo, (60) *Princeps fere* idit *Seculi noſtri Poëta;* FRID. ROSTGARDO autem, Archivi Regii Ephoro, (61) *leberrimus Academiæ Kilonienſis Polyhiſtor.*

XXXII.

(55) *M. Jun. A. 1688. p. 158.* (56) *P. I. c. 1. p. 9.* (57) *P. II. c. 1. p. 18.* (58) *in Bibliotheca Europæa* (dem Boockzaal von Europa,) Bataviæ edita, *M. Sept. & Oct. A. 1699. p. 252.* (59) *Diſſ. IV. de Poëtis Latinis, §. 162. p. 133.* (60) *num. 195.* (61) *in Præf. Deliciarum Poëtarum Danicorum.*

XXXII. E SVECIS, LAVR. NORMANNVS, Theologus Academiæ Upſaliénſis πολυμαθέστατος, in Epiſt. ad Sam. Reyherum de Noſtri Obitu falſo credito, M. Apr. an. 1683. ſcripta, (62) Virum eum ſalutat, cujus *Fama celebritas, pulcherrimis elegantiſſimi ingenii monumentis, maxime Poëticis, dudum parta, quo Impoſterum aſſurgeret, vix habebat, & qui ſolida certaque nominis immortalitate vivus valensque fruebatur;* in carmine autem, quo *Hebraiſmum* Matthiæ Wasmuthi *Reſtitutum* celebravit, Panegyrico, Holmiæ an. 1673. edito, *Muſam* ejusdem *Phœbeæ* judicat eſſe *proximam.* Collegæ Normanni IOH. BILBERGIO, Mathematico inſigni, (63) *Vir* itidem audit *Celeberrimus, & verum Seculi ornamentum.*

XXXIII. BORVSSORVM de Morhofio judicium exponant MART. KEMPIVS, Bibliothecæ olim Academicæ Regiomontanæ Præfectus, (64) *Elegantiſſimum Oratorem & Poëtam*, SAMVEL SCHELGVIGIVS, Profeſſor Gymnaſii Gedanenſis Theologus, (65) *Virum ſummum, & jam pridem Orbis Eruditi admiratione meritum*, ac CHRISTOPH. BEHRIVS, ejusdem Gymnaſii Rector, (66) *Virum Incomparabilem*, eum appellantes. LIVONORVM autem HENNINGVS WITTENIVS, Athenæi patrii Rigenſis Profeſſor, ſcriptis compluribus de Hiſtoria Literaria Recentiori non male meritus, a quo in *Decadis III. Memoriæ Philoſophorum Renovatæ*, ipſius an. 1677. inſcriptæ Nomini, frontiſpicio, *JCtus exactiſſimus, Vir virtute, prudentia, pietate, Miſteriorum Naturæ maximarum penitiori ſcientia, perquam inclytus, Seculi Ornamentum, Poëtarum Princeps, Suaviſſimum omnis Eruditionis Delicium, Amœniorumque Literarum Aſſertor ac Vindex ſtrenuus*, alibi autem (67) *Polyhiſtor Ingenioſiſſimus*, vocatur.

XXXIV. GERMANIAM Noſter matrem agnovit, &, Scriptis ſuis ac Laboribus omnis generis Literariis, a contemptu Exterorum ſupercilioſo, cum paucis aliis, vindicavit, magis etiam vindicaturus, ſi, quam toties promiſit, *de Meritis Germanorum in Literas* Commentationem perficere, lucique ſiſtere publicæ, per fata ipſi licuiſſet. Quis ergo miretur, longe cum plures quam alibi & propemodum innumeros, ſuorum hic in Literas Meritorum præcones, dotiumque ingenii admiratores, inveniſſe? Nos, inſtituti memores, potiores ſeligemus, primumque hos inter locum tribuemus ACTORVM ORBIS ERVDITI, quæ Lipſiæ, per quatuor jam luſtra, quotannis prodiere, COLLECTORIBVS celeberrimis. Ab his, *M. Sept. A. 1682.* (68) Vir vocatur *Doctiſſimus, Germanicorum, Latinorum Græcorumque Carminum vemuſtate nulli Poëtarum ſecundus*, *M. Majo* autem *A. 1683.* (69) in *Stentoris Ταλοκλάστου* Recenſu, verbis extollitur ſequentibus: *Inter ævi hujus Panepiſtemonas reſe-*

rendus

(62) Ejus Fragmentum Continuator vitæ Morhofii huic, *in Append. Diſſert. Acad. p. 44. 45. inſeruit.*
(63) *Aphoriſmis Miſcellaneis*, Upſaliæ A. 1688. editis (quos Thurmannus *in Elog. Morh p. 52.* allegat.) *p. 4.* (64) *in Tr. de Oſculis p. 913.* (65) *in Programmate Joh. Pet. Titii, Eloqu. Profeſſoris A. 1698. conſecrato Exequiis.* (66) *in Programmate Profeſſionis ſuæ Auſpicali, A. 1688. publicato.* (67) *in Præfat. Tomi I. Diarii Biograph. Sec. XVII.* (68) *pag. 271.* (69) *p. 194. 197.*

rendus vel maxime venit D. G. Morhofius, Profeſſor Academiæ Kilonienſis, celeberrime jamdudum florens. Neque enim intra Themidis, cujus ſumma Axiomata jamdudum obtinuit, ſeſe continere poteſt Cancellos, quin libero & excelſo animo per latiſſimos ſcientiarum linguarumque omnium campos fertur, Poëſeos quippe & Eloquentiæ, quas publice profitetur, Antiquitatis item omnis, atque uti Philoſophiæ univerſæ, ita Naturæ imprimis Arcanorum, & olim & recens inventorum, conſultiſſimus. Quibus, ſub finem Recenſus iſtius, hæc adduntur; *Sed Autorem inſpicere ipſum pretium erit operæ. Is enim, uti Cornu Copiæ quoddam eſt Eruditionum non trivialium, ita legentes quoque ſic delectabit, ut ardentiſſimum in ipſis reliquorum ingenii ſætuum, quos affectos perfectosque domi fovet, deſiderium accendat.* Menſ. Aug. an. 1686. (70) *Præfulgidum* ab iisdem *Academiæ Chriſtian-Albertinæ Lumen* eſt appellatus, &, biennio poſt, M. Oct. an. 1688. (71) in Summorum Capitum *Partis Polyhiſtoris Literarii prioris* Enarratione, hoc mactatus Elogio: *Hanc Eruditionis partem, qua omnes omnium Scientiarum ac Artium Scriptores ſcrutatur & explorat, commonſtrare ſatagit doctiſſimus & in omni literarum ac diſciplinarum genere probe verſatus Autor; qui, cum nihil ferme ignoret, infinitos Libros legerit, & res omnes mente complexus de iisdem eleganter & ornate ſcribere valeat, uni quaſi Syſtemati univerſæ Eruditionis Apparatum includere, &, ſub Polyhiſtoris Elogio, omnem ſcientiarum complexum, aut Polymathiam, exhibere inſtituit. - - Quam provinciam quin Vir omnigena eruditione inſtructus inſigniter exornaturus, & vaſtum licet argumentum, pro doctrina, qua ingenti valet, digne executurus ſit, dubitare nos non ſinunt, quos jam dedit, priores duo Libri.*

XXXV. A. 1691. M. Sept. (72) Mors ejus Literatis hiſce verbis eſt annunciata: *Diſſimulare non poſſumus Celeberrimi, & ſæpius nobis in his Actis ex merito laudati Polyhiſtoris, lugendum univerſo Orbi Literato obitum, quippe qui Lubecæ, d. 30. M. Julii proximi, ex diuturno languore & Cachexia, A. æt. 55. expiravit.* A. 1697. M. Jun. (73) ſequens de Poëmatis ipſius, ac Autore ſimul illorum, judicium legitur honorificum: *Inter cæteras felicissimi ingenii Morhofiani dotes, quibus Vir Doctiſſimus rem Literariam ornavit, &, præclaris variisque editis ingenii induſtriæque monumentis, æternam nominis famam ſibi acquiſivit, non poſtrema fuit Carminis pangendi, & ſcientia, & facultas. Rei quidem Poëticæ quæ fuerit in eo ſcientia, quamque recondita divinæ hujus Artis cognitio, ex eruditiſſimo ejus de Germanorum Lingua & Poëſi diſcimus Commentario. Qua vero polluerit carminis etiam ſcribendi facultate, & quam dextrum in hac ſenſerit Apollinem, argumento eſſe poterunt, cum Germanica Carmina, memorato Libro ſubnexa, tum Latina cumprimis longe plurima diverſis temporibus ab eo compoſita atque edita Poëmata, nunc ab Hæredibus optimo conſilio in unum Corpus collecta.* An. 1698. M. Jul. (74) *Orationum* ejus, junctim editarum, Recenſus ita inchoatur: *Qui dicendi artes, legesque Carminis, magna, dum viveret, laude profeſſus eſt, D. G. Morhofius; æternum Kilonienſis Academiæ Ornamentum, idem & Oratoris, & Poëtæ, nomen decusque raro exemplo egregie ſuſtinuit; quod nec Ciceroni, nec Virgilio, contigiſſe ſcimus &c.* An. tandem 1699. M. Jul. (75) ubi Voluminis *Diſſertationum* ſiſtitur συναγωγὴ Φίλων, Elogium hoc plauſibile, cum Autore illis commune, obſervabis: *Qui toti Erudito Orbi invidendis ingenii monumentis dudum innotuit, Vir Celeberrimus, D. G. Mor-*

(70) p. 418. (71) p. 564. 565. (72) p. 448. (73) p. 261. (74) p. 329. (75) p. 289.

D. G. Morhofius, Dissertationibus quoque Academicis, exquisitissimis ils, & admodum solerter elaboratis, famam haud mediocrem assecutus est.

XXXVI. Lipsiensibus subjungimus Scriptores reliquos Literariarum, quæ Germanico in Germania prodierunt Idiomate, Ephemeridum ἐξοχωτέρους. Hos inter, CHRISTIANVS THOMASIVS, JCtus novellæ Academiæ Saxo-Halensis Celeberrimus, cujus παῤῥησία in Censuris Literariis ἀπροσωπόληπτος, & adulari nescia, nemini non innotuit, Morhofium, in *Cogitatis*, quibus Libros varios recensuit, *Menstruis Jocoseriis* (76) *Virum* salutavit *Doctum*, *multæque lectionis* (Einen gelahrten und vielbelesenen Mann), imo *admirandum* agnovit (77) ejus esse *Eruditionem*, & singulis Germaniæ Academiis Morhofium aliquem exoptavit, a quo solidioris doctrinæ, veræque πολυμαθείας, Studia in iis resuscitentur. WILH. ERNESTI TENZELII, Ducum Saxonicorum Historiographi, Scriptoris πολλῶν ἄλλων, ob variam atque reconditam Eruditionem, ἀνταξίως (cui alibi etiam (78) Noster *Lumen* audit *Academiæ Kilonienſis Clarissimum,*) *Dialogi Menstrui de Libris Recentioribus Vernaculi* plurimis, & admodum luculentis, Polyhistorem hunc Cimbricum passim ornant Elogiis. Recensu *Polyhistoris* ejus *Literarii* illos an. 1689. est exorsus, Nostrumque ad scribendum Systema Historiæ Literariæ, præ aliis omnibus esse idoneum, dotibusque necessariis universis, ingenio sc. judicio & doctrina, instructissimum, ad Orbis Literati totius consensum provocans, judicavit, (79) sub finem vero anni ejusdem (80) *Virum* salutavit *Præstantem*, *quem non Germani solum*, *sed & Galli*, *Angli & Batavi*, *certatim venerantur*. A. 1690. M. Dec. (81) unum eum sibi instar omnium Academiæ Kilonienſis Professorum esse est professus, & A. seqv. 1691. M. Apr. (82) peculiarem ipsi optavit addici Bibliopolam, cura sumptuque suo sola illius Scripta αὐτόκοτα atque Affecta luci expositurum publicæ. M. Sept. ejusdem anni 1691. prolixius admodum est in obitu ejus deplorando, & dotibus meritisque defuncti in Acad. Cimbricam, totamque Remp. Literariam, fusc, Epicedii Muhliani ductu, celebratis, voto Editionis Posthumorum ejusdem serio digressioni huic finem imponit. (83) Mense Februario Anni 1692. (84) Virtutes illius deprædicat Homileticas, ipsumque, Virum licet extra controversiam πολυμαθέστατον, nihilo tamen minus, Gerh. Joh. Vossii & Herm. Conringii prementem vestigia, ab omni fastu atque arrogantia fuisse alienissimum, & in conversatione, cum Doctissimis pariter ac semidoctis, affabilem & humanum, observat. Plura eorundem Dialogorum loca coacervare supersedeo. Clar. ECCARDVS tandem (id enim Scriptoris hujus Ἀνωνύμου Doctissimi verum esse cognomen perhibent), Menstrua Librorum Recentiorum Excerpta, Hannoverana, Illustris Leibnitii, ante biennium, concinnare aggressus auspiciis, quanti Morhofiana omnia faciat, satis superque ostendit, dum voto suo Editionis Reliquiarum Polyhistoris sequentia subjunxit, Latine a nobis translata: (85) *quæcunque e calamo Doctissimi profluxere Morhofii*, *imperfecta licet sint*, *non possunt tamen non erudita esse atque utilia.*

XXXVII.

(76) *M. Nov. A. 1689. p. 968.* (77) *M. Aug. 1688. p. 275. 288.* (78) in *Præfat. Judiciorum de Symbolo Athanasiano, A. 1687.* editorum. (79) *M. Jan. A. 1689. p. 10.* (80) *M. Dec. p. 1277.* (81) *p. 1139.* (82) *p. 307.* (83) *p. 801-808.* (84) *p. 233.* (85) im monathlichen Auszuge aus allerhand Büchern, *M. Maji A. 1701. p. 60.*

XXXVII. E Ducatu Brunſvicenſi teſtes πολυμαθείας Morhofianæ, præter Muſagetam (quem modo laudabamus, cujusque de Noſtro judicium §. 28. jam eſt exhibitum) illius, ac Germaniæ reliquæ, incomparabilem, GOTHOFREDVM GVILH. LEIBNITIVM, allegamus Polyhiſtoras duos Academiæ Juliæ Inclytos, IOH. ANDR. SCHMIDIVM, Theologum, & HENRICVM MEIBOMIVM, Medicum, utrumque magni merito ſuo nominis. Quorum prior *Splendidiſſimum Orbis Literarii Sidus*, (86) & *Magnum Polyhiſtorem*, (87) poſterior autem *Eruditi Orbis & Amicitiæ ſuæ Decus*, (88) *Poëtamque inſignem, & varia eruditione conſpicuum*, (89) τὸν Μακαρίτην appellare non dubitavit.

XXXVIII. Quanta in Ducatu Megapolitano, & Academia Roſtochienſi, quibus prima famæ ſuæ Noſter auſpicia debuit atque incrementa, de illius, admodum adhuc Juvenis, ingenio ac doctrina fuerit expectatio, præter ANDR. TSCHERNINGII, Anteceſſoris, Choriambos *Diſputationi de Jure Morborum*, A. æt. 19. publicatæ, adjectos, (90) Programma docet LAVR. BODOCKII, Rhetoris Academici, quo publicam Poëmatis in Guſtavi Adolphi, Principis ſui, Natalem ab eo conditi, recitationem A. 1660. indixit. (91) In iſto enim *Juvenis* appellatur *indolis inſignis, egregiæ eruditionis, magnæ ſpei, atque exaggeratæ virtutis & doctrinæ, gloriam Virorum, qui monumenta ingenii & doctrinæ per Orbem Literatum diſſeminarunt, Deo Auſpice, æquaturus.* Quanto vena ejus Poëtica ibidem fuerit in pretio, AVG. VARENII, Theologi Roſtochienſis, oſtendit judicium juſto benignius, (92) quod, *Maronem* a Morhofio *ingenio cantuque ſuperari*, audacter contendit. Oſtendunt JOSVAE ARNDII, Aulæ Güſtrovienſis Protecclesiaſtæ, Elegi, tum illi, quibus de Magiſtri titulo An. 1660. ei eſt gratulatus, Diſticho (93) Noſtrum compellantes ſequenti:

Nam, poſt quæſitas Heinsi Grotiique Camœnas,
Dignior ingenio non erat Urna tuo;

tum Nuptialis, in quibus hoc celebratur Tetraſticho: (94)

Ille ſolet Tiberis quiddam teſtudine majus,
Et canere ad Grajos Carmina docta ſonos.
Ille movet, quicquid Germania poſſidet artis,
Et palmam Batavis reddidit ambiguam.

Nec minoris eum a modernis Roſeti Varniaci Profeſſoribus fieri, vel ſolus teſtimonio ſuo evincet IOH. FECHTIVS, Theologus illius Primarius, a quo, in *Præfatione Hiſtoriæ Univerſalis* Joh. Henr. Bœcleri (95) *Polyhiſtor* ſalutatur *Admirabilis.*

(86) *in Diſſ. de Muris Hierichuntis collapſis p. 23.* (87) *in Diſſ. de Pſeudo-Novo Teſtamento p. 6.* (88) *in Præfat. Additamentorum ad V. H. Vogleri Introduct. in Notit. Bon. Scriptorum, p. 122.* (89) *in iisdem Addit. p. 186.* (90) V. eos in *Append. Diſſert. Acad.* Morhofii p. 62. 63. (91) *ibid. p. 63. 64. 65.* (92) *in Epithalamio, A. 1671. ſcripto, V. Append. cit. p. 96.* (93) *in ead. Append. p. 69.* (94) *ibid. p. 95.* (95) p. 10. *apud. Thurmannum in Elog. Morh. p. 51.*

XXXIX. In Superiori Saxonia, e Scholæ Leucoreæ Professoribus, GEORG. CASP. KIRCHMAIERVS, Rhetor Seniorque Academicus, *Virum* eum appellavit *ingenii admirandi, ad Physin & Poesin maxime ornandum peridoneum,* (96) *Virum ad ingeniosa & recondita scrutanda natum, cujusque nihil inaccessum est ingenio,* (97) ac *Vatem, cui principem locum Pater Phœbus inter Seculi nostri dedit Poetas* (98) E Novellæ Academiæ Saxo-Halensis Luminibus, plures Morhofianorum in Literas Meritorum allegari merentur Admiratores, VITVS LVDOV. SECKENDORFIVS scilicet, primus ejus Cancellarius, & Decus Nobilitatis Eruditæ Æternum, cui (99) Noster *Vir* audit *merito suo longe sibi charissimus, & æstimatissimus, in quo habet Germania, quo Genti nostræ gloriam omnigenæ & exquisitæ Eruditionis, qua ingenii viribus & indefesso studio eniti licet, asserat,* SAM. item STRYKIVS, JCtus, (100) *Virum meritis in rem Literariam Illustrem,* FRID. HOFMANNVS, Medicus, (1) *Virum supra Seculi genium Doctum,* & CHRISTOPHORVS CELLARIVS, Philologus excellens, (2) *Decus Academicæ Kiloniensis insigne,* eundem salutantes.

XL. Sed dudum nos in Tempe sua revocat Misnia, hujusque Ocellus, Lipsia, Morhofianum nomen jampridem venerari assueta. Sub primum mox in Athenas Cimbricas adventum, nascenti ejus famæ FRID. RAPPOLTVS, Poëta ac post Theologus Philureæ eximius, applausum suum, tum aliis Epigrammatis compluribus, tum sequenti testatus est Tetrasticho:

Principis Auspiciis Parnassus in æthera surgit:
Carmine Morhofi personat ille gravi.
Pace tua liceat mihi dicere, maxime Princeps:
Parnassi Vates alter Apollo tui est.

Gener Rappolti non degener, & in Poëtica Professione Successor, JOACH. FELLERVS, in Poëmate, quo Magistrorum Promotionem, Lipsiæ A. 1673. factam celebravit, Heroico, Morhofium Virum salutavit.

Quem nostra Aureolum mirantur Secula Phœbum;

in Poëmate *de Brabeis Philosophicis* simili An. 1691. edito, (3) *Astrum Poli Arctoi rutilum, Polyhistorem magnum,* &

Nobile Depositum Cœli, quo Cimbria gaudet,
Quique hodie cluit Aonio Pan magnus in Orbe,

alibi autem, (4) *Polyhistorem Kiloniensem incomparabilem.* Novissime etiam *Orationi de Auro*

(96) *in Ep. de Noctiluca constante p. 20.* (97) *in Comm. de Phosphoris, Natura Lucis & Igne, p. 31. & 69.* (98) in Jambis ad Morhofium, in *Appendice Poëmatum* hujus *Latinorum Adoptiva p. 938.* obviis. (99) *in Comm. Hist. de Lutheranismo, L. 3. Sect. 21. §. 84.* (100) *in Præfat. Biblioth. Academicæ Casp. Thurmann.* (1) *in Exerc. de Cinnabari Antimonii, c. 65. p. 2.* (2) *Programm. 50. p. 357.* (3) *p. 2. 30. & 42.* (4) *in Præf. scil. ad Tobiæ Richteri Metaphrasin German. Meditationum Sacrarum Joh. Gerhardi, Metrice A. 1690. evulgatam, & in Or. de Fratribus Kalendariis p. 19.*

Auro Morhofianæ, Lipſiæ A. 1690. auſpiciis Carpzovianis, recuſæ, Epigramma ad Autorem ſubjecit, in quo *Polyhiſtor* is vocatur *maximus & ſine pari*, *Svadaque Cimbrica*, & in ultimo tandem Diſticho hac compellatur προσφωνησει:

Nec mirum, docti cum ſis Sol Aureus Orbis,
Aurum ſi promas efficiasque merum.

Par meritis ipſius pretium ſtatuit AD. RECHENBERGIVS, etiamnum Lipſiæ ſuperſtes, qui non in aliis ſolum Scriptis *Summum Polyhiſtorem*, (5) *Polyhiſtorem Excellentiſſimum*, (6) *Virumque longe doctiſſimum, & unquam ſine laude nominandum*, (7) appellat, ſed & in Jambis, quos Henr. Muhlii Honoribus dicavit philoſophicis, ita alloquitur, (8)

Salve erudita, quæ ſub Axe Cimbrico
Hodieque floret, Gentis illuſtre o Decus.

Ultimum inter Lipſienſes locum occupet, qui primum merebatur, FRID. BENED. CARPZOVIVS, Inclytus ille ætatis noſtræ Paireſcius, in Germania redivivus, omniumque vere eruditorum, ac, hos inter, Morhofii imprimis, amantiſſimus, cujus obitum, in Literis ad me Non. Oct. An. 1691. exaratis, hiſce verbis deploravit: *Morhofium, Virum Doctiſſimum, Cimbriæ ſubtractum eſſe morte inopinata, nemo non dolet Literis bene cupiens.*

XLI. Ex Haſſia prodeant Profeſſores duo Academiæ Gieſſenæ Celeberrimi IOH. NICOL. HERTIVS, JCtus, cui Morhofius *Summus* audit *temporibus noſtris Poëta*, (9) & MICH. BERNH. VALENTINVS, Medicus, a quo, in *Declamatione de Phyſicæ Experimentalis Origine & Progreſſu*, (10) præcipuis hujus in Germania Illuſtratoribus merito annumeratur. E Franconia autem IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS, Polyhiſtor Altorfinus, *multæ* Noſtrum *Lectionis Virum* ſalutans, *cujus Mortalitas potius, quam Vita, finem ſuum attigit* (Einen vielbeleſenen Mann, deſſen Sterblichkeit ſich mehr, als das Leben, nunmehr geendet, (11)) & ERASMVS FRANCISCI, Ornamentum illud Noribergæ e Cimbria adoptivum, quo (12) Judice *Vir* fuit *longe doctiſſimus, Philologis principibus accenſendus, totumque Eruditionis omnigenæ Orbem pervagatus* (Ein Haupt-eruditer Mann und Haupt-Philologus, der den gantzen Kreiß gelehrter Welt durchlauffen, und derowegen nirgends ſich lange verweilen wollen). Sed non vacat nobis omnem Germaniam diutius pervagari, & Morhofii Encomiaſtas in ſingulis ejus veſtigare Provinciis & Civitatibus. Quæ reſtant ergo Germanorum Elogia, mentione digna, junctim ordine exhibemus Alphabetico:

(5) *in Præf. Obſtetricis Animorum Edit. Richerii.* (6) *in Lib. de Studiis Academicis, Sect. II. c. 1. p. 15. 16.* (7) *ibid. p. 98.* (8) *V. Append. Diſſertt. Acad. Morhofii p. 46.* (9) *in Vita Erici Mauricii, Diſſertt.* hujus præfixa *Academicis.* (10) *Octava inter Declamationes reliquas, p. 82.* (11) im Berichte von der Meiſter Singer-Kunſt, Libello Vernaculo, *Commentationi Latinæ de Civitate Noribergenſi* A. 1697. adjecto c. 1. p. 452. (12) in Scripto Vernaculo contra M. Joh. Matthæum, Jac. Böhmii Hyperaſpiſten, Apologetico gebrechene Spott- und Laſter-Pfeile, p. 427. 229.

XLII. TRAJANO BOCCALINO, Scriptori ψευδωνύμῳ *Judicii ex Parnasso de Triga Scriptorum Recentiorum* (ipso scil. Matth. Wasmutho & Chr. Thomasio,) Cosmopoli A. 1689. editi, (13) *Germanorum* audit *Decus, Singulare hujus Seculi Ornamentum, Reip. Literariæ Præsidium, &, ob variam Eruditionem, alter Eleus Hippias.*

MART. DIFENBACHIO, Ecclesiastæ Mœno-Francofurtano, (14) *Decus Virorum Germaniæ, qui jam vivunt, Eruditorum.*

JOH. GRÖNINGIO, JCto Wismariensi, (15) *Vir, cujus in Poësi, Philologicis, Historicis & Physicis, Scripta vastissimum ipsius ingenium, & per omnes Literas diffusum, arguunt: Princeps* item (16) *Polyhistorum populi suffragio, quo nemo majori studio, doctrinæ & ingenio, ad scribendam Historiam Literariam accessit.*

CHRIST. GRÜBELIO, Gymnasii Mindensis Rectori, (17) *Vir de Re Literaria optime meritus, & Lumen Academiæ Christian-Albertinæ præfulgidum.*

CHRIST. JVNCKERO, Athenæi Schleusingensis Conrectori, (18) *Vir post fata immortalis.*

IOH. WILH. PETRAEO, Theologo & Præsuli olim Lüneburgensi, (19) *Magnus illè Polyhistor.*

JVLIO PFLVGIO (20) *Vir Clarissimus, deque Re Literaria optime meritus.*

IOH. CHRISTOPH. RVMETSCHIO, Gymnasii Spirensis Rectori, (21) *Musarum Delicium & Holsatiæ Martialis.*

IOH. HADR. SLEEVOGTIO, Professori Acad. Jenensis Medico, (22) *Vir Ingeniosissimus.*

SEV. WALTHERO SLVTERO, præsuli Lauenburgico, (23) *Vir insignis.*

CHRIST. WEISIO, Gymnasiarchæ Zittaviensi, (22) *Vir Magnæ Existimationis* (Ein vornehmer Mann).

JAC. WOLFIO, Prof. Medico Jenensi, (23) *Summus Polyhistor, & Vir Sapiens ac Prudens.*

GOTFR. ZEVNERO, (24) *Vir, cui, quod ad πελυεραγγωσίαν attinet ineffabilem, judiciique acrimoniam, paucos jam pares Orbis habet.*

ANONYMO poëmatum Heliconis Silesiaci Selectiorum (der auserlesensten Gedichte des Schlesischen Helicons,) quæ Francofurti A. 1699. prodierunt, Editori, (25) *Vir in omnibus admirandus & protentosæ indolis* (unser in allem zum Wunder gewordene Morhof).

XLIII.

(13) *in 4to.* (14) in Scripto *de Officiis Præceptorum Christianorum* Vernacula (in Thurmanni *Elog. Morhof.* p. 53. allegato) p. 365. (15) *in Cogitatis de Historia Wismariensi, M. Apr. Nov. Lit. Lubec. A. 1698. p. 50.* (16) *in Præfat. Tom. I. Relationum Reip. Lit. A. 1701. editi.* (17) *in Diss. de Lingua Germanica Veteri & Moderna, c. 1. p. 4. & 13.* (18) *in Præfat. Tr. de Ephemeridibus Eruditorum.* (19) *in Monumento Wasmuthiano p. 15.* (20) *in Ep. de Bibliotheca Budensi p. 111.* (21) *in Aquila Leopoldina p. 103.* (22) *in Disp. Inaug. de Anthrace pestilenti, §. 33. p. 12.* (23) *in Præfat. Edit. posterioris Propylæi Hist. Christianæ.* (22) *in Oratore Politico, Germanice edito, c. 22.* (23) *in Progr. Auspicali de Ἀνεκδιήτοις, A. 1690. edito, p. 6. & 10.* (24) *in Parnasso Anni 1692. Autumnali Vernaculo, p. 53.* (25) *in Præfat. p. 25.*

XLIII. Ex itinere per Europam ferme univerſam, quod, famæ Mothofianæ, longe lateque diffuſæ, ſecuti veſtigia, confecimus, Literario, in CIMBRIAM noſtram revertimur, Tanti Viri Lumine, adoptivo licet, per quinque luſtra eximie illuſtratam, dotesque illius ac merita, quod *Bona hæc ſua noſſet*, non minus quam gentes exteræ, veneratam. Teſtes allego, ex LVBECENSIBVS, Celeberrimos NOVORVM MARIS BALTHICI & SEPTENTRIONIS LITERARIORVM Collectores, a quibus cum aliis paſſim laudibus ornatus eſt, tum *Celeberrimi Academiæ Kilonienſis Polyhiſtoris*, (26) & *Delitiarum, imo Oraculi & Miraculi Septentrionis noſtri*, (27) invidenda reportavit Elogia. Ab AVG. PFEIFFERO, ſupremo haud ita pridem Eccleſiarum Lubecenſium Antiſtite, (28) *Claræ ſalutatur ſpes magna Juventæ, magna Muſarum Gloria, vatesque, cujus pectore ſe vetuſtas cuncta condidit, parem non habiturus*, a GEORG. HENR. GOETZIO, Theologo, qui Pfeifferi locum nuper occupavit, multæ doctrinæ & lectionis, (29) *Polyhiſtor Clariſſimus ac Eruditorum facile hodie Princeps*, &, alio in loco, (30) *Magnus & Incomparabilis Polyhiſtor*, ab ENOCHO autem SVANTENIO, Athenæi Scholaſtici Moderatore Eximio, (31) *Mare Scientiarum Grande, & inſigne Chori docti Præſidium.* Nec ſilendus *h. l.* IOH. GEORG. PELLICERVS, JCtus & Collegii Canicorum Lubecenſium Secretarius, Poëta venuſtiſſimus, qui, uti §. 11. jam narratum, falſo de obitu ejus rumore deceptus, ſuperſtiti Inſcriptione Latina ἀμέτρῳ an. 1671. parentavit, &, in hac, *Principem* illum *Poëtarum, Poëtamque Principum, Vatem divinum, Solem Muſarum, Cimbriæque Maronem*, appellare haud eſt veritus. (32)

XLIV. Quanto a Viris Civitatis HAMBVRGENSIS Eruditis habitus fuerit in pretio, teſtis omni exceptione major eſt VINC. PLACCIVS, omnigenæ Eruditionis gloria plerisque, cum viveret, ſuperior. Is non *Decus* ſolum *Academiæ Kilonienſis Elegantiſſimum*, (33) *Doctiſſimum Academiæ Kilonienſis Profeſſorem*, (34) *& Virum rei Libraria peritiſſimum* (35) in aliis eum Scriptis vocavit publicis, ſed in *Juriſconſulto* etiam *Perfecto* (36) his verbis eſt uſus: *Morhofius unus erudita caveæ magnæ mihi inſtar eſſe poteſt.* Ὁμώνυμος huic eſt Succeſſor longe digniſſimus, IOH. ALB. FABRICIVS, *in Decade Scriptorum Recentiorum ἀνωνύμων* Hamburgi an. 1688. edita, (37) ſequenti Noſtrum dignatus Elogio: *Hunc & Eloquentiæ, & Poëſeos, & Elegantioris omnis Literaturæ, Magiſtrum merito appellaverim. Quæ laus ipſi adeo propria eſt, ut cum Naturalis Scientiæ exquiſita cognitione, accurataque Juris Scientia, ſit communis. Gratulamur Patriæ noſtræ, quod in hoc Viro invenerit, quem Exteris opponere poſſit. Ejus Polyhiſtore nihil noſtra memoria prodiit eruditius. Levia illa, quæ notari forte in illo poterant, ne memoranda quidem eſſe arbitramur.* Succinit Fabricio, qui Lubecæ an. 1689. *Epiſtolam*

(26) *M. Jun. A. 1699. p. 184.* (27) *M. Jul. A. 1700. p. 170.* (28) *in Epicedio.* (29) *in Diſſ. de Scriptorum Ciceronis Lectione*, Lipſiæ A. 1689. §. 3. p. 9. (30) in Principe *Hebraice docto* p. 4. (31) *in Leſſu Alcaico in obitum ejus.* (32) *v. Append. Diſſertationum Academicarum Morhofii p. 91-94.* (33) *in Notis ad J. Rhodii Catal. Scriptt. Suppoſit. p. 40.* (34) *in Tr. de Script. Anon. detectis p. 41.* (35) *in Invitat. ad Anonymos ſuos augendos* p. 7. 8. (36) c. 41 p. 141. (37) num. I.

Iam de ejus *Decade* ad *Candidum Philalethen* edidit, SINCERVS VERIDICVS, Scriptor ψευδώνυμος, *Virum, qui Scientiarum exhauſit Oceanum, Κειμήλιον Germaniæ in Seculi Decus pariter ac ſtuporem natum, Magnumque Polyhiſtorem, ſupra Bonorum laudem, ſupra Malorum invidiam, poſitum*, eundem appellare (38) haud veritus. Succinunt etiam IOH. FRID. MAYERVS (39) & DETHL. CLVVERVS, (40) Theologus alter, alter Philoſophus Civitatis Hamburgenſis adoptivus percelebris, quorum utrique *Vir* audit *Incomparabilis*; illi vero etiam, (41) *Vir laude ſua major, & præmaturo fato, non ſibi tantum & Kilonienſi Academiæ, ſed Muſis ipſis, & Literis, quas mirifice ornabat, ereptus.*

XLV. Sed nec in ipſa, cui per tot annos docendo inſerviit, ACADEMIA Chemoſi hujus KILONIENSI *Præſentia*, quod ſæpe admodum fieri nemo ignorat, *famam* ejus potuit *minuere*. Ne quid enim de Studioſis dicam, Præſtantiſſimi quique inter omnium Ordinum Profeſſores, tantum abeſt, ut hanc ipſi invidiſſent, ut potius pro virili laudibus non privatis tantum, ſed & publicis, auxerint. E Theologis, CHRIST. KORTHOLTVS *Vatem* eum ſalutavit, (42)

Qualem non ullum doctior Orbis habet,

& (43) *Lycæi Kilonienſis Decus immortale*; PAVLVS autem SPERLINGIVS (44) *Poëtam Divinum, Carmina toties, æterna cedro merito digna, canentem; Dulcedinem* (45) *Seculi Nectar, Ocellumque, Lumen & Decus Poëtarum, cujus Vena Caſtalin Permeſſiasque Muſarum Undas, & Favos vincit Hymettios.* HENR. MUHLII Poëma, quod §. 4 jam laudavimus, Elegiacum, Manibus ejus Sacrum, totum in dotibus ac meritis ipſius in Literas eximiis celebrandis occupatur, &, una cum *Præfatione* ſimilis Argumenti in *Opera* Noſtri *Poëtica*, Lubecæ an. 1697. junctim recuſa, integrum a Tanti Nominis Cultoribus legi meretur ac relegi. E Collegiis Ordinis Juridici, ERICVS MAVRITIVS (46) *Poëtam Ingenioſiſſimum* & (47) *Seculi Noſtri Gloriam*, SAM. RACHELIVS (48) *Decus Academiæ Holſaticæ eximium*, NICOL. MARTINI (49) *Decus Sororum Aonidum immortale, Carmine Maronem, Ore Tullium*; e Medicis IOH. DAN. MAIOR (50) *Vatem Ingenioſiſſimum*, & (51) *Magnum Polybiſtorem*, e Philoſophis denique AD. TRIBBECHOVIVS (52) *Vatum maximum*, appellavit.

XLVI. Plura accumulare Elogia, quibus Homines Eruditi Polyhiſtorem hunc Cimbricum ſuo ornarunt merito, ſupersedemus. Quæ enim hactenus ſunt reci-

(38) *p. 5.* (39) *in Præf. Muſæi Miniſtrorum Eccleſiæ.* (40) *T. I. Novæ Criſeos Temporum p. 104.* (41) *in Diſp. de Codice ſuo Bibliorum Germanico MSto* (quam *in Appendice Hiſtoriæ Verſionis Lutheri* invenies) *p. 168.* (42) *in Epithalamio, ei ſcripto.* (43) *in Epicediis.* (44) *in Carmine de primo Academiæ Kilonienſis Rectoratu Gratulatorio.* (45) *in Genethliaco in Natalem Primogeniti ejus.* (46) *in Epigrammate, Veneribus Noſtri præfixo.* (47) *in Epithalamio.* (48) *in Introd. ad Jus Publicum p. 95.* (49) *in Epicediis, ipſi atque Uxori ſcriptis.* (50) *in Deliciis Hybernis p. 17.* (51) *in Epiſtola Diſputationi de Aurea Jovis Catena ſubjecta.* (52) *in Epithalamio.*

recitata, & Titulum hunc ipſi jure deberi, imo communi ferme Literatorum conſenſu decretum eſſe, oſtendunt, & in multiplici ejus Eruditione celebranda, defectu potius, ſi cum aliorum Judiciis noſtra conferantur, quam Exceſſu, peccatum ſupra a nobis fuiſſe, ſatis ſuperque demonſtrant. Si quis plura deſiderat; præter Biographos, §. 4. *enumerator*, Appendices Carminum Adoptivorum, *Diſſertationum Academicarum atque Epiſtolicarum Poëmatumque Latinorum*, Collectionibus ſubjectas, Præfationes iisdem, ceterisque Scriptis Poſthumis a Succeſſoribus præmiſſas, aliosque Autores, paſſim deinceps, in Monumentorum ipſius Literariorum Recenſu, allegandos, conſulat. Nos, alienis eum laudibus haud indigere perſuaſi, qui, tot Scriptis, omnium conſenſu præſtantiſſimis, has dudum ſupergreſſus, æternatura in Templo Famæ Monumenta ſibi ipſemet erexit, ad horum pergimus Hiſtoriam, edita initio, temporum, quibus prodierunt, ordine, enumeraturam, iſtisque Ἀνεκδοτα & Affecta ſubjuncturam.

XLVII. Primum inter Edita, cum Temporum ſequi decreverimus ordinem, locum ſibi vindicant Poëmatia, quæ anno 1657. octodecim natus annos, publicavit, Juvenilia,

1. *Poculum* ſcil. *Boni Damonis*, ſive Carmen, quo Gymnaſium Stettinenſe relinquens, Henrico Schævio, Præceptori, valedixit, Apobaterium, in *Operibus Poëticis p. 909-914. recuſum*;

Et

2. *Laus Satura*, ſive Cento in χρισογονιαν, e Virgilio, Statio & Claudiano, contextus, Andreæque Tſchernigio, ſuo in Profeſſione Poëtica Anteceſſori, Roſtochii inſcriptus, quem *Liber Prætermiſſorum*, in iidem *Operibus Latinis Poëticis* an. 1697. legendum denuo exhibuit.

Quibus addi etiam poteſt, quod biennio ante, A. æt. 16. Patroni cujusdam novis conſecravit Honoribus, Carmen *de Dignitate Conſulari* Gratulatorium juſtæ magnitudinis, de cujus in Stylo Poëtico Κακοζηλια Judicium Autoris ipſius, iſtam damnantis, parum benignum, maturiori latum ætate, §. 7. jam recitavimus. Minuta iſta ſunt, fateor, nec tanto Poëta, ſi cum virili ætate ſcriptis comparentur, ſatis digna, ac proinde nonnullis mentione forſitan etiam indigna videbuntur. Verum alia Noſtro mens fuit, qui Puerilia ac Juvenilia Magnorum Poëtarum ſtudioſe conquiſivit, & de Grotianis Heinſianisque hujus generis, inter Poëmata reliqua, in eorum Editionibus plerisque, haud recuſis, *Lib. VII. Polybiſt. Lit.* (53) judicavit; *ſervari & iſta poſſe, quod multa bona in illis reperiantur, & deprehendi iisdem ſuccreſcens* Heroum hujusmodi Literariorum *poſſit perfectio.*

(53) *Cap. III. §. 15.* Confer. *Lib. I.* ejusdem *c. 7. §. 42.* ubi ita de Heinſianis ac Grotianis hiſce judicat: *Etſi a Virilibus multum diſcrepant, delectat tamen florum illa luxuries, quos tam præclari fructus poſtea ſecuti ſunt.*

XLVIII. A. 1658. prodiit *Diatriba de Morbis, & eorum Remediis, Juridica*, quam Præſide Henrico Rahnio, Anteceſſore, publicæ Commilitonum Diſquiſitioni Roſtochii expoſuit, in Volumine *Diſſertationum Academicarum (54)* Hamburgi an. 1699. recuſa. A ſe ipſo hanc eſſe elaboratam, & a Rahnio Præſide ne apicem quidem in illa mutatum, Ipſe in vitæ propriæ teſtatur Hiſtoria, *(55)* pleniorem, ſimul monens, ejusdem Argumenti tractationem, ſub juſti Voluminis magnitudine, inter Schedas ſuas deliteſcere, *Tractatum* nempe *de Jure & Privilegiis Morboſorum* integram, publice etiam, anno jam 1664. *in Catalogo Nundinarum Vernalium Lipſienſi (56)* promiſſum. Et inventus ſane ille eſt in Muſeo defuncti, ſed charactere ita minuto & fugiente, tamque intricata ſcribendi ratione, exaratus, ut edi non poſſit. *Vid. Anonymi Continuationem Vitæ ipſius, in Appendice Diſſertt. Acad. p. 25.* ubi etiam *p. 61. 62. 65.* Joh. Georgii Dorſchæi, Theologi Celeberrimi, Henr. Rahnii, Præſidis, & Andr. Tſcherningii, in hanc Diſputationem Carmina leguntur.

XLIX. A. 1659. lucem viderunt publicam:

1. *Epigrammatum & Jocorum Centuria Prima, Popularibus dicata*, Roſtochii *in 8vo.* Quam Autor poſtea, potioribus inde in *Epigrammata Selecta* translatis, abolevit, recudique noluit. *Vid. Anonymi Continuationem Vitæ ipſius, in Appendice modo laudata p. 25.*
2. *Leſſus in Ciconiam ADRIANVM D. Laur. Bodockii*, Carmen Juvenile & Ludicrum ad Bodockium, Roſtochii *in 4to.* Tertia autem vice recuſum in *Operibus Poëticis*, junctim Lubecæ an. 1697. editis, *in Libro Jocorum, p. 857-873.* De Occaſione, qua Leſſum hunc Heroicum, junctamque illi Inſcriptionem venuſtam atque argutiſſimam, concinnavit, & quo pacto Carmina iſta jocularia viam ipſi, ad Cathedram Academiæ Roſtochienſis Poëticam ſtraverint, ſupra, in Vitæ Hiſtoria, §. 9. jam eſt dictum. D. Frid. Rappoltus, Poëta ac Theologus Academiæ Lipſienſis eximius, in Ciconiam hanc ita luſit:

Morhofio triſti ſic dicta Ciconia Leſſu,
Ut Paſſer Vati, Lesbia pulchra, tuo.
Auguror, hoc major manſura eſt gloria noſtrum,
Paſſere quo melior eſt Avis illa levi.

Non inèleganter etiam, ſermone licet ſoluto, Matth. Henr. Burchardus (57) argutatur, Morhofium, *Ciconiæ ſuus cantu vere olorino celebrando, quantus Poëtarum futurus eſſet Phœnix, Vatem non falſum portendiſſe.* Leſſum hunc cum Plagiarius quidam compilaſſet, & ex eo in *Pirrulæ ſuæ Encomion*, e *Cupidine* autem Noſtri *Argo* in Epithalamion aliquod, pleraque audacter, velut propria transtuliſſet, caſtigatus ob Furtum iſtud Literarium eſt peculiari Epiſtola, a Noſtro ad Jacobum Henricum Pauli, Conſiliarium Danicum, exarata, ſeorſim ab hoc, ignaro Autore, edita, & ad calcem *Collegii Epiſtolici*, in Editione Anni 1693. Lipſienſi, recuſa.

L. A.

(54) *p. 2-50.* (55) *in Append. Diſſertt. Acad. p. 7.* (56) *p. 37.*

L. A. 1660. publice a Noſtro Roſtochii, d. 26. Febr. recitatum eſt Poëma in Natalem hunc *Guſtavi Adolphi*, Ducis Megapolitani, Heroicum. Quod ſeorſim prodiiſſe, licet primæ hujus Editionis nullum hactenus viderim exemplum, Aug. Varenii & Joſuæ Arndii Carmina in illud mihi perſuadent Encomiaſtica, una cum Laur. Bodockii, Rhetoris Academici, Programmate, quo ejusdem recitationem indixit, *in Diſſertationum Academicarum Appendice* (57) obvia. Recuſum eſt Lubecæ A. 1697. in *Operum Poëticorum Latinorum* Syntagmate, *Libro Charitum Secundo*, duosque in iſto Octerniones occupat integros.

LI. A. 1661. d. 26. Sept. in Itinere Literario priori, Franequeræ Friſiorum Supremos Juris Utriusque Honores Academicos, ſive Doctoris Titulum, Diſputatione *de Jure Silentii* exambiit Inaugurali, cujus hic eſt Titulus:

> Τὰ πρῶτα *Tractationis Juridicæ de Jure Silentii, Synopticis Theſibus ſummarie delineata.* Franequeræ 1661. *in* 4to. Recuſa Hamburgi A. 1699. in *Volumine Diſſertationum Academicarum, p. 51-70.*

Elogia Metrica, quibus D. Laur. Banckius, JCtus Franequeranus, Aug. Varenius, Henr. Müllerus, Henr. Rahnius & Chriſt. Kleinius, Academiæ Roſtochienſis Theologi & JCti, Theod. Suterus, Urbis Conſul, Michaelque Kirſtenius & Caſp. Vogtius, illam ornarunt, in Voluminis ejusdem *Appendice, p. 78-83.* leguntur. Curas ſecundas, πρώτοις hiſce ſubjungendas, ſive Tractatum Argumenti ejusdem integrum, ſub finem illorum, uti & in *Prælectionibus de Notitia Autorum MSStis, c. 26.* promiſſum, vix unquam videbit Orbis Literatus. Inter Schedas enim Autoris defuncti (teſte Vitæ Continuatore *p. 25*) multa quidem Auctaria Diſputationis αὐτογραφα, Tractatui deſtinata prolixiori, ſuperfuerunt, ſed ita miſere disjecta, ut edi vix poſſint.

LII. Eodem A. 1661. cum Roſtochium rediiſſet, Lectionibus in Claudiani *de Raptu Proſerpinæ Libros* publicis, M. Novembri inchoatis, præmiſſa ab ipſo eſt *Diſſertatio de Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico*, ibidem, A. eodem 1661. in 4to, teſte Caſp. Thurmanno, (58) impreſſa, & in *Volumine Diſſertt. Acad. p. 71-82.* recuſa.

Programma, quo Studioſos ad audiendam eam invitavit, Elegiacum *in Miſcellaneis Poëticis, p. 18. 19. 20.* occurrit. Non video igitur, cur Henr. Muhlius, in ſua de eodem *Enthuſiaſmo Poëtico* Exercitatione, (59) Diſſertatiunculæ hujus, quæ publice legitur, bis deploret jacturam. Confudiſſe certe eam videtur cum Diatriba ſive Commentario Argumenti ejusdem prolixiori, quem, non ſub hujus ſolum finem p. 81. & in αὐτογραφοις Scriptorum Suorum Affectorum Indicibus, per Vitæ Continuatorem evulgatis, ſed *Parte* etiam II. Operis *de Lingua ac Poëſi Germanica* Vernaculi, (60) imo & in *Catalogo Nundinarum Anni 1664. Vernalium Lipſienſi*, (61) pollicitus Noſter quidem eſt, ſed nunquam abſolvit.

(57) *p. 63-68.* (58) *in Elog. Morhof. p. 55.* (59) *Proœmio p. 7. & §. 12. p. 21. 22.* (60) *cap. 1. p. 201.* (61) *pag. 37.*

LIII. A. 1662. prodierunt.

1. *Theologiæ Gentilis Politicæ Dissertatio Prima, de Divinitate Principum.* Roſtochii *in 4to* Recuſa A. 1699. in *Volumine Dissertationum, p. 82-112.* una cum Diſſertatione (quam in Priori p. 14. promiſit) Secunda *de Titulis Principum Divinis*, e MSto tunc primum edita, ſed ſub finem mutila.

Reliqua Pars *Theologiæ hujus Gentilis Politicæ* (qua Principum viventium Cultum Divinum atque Idololatricum percenſere Autor conſtituerat) nec lucem vidit, nec abſoluta a Noſtro eſſe videtur.

2. *Memoria Henrici Rahnii, Academiæ Roſtochienſis JCti, publica Oratione, celebrata.* Roſtochii *in 4to.* Miror, hanc in Orationum Noſtri Syntagmate, Hamburgi A. 1698. excuſo, locum non inveniſſe.

3. *Querela Halecis ad Neptuni Tribunal, Carmen Joculare.* Roſtochii in 4to, Recuſa inter *Opera* Noſtri *Poëtica*, in *Libro Jocorum, p. 873-880.*

LIV. A. 1663. lucem viderunt publicam:

1. *Proſphonema in Chriſtiani Kortholti* (Profeſſoris tunc Roſtochienſis, & dein Kilonienſis) *Summos in Theologia Honores* (in quo de Philoſophiæ ac Theologiæ Concordia, Promotionumque in Academiis Theologicarum Ritibus, diſſeritur,) Roſtochii impreſſum, & Hamburgi, A. 1699. *in Volum. Dissertt. Acad. p. 117-126.* recuſum.

2. *Diatribe Philologica de Novo Anno, ejusque Ritibus*, a Joh. Gothardo a Böckeln, Ratzeburgenſi, Auditore ipſius, & Acad. Juliæ deinceps Juriſconſulto, Roſtochii A. 1663. *in 4to* edita, quam ſibi Noſter, e Lectionibus quippe ſuis privatis a Böckelio congeſtam, *in Prælectionibus Polyhiſtoricis MSS. c. 15.* poſtliminio vindicavit.

LV. Eodem An. 1663. vel ſequenti 1664. prodiiſſe videtur:
Carmen de Ente Rationis Heroicum Joculare, Matthiæ Wasmutho, Logices in Acad. Roſtochienſi, Linguarumque poſtea Orientalium ac Theologiæ in Kilonienſi Patria, Profeſſori, inſcriptum, quod Roſtochii primo, & deinde Kilonii, utrobique ſine Anni mentione, *in 4to* eſt editum, tertiaque vice Lubecæ An. 1697. inter *Opera Poëtica* reliqua, in *Libro Jocorum, p. 881-900.* recuſum. In Editionis Secundæ Kilonienſis *Præfatione* refert Autor, ſe, quæ in hoc Poëmatio joculariter de Entium Rationis in Cerebro, per *εἰδῶλα* illa quorum ſpeciem Anatomici iſtic deprehenderunt, propagatione finxerit, ſerio deinde a Roberto Fluddio, Angliæ Philoſopho, in *Myſtica Cerebri Anatome*, aſſerta, Arcanisque annumerata, reperiſſe.

LVI. Ultimum Scriptorum Noſtri Roſtochienſium eſt:
Principes Medici, ſive Diſſertatio Hiſtorico-Medica de Curatione Strumarum, quæ a Regi-

Regibus Angliæ & Galliæ fit, eruditiſſima, Roſtochii An. 1665. *in 4to* edita, & Hamburgi An. 1699. *in Volumine Diſſertt. Acad. p. 127-160.* denuo impreſſa, cujus Editionem, auctiorem; *in Hiſtoria Naturali MS. P. II. c. 8.* & Scriptorum Affectorum Indicibus, promiſit.

Sententiam Autoris, miraculoſas eſſe has Regum Angliæ & Galliæ Curationes perſuaſi, refellere aggreſſus eſt Joh. Joach. Zentgravius, Argentinenſis, Theologus jam Academiæ patriæ Primarius, in *Biga Diſputationum de Tactu Strumoſorum Regis Franciæ*, Wittebergæ A. 1669. & 1675. editarum, *Diſp. II. §. 2. & ſeqq.*

LVII. Inter Scripta Kilonienſia, Roſtochienſibus, ut numero, & dignitate, ſuperiora, primus illis locus debetur, quæ Novellæ Academiæ Cimbriæ Inaugurationi, An. 1665. exeunte, & ſequenti 1666. ineunte, Soluta pariter atque Ligata Oratione, inſigni cum Applauſu, conſecravit. Ad Claſſem τῶν Α'μίτρων pertinent:

1. *Oratio Panegyrica, in laudem Chriſtiani Alberti, Ducis Holſatiæ*, Kilonienſis Academiæ Fundatoris, in hujus Inauguratione, d. 6. Oct. An. 1665. recitata, in Alex. Julii Torquati Chiliarchæ Svedici, *Hiſtoriæ Inaugurationis* iſtius, quæ Slesvigæ A. 1666. *in fol.* prodiit, *Appendice* primum evulgata, ac inter *Orationes* deinde Noſtri reliquas, in earum Syntagmate, An. 1698. Hamburgi edito, *num. 1. p. 1-33.* recuſa.
2. *Deſcriptio Actorum Promotionis, in omnibus Facultatibus Academiæ Kilonienſis, Principalibus Auſpiciis & Sumptibus, d. 22. Jan. An. 1666. inſtitutæ, omniumque, quæ cum iis ſunt connexa.* Accedunt, præter alia, *Vota* illius *Pythagorica ſeu Luſus Extemporaneus, de Numero Candidatorum Primæ Promotionis, in tribus Facultatibus Superioribus Ternario, in Philoſophica autem Septenario*, Petrique Muſæi, Theologi, Erici Mauritii, JCti, Caſp. Marchii, Medici, ac ipſius Morhofii, Orationes in eadem Promotione recitatæ. Prodierunt hæc omnia, & ſeorſim Kilonii An. 1666. *in fol.* & in Alex. Jul. Torquati *Appendice* modo laudata, Slesvigæ eodem An. 1666. edita, noviſſimeque Hamburgi An. 1699. in *Volumine Diſſertt. Acad. p. 161 - 234.* tertia vice ſunt recuſa.
3. *Oratio de tribus Cauſis, ob quas multi ad minus ſolidam aliquam Sapientiam perveniant* (Ignavia ſcil. Philautia & Diſcordia,) in Promotionis Magiſtrorum Primæ Actu, d. 22. Jan. An. 1666. ab eo, Ordinis Philoſophici Pro - Decano, recitata, quæ non ſolum in *Deſcriptionis Actorum Promotionis* iſtius Editionibus duabus prioribus, An. 1666. impreſſis, ac modo laudatis, comparet, ſed & in *Orationum* Syntagmate (*num. 2. p. 33-61.*) lucem denuo An. 1698. vidit publicam.

Numeris adſtricto Sermone Natales Academiæ hujus celebrant:

1. *Epigrammata Sex* in Academiæ Kilonienſis, & Quatuor ejus Facultatum, Inſignia, in Torquati *Hiſtoria inaugurationis p. 110. 111.* obvia.

2. *IV. Odæ Concertantes* in laudem Ferdinandi III, & Leopoldi, Imperatorum, Fridericique & Chriſtiani Alberti, Ducum Holſato - Gottorpienſium, ſcriptæ, ab Auguſtino Pflegero, Chori Ducalis Præfecto, Modis ornatæ Muſicis, & in Academiæ Inauguratione d. 5. Oct. A. 1665. decantatæ, quæ in *Hiſtoriæ* Torquati *Appendice* comparent.

3. *Strenæ Poëticæ*, ſub initium Anni 1666. Principi, Patronis & Profeſſoribus Academiæ, diſtributæ, & a Torquato in eadem publicatæ *Appendice* in *Volumine* autem *Diſſertt. Acad.* (*p. 182-188.*) Hamburgi An. 1699. recuſæ.

Et, quæ hæc omnia junctim (ſed Odas tamen absque Modis Muſicis Pflegerianis) exhibent, aliaque inſuper Carmina complura, eodem tempore ſcripta, complectuntur:

4. *Primitiæ Parnaſſi Kilonienſis*, Joh. Adolpho Kielmanno, Miniſtro Aulæ Holſaticæ Primario, inſcriptæ, ac Kilonii An. 1666. (licet nulla hujus in Titulo occurrat mentio) *in 8vo*, impreſſæ, An. 1697. in Syntagmate *Operum Poëticorum* Lubecenſi (*p. 581 - 620.*) denuo publicatæ, quas Frid. Rappoltus, Prof. Lipſienſis, eleganti commendavit Epigrammate Encomiaſtico, ſupra §. 40. jam recitato.

LVIII. Proximo Quinquennio (ab An. 1666. ad 1671.) ſex alii Poëmatum Noſtri Latinorum Faſciculi lucem viderunt publicam, omnes, in eadem Collectione *Operum Poëticorum* Lubecenſi, An. 1697. recuſi:

1. *Miſcellanea Poëtica*, &, quæ iſtis acceſſerunt, *Epigrammata Selecta*, utraque Bibliothecæ Ducum Holſaticorum Gottorpienſi inſcripta. Kilonii A. 1666, in 8vo. In *Miſcellanea* Frid. Rappoltus, modo laudatus, ita luſit:

Singula quæ condis, cur Miſcellanea ponis?
Lauta an congeſtis ſecla imitare cibis?
Viſa meo certe eſt Olla hæc Miſcella palato,
Cœnari ſolis digna ſed Olla Diis.

Epigrammata autem *Selecta* hoc commendavit Tetraſticho:

Quæ ſelecta tibi, mihi ſunt Epigrammata lecta,
Et jucunda bonis, & piperata malis.
Nempe Epigrammaticos ætas non una leporet,
Nec vendit mordax Bibilis una piper.

2. *Venerum*, ſive Epithalamiorum, *Liber* Joh. Adolpho Kielmanno inſcriptus, Elogiisque Collegarum, Erici Mauritii & Ad. Tribbechovii, ornatus Metricis. Kilonii 1667. in 8vo.

Veneres

Veneres Novæ, ſive Epithalamia Recentiora, Auguſto Friderico, Epiſcopo Lubecenſi, Ducique Holſatico, dedicata, ibidem anno demum 1675. (licet in Titulo non exprimatur) *in 8vo*, prodierunt.

3. *Funerum Liber*, ſive Epicedia, Chriſtiano Caſſio, Miniſtrorum Epiſcopi Lubecenſis, modo laudati, Primicerio inſcripta. Kilonii 1667. *in 8vo.* Adjecta eſt Elegia Ad. Tribbechovii Encomiaſtica.

4. *Autoſchediaſmata Poëtica*, ſine Titulo, aut anni (qui 1668. fuiſſe videtur) indicio, *in 8vo* excuſa.

5. *Epigrammatum Libri II.* prior Joeli Langellotto, Archiatro Holſato-Gottorpienſi, poſterior Caſp. Vogtio, Civitatis patriæ Wiſmarienſis Conſuli, inſcriptus. Kilonii, ſine anni mentione, *in 8vo.*

6. *Horæ Subſecivæ Poëticæ*, ad Conſtant. Hugenium, Conſiliarium Principis Auriaci Intimum. Kilonii 1671. *in 8vo.*

Judicia Eruditorum de Poëmatis hiſce Latinis honorifica Recenſui Syntagmatis omnium Lubecenſis, qui infra ſuo loco exhibetur, reſervamus.

LIX. A. 1667. exeunte, Principi ſuo, Chriſtiano Alberto, Duci Holſato-Gottorpienſi, nuptias cum Friderica Amalia, Friderici III. Danorum Monarchæ Auguſtiſſimi, Filia, celebranti publico Academiæ Kilonienſis nomine, Oratione ſoluta pariter atque ligata, gratulabatur, iſtaque occaſione edebantur.

1. *Venus Cimbrica*, ſeu Poëma Heroicum in Nuptias iſtas Ducales, Academiæ ſcriptum nomine, adjectaque huic Epigrammata aliquot, eidem Feſtivitati dicata. Kilonii 1667. *in fol.* recuſa an. 1675. *in Veneribus Novis*, ac an. 1697. *in Operibus Poëticis.*

2. *Panegyricus in Nuptiis Auguſtiſſimis Chriſt. Alberti, Ducis Sleſvici & Holſatiæ, ac Fridericæ Amaliæ, Friderici III. Dan. & Norw. Regis, Filiæ, M. Dec. A. 1667. publico Univerſitatis Kilonienſis nomine*, dictus. Kilonii 1667. *in fol.* recuſus in Syntagmate *Orationum*, Hamburgi an. 1698. edito, *num. 3. p. 61-106.*

Vincentii Fabricii noſtratis, Conſulis Gedanenſis, non JCti ſolum, ſed Philologi etiam & Poëtæ imprimis ἐξοχωτάτου, eodem an. 1667. Warſoviæ, in Regni Polonici Comitiis, extincti, Memoriæ, hortante Chriſt. Caſſio, Conſiliario Epiſcopi Lubecenſis intimo, Communi utriusque Amico, conſecravit.

Manes Fabricianos, ſeu Poëma prolixum Elegiacum, & Epigrammata quædam, in Obitum ejus, Kilonii an. 1667. *in fol.* excuſa, recuſa autem, tum ſub finem *Operum* Fabricii, Lipſiæ an. 1685. *in 8vo* junctim editorum (*inter Adoptiva p. 805-818.*) tum in Morhofii ipſius *Operibus Poëticis*, Lubecæ an. 1697. impreſſis, *Libro III. Manium.*

LX.

LX. Anno ſequenti 1668. ipſimet Inſcriptione parentavit duarum plagularum elegantiſſima, cujus hic eſt Titulus:

Nænia Funeralis in Annum 1668. expirantem, Luſus Epigraphicus. Kil. *in fol. A. 1669.* prodiit ipſius

Venus Alphabetaria in Nuptias Laur. Gutzmeri, Paſtoris Ratzeburgenſis, & Helenæ a Nedden, Ratzeburgi *in fol.* excuſa, & in *Veneribus* deinde *Novis* an. 1675. in *Operibus* autem *Poëticis* an. 1697. recuſa; Poëma Elegiacum, omnium, quæ in Amicorum ſcripſit gratiam, prolixiſſimum, Literarumque Alphabeti ordine Cogitata varia Erotica, per integras quinque plagulas, coacervans argutiſſima, de quo, in Jambis, ad Sponſæ Fratrem, Adolphum Fridericum a Nedden, J. U Lic. & Principis Megapolitani Secretarium, ita eſt præfatus:

En, quod petebas, Carmen! en ipſum Librum!
Inuſitata quem mihi fœcunditas,
Et mira quædam Luſuum felicitas,
Et profluentis ingeni velocitas,
Et iſta nominis tui jucunditas,
Et iſta lucis optimæ feſtivitas,
Et oris iſta pervicax dicacitas,
Calamique non ſiſtentis improbus furor,
Et excitatæ mentis efferus calor,
Tot ampliarunt verſibus, tot paginis.

LXI. Anni 1670. partem maximam Itineri ſecundo ad Anglos & Batavos Literario Noſter impendit. Ex iſto Kilonium an. 1671. redux, Opuſcula quædam Roberti Boylii, Naturæ Scrutatoris felicisſimi & incomparabilis, quorum in Anglia familiariter erat converſatus, Phyſica Latino donavit Idiomate, iſtamque verſionem, nomine ſuo diſſimulato, ſub hoc edidit Titulo:

Rob. Boylii Introductio ad Hiſtoriam Qualitatum Particularium: Cui ſubnectuntur Tractatus de Coſmicis Rerum Qualitatibus, de Coſmicis ſuſpicionibus, de Temperie Subterranearum Regionum, de Temperie Submarinarum Regionum, de Fundo Maris; ex Anglico in Latinum Sermonem converſi. Hamburgi an. 1671. *in 12mo.*

Bina ipſiusmet in Verſionem hanc ſuam ἀνώνυμον Epigrammata in *Horis ſubſecivis Poëticis, pag. 3. 4.* leguntur.

LXII. Ipſe deinde, in Scrutinio Naturæ Arcanorum Curioſiori, Boylium, aliosque Philoſophiæ Experimentalis Inſtauratores feliciter æmulatus Lynceos, complura, & luculenta quidem ac præſtantiſſima, illius ſubinde publicavit Specimina. Quorum primum, breve quidem, ſed neutiquam pœnitendum, fuit

Diſputa-

Diſputatio de Sole Igneo Academica, Kilonii an. 1672. *in 4to* edita, & Hamburgi an. 1699. in *Volumine Diſſertt. Acad. (p. 235-244.)* recuſa, quam Georg. Caſp. Kirchmayerus, (62) aliique honorifice paſſim commendant.

LXIII. Excepit hanc, eodem A. 1662.

Epiſtola de Scypho Vitreo, per certum Vocis Humanæ ſonum rupto, ad Johannem Danielem Majorem; Profeſſorem Medicum Kilonienſem, ſcripta, & ultra ſex excurrens Quaterniones, quæ Kilonii, A. jam dicto 1662. *in 4to* prodiit.

Iſtam, Scyphorum Vitreorum, a Nicolao Pettero, Oenopola Amſtelodamenſi, certo & æquali vocis ſuæ ſono, an. 1670. ſe præſente, disruptorum, Hiſtoriam proponentem, & Ratiociniis Phyſico-Mathematicis ingenioſe illuſtrantem, Autor *Ephemeridibus* Curioſorum Germaniæ *Phyſico-Medicis Miſcellaneis* inſerere primum parabat, ſed deinde, cum in molem ſpe majorem excreviſſet, ſeorſim edere maluit. Quam vendibilis fuerit, quantoque excepta ſit applauſu, Exemplorum illius intra breve admodum tempus diſtractio, & hinc orta raritas, abunde teſtantur. De utraque, præter Lipſienſes (63) & Eraſmum Franciſci, (64) iſtumque allegantem Cl. Tentzelium, (65) Joh. Chriſtianus Frommannus, Medicus & Profeſſor Coburgenſis, An. jam 1675. *in Tr. de Faſcinatione*, (66) ſequentia annotavit: *Vocum verborumque efficaciam naturalem primo limine confirmare videtur elegans Experimentum Excell. & Clariſſimi Dn. D. Danielis Georgii Morhofii, Prof. Kilon. Celeberrimi in Epiſtola, quam inſcripſit de Scypho Vitreo, per certum humanæ vocis ſonum, rupto, Kilonii A. 1672. edita. Argumenti raritate Angli, ſua natura curioſi, ducti, propera Exemplarium, Hamburgi venalium, coemptione, & in Angliam transportatione, iſtorum raritatem in Germania pepererunt, ut rara ſit inter Litteratos Germanos Epiſtola iſta.* Nec defuit, qui vix editam in Belgicum transfunderet. Idioma, iſtoque luci publicæ, Amſtelodami an. 1673. *in 8vo*, ſub hoc exponeret Titulo: D.G. Morhoffs Brieff over het Breken van een Glaſevmer door ſeker menſchelijk Gelimt. De qua Anonymi Verſione, Notulisque paſſim interſperſis, Noſter (*in Præfatione Stentoris* Τηλεκλάσε) judicat, ſatis quidem illum concinne in labore hoc eſſe verſatum, niſi quod in nonnullis mentem ſuam non ſatis ſit aſſecutus, &, in ipſa Experimenti Hiſtoria, de fracto per ſonum Diapaſon vitro, diſſentiat. E Germanis, præter Joh. Chriſt. Frommannum, (cujus verba paulo ante exhibuimus) publice Epiſtolam hanc commendarunt Chriſtophorus Wegleiterus, Theologus Altorfinus, (67) & M. Theod Kirchmayerus, Ordinis Philoſophici Wittebergenſis Aſſeſſor, qui *Schediaſmate de Viribus Toni Conſoni admirandis Academico*, Wittebergæ eodem, quo illa, an. 1672. edito, (68) hoc de ea tulit Judicium: *In hac videas multa rara ac curioſa, quæ famam Viri amplificant, quanquam ipſe de ſe fateatur, quod magnam partem acceperit ab*

(62) *In Commentatione de Phoſphoris, Natura Lucis & Igne p. 31.* (63) *in Actis Erud. M. Majo An. 1683. p. 195.* (64) *in Annott. ad Baronis a Valvaſor Gloriam Ducatus Carniolæ Vernaculam Germanicis, L. 4. c. 50.* (65) *in Dialog. Menſtr. German. M. Dec. A. 1689. pag. 1277.* (66) *Lib. III. Part. III. Sect. 2. c. 3. §. 4. p. 985. 986.* (67) *in Or. de palmariis Seculi noſtri Inventis p. 43.* (68) *cap. 2. §. 3.*

Anglis. E Danis, Eraſmus Bartholinus, Medicus & Mathematicus Acad. Hafnienſis Eximius, in *Diſp.* (quam Caſp. Thurmannus (69) allegat) *de Problematibus Geometricis*, eodem A. 1672. publicata. (70) Ex Italis autem, præter Joh. Cinellum, *Bibliothecæ Volantis* Scriptorem, (71) Athanaſius Kircherus & Daniel Bartholus, Jeſuitæ duo longe doctiſſimi, & in Philoſophia Naturali præ aliis egregie verſati. Quos inter ille, in *Phonurgia Nova, de prodigioſis Tonorum Effectibus*, Campidonæ an. 1673. *in fol.* edita, facta experimenti hujus de Vitro per vocem Petteri rupto mentione, ſeqventia adjecit: *Cauſam hujus rei anxie ſane inquirere conatus eſt Eruditus Vir, Dan. Georg. Morhoſius, in Opuſculo ſupra citato. Sed adhuc ſub judice lis eſt, compluribus id tentantibus quidem, ſed non cum eo, quem ſperabant, ſucceſſu.* Alter, Dan. Bartolus in Libro Italico *de Sono & Tremoribus Harmonicis*, Bononiæ an. 1681. evulgato, (72) omnes in partes idem Experimentum verſat, &, magna Obſervationum Noſtri parte adducta, compluribus aliis, tum ratiociniis, tum Experimentis, illuſtrat, ſed Argumenta Epiſtolæ Morhofianæ, e Philoſophiæ Democriteæ Principiis deducta, faſtidit, his, inter alia, verbis utens, Noſtro (*non parum ſe iis affici, in Præfat. Stentoris* Ταλοκλάϛε, faſſo) perquam honorificis: *Jo havea ſcritto fin qui, ne altro mi rimaneva che aggiugnere: quando mi ſi diè, dopo lugnamente cercatolo, a vedere un trattato, ſotto nome di lettera di Daniel Georgi Morhof de Scypho vitreo per certum humanæ vocis ſonum rupto. Lettolo avidamente, ne giudicai dotto l' Autore, e l' opera piena d' eruditione e d' ingegno. Vidi in eſſa havervi del favorevole, e del contrario a me, oltre al filoſofare, ch' egli adopera, didotto da principi d' un tal moderno Siſtema Democritico riformato, che a me non va punto pel verſo.*

LXIV. Noſter, partim tot Eruditorum Encomiis, & de raritate Epiſtolæ querelis, partim vero ſcrupulis, a Kirchero (cui, *in Diſſ. de Paradoxis Senſuum*, (73) nonnulla jam an. 1676. regeſſit) circa experimenti certitudinem, ab interprete Belgico circa nonnullas ejusdem circumſtantias, & a Bartolo circa Philoſophemata Democritea, ſibi motis, inſtigatus, Laborem ſuum, ut & iſtis, & his, ſatisfaceret, revidere, decennio a prima Editione jam elapſo, decrevit. Reviſionem aggreſſus, plurimis eundem Acceſſionibus ita locupletavit, ut Editionis prioris magnitudinem ſextuplo excederet, atque ex Epiſtola in Tractatum prolixiorem, 18. diſtinctum Capitibus, eſſet mutandus, qui an. 1683. ſub hoc prodiit Titulo:

Stentor Ταλοκλάϛης; ſeu Diſſertatio Epiſtolica de Scypho Vitreo per ſonum vocis humanæ rupto, ad D. Joh Dan. Majorem, in qua imprimis natura Soni non parum illuſtratur. Editio Secunda, Emendatior & Auctior, Kilonii 1683. *in 4to* (1½ *Alphab.*)

Stentoris iſtius (Hamburgi an. 1699. *in Volum, Diſſertt. Acad. pag. 329-445.* recuſi) Recenſum prolixiorem Lipſienſes, (74) Ephemerides Eruditorum Gallicæ (75) & Chriſt. Franc. Paulinus (76) exhibuerunt, quos conſuli a curioſis jubemus. Lipſienſes hoc eum ornant Elogio: *Naturæ Myſtagogum eſſe Morhoſium, vel ſolus hic*

(69) *in Elog. Morhof. p. 56.* (70) *p. 5.* (71) *Parte illius Prima*, Florentiæ A. 1676. edita, & in Morhofii ipſius *Stentore Ταλοκλάϛη p. 19.* laudata. (72) *Tr. III. c 8.* (73) *p. 18.* (74) *in Actis Erud. M. Majo A. 1683. p. 194-197.* (75) im Philoſophiſchen Sperabend *c. 99.* (76) *p. 874-878.*

hic Libellus locupletiſſimus poteſt eſſe teſtis. Omnia enim in illo allegationibus variſſimorum Autorum, omnia Experimentis recentiſſimis ſunt plena, nec ullum eorum ſine acuta atque accurata diſquiſitione a perſpicaciſſimo hoc Viro dimittitur. - - Autorem inſpicere ipſum pretium erit operæ. Is enim, uti Cornu Copiæ quoddam eſt eruditionum non trivialium, ita legentes quoque ſic delectabit, ut ardentiſſimum in ipſis reliquorum ingenii fœtuum, quos affectos perfectosque domi fovet, deſiderium accendat. Commendant præterea eundem Sam. Reyherus, Autoris Collega, *Acuſticam* hunc *maxime illuſtraſſe* judicans, (77) Chr. Franc. Paulinus (78) & Joh. Hadr. Sleevogtius, Profeſſor Acad. Jenenſis Medicus (79) cui *Tractatus* audit *Eruditiſſimus*.

LXV. Sed ad Annum 1672. revertamur, quo, præter Phyſica iſta, jam recenſita, in lucem etiam prodiit.

Oratio de Intemperantia in Studiis, & Eruditorum, qui ex ea oriuntur, Morbis, triennio ante, M. Apr. A. 1669. ſub auſpicio Rectoratus Academici, habita Kilonii in 4to, Hamburgi deinde A. 1698. in *Orationum* Syntagmate (p. 106-143) recuſa.

Commendari hujus Lectio omnibus meretur Literatis, non ob doctrinam ſolum & Styli Oratorii Elegantiam haud vulgarem, ſed etiam, & potiſſimum quidem, ob ſapientiam, qua Vitia Eruditorum Epidemica nonnulla, horumque cauſas, cordate detegit, Literariam rariorem. Cujus intuitu Jac. Thomaſii, Polyhiſtoris Athenarum Misniæ Celeberrimi, (80) & Ant. Itteri (81) albos jam reportavit calculos.

LXVI. Anno 1673. Orbis Eruditi conſpectum ſubiit

Epiſtola de Transmutatione Metallorum, ad Joelem Langelottum, Sereniſſimi Cimbrorum Principis Archiatrum, Hamburgi *in 8vo* publicata, & 10. conſtans octernionibus, quæ in Volumine etiam *Diſſertationum Academicarum atque Epiſtolicarum*, ibidem An. 1699. excuſo, locum ſuum *pag. 245-302.* invenit, a D. Joh. Jac. Mangeto *Libro Bibliothecæ Chemicæ Curioſæ*, Genevæ hoc ipſo A. 1702. editæ, *Primo*, uti Lipſienſes narrant, itidem eſt inſerta.

Scripta eſt illa rogatu Langellotti, cum hujus argumenti nonnulla Noſter, in Colloquio de ipſius *Epiſtola ad Naturæ Curioſos*, cum eo communicaſſet. Hiſtoriam perſequitur non Scriptorum ſolum Chymicorum ἐξοχωτέρων, ſed Adeptorum etiam quos vocant, Celebriorum, factarumque per iſtos Transmutationum Metallicarum & ſubinde ad alia quædam Secreta Chymicæ Artis digreditur. Auctiorem longe illius Editionem Autorem eſſe meditatum, & Scriptorum ipſius Affectorum Index Αὐτόγραφος, in Vitæ Continuatione ab Anonymo publicatus, teſtatur, & Joh. Ludov. Hannemannus (82) confirmat, ſimulque, ultimis Vitæ Annis, tum quoad Hiſtoriarum Circumſtantias, tum quoad experimenta & Principia, multa melius edoctum, men-

(77) *in Diſſ. de Natura & Jure Auditus, c. 3. p. 7.* (78) *loco citato.* (79) *in Diſp. Inaug. de Antrace Peſtilenti, §. 33. p. 12.* (80) *in Tr. de Plagio Literario, §. 285. 288. 334. 634.* (81) *in Synopſi Philoſophiæ Moralis, L. 3. c. 3. p. 158.* (82) *in Ovo Hermetico-Paracelſico p. 333.*

mentem in non paucis, refert, mutaſſe. *Laciniæ*, quas ſe aliquando *purpuræ huic eſſe aſſuturum*, idem Hannemannus pollicetur, jacturam Supplementorum Autoris ipſius vix reſarcient. Quorum ſi ſpes nulla ſupereſt, Epiſtola hæc, tot Obſervationibus referta eximiis, Lectori cuivis Erudito, vel ſine illis, uti hactenus, ita porro etiam, ſeſe approbabit. Merito enim illa a Vinc. Placcio vocatur *Doctiſſima*, (83) *Elegantiſſima*, (84) *Lectuque jucundiſſima, & multa ſcitu non inutilia continens* (85) ab Henn. autem Wittenio (86.) & Chr. Wilh Eybenio (87) *Libellus perelegans*, & a Chriſtoph. præterea Wegleitero, (88) Phil. Jac. Hartmanno, Acad. Reglomontanæ Medico percelebri (circa Succini licet Phyſiologiam modeſte a Noſtro diſſentiente, ſuique diſſenſus rationes adjungente,) (89) Mich. Bernh. Valentino, (90) aliisque pluribus, commendatur. Unum hunc, in Libello, cetera pulcherrimo, nævum obſerves, quod Autor, nimio in Chymiam indulgens affectui, juſtum, circa Transmutationum Metallicarum Narrationes, non ubique adhibuerit delectum, nec a credulitatis vitio, in iſta χρυσοποιϊκῶν & Adeptorum Hiſtoria, plane ſit immunis. Id quod Viro etiam Illuſtri, Godofredo Guilhelmo Leibnitio, eſt notatum, qui, teſte Celeb. Tenzelio, (91) pleraque Transmutationum, quas illa exhibet, Hiſtorias ſuſpectas eſſe, nonnullas etiam manifeſto falſas, Autori ipſi, paulo antequam obiret, ſignificavit.

LXVII. Anno 1675. Juris Noſter publici fecit

Veneres Novas, de quibus §. 58. jam dictum;

Sequenti autem 1676.

Diſſertationem de Paradoxis Senſuum Academicam, ſeorſim Kilonii, & hoc Anno, &, novennio poſt, A. 1686. *in 4to* impreſſam, A. 1699. autem, in Volumine Diſſert. Acad. (*p. 303-328.*) tertia vice Hamburgi recuſam, *elegantiſſimam* utique (ceu vere Chriſtoph. Wegleiterus (92) judicavit,) & Obſervationibus Experimentisque Phyſicis Selectioribus ſcatentem.

Digna itaque eſt, quam doleamus, Jactura *Libri*, in quem Diatriben hanc transformare, Acceſſionibus plurimis adjectis, voluit, *de Paradoxis Senſuum* integri, non in Scriptorum tantum Affectorum Indice, ſed *Stentore* etiam Ταλοκλάϛῃ, (93) a ſuperſtite promiſſi.

LXVIII. Sexennio ſequenti, quo nubeculæ quædam turbarum Bellicarum Cimbriæ Ducalis, & Muſarum Kilonienſium, Tranquillitati ſubinde erant Infeſtæ, nihil Morhofianum, præter Programmata, Carmina & Schediasmata hujusmodi, quæ recenſere haud vacat, minutiora, lucem vidit publicam. Reddita autem Cherſoneſo

(83) *in Notis ad Joh. Rhodii Catal. Scriptorum Suppoſititiorum p. 41.* (84) *in Tr. de Scriptt. Anon. & Pſeudon. p. 159.* (85) *in eod. Tractat p. 42.* (86) *Dec. IX. Memor. Philoſ. Renov. p. 628.* (87) *in Eponomologio Critico Joh. Magiri Auctо p. 743.* (88) *in Or. de palmariis Seculi noſtri Inventis p. 42.* (89) *Libro II. Hiſtoriæ Succini Pruſſici* Francofurti A. 1677. editæ, locis compluribus. (90) *Diſſ. V. Epiſtolica de Luſu & Erroribus Naturæ p. 173.* (91) *in Dial. Menſtr. German. M. Oct. A. 1692. p. 837.* (92) *in Orat. cit. 42.* (93) *p. 142.*

ſo huic Pace & Principum ſuorum Concordia, ad Scriptiones etiam Noſter Eruditas rediit, & A. 1682. junctim, ob argumenti cognationem, Sermone Germanico, duo, quæ ſola iſto elucubravit, ingenii monumenta typis (*in 8vo*) evulgavit Kilonienſibus, junctim etiam ab Hæredibus (qui ex Autoris illa codice emendarunt, paſſimque auxerunt, ac nova inſuper Præfatione inſtruxerunt) Lubecæ A. 1700. *in 8vo* denuo recenſita. Primum iſtorum eſt:

Der Unterricht von der Deutſchen Sprache und Poëſie, deren Uhrſprunge, Fortgange und Lehrſätzen, wobey auch von der reimenden Poeterey der Ausländer mit mehrerm gehandelt wird. (h. e. *Commentarius de Germanorum Lingua ac Poëſi, hujusque Ortu Progreſſu & Præceptis, in quo etiam de Poëſi Exterorum Rythmica fuſius* diſſeritur.)

Tractatus hic Vernaculus, Operis de Lingua & Poëſi Germanica Latini plenioris, ſed (affecti tantum, nec unquam ſperandi) Prodromus, qui e Prolegomenis, Poëmatum Germanicorum præmittendis Syntagmati, in Librum ipſis Poëmatis duplo majorem, teſte Præfatione, excrevit, tribus abſolvitur Partibus. Harum Prima, de Lingua agens Germanica, eamque, & Boreales illi cognatas, antiquitate, & Græcam, & Latinam, ſuperare, imo has Germanicæ eſſe originis, luculenter (etſi longe compendioſius, quam in affecto *Originum Germanicarum* Opere, idem argumentum fuſius perſecuturo, facere decreverat) oſtendit. Eo fine Autor Capite I. de Linguæ Germanicæ Præſtantia & Vetuſtate generatim diſſerit, Cap. II. Græcam & Latinam illa eſſe recentiores, III*io* autem voces Græcas & Latinas quamplurimas a Scythico Germanicis Veteribus ortum traxiſſe, oſtendit, Cap. IV. V. & VI. Fontes Derivationis Vocum cujuslibet Linguæ genuinos commonſtrat, & VII*mo* tandem Cognationem Vocum Græcarum & Latinarum, hominem ejusque partes & membra, denotantium, cum Germanicis ejusdem ſignificationis exponit. Partis Secundæ, de Poëſeos Germanicæ commentantis Origine & Progreſſu, Capita Quinque priora Poëſeos Gentium Europæ aliarum, Gallorum ſcilicet, Italorum, Hiſpanorum, Anglorum & Belgarum, Rythmicæ ſiſtunt Hiſtoriam & Faciem Antiquam pariter atque modernam, VI*tum* & VII*mum* Poëſeos Germanicæ Ætatem Primam, ad Caroli Magni usque Imperium, ac Secundam, ad Mart. Opitii porrectam tempora, VIII*vum* Gentium Arctoarum Poëſin, & Nonum denique Tertiam Germanicæ Ætatem, quæ in noſtra incidit tempora, conſiderant. Partis Tertiæ, Germanorum Artem ipſam proponentis Poëticam, Caput I. de Linguæ Germanicæ ad Poëſin agit aptitudine, II. III. IV. & V. de ejusdem Orthographia, Etymologia, Syntaxi & Proſodia, VI. de Numero Poëtico, VII. VIII. IX. & X. de Rythmis eorumque Neceſſitate, Origine & Qualitatibus, XI. & XII. de variis Verſuum, Stropharum Carminumque, Generibus, XIII. de Inventionibus Poëticis, XIV. de Poëmatis Heroicis, XV. de Odis, XVI. de Comœdiis & Tragœdiis, ac XVII. tandem de Epigrammatis. Sub finem totius Commentarii adjectæ ſunt Henrici Schævii (quem Noſter in Gymnaſio Stettinenſi, uti ſupra, in Vitæ Hiſtoria, §. 7. jam eſt relatum, habuit Præceptorem) Metaphraſes

XVII. priorum Odarum Libri Primi Horatianarum Metrico-Germanicæ, variis Carminum generibus elaboratæ. Pleniorem Operis cedro dignissimi desiderantem notitiam ad Recensum illius ablegamus prolixum, & perquam honorificum, *in Actis Eruditorum Lipsiensibus, M. Sept.* A. 1682. *(94)* obvium, & qui isti sua debet, Adr. Baletum, Scriptorem Judiciorum de Eruditis Gallicum. *(95)* Lipsienses *(96)* his illud verbis extollunt: *Cum de Latinorum Lingua & Poësi multi Commentarios scripserint, Poësin etiam Germanicam quidam in Artem redegerint, ac certis legibus astrinxerint, deque Linguâ Germanorum diversorum Autorum extent Monumenta: nullum tamen præstantiori ingenio, ac majori eruditionis rariorisque doctrinæ copia, conditum fuit hoc Opusculo, quod, vernaculo Idiomate scriptum, Germanicis suis Poëmatibus, in unum collectis Fascem, & Kilonii hoc anno editis, præmisit Doctissimus Morhofius, Latinorum etiam Græcorumque Carminum Venustate nulli Poëtarum secundus.* Alibi iidem *Libellum aureolum,* (*97*) & *Commentarium Eruditissimum,* (*98*) salutant. Quanti Erasmus Francisci, plurimæ Lectionis, ac singularis in sermone Germanico Eloquentiæ pariter atque Elegantiæ, Scriptor, istud fecerit, verba Epistolæ ejus ad Wilh. Ern, Tenzelium Vernaculæ docent sequentia, (*99*) Latine a nobis translata: *Dn. Morhofium valde admiror, diversisque Viris Illustribus pulcherrimum ejus de Lingua & Poësi Germanica Commentarium, præ aliis hujus generis Scriptis, de nota meliore commendavi.* Joh. Christoph. Wagenseilio (*100*) *Liber* audit *laude dignissimus.* (Ein Preißwürdigstes Buch,) Joh Frid. Mayero (*1*) *Præstantissimus,* Joach. Fellero (*2*) *Opusculum Aureum,* & Christ. Grübelio (*3*) *Tractatus Eruditus.* Henr. Meibomium Juniorem, (*4*) aliosque plures, non minus honorifica Laborem hunc Nostri mentione dignatos, brevitatis studio, allegare supersedeo.

LXIX. Commentario huic de Lingua & Poësi Germanica eximio, in utraque Editione, & Kilonienſi Anni 1682. & Lubecensi Anni 1700. ista paulo auctiori, ob Argumenti, uti jam monitum, affinitatem, subjungitur alterum Nostri Scriptum Vernaculum, sive Poëmatum Germanicorum Sylloge, pari applausu excepta:

Die Teutsche Gedichte.

Pleraque seorsim jam ante prodierunt, omnia autem junctim excusa Eruditis in hoc sistuntur Syntagmate, Trium, in quas dispescitur, Partium. Prima, quæ Argumenti sunt Gratulatorii, secunda Funebria, & Tertia denique Miscellanea non unius generis, Sacra atque Profana, cum Odis atque Epigrammatis plurimis, legenda exhibente. Encomiastas ea invenere plurimos, e quibus solos jam allegabo Collectores

(94) *pag. 271-277.* (95) *T. IV. des Jugements des Scavans P. I. p. 117. 118.* (96) *p. l. c. p. 271.* (97) *M. Febr. A. 1691. p. 55.* (98) *M. Jun. A. 1697. p. 261.* (99) recitat ea Tenzelius *in Dial. Menstr. German. M. Jun. A. 1690. p. 518.* (100) im Berichte von der Meister Singer-Kunst (*sub finem Commentationis de Civitate Noriberg.*) *c. 1. p. 452.* (1) *in Disp. de Codice suo Bibl. Germ. MSto (in Append Hist. Vers. Bibl. Lutheri) p. 168.* (2) *in Præf. Catalogi MSS. Biblioth. Lips. nec non in Præf. Metaphraseos Meditatt. Joh. Gerhardi Richterianæ, Metrico-Germanicæ, A. 1690. edita.* (3) *in Diss. de Lingua Germ. Veteri & moderna, c. 1. p. 4.* (4) *in Additt. ad Val. Henr. Vogleri Introd. p. 186. 189.*

es Actorum Orbis Eruditi Lipſienſium Celeberrimos, *Venuſtatem* illorum *planeeximiam, nativamque, quam præ ſe ferunt, elegantiam, minus affectatam anxieque quæſitam*, commendantes (5) Non diſſimulo tamen, inter Encomiaſtas hos non deeſſe, qui laudibus Cenſuras, ſed ab affectuum forte contagio haud immunes, admiſceant, Sileſios imprimis, ob prælatum Mart. Opitio ſuo, Poëſeos Vernaculæ Inſtauratori, Paulum Flemmingium, Noſtro ſubinde minus æquos. Hos inter B. N. (quem Bened. Neukirchium, Sileſium, Anonymus alter M. M. (6) perhibet) ſvavitatem in illis videtur deſiderare, in *Partis Poëmatum* Chriſtiani ab Hoſmannswaldau *Germanicorum Secundæ*, Lipſiæ an. 1696. editæ, ita ſcribens Prolegomenis: Morhof ſchreibet zwar ſo lieblich nicht, als gelehrt: Er hat aber ſehr wohl verſtanden, was zu einem Gedichte erfordert wird. (7) M. M. modo allegatus, licentiam eorundem, in Conſtructione verborum turbanda, juſto interdum majorem verbis hiſce accuſat ſimul & excuſat: (8) Die Freyheit, deren er ſich bey der Conſtruction, und anderweit, bedienet, iſt bey einem Mann von ſolcher Autorität mehr zu verwundern, als nachzuahmen. Er pfleget auch dergleichen nicht leichtlich zu gebrauchen, es wäre denn, daß eine artige meditation hinfallen müſte, wo man der Sprache nicht eine kleine Gewalt anthun wolte. Riſum autem linguæ noſtræ Cimbricæ gnaris Cenſura ſua haud dubie extorquebit M. Joh. Chriſtianus Kunckelius, Uratislavienſis, qui, *in Diſputatione de Sileſiorum in Germanica Poëſi præſtantia*, Lipſiæ an. 1698. edita, (9) Flemmingio, ejusque Imitatori Morhofio (cujus tamen Carmina ſe Germanica ſubinde admiratione proſequi, non diffitetur, (10) præter duritiæ quoddam genus, *Holſatismos* etiam, neſcio quos, exprobrat.

LXX. Anno 1683. in lucem prodiit

Stentor Ταλεκλαστης, Tractatus, cujus Hiſtoria §. 64. jam eſt expoſita, Phyſicus,

Sequenti autem 1684.

Liber de Patavinitate Liviana, ubi & de Urbanitate & Peregrinitate Sermonis Latini univerſe agitur, Vito Ludovico Seckendorfio, Electoris tunc Saxonici, Ducisque Saxo-Numburgenſis, Conſiliario Intimo, ad eandem poſtea in Aula Brandenburgica dignitatem, cum Cancellarii Novæ Academiæ Halenſis conjunctam Officio, ob merita in Rempublicam & Literas immortalia, evecto, Heroi Eruditiſſimo, omniumque vere Eruditorum amantiſſimo, inſcriptus, ac Kilonii in 4to excuſus, in Volumine autem *Diſſertationum Academicarum* (p. 471-592.) tribus poſt luſtris, Hamburgi an. 1699. denuo publicatus.

Scripti hujus exaſciatiſſimi Recenſus Hiſtorico-Encomiaſtici prolixiores exhibentur in *Actis Eruditorum Lipſienſibus, M. Dec. 1684* (11) Abbatis Roquii *Ephemeridibus Eruditorum Anni 1685. Gallicis* (12) & Pet. Bælii *Novellis Reip. Literariæ* eodem An. 1685. Gallice publica-

(5) *M. Sept. A. 1682. p. 276. 277.* (6) in den unvorgreiflichen Gedancken von deutſchen Epigrammatis (quæ Lipſiæ A. 1698. prodierunt) *c. 2. p. 54.* (7) *lit. b. 5. b.* (8) *l. c. c. 2. p. 60. 61.* (9) *§. 8. p. 11. 12.* (10) *§. 6. p. 10.* (11) *p. 570-576.* (12) *num. 20. ad d. 25. Jun. p. 318.*

publicatis. (13) Hos conſulat Autores, qui plenioremArgumenti ejus deſiderat notitiam. Lipſienſes (14) hanc libro per ſe vendibili, hederam ſuſpendunt: *De Sermonis Romani, qui Conſulum, qui Patriciorum, qui Equitum erat, nitore, quam Urbanitatem dixere, docte graviterque diſſerere; ætatis Aureæ Scriptores ab iniquis obtrectantium Cenſuris, Livium præſertim, Hiſtoricorum Romanorum Principem, & ipſum Equitem, adverſus Aſinium Pollionem, Patavinitatis inſimulantem, acriter defendere, ſic ut in animo legentis ſuſpicio impolitæ dictionis ne minima relinquatur, illuſtris non minus eſt ingenii, quam artis exquiſitæ. Quod cum, in præſenti Scripto, egregie, uti propoſuerat, Clariſſimus Autor præſtiterit, non eſt dubium, quin de bonis ille Literis tanto præclarius mereatur, quanto majori illis ſolent eſſe detrimento, quorum prævum detrahendi ſtudium id agit, ut quacunque ratione Scriptores Claſſicos erudito Seculo ſuſpectos reddat, primamque adeo dicendi regulam corruptam.* Interjectis deinde compluribus, eundem *Opus* appellant *nitidum, ac profundioris doctrinæ plenum*, in quo multa inveniuntur, *quæ cum Antiquitati, Romanæ æque ac Græcæ, tum rerum Hiſpanicarum, Gallicarum & Italicarum notitiæ, plurimum accendunt lucis, judicium de Scriptoribus cujuscunque generis ac ætatis acuunt, diſcernere Linguarum Idiotismos docent, politioris que Literaturæ ſtudio excitando, augendo & ornando, apprime ſerviunt.* Abbatis Roquii (15) hoc de illo eſt Judicium: *On trouve icy des Recherches fort curieuſes ſur ce defaut de Tite Live, & ſur la veritable Urbanité du ſtile Latin.* Ægid. Menagius (uti in *Menagianis* Poſthumis, Amſtelodami A. 1694. editis, (16) refertur) ſequenti eundem dignatus eſt Elogio: *J'ai vu un Traité de Morhoffius, imprimé depuis peu, ſur la Patavinité de Tite Live, ou il explique tres ſcavamment ce que c'eſt que l'Urbanité & la Peregrinité de la Langue Latine. Cet Ouvrage eſt plein d'Erudition, & de mille choſes curieuſes, ſur cette matiere.* Petro Bælio (17) audit *Un Ouvrage Infinité des Recherches tres curieuſes*, Thomæ autem Crenio (18) *Liber non inelegans.* Aliorum Laudes prætereo, ſolumque adjungo Chriſtophori Cellarii, peritiſſimi atque acuratiſſimi Dictionis Latinæ Cenſoris, judicium de eodem honorificum: (19) *Voſſius, Boniſacius, Sigonius, & cumprimis Morhofius, Kilonienſis Academiæ inſigne Decus, certatim congeſſerunt, quæ ad tuendam tanti Scriptoris* ?Livii ſc.) *famam & ornamentum faciunt: noviſſimus etiam a moroſi Cenſoris, Aſinii Pollionis, iniquitate fortiſſime nuper defendit, & Patavini hominis Latinitatem vindicavit piriſſimam.*

LXXI. Sed nec tacenda nobis eſt, tacere quamvis Oratorem jubeat, *Diſputatio* elegantiſſima *de Eloquentia in Tacendo*, Kilonii eodem an. 1684. *in 4to* edita, & Hamburgi an. 1699. *in Volumine Diſſertationum Academicarum*, (*p.* 446-470) recuſa;

In qua (uti ſcite Lipſienſes (20) obſervarunt) *ea* commendatur *Oratoris Prudentia, qua id ſolum, quod in Oratione ἐνεργητικὸν eſt, exprimit, cetera vero, quæ vel circa Inventionem, vel circa Elocutionem, περίεργα ſunt, aut ſuperflua, ab Argumento, Perſonis, Loco, Tempore, Re, aliena, aut quovis modo inepta, omittit, aut indicta eſſe cupit.* Hujus, præter

(13) *M. Aſt. A. 1685. p. 444. 445. ac M. Jun. Art. III. p. 609-625.* (14) *l. c.* (15) *l. c.* (16) *p. 192.* (17) *l. c. p. 445.* (18) *in Notis ad Tractatus Variorum de Eruditione comparanda p. 294.* (19) *Programm. L. p. 357.* (20) *in Actis Erud. M. Jul. A. 1699. p. 290.*

ter Gottl. Frid. Seligmannum, Theologum Lipſienſem, (21) Vinc. etiam Placcius noſter honorificam fecit mentionem, & *Doctiſſimam* publice, nec immerito, vocavit. (22)

Recudi etiam Noſter, eodem an. 1684. Kilonii *in 4to*, cum ſua ad Pet. Axenium, JCtum & Advocatum Slesvicenſem, Virum Doctiſſimum, ſibique amiciſſimum, Præfatione curavit.

Joh. Laurembergii, Roſtochienſis, Mathematum in Academia Daniæ Sorana Profeſſoris, tum ob Eruditionem in reliquis Polymathiæ Elegantioris Partibus eximiam, tum Venam etiam Poëticam admirabilem, in Orbe Literato Celeberrimi, (23) *Satyram Elegantiſſimam, qua Rerum Bonarum Abuſus, & Vitia quædam Seculi, perſtringuntur, A. 1636.* ab ipſo editam, una cum ejusdem *Querimonia Daphnerini* (i. e.) Laurembergii) *de ſuo & Academiæ Soranæ ſtatu.*

Utrumque hoc Poëmation in Appendice etiam Adoptiva *Operum* Noſtri *Poëticorum*, Lubecæ an. 1697. junctim impreſſorum, locum poſtea invenit.

LXXII. Anno ſequenti 1685. in lucem ab eo itidem denuo ſunt protractæ:

Nicaſii Baxii, Monachi Auguſtiniani; Medullæ Eloquentiæ & Figuræ aliquot Rhetoricæ, ex M. T. Cicerone concinnatæ; Quibus ipſius præmiſſa eſt *Præfatio, qua de omni in Eloquentia excerpendi ratione agitur*, Kilonii 1685. *in 8vo.*

Quem Libellum quatuor octernionum exiguum uti in Juventutis ſe uſum recudi curaſſe, in Titulo profitetur, ita eidem etiam *L. 3. Polyhiſt. Lit. c. 7. §. 27. de nota meliore commendavit.*

LXXIII. An. 1686. Lubecæ *in 8vo* prodiit

Otiorum Divinorum, ſeu Carminum Sacrorum Liber, Programmata complectens Poëtica, ſeu Ἐμμετρα, Feſtis IV. Anni Solennioribus, publico nomine, in Academia Kilonienſi propoſita, integer poſtea ibidem an. 1697. in Operum Poëticorum omnium Syntagmate, *Libro I. Charitum p. 8-40. recuſus.* Quatuor Programmata priora, Feſto τῆς χρισογενίας dicata, Joach. Fellerus, Th. Lic. & Poëſeos in Acad. Lipſienſi Profeſſor, ſeorſim an. 1689 Lipſiæ, teſte Continuatore Vitæ Morhofianæ Anonymo, edidit, & Prælectionibus publicis illuſtravit.

LXXIV. A. 1687. quod in Polyhiſtore ſuo revidendo ac Editioni apparando longe eſſet occupatiſſimus, nihil præter Carmina & Programmata aliquot minutiora, juris fecit publici. Ex iſtis mentione haud indignum nobis videtur

Program-

(21) *in Idea Studioſi πολυμαθείας*, Roſtochii A. 1685. edita, *§. 15.* (22) *in Excerptis Binis Rhetoricarum Acceſſionum p. 175.* (23) v. de illo *Hypomnemata* noſtra *ad* Alb. Bartholini *Lib. de Scriptoribus Danis, p. 279-283.*

Programma de eo, quod in Diſciplinis eſt divinum, Feſto Pentecoſtes an. 1687. dicatum, quod non Hamburgi ſolum an. 1698. inter Programmata reliqua, *Orationum* ſubjuncta Syntagmati (*p. 551 - 571.*) denuo prodiit, ſed totum etiam ab ipſo Autore (integrum hujus argumenti Commentarium, uti, in Affectorum Recenſu, infra §. 87. monebitur, molito ac politico) *Polyhiſtoris Literarii Libro I.* paucis ſaltem mutatis, inſertum, *Caput* hujus XII. ſibi vindicavit.

De ipſo *Polyhiſtore* Polyhiſtoris noſtri, in *Tomos III.* diviſo, *Tomique* præſertim *Primi*, ſive *Literarii*, duobus Libris prioribus, *Bibliothecario* & *Methodico*, qui lucem an. ſequ. 1688. viderunt publicam, quæ hoc loco eſſent dicenda, cum prolixiorem exigant παρέκβασιν, προλεγομένων horum Epilogo commodius reſervabuntur.

LXXV. Anno 1690. Lubecæ in *8vo* ὁ Μαχαίρης edidit

Philochryſum, ſeu de Laudibus Auri Orationes duas, omnis generis Hominum, præcipue Eccleſiaſticorum, Vitia falſe traducentes; Alteram M. Ant. Majoragii, Rhetoris ſeculo Superiore Mediolanenſis Inclyti, in Orationum ipſius Syntagmate, ob παῤῥησίαν haud dubie adverſus Clericos, omiſſam, a Marquardo Gudio noſtrate, Viro ſummo inter Ἀνέκδοτα ejus, una cum altera *contra Gaudentium Merulam Apologetica*, Mediolani repertam, & Ultrajecti an. 1666. *in 4to* publicatam, nunc autem, in uſum Prælectionum Publicarum, cum Præfatione ſua, recuſam; Alteram propriam de eodem Argumento, Kal. Sept. an. 1699. Kilonii recitatam. Ambæ, eodem an. 1690. Kilonii (ſive Lipſiæ potius, quam Titulus quidem diſſimulat, ſed Typi produnt) *in 4to*, curante Frid. Bened. Carpzovio, Senatore ac Muſageta Lipſienſi (cui ab Autore erant inſcriptæ,) iterum prodierunt, & in Morhofianarum etiam Orationum Sylloge, Hamburgi an. 1698. impreſſa, *n. 9. & 10. pag. 249. - 366.* leguntur.

Utriusque Recenſum Vir Celeberr. Wilh. Ern. Tenzelius, *in Dialogis Menſtruis Vernaculis*, (24) prolixum ſatis exhibuit, Morhofianam autem (cujus adverſus Clericorum Avaritiam Invectivas & Dicteria Autor, ne Crabrones irritaret, Pontificios tantum Majoragii notare exemplo, in Præfatione finxit,) præter eundem, (25) Vitus Ludov. Seckendorfius, (26) Joach. Fellerus, (27) aliique, inſignibus ornarunt Elogiis.

LXXVI. Anno tandem Emortuali 1691. recudi Kilonii *in 8vo*, juxta Exemplar A. 1688. Antwerpienſe, cum Præfatione ſua, curavit.

Johannis Dekeni, Jeſuitæ, *Obſervationes Poëmaticas, Exemplis Illuſtratas*, quarum recenſum prolixiorem, laudes illis ſuas large admetientem, ſed nonnulla tamen etiam in iisdem deſiderantem, *Libro* jam *Polyhiſtoris Literarii Tertio Cap. X.* (28) exhibuerat.

Præter

(24) *M. Apr. A. 1691. p. 307 - 326.* (25) *l. c. §. 43.* (26) *in Comm. de Lutheraniſmo, Lib. III. Sect. 21. §. 84.* (27) *in Epigrammate peculiari Editioni Lipſienſi ſubjuncto*, e quo §. 40. nonnulla attulimus. (28) *p. 73. 74.*

Præter iſtas, & Rob. Boylii, Joh. Laurembergii, Nicaſii Baxii ac M. Ant. Majoragii, Opuſcula, §. 61. 71. 72. & 75. jam laudata, Franciſci item Quarleſii *Enchiridion Morale*, Anglice ſcriptum, cujus novam Kilonii, incertum quo Anno, in gratiam Auditorum, ſe in Lingua iſta utentium Magiſtro, Editionem (*in 12mo.*) publicavit, Periochasque deinceps haud paucas argutiores, Metris a ſe redditas Germanicis, *Poëmatum Vernaculorum* An. 1682. inſeruit Syntagmati, & Joh. Walliſii *Grammaticam Anglicanam*, eodem fine, niſi memoria mihi imponit, denuo vulgatam, nihil Scriptorum Alienorum atque Adoptivorum ipſius cura in lucem revocatum eſt publicam. Accenſeri tamen Adoptivis iſtis forſan etiam meretur Edmundi Richerii, Theologi Sorbonæ Pariſienſis Inclyti ac πολυμαθεσάτε, *Obſtetrix Animorum*, Morhofii hortatu, & ex ipſius Bibliotheca, per Adamum Rechenbergium, Literarum tunc Elegantiorum, nunc autem Sacrarum, in Acad. Lipſienſi Interpretem, Lipſiæ A. 1693. *in 12mo*, verum mortuo jam Ergodiocta, luci iterum expoſita.

LXXVII. Recenſum hactenus exhibuimus Hiſtoricum Scriptorum Polyhiſtoris Noſtri, quæ ſuperſtes ille edidit, omnium, in quo tamen minutiora pleraque, Carmina ſcil. & Programmata ſigillatim excuſa (quorum nonnulla, Roſtochienſia imprimis, in Syntagmate iſtorum deſiderantur,) Epiſtolas quasdam (qualis eſt illa, quam, ad Olaum Rudbeckium d. 23. Jun. An. 1681. de ipſius exaratam Atlantica, in Elogiorum Operis hujus Sylloge, Upſaliæ ſine Anni mentione in fol. publicata reperies,) aliaque iſtius generis Schediaſmata, brevitatis ſtudio omiſſa eſſe, haud diffitemur. E quorum numero uti Programmata & Carmina, Latina pariter atque Germanica, junctim jam ſunt recuſa, ita, ut Epiſtolæ etiam τῦ Μακαρίτε, omnes ferme, ſi paucas excipias, Ineditæ, ab Hæredibus primo quoque tempore colligantur, & cum Adoptivis ad Noſtrum, Joh. Frid. Gronovii, Joh. Schefferi, J. Georg. Grävii, Nic. Heinſii, Henr. Oldenburgii, Joh. Andr. Boſii Frid. Rappolti, Ott. Menkenii, aliorumque Hominum Doctiſſimorum, per illos, Interprete Vitæ Parentis Continuatore, (29) jam promiſſis, &, præter unicam Grävianam, duasque Oldenburgianas, itidem etiamnum ἀνεκδότοις, lucem propediem videant publicam, ſerio optamus. Gräviana, quam dixi, Hamburgo d. 22. Jul. A. 1678. ſcripta, in Biographiæ Noſtri propriæ Continuatione legitur ἀδεσπότω, (30) duæ autem Henr. Oldenburgii, Societatis Regiæ Anglicanæ Secretarii, Londini A. 1672. & 1673. exaratæ, in *Epiſtolarum* Viri Illuſtris, Marqu. Gudii, a Petro Burmanno Ultrajecti A. 1697. editarum, Adoptiva jam prodierunt Appendice. (31)

LXXVIII. Inter Monumenta ingenii Morhofiani Poſthuma, quorum enumerationem, ordine Scriptionis ſic exigente, jam aggredimur, primum ſibi locum vindicat:

Polyhiſtoris Literarii Liber Tertius, ſive παρασκευαστικὸς, *de Excerpendi ratione,*

(29) *in Appendice Voluminis Diſſertationum Academicarum p. 42.* (30) *in eadem Append. Diſſertt. Acad. p. 43. 44.* (31) *num. 39. & 40. p. 73. 74.*

Lubecæ, Anno ab Autoris Obitu proximo 1692. *in 4to*, excuſus, cujus mentio prolixior, in totius Operis Polyhiſtorici Hiſtoria, paulo poſt recurret. Hunc Anno ſequenti 1693. excepit:

Commentatio de Diſciplina Argutiarum, ſine Loci mentione *in 12mo* edita. Conſtat ea Tribus Sectionibus, & *Lectiones* Noſtri *de Arguta Dictione Academicas*, quas ille publice quidem, in *Commentario de Lingua & Poëſi Germanica* Vernaculo, (32) Literatis jam erat pollicitus, ſed facie haud dubie, ſi vixiſſet, longe cultiori, ac limam expertas accuratam, dediſſet, in lucem, inſciis Hæredibus, incertum a quo, protruſas, multisque Sphalmatis Graphicis & Typographicis (uti in *Homonymoſcopia* jam noſtra (33) eſt monitum) fœdatas, exhibet. Recenſum ejus ſiſtunt Lipſienſes, *in Actis Eruditorum, M. Sept. A.* 1693. (34) inque iſto, (35) *Opuſculum hoc, ut ſolent, quæ Morboſum agnoſcunt Parentem, eruditione plane ſingulari, egregiisque Animadverſionibus, maxime Oratoriis, eſſe refertum*, pronunciant. Thomas Crenius (36) *Commentationem* vocat *Doctiſſimam*, M. M. autem, Scriptor κρυπτώνυμος, de Epigrammatis commentatus Germanicis, (37) *Libellum brevem quidem, ſed luculentum* (Eine zwar kurtze, doch wol ausgearbeitete Schrifft.)

LXXIX. Eodem A. 1693. Lipſiæ in 12. prodiit:

Collegium Epiſtolicum, ab Autore, cum in vivis eſſet Studiis tantum privatis Auditorum ſuorum deſtinatum, jam vero, ob ſummum variumque uſum, publica luce donatum. Acceſſit *Epiſtola ejusdem* (de qua §. 49. jam dictum) *in Plagiarium quendam ſuum Invectiva.*

Primam hanc editionem, furtim factam, cujus menda fœdiſſima & admodum numeroſa, præter me, (38) Celeberr. Tenzelius, complura illorum enumerans & corrigens, (39) & Vitæ Morhofii Continuator, (40) obelo notarunt, excepit altera Lubecenſis, a Joh. Burch. Majo, Succeſſore Autoris, Anno ſequ. 1694. curata, Præfatione nova ac Indicibus inſtructa, & auctior pariter atque emendatior, *in 8vo*, ſub novo hoc evulgata Titulo:

Libellus de ratione conſcribendarum Epiſtolarum, a mendis Editionis Lipſienſis innumeris a J. B. Majo repurgatus. Acceſſerunt nova quædam exempla.

Recenſum Libelli, ex Editione priori, invenies *in Actis Eruditorum Lipſienſibus, M. Apr. A. 1693.* (41) & Tenzelii *Dialogis Menſtruis Vernaculis*, M. Auguſto Anni ejusdem, (42) Qui, ob nervoſam Præceptorum brevitatem, & Exemplorum Obſervationumque egregiarum copiam, magni illum, a Chriſtiano etiam Weiſio de nota meliore, antequam ederetur, commendatum, (43) merito æſtimat.

LXXX.

(32) *P. III. c. 5. p. 541. & c. 17. p. 757.* (33) *Sect. I. c. 1. §. 7. p. 16.* (34) *p. 399-402.* (35) *p. 400.* (36) *P. I. Animadverſ. c. 7. §. 4. p. 122.* (37) in den unvorgreifflichen Gedancken von deutſchen Epigrammatis, quæ Lipſiæ A. 1698. prodierunt. *c. 3. p. 97-98.* (38) *in Homonymoſ. l. c.* (39) *in Dialogis Menſtruis Germanicis, M. Aug. A. 1693. pag. 650-653.* (40) *in Append. Diſſertt. Acad. p. 27.* (41) *p. 164. 165.* (42) *p. 650-653.* (43) *in Oratore Politico, Germanice edito, p. 22.*

LXXX. A. 1694. publice comparuerunt:

D. G. Morhofii CVIII. Quæſtiones Chymicæ, ex variis Autoribus Chymicis collectæ, cum Reſponſionibus & Solutionibus (Ænigmata Chymicorum magis plerumque intricantibus, quam explicantibus) Joh. Ludov. Hannemanni, Prof. Phyſici Kilonienſis, *Ovo* hujus *Hermetico-Paracelſico*, quod vocat, ſive *de Auro Tractatui*, Francofurti A. 1694. *in 8vo* excuſo, inſertæ (44).

Quæ nusquam a Noſtro promiſſæ, nec in Scriptorum Affectorum Indicibus memoratæ, ſi vel maxime Parentem eum agnoſcant in privatos tamen ſolum uſus, ſubitaneo conſilio, uti Cordati Lectores facile perſpicient, absque juſta cura, in chartam ſunt conjectæ, nunquam vero publicæ luci deſtinatæ, nec proinde in eam ab Editore temere fuerunt protrudendæ. Ἐκτρώματα certe potius iſtæ ſunt, quam fætus juſtæ maturitatis γνήσιος, ac nova proinde earum, ſe ita locupletandarum, ut tres abſolvant Centurias, juſtoque præterea illuſtrandarum Commentario, quam, *p. 283.* pollicetur, Editione Exegetes modo dictus, absque ulla Orbis Eruditi indignatione ſuperſedere poterit.

LXXXI. Triennio poſt lucem publicam, uni incluſa Syntagmati, junctim denuo viderunt, quæ antea, vel ſingulatim excuſa, vel, in Faſciculos minores congeſta, diverſis ipſemet evulgarat temporibus:

Opera Poëtica Latina omnia, in unum collata, ad Autoris mentem diſpoſita, & ab Hæredibus, cum Caſp. Dan. Morhofii, Filii, Elegia ad Fridericum, Ducem Holſatiæ, Dedicatoria, Henricique Muhlii, Supremi Eccleſiarum Cimbriæ Ducalium Antiſtitis, Præfatione de Poëſi ac Poëtis Latinis, edita, Lubecæ 1697. in 8vo.

Editio hæc Carminum Latinorum omnium Poſtſuma (qualem ipſe etiam Autor, adhuc ſuperſtes, Anno jam 1683. in *Programmate ad Lectiones Acroamaticas Invitatorio*, eſt pollicitus) exhibet:

1. *Charitum Libros III.* (quorum *Primus Otia Divina*, §. 73. memorata, *Secundus* Carmina Gratulatoria ad Leopoldum Imperatorem, Carolum II. & Wilhelmum III, Reges Angliæ, Frid. Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum, Chriſt. Albertum, Ducem Holſatiæ, Guſtavum Adolphum, Principem Megapolitanum, Ferd. Fürſtenbergium, Epiſc. Monaſterienſem, Chriſtianum, Comitem a Ranzou, Henriettamque Catharinam Gersdorfiam, Heroinam Gentis Friſiæ doctiſſimam, *Tertius* autem Poëmatia ejusdem generis ad Joh. Adolphum Kielmannum, Aulæ Gottorpienſis Præſidem, aliosque Viros Nobiles, Doctos & Indoctos, complectitur,) *p. 1-252.*
2. *Veneres Antiquas, p. 253-336.*
3. *Veneres Novas, p. 337-438.*

(44) *p. 251-284.* (45) *p. 261-264.*

4. *Manium, ſeu Epicediorum Libros III.* (quorum Primus, ſub *Funerum* titulo An. 1667. jam prodierat, reliqui duo ex Epicediis, ſingulatim antea publicatis, nunc demum ſunt congeſti,) *p. 439-580.*
5. *Primitias Parnaſſi Kilonienſis, p. 581-620.*
6. *Autoſchediaſmata Poëtica, p. 261-652.*
7. *Horas Subſecivas Poëticas, p. 653-688.*
8. *Miſcellanea Poëtica, & Epigrammata Selecta, p. 689-826.*
9. *Epigrammatum Libros II, p. 827-856.*
10. *Jocorum Librum* (quo *Leſſus in Ciconiam Adrianum, Querela Halecis,* & *Carmen de Ente Rationis,* continentur,) *p. 857-900.*
11. *Prætermiſſa, p. 901-931.*
12. *Adoptiva quædam,* partim honori Autoris ſacra, partim ab eo edita (&, hæc inter Joh. Laurembergii *Satyram & Querimoniam Daphnorini,* A. 1685. ſeorſim publicatas,) *p. 931-967.*

Prolixioris Syntagmatis hujus (cujus Faſciculorum plerorumque Editiones, hanc antegreſſæ, §. 49. 50. 53. 55. 57. 58. 59. 60. 67. 71. & 73. a nobis ſunt enumeratæ,) Præfationisque ſimul Muhlianæ, Recenſus ſiſtunt Lipſienſes *in Actis Eruditorum, M. Jun. A. 1697. (46)* & Pet. Rabus *in Bibliotheca Europæ Belgica* (den Boeck-zaal van Europa) M. Sept. & Oct. An. 1699. *(47)* Ceterum, quanta Venam Morhofii Poëticam, & Carmina imprimis hæc Latina, admiratione proſecuti ſint Eruditiſſimi Temporum noſtrorum, & in Poëſi etiam Exercitatiſſimi Scriptores, Lipſienſium, Godofr. Guilh. Leibnitii, Æg. Menagii, Ol. Borrichii, Henr. Meibomii, Aug. Varenii, Joſuæ Arndii, Frid. Rappolti, Er. Mauritii, Chr. Kortholti, Ott. Sperlingii, Laur. Normanni, Georg. Caſp. Kirchmayeri, Joach. Felleri, Joh. Nicol. Hertii, Pauli Sperlingii, Ad. Tribbechovii, Henr. Muhlii, aliorumque præterea complurium, judicia de illa pariter atque hiſce perquam honorifica, imo pene invidenda, quæ, in elogiorum Autoris ipſius recenſu, §. 28-46. longa cumulavimus ſerie, abunde, imo ἀναντιῤῥήτως, evincunt. Pauca jam iſtis, quæ denuo huc transſcribere non vacat, addemus, quibus ipſam hanc Poëmatum Latinorum omnium Collectionem Viri Eruditi commendarunt. Henr. Muhlius, in *Præfatione* illius, Carmina Morhofiana omnium quidem præſtantiſſimis accenſeri non poſſe, cum ab Erroribus ſuis ac nævis non ſint immunia, agnoſcit, imo nonnulla e Syntagmate hoc merito eliminari debuiſſe judicat, pleraque tamen, ob Verborum Curam, Numerorum ſollicitudinem, Sententiarum Acumen, Argutiarum Lumina ac Gemmas, laborem ſtudiumque incredibile iis impenſum, & accuratam imprimis Veterum Imitationem, prolixe deprædicat. Sed, quid vetat Verba ejus nonnulla αὐτολέξει adjicere, a Celeb. etiam Tenzelio repetita? *Licet,* ait, *fortaſſe in id, quod optavit, faſtigium non aſcenderit, licet tanta elegantia &* [illegible]*tas, vel ſobrietas quoque & facilitas, in hiſce ejus Carminibus ubique non adſit, uberem* [illegible] *quandam a natura venam, & divinum quoddam ingenium, & bonorum lectionem Scriptorum,*

[illegible] *530-536.* (47) *p. 252-259.*

Scriptorum, usque quaque perſpicietis. - - - Licet nonnulla ei exciderint, a quibus mallem abſtinuiſſet, Carminibus tamen ſuis ſemper aliquid argutum, quod Lectorem alliciat, aut eruditum, & quod διδασκαλίαν habet, aut morale, aut Politicum, interſerit. Et ad inveniendа venuſta Argumenta ingenium nusquam deeſt, nec ad ordinanda Judicium. Sed nec Eloquentiæ facultas abeſt, nec Sermonis puritas & ſuavitas. Vis & elegantia in clauſula fere arguta & aculeata, quam Noſter ſummopere captabat, nec leporem detrectabat ac Sales, aut alios ingenii luſus, ſed doctos, ſed urbanos, & qui ab Antiquiorum elegantiis non recedunt. Lipſienſes (48) Muhlianum hoc Judicium ſuo approbarunt calculo, Carmina Morhofii *cultiſſima, & Argumenti, Metri atque Inventionis varietate cum paucis comparanda*, vocarunt, *Jocorumque* imprimis *Librum* Poëmata *eruditis acutiſſimisque Salibus reſperſa* complecti judicarunt. Tenzelius denique (49) optime eadem cenſet eſſe elaborata, & ingenioſas præſertim Epigrammatum Inventiones admiratur, in quibus *eum, Conſt. Hugenium & Pet. Francium, ſed alium aliter, excellere*, Mich. etiam Filizius, Luſatus, haud ita pridem pronunciavit. (50)

LXXXII. Poëmatum Syntagma, anno mox ſequenti 1698. excepit haud diſſimilis eorum ingenii Morhofiani Monumentorum, quæ Solutæ etiam Eloquentiæ palmam Autori ſuo vindicant, Collectio.

Orationes ſcilicet & *Programmata, in Celeberrima Holſatorum Academia Kilonienſi publice propoſita, utraque nunc cura Filiorum collecta & publicata, cum Indicibus neceſſariis.* Hamburgi 1698. *in 8vo.*

Decem in Syntagmate hoc exhibentur Orationes (quas inter Quinta, Sexta, Septima & Octava, in iſto demum prodierunt, reliquæ autem jam ante ſingulatim, uti ſuis dictum eſt locis, erant editæ:)

1. Or. in Academiæ Kilonienſis Inauguratione, d. 6. Oct. an. 1665. habita, *p. 1-33.*
2. Or. de Cauſis, ob quas multi ad minus ſolidam aliquam ſapientiam perveniant, d. 22. Jan. an. 1666. in primæ Magiſtrorum Promotionis Actu recitata, *p. 33-61.*
3. Panegyricus in nuptias Chriſtiani Alberti, Ducis Holſatiæ, M. Dec. an. 1667. dictus, *p. 61-106.*
4. Or. de Intemperantia in Studiis, & Eruditorum, qui ex ea oriuntur, Morbis, in aditu Rectoratus Academici, M. Apr. an. 1669. habita, *p. 106-143.*
5. Or. de Viro Bono, ad mentem Philoſophorum Gentilium, in promotione Magiſtrorum, M. Oct. an. 1669. habita, *p. 144-164.*
6. Or. de Otio Sapientibus dando, in Rectoratus aditu, M. Apr. an. 1677. dicta, *p. 164-188.*
7. Or. de Literarum in Republica Utilitate, in aditu tertii Rectoratus, d. 5. Oct. an. 1684. habita, *p. 188-213.*

8. Or.

(48) *l. c. p. 264-* (49) *l. c. p. 535.* (50) *Corollario V. Specimini Analectorum ad Ol. Borrichii Diſſertationes de Poëtis.*

8. Or. de Fructibus in Holsatiam, Urbemque Kilonium, ex Academia redundantibus, in aditu quarti Rectoratus, M. Apr. an. 1690. habita, *213-249.*

9. Or. de Auro, Kal. Sept. an. 1690. recitata, *p. 249-304.*

10. M. Ant. Majoragii *Philochrysus, seu Or. de Auro, a Nostro edita, pag. 304-366.*

Orationibus Programmatum (quorum, publico Academiæ nomine, scribendorum cura, anno demum 1674. mandato Ducali, Nostro est commissa, quibusque paucula forte aliena a se inscîis esse immista, Filii in Præfatione fatentur) integra subjungitur Centuria, Octo sistens Festo χρισογονίας consecrata, Undecim Paschalia, totidem Pentecostalia totidem quoque de Angelis Michaëlitica, XXXI. Exequialia, & XXIX. alia variorum Argumentorum Academica, publico partim, partim privato nomine, evulgata, pleraque erudita pariter atque elegantissima, ac ab Autore jam ipso (teste Matth. Henr. Burchardo (*51*) Editioni, quod luce ei digna viderentur, destinata. Σκιαγραφίαν totius hujus Sylloges, *in Actis* quoque *Eruditorum*, M. Jul. an. 1698. (*52*) sistunt Lipsienses, qui Programmata *multa elegantique* censent esse *eruditione referta*, de Orationibus autem hoc ferunt Judicium: *Orationibus, cum in Genere Demonstrativo, vel Loco Communi, versentur nec tam ad persuadendum, quam ad delectandum, sint compositæ, exquisitorem Autor adhibuit cultum, genusque dicendi sectatus est argutius, auribusque horum temporum accommodatum, in quo Poëticum nonnunquam decorem relucere voluit, ex interiorum Literarium Myrothecio petita quædam subinde aspergens ornamenta, quibus doctas aures teneret caperetque.*

LXXXIII. Post edita Poëmatum, Orationumque & Programmatum, quæ modo recensuimus, Syntagmata, pari instituto, reliqua etiam Nostri Scripta Latina, præter *Polybistorem*, Libellosque *de Disciplina Argutiarum, scribendis Epistolis & Dilatatione Oratoria*, Posthumos, omnia, quæ superstes ipse diversis seorsim publicaverat temporibus, in Volumen redacta unicum, junctim anno 1699. sub hoc prodierunt Titulo:

Dissertationes Academicæ & Epistolicæ, quibus rariora quædam Argumenta erudite tractantur, in unum omnes Volumen collatæ, & Consensu Filiorum editæ. Accessit Autoris Vita, quæ tum Lectiones ejus Academicas, tum Scripta Edita & Edenda, Elogia item ac Judicia Clarorum Virorum, exhibet. Additi quoque sunt, præter Joh. Burch. Maji Præfationem, Indices accurati & locupletissimi. Hamburgi, an. 1699. *in 4to.*

Continentur hoc Volumine (quale Celeberr. Tenzelius, (*53*) anno jam 1692. (*53*) ob Dissertationum Morhofianarum. *elegantissimis*, uti vere judicat, *Observationibus scatentium*, raritatem, congeri optavit) Scripta Nostri sequentia, seorsim ante excusa, suisque jam locis fusius supra recensita ac celebrata:

1. Diatriba Juridica de Morbis, & eorum Remediis, *p. 2-50.*

2. Disp.

(*51*) *in Or. Fun. ei habita p. 11. pag. 604.* (*52*) *p. 329. 330. 331.* (*53*) *in Dial. Menstr. Germ. M. Jul. A. 1692.*

2. Diſp. Jurid. Inaug. de Jure Silentii, *p. 51-70.*
3. Diſſ. de Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico *p. 71-82.*
4. Theologiæ Gentilis Politicæ Differt. Prima de Divinitate Principum, cui nunc demum e MSto adjecta eſt Secunda de Titulis Principum Divinis, hactenus ἀνέκδοτος, ſed ſub finem mutila, *p. 82-117.*
5. Prosphonema in Summos honores Theologicos Chriſt. Kortholti *p. 117-126.*
6. Diſſ. de Principe Medico, *p. 127-160.*
7. Deſcriptio Actorum primæ Promotionis Academicæ Kilonienſis, *p. 161-234.*
8. Diſp. de Sole Igneo, *p. 235-244.*
9. *Epiſtola de Metallorum Transmutatione, p. 245-302.*
10. Diſp. de Paradoxis Senſuum, *p. 303-328.*
11. Stentor Ταλοκλάϛης, ſeu Tr. de Scypho Vitreo, per certum Vocis Humanæ Sonum rupto, *p. 329-445.*

Undecim hæc, jam ante edita, & annorum, quibus primam viderant lucem, ordine diſpoſita, Tria ſequuntur Meletemata, hactenus ἀνέκδοτα:

1. *Diſſ. de Quinta Eſſentia, Catholico Morborum Remedio*, adverſus morbos quosvis, cum omnes a Spirituum prava diſpoſitione proficiſcantur, non niſi Spiritualia Remedia, ſive Quintas Eſſentias, adhiberi debere, oſtendens, quam Dethlevus Cruſius, J. U. C. Autoris in Civitate Hamburgenſi Amicus, privatim ab hoc olim ſibi communicatam, ut ederetur, Bibliopolæ tradidit. (*595-605.*)
2. *Epiſtola*, qua juvenem, in Academia viventem, hortatus eſt ad Diſputationem de Latinitate Digeſtorum, de qua ipſi, eam culpanti, cum Profeſſoribus lis erat Juridicis, abrumpendam (*p. 606-611.*
3. *Diſſertationis de Meritis Germanorum in Literas* (cujus paulo poſt, inter Affecta, prolixior fiet mentio) Fragmentum, & ſolum ferme Exordium, inter ſchedas Studioſi cujusdam, qui ex ore dictantis publice id exceperat, repertum (*pag. 612-616.*

Accedit tandem Appendix, Vitam Morhofii, ab ipſomet inchoatam, & ad an. 1671. pertextam, (*p. 1-48.*) Elogia Morhofii, & Scriptorum ejus nonnulla, a Caſp. Thurmanno collecta, (*p. 49-60*) & Carminum tandem Adoptivorum, in Honorem Noſtri ſcriptorum, Syllogen copioſam, (*p. 61-143.*) exhibens. De quibus Voluminis hujus Acceſſionibus cum ſupra §. 4. & 27. fuſius jam ſit dictum, *h. l.* ulterius quicquam addi non videtur neceſſarium. Conſuli cetera de Diſſertationibus hiſce Morhofianis etiam merentur Lipſienſes (quibus *Exquiſitiſſimæ* audiunt & *admodum ſolerter elaboratæ,*) *in Actis Eruditorum, M. Jul. A. 1699.* (*54*) prolixiorem, & Lubecenſes, *in Novis Septentrionis & Maris Balthici Literariis, M. Jun. Anni ejusdem,* (*55*) breviorem illarum ſiſtentes Recenſum.

LXXXIV. Ultimum inter omnia Polyhiſtoris Noſtri Monumenta Literaria,

(*54*) *p. 289-293.* (*55*) *p. 184.*

8. Or. de Fructibus in Holsatiam, Urbemque Kilonium, ex Academia redundantibus, in aditu quarti Rectoratus, M. Apr. an. 1690. habita, *213-249.*

9. Or. de Auro, Kal. Sept. an. 1690. recitata, *p. 249-304.*

10. M. Ant. Majoragii *Philochrysus, seu Or. de Auro, a Nostro edita, pag. 304-366.*

Orationibus Programmatum (quorum, publico Academiæ nomine, scribendorum cura, anno demum 1674. mandato Ducali, Nostro est commissa, quibusque paucula forte aliena a se insciis esse immista, Filii in Præfatione fatentur) integra subjungitur Centuria, Octo sistens Festo χρισογονίας consecrata, Undecim Paschalia, totidem Pentecostalia totidem quoque de Angelis Michaëlitica, XXXI. Exequialia, & XXIX. alia variorum Argumentorum Academica, publico partim, partim privato nomine, evulgata, pleraque erudita pariter atque elegantissima, ac ab Autore jam ipso (teste Matth. Henr. Burchardo (*51*) Editioni, quod luce ei digna viderentur, destinata. Σκιαγραφίαν totius hujus Sylloges, *in Actis* quoque *Eruditorum*, M. Jul. an. 1698. (*52*) sistunt Lipsienses, qui Programmata *multa elegantique* censent esse *eruditione referta*, de Orationibus autem hoc ferunt Judicium: *Orationibus, cum in Genere Demonstrativo, vel Loco Communi, versentur nec tam ad persuadendum, quam ad delectandum, sint compositæ, exquisitorem Autor adhibuit cultum, genusque dicendi sectatus est argutius, auribusque horum temporum accommodatum, in quo Poeticum nonnunquam decorem relucere voluit, ex interiorum Literarum Myrothecio petita quædam subinde aspergens ornamenta, quibus doctas aures teneret caperetque.*

LXXXIII. Post edita Poëmatum, Orationumque & Programmatum, quæ modo recensuimus, Syntagmata, pari instituto, reliqua etiam Nostri Scripta Latina, præter *Polyhistorem*, Libellosque *de Disciplina Argutiarum, scribendis Epistolis & Dilatatione Oratoria*, Posthumos, omnia, quæ superstes ipse diversis seorsim publicaverat temporibus, in Volumen redacta unicum, junctim anno 1699. sub hoc prodierunt Titulo:

Dissertationes Academicæ & Epistolicæ, quibus variora quædam Argumenta erudite tractantur, in unum omnes Volumen collatæ, & Consensu Filiorum editæ. Accessit Autoris Vita, quæ tum Lectiones ejus Academicas, tum Scripta Edita & Edenda, Elogia item ac Judicia Clarorum Virorum, exhibet. Additi quoque sunt, præter Joh. Burch. Maji Præfationem, Indices accurati & locupletissimi. Hamburgi, an. 1699. *in 4to.*

Continentur hoc Volumine (quale Celeberr. Tenzelius, (*53*) anno jam 1692. (*53*) ob Dissertationum Morhofianarum. *elegantissimis*, uti vere judicat, *Observationibus scatentium*, raritatem, congeri optavit) Scripta Nostri sequentia, seorsim ante excusa, suisque jam locis fusius supra recensita ac celebrata:

1. Diatriba Juridica de Morbis, & eorum Remediis, *p. 2-50.*

2. Disp.

(*51*) *in Or. Fun. ei habita p. 11. pag. 604.* (*52*) *p. 329. 330. 331.* (*53*) *in Dial. Mensir. Germ. M. Jul. A. 1692.*

2. Diſp. Jurid. Inaug. de Jure Silentii, *p. 51-70.*
3. Diſſ. de Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico *p. 71-82.*
4. Theologiæ Gentilis Politicæ Differt. Prima de Divinitate Principum, cui nunc demum e MSto adjecta eſt Secunda de Titulis Principum Divinis, hactenus ἀνέκδοτος, ſed ſub finem mutila, *p. 82-117.*
5. Prosphonema in Summos honores Theologicos Chriſt. Kortholti *p. 117-126.*
6. Diſſ. de Principe Medico, *p. 127-160.*
7. Deſcriptio Actorum primæ Promotionis Academicæ Kilonienſis, *p. 161-234.*
8. Diſp. de Sole Igneo, *p. 235-244.*
9. *Epiſtola de Metallorum Transmutatione, p. 245-302.*
10. Diſp. de Paradoxis Senſuum, *p. 303-328.*
11. Stentor Ὑαλουλάϛης, ſeu Tr. de Scypho Vitreo, per certum Vocis Humanæ Sonum rupto, *p. 329-445.*

Undecim hæc, jam ante edita, & annorum, quibus primam viderant lucem, ordine diſpoſita, Tria ſequuntur Meletemata, hactenus ἀνέκδοτα:

1. *Diſſ. de Quinta Eſſentia, Catholico Morborum Remedio*, adverſus morbos quosvis, cum omnes a Spirituum prava diſpoſitione proficiſcantur, non niſi Spiritualia Remedia, ſive Quintas Eſſentias, adhiberi debere, oſtendens, quam Dethlevus Cruſius, J. U. C. Autoris in Civitate Hamburgenſi Amicus, privatim ab hoc olim ſibi communicatam, ut ederetur, Bibliopolæ tradidit. (*595-605.*)
2. *Epiſtola*, qua juvenem, in Academia viventem, hortatus eſt ad Diſputationem de Latinitate Digeſtorum, de qua ipſi, eam culpanti, cum Profeſſoribus lis erat Juridicis, abrumpendam (*p. 606-611.*
3. *Diſſertationis de Meritis Germanorum in Literas* (cujus paulo poſt, inter Affecta, prolixior fiet mentio) Fragmentum, & ſolum ferme Exordium, inter ſchedas Studioſi cujusdam, qui ex ore dictantis publice id exceperat, repertum (*pag. 612-616.*

Accedit tandem Appendix, Vitam Morhofii, ab ipſomet inchoatam, & ad an. 1671. pertextam, (*p. 1-48.*) Elogia Morhofii, & Scriptorum ejus nonnulla, a Caſp. Thurmanno collecta, (*p. 49-60*) & Carminum tandem Adoptivorum, in Honorem Noſtri ſcriptorum, Syllogen copioſam, (*p. 61-143.*) exhibens. De quibus Voluminis hujus Acceſſionibus cum ſupra §. 4. & 27. fuſius jam ſit dictum, *h. l.* ulterius quicquam addi non videtur neceſſarium. Conſuli cetera de Diſſertationibus hiſce Morhofianis etiam merentur Lipſienſes (quibus *Exquiſitiſſimæ* audiunt & *admodum ſolerter elaboratæ,*) *in Actis Eruditorum, M. Jul. A. 1699.* (*54*) prolixiorem, & Lubecenſes, *in Novis Septentrionis & Maris Balthici Literariis, M. Jun. Anni ejusdem*, (*55*) breviorem illarum ſiſtentes Recenſum.

LXXXIV. Ultimum inter omnia Polyhiſtoris Noſtri Monumenta Literaria,

h

(*54*) *p. 289-293.* (*55*) *p. 184.*

8. Or. de Fructibus in Holsatiam, Urbemque Kilonium, ex Academia redundantibus, in aditu quarti Rectoratus, M. Apr. an. 1690. habita, *213-249.*

9. Or. de Auro, Kal. Sept. an. 1690. recitata, *p. 249-304.*

10. M. Ant. Majoragii *Philochrysus, seu Or. de Auro, a Nostro edita, pag. 304-366.*

Orationibus Programmatum (quorum, publico Academiæ nomine, scribendorum cura, anno demum 1674. mandato Ducali, Nostro est commissa, quibusque paucula forte aliena a se insciis esse immista, Filii in Præfatione fatentur) integra subjungitur Centuria, Octo sistens Festo χρισογονίας consecrata, Undecim Paschalia, totidem Pentecostalia totidem quoque de Angelis Michaëlitica, XXXI. Exequialia, & XXIX. alia variorum Argumentorum Academica, publico partim, partim privato nomine, evulgata, pleraque erudita pariter atque elegantissima, ac ab Autore jam ipso (teste Matth. Henr. Burchardo (*51*) Editioni, quod luce ei digna viderentur, destinata. Σκιαγραφίαν totius hujus Sylloges, *in Actis* quoque *Eruditorum*, M. Jul. an. 1698. (*52*) sistunt Lipsienses, qui Programmata *multa elegantique* censent esse *eruditione referta*, de Orationibus autem hoc ferunt Judicium: *Orationibus, cum in Genere Demonstrativo, vel Loco Communi, versentur nec tam ad persuadendum, quam ad delectandum, sint compositæ, exquisitorem Autor adhibuit cultum, genusque dicendi sectatus est argutius, auribusque horum temporum accommodatum, in quo Poëticum nonnunquam decorem relucere voluit, ex interiorum Literarum Myrothecio petita quædam subinde aspergens ornamenta, quibus doctas aures teneret caperetque.*

LXXXIII. Post edita Poëmatum, Orationumque & Programmatum, quæ modo recensuimus, Syntagmata, pari instituto, reliqua etiam Nostri Scripta Latina, præter *Polyhistorem*, Libellosque *de Disciplina Argutiarum, scribendis Epistolis & Dilatatione Oratoria*, Posthumos, omnia, quæ superstes ipse diversis seorsim publicaverat temporibus, in Volumen redacta unicum, junctim anno 1699. sub hoc prodierunt Titulo:

Dissertationes Academicæ & Epistolicæ, quibus rariora quædam Argumenta erudite tractantur, in unum omnes Volumen collatæ, & Consensu Filiorum editæ. Accessit Autoris Vita, quæ tum Lectiones ejus Academicas, tum Scripta Edita & Edenda, Elogia item ac Judicia Clarorum Virorum, exhibet. Additi quoque sunt, præter Joh. Burch. Maji Præfationem, Indices accurati & locupletissimi. Hamburgi, an. 1699. *in 4to.*

Continentur hoc Volumine (quale Celeberr. Tenzelius, (*53*) anno jam 1692. (*53*) ob Dissertationum Morhofianarum. *elegantissimis*, uti vere judicat, *Observationibus scatentium*, raritatem, congeri optavit) Scripta Nostri sequentia, seorsim ante excusa, suisque jam locis fusius supra recensita ac celebrata:

1. Diatriba Juridica de Morbis, & eorum Remediis, *p. 2-50.*

2. Disp.

(*51*) *in Or. Fun. ei habita p. 11. pag. 604.* (*52*) *p. 329. 330. 331.* (*53*) *in Dial. Menstr. Germ. M. Jul. A. 1692.*

2. Diſp. Jurid. Inaug. de Jure Silentii, *p. 61-70.*
3. Diſſ. de Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico *p. 71-82.*
4. Theologiæ Gentilis Politicæ Differt. Prima de Divinitate Principum, cui nunc demum e MSto adjecta eſt Secunda de Titulis Principum Divinis, hactenus ἀνέκδοτος, ſed ſub finem mutila, *p. 82-117.*
5. Prolophonema in Summos honores Theologicos Chriſt. Kortholti *p. 117-126.*
6. Diſſ. de Principe Medico, *p. 127-160.*
7. Deſcriptio Actorum primæ Promotionis Academicæ Kilonienſis, *p. 161-234.*
8. Diſp. de Sole Igneo, *p. 235-244.*
9. *Epiſtola de Metallorum Transmutatione, p. 245-302.*
10. Diſp. de Paradoxis Senſuum, *p. 303-328.*
11. Stentor Χαλκοκλάστης, ſeu Tr. de Scypho Vitreo, per certum Vocis Humanæ Sonum rupto, *p. 329-445.*

Undecim hæc, jam ante edita, & annorum, quibus primam viderant lucem, ordine diſpoſita, Tria ſequuntur Meletemata, hactenus ἀνέκδοτα:

1. *Diſſ. de Quinta Eſſentia, Catholico Morborum Remedio*, adverſus morbos quosvis, cum omnes a Spirituum prava diſpoſitione proficiſcantur, non niſi Spiritualia Remedia, ſive Quintas Eſſentias, adhiberi debere, oſtendens, quam Dethlevus Cruſius, J. U. C. Autoris in Civitate Hamburgenſi Amicus, privatim ab hoc olim ſibi communicatam, ut ederetur, Bibliopolæ tradidit. (*595-605.*)
2. *Epiſtola*, qua juvenem, in Academia viventem, hortatus eſt ad Diſputationem de Latinitate Digeſtorum, de qua ipſi, eam culpanti, cum Profeſſoribus lis erat Juridicis, abrumpendam (*p. 606-611.*
3. *Diſſertationis de Meritis Germanorum in Literas* (cujus paulo poſt, inter Affecta, prolixior fiet mentio) Fragmentum, & ſolum ferme Exordium, inter ſchedas Studioſi cujusdam, qui ex ore dictantis publice id exceperat, repertum (*pag. 612-616.*

Accedit tandem Appendix, Vitam Morhofii, ab ipſomet inchoatam, & ad an. 1671. pertextam, (*p. 1-48.*) Elogia Morhofii, & Scriptorum ejus nonnulla, a Caſp. Thurmanno collecta, (*p. 49-60*) & Carminum tandem Adoptivorum, in Honorem Noſtri ſcriptorum, Syllogen copioſam, (*p. 61-143.*) exhibens. De quibus Voluminis hujus Acceſſionibus cum ſupra §. 4. & 27. fuſius jam ſit dictum, *b. l.* ulterius quicquam addi non videtur neceſſarium. Conſuli cetera de Diſſertationibus hiſce Morhofianis etiam merentur Lipſienſes (quibus *Exquiſitiſſimæ* audiunt & *admodum ſolerter elaboratæ,*) *in Actis Eruditorum, M. Jul. A. 1699.* (*54*) prolixiorem, & Lubecenſes, *in Novis Septentrionis & Maris Balthici Literariis, M. Jun. Anni ejusdem*, (*55*) breviorem illarum ſiſtentes Recenſum.

LXXXIV. Ultimum inter omnia Polyhiſtoris Noſtri Monumenta Literaria,

(*54*) *p. 289-293.* (*55*) *p. 184.*

ria, hactenus & ab illo superstite, & a defuncti Hæredibus, Juris facta publici, occupant, quæ, superiore demum an. 1701. Lubecæ *in 8vo* prodierunt,

Deliciæ Oratoriæ Intimioris, sive Liber de Dilatatione & Amplificatione Oratoria;

Opusculum è Lectionibus de hoc Argumento Academicis, an. 1683. & 1691. habitis, enatum, & in tres Partes divisum, cujus Σκιαγραφίαν accuratiorem Laudesque, in *Actis Eruditorum Lipsiensibus, M. Aug. A. 1701. (56) Novis Septentrionis & Maris Balthici Literariis Lubecensibus, M. Apr. A. 1701. (57)* & Cl. Eccardi *Excerptis Librorum Recentiorum*, quæ Hannoveræ prodeunt, *Menstruis Germanicis, M. Majo* Anni ejusdem, invenies. *(58)*

LXXXV. Enumeratis hactenus satis fuse Scriptis Morhofianis, quæ lucem jam aspexere, publiceque leguntur, omnibus, ad Ἀνέκδοτα atque Affecta nobis est pergendum. Horum Catalogum prolixum, quo LXXI. hujus generis recensentur Meletemata, ex aliquot Indicibus Autoris ipsius αὐτογραφοις congestum, Vitæ ejus Continuator Anonymus, in *Voluminis Dissertationum Academicarum Appendice*, exhibuit. *(59)* Verum tumultuarius ille est, nulloque, vel Argumentorum, vel Annorum ac temporum, ordine collectus, haud pauca, passim a τῷ Μακαρίτη, tam in Lucubrationibus Editis, quam Prælectionibus Academicis ἀνεκδότοις, promissa, omittit, nec quænam illorum, vel Editioni sint matura, vel imperfecta aut inchoata, vel Calamo saltem, nunquam iis admoto, destinata, verbulo ullo significat. Id quod Continuatorem illum, qui, teste Joh. Burch. Maji *Præfatione*, *Bibliothecæ Morhofianæ Forulos ac Schedas fere omnes diligenter excussit*, facere omnino decuisset, præsertim cum Literæ ad Celeb. Tenzelium Muhlianæ, *(60) multa supereſſe, quorum prima saltem lineamenta Autor duxerit, plura, quæ inter chartas confusa turbataque reperiuntur, nos celaverint.* His Catalogi istius defectibus ut pro Virili medeamur, alium Monumentorum Nostri Ineditorum atque Affectorum Indicem Tripartitum substituemus, Classe prima Ἀνέκδοτα, quæ adhuc supersunt, vel si periere, ab Autore tamen sunt elucubrata, Secunda autem, quæ ab eodem in Scriptis quidem suis, Catalogisque Nundinalibus publicis, sunt promissa, sed vel plane derelicta deinceps, vel saltem inchoata, enumeraturum, & Asterisci Notam singulis, quorum nulla apud Vitæ Continuatorem occurrit mentio, præfixurum, Tertiaque tandem Classe, quæ e solo illius nobis innotuere Catalogo, prioribus subjuncturum. Potiorum Titulis aliæ subinde etiam Observationes Miscellæ adjicientur, quas Lectoribus non ingratas fore speramus.

LXXXVI. Ad Classem ergo Primam τῶν Ἀνεκδότων, quæ etiamnum supersunt, vel si forte periere, ab Autore, uti certo constant, elucubrata fuerunt, limam tamen pleraque accuratiorem desiderant, referantur:

1. *Polyhistoris* Tomi Primi, sive *Literarii*, Libri IV. Posteriores (Quartus scilicet, Quin-

(56) *p. 371-377.* (57) *p. 126-127.* (58) *p. 51-60.* (59) *p. 38. 41.* (60) v. Fragmentum earum, in Tenzelii *Dial. Meistr. Germ. M, Jul. A. 1692. p. 603.*

Quintus, Sextus atque Septimus,) Editioni jam parati, Tomi item duo reliqui, Secundus & Tertius, sive *Philosophicus & Practicus*, e *Prælectionibus de Notitia Autorum* atque *Polyhistoricis* congerendi atque excerpendi, congruoque ordine digerendi, subinde etiam Notis ac Emendationibus illustrandi. Plura de iis, in totius Operis Historia accuratiori, paulo post dicentur.

*2. *Prælectiones Polyhistoricæ*, An 1672. habitæ, & XVII. Capitibus (quorum Indicem infra, §. 90. in *Polyhistoris*, ex iis congesti, sistemus Recensu) comprehensæ, haud diversæ, ni fallor, a *Lectionibus de Re Bibliothecaria Publicis*, quarum A. 1683. in *Programmate ad Acroamaticas Invitatorio*, & mentionem ipsemet fecit, & Editionem promisit.

3. *Prælectiones de Notitia Autorum*, e *Polyhistoricis*, alio dispositis ordine, passimque auctis ac interpolatis, enatæ, bisque, ab A. 1680. ad 1683. Auditoribus propositæ. Historiam illarum, & Capitum, quibus constant, XXVII. Indicem (ab Anonymo etiam Vitæ Morhofianæ Continuatore, (61) & Christ. Thomasio (62) publice jam exhibitum,) §. 90. in mox secuturo *Polyhistoris* offendes Recensu.

*4. Ἰσαγώγικα *Jurisprudentiæ Romanæ*, A. 1675. privatim Auditoribus proposita, quæ Editioni parata esse, A. 1683. *in Programmate ad Lectiones Acroamaticas Invitatorio*, significavit.

*5. *Mnemonica Juris*, Voces exhibens Mnemonicas, singulis Institutionum & Decretalium Titulis accommodatas, quarum ope isti, earumque numeri, memoriæ possunt imprimi. De Artificio ejus Vid. *Lib. 2. Polyhist. Lit. c. 6. §. 55. 56.*

6. *Comm. de Jure & Privilegiis Morbosorum*, e Disp. hujus Argumenti Academica, paulatim aucta, enatus, de quo §. 48. fusius jam est dictum.

7. *Tr. de Jure Silentii*, de quo consulenda sunt, quæ in Historia Disputationis Nostri de eodem Argumento Inauguralis, hujus Prodromi, §. 51. monuimus.

8. *Historia Naturalis, prout hodie fœcunda tot Observationum messe est ditata*, in Collegio Bipartito privatim A. 1675. & 1676. proposita, sive *Polyhistor* (quo Titulo in Continuatoris Vitæ Morhofianæ gaudet Catalogo) *Physicus, Veterum & Recentiorum Sectarum Placita proponens & conferens, & Vetera Novaque Inventa, per omnes Corporum Naturalium Species, recensens.* Pars Prima Physicam generatim considerat, diversasque Hypotheses Physicas Philosophorum, tum Veterum (Hebræorum sc. Mosis & Μωσαϊζόντων, Ægyptiorum, Chinensium, Pythagoræorum, Democriteorum, Epicureorum, Platonicorum, Stoicorum, Peripateticorum, Jonicorum, Scepticorum,) tum Recentiorum (Bernh. Telesii, Franc. Patricii, Hier. Cardani, Thomæ Campanellæ, Rob. Fluddii, Thomæ Hobbesii, Theophrasti Paracelsi & Chymicorum, Ren. Cartesii & Assectarum ejus, aliorumque Novatorum,) una cum Sectarum singularum Historia, & subjuncta. Veteres Moder-

(61) *in Append. Dissertt. Acad. Morhofii p. 32. 33. 34.* (62) *in Cogitatis Mensilibus de Libris variis generis Jocoseriis. Mens. Aug. an. 1688. p. 275-279.*

dernosque conciliandi Methodo, proponit. Posterior, de singulis Physicæ Specialis Capitibus, Philosophorum Veteris atque nostri ævi Sententias diversas, potissimum autem Recentiorum Experimenta & Observationes, exponit, Methodoque Eclectica, nec Autoritati Veterum, nec Affectui in Modernos, obnoxia, solerter & judiciose examinat. Prolixum singulorum Capitum utriusque Partis Indicem Continuator Vitæ Morhofianæ Anonymus (62) exhibuit, Editionem vero Autor ipse A. quidem 1683. *Programmate ad Lect. Acroam. Invitatorio*, promisit, sed dein, mente mutata, nucleum ejus *Polyhistori* inserere maluit *Philosophico*. Verum, nec hoc effectum ipsi dare, per mortem immaturam, licuit. Nos luce illam publica, accurate tamen prius revisam atque emendatam, dignissimam esse, cum Erasmo Franciſci, (63) censemus, a quo Elogium Eines trefflichen und Lichtwürdigen Werckes, so verhoffentlich noch in Druck kommen wird (h. e. *Operis egregii, & Editionem, cujus nec spes desit, meriti,*) reportavit.

*9. *Collegium Historicum.*

*10. *Introductio ad Historiam*, sive Lectiones Academicæ de Scriptoribus, quorum ad Prudentiam Civilem Usus est, Historicis, A. 1673. 1677. & 1683. Auditoribus propositæ.

*11. Lectiones in Taciti Annales, & Vitam Agricolæ, A. 1674. & 1675. publice habitæ, e quibus nonnulla ad Editionem a se selectum iri, *in Programm. ad Lect. Acroam. Invitatorio*, A. 1683. promisit.

*12. *Genealogiæ Familiæ Broktorfiorum Equestris Holsaticæ*, Piscium etiam Volantium (qualem hujus ostentant Insignia) Historiam persequens, quam a Nostro, postulatu Caji Laurentii, Comitis a Brocktorf, Anno circiter 1687. esse conscriptam, & ἀνέκδοτον ab hoc asservari, e Joh. Lud. Hannemanni Literis, *in Addit. ad Partem II. Isagoges in Hist. Cimbr. p. 215.* est indicatum.

*13. *Lectiones Methodico-Practicæ de legendis, imitandis & excerpendis Linguæ Latinæ Autoribus*, A. 1675. publice, & A. 1685. privatim, habitæ.

14. *Tr. de Pura Dictione*, Lectionibus Publicis A. 1688. 1689. & 1690. propositus, ab Autore A. 1684. (*in Lib. de Patavinitate Liviana,*) & ab Hæredibus decennio post (*in Catal. Nund. Vern. Lipſ. A. 1694. p. 13*) Orbi Literato promissus, cujus Editionis desiderium Lipsienses, *in Actis Erud.* (64) dudum sunt professi.

15. *Characterographia, seu Commentatio de Stylo, ejusque Exercitiis*, in *Catal. Nund. Autumn. A. 1668. Lipſ. p. 26. & Programmate ad Lect. Acroam. Invitatorio*, A. 1683. publicato, promissa.

16. *Prælectiones de Differentia Styli Poëtici & Oratorii*, A. 1670. & 1682. habitæ.

17. *Periodologia, sive Tr. de Periodo Oratoria & Poëtica*, quem publicis A. 1685. & 1687.

(63) *in Append. Dissert. Acad p. 34-37.* (64) in den gebrochenen Spott- und Läster-Pfeilen M. Joh. Matthæi, *p. 430.* (65) *M. Dec. A. 1684. p. 575*

1687. Lectionibus propoſuit, cujusque Editionem Hæredes, in *Catalogis Nundinalibus, Vernali A. 1694. p. 13. & Autumnali A. 1696. p. 40.* expectari a ſe *juſſerunt.*

18. *Prælectiones Publicæ Oratoriæ*, A. 1669. habitæ.

*19. *Collegium Oratorium Theoretico-Practicum.*

20. *Manuductio ad Eloquentiam Civilem, ſive Orator, & Præceptis, & Exemplis perpetuis lectiſſimisque adornatus*, cujus ſpem fecit A. 1683. *Progr. Invit. ad Lect. Acroamaticas.*

*21. *Nova Rhetoricæ Elementa, in Tyronum & Adultiorum gratiam concinnata, in quibus ductu Ariſtotelis & Chriſtoph. Schraderi, de præcipua Rhetoricæ Parte, in reliquis Compendiis hactenus omiſſa, Enthymematum ſc. Inventione, diligentius agitur, ac Figuræ, ceteraque ad Ornatum Orationis ſpectantia, in concinniorem rediguntur Ordinem.* Promiſſa ſunt A. 1683. ſub finem *Programmatis* modo laudati, & A. 1684. publicis propoſita Lectionibus.

22. *Collegium Oratorium Sacrum, de Methodo Themata arguta, e Sacro Textu eruendi*, Exemplis ſingularum Periocharum Evangelicarum, Diebus Dominicis ac Feſtis Propriarum, illuſtratum, cujus ſpem A. 1683. in eodem fecit *Programmate.* Haud diverſæ ab hoc ſunt, uti credo, quas Vitæ Continuator in ſuo memorat Catalogo, *Sacræ in Dies Dominicos Meditationes, Diſſertatione de Eloquentia Eccleſiaſtica ſtipatæ.*

*23. *Logica Oratoria*, A. 1677. privatis propoſita Auditoribus.

24. *Pathologia Oratoria*, XVI. Capitibus comprehenſa, & A. 1667. Auditoribus dictata Publicis, cujus Editionem A. 1683. *in Progr. ad Lect. Acroam. Invitatorio*, promiſit.

*25. *Collegium Poëticum Theoretico - Practicum*, Roſtochii A. 1662. & dein Kilonii etiam aliquoties, habitum, hujus *συναγωγαφίαν* ſiſtit Autoris *Programma 83.* (Roſtochii A. 1661. publicatum,) *p. 930, 935.* Editionem optant Lipſienſes *in Actis Erud. M. Dec. A. 1684. p. 575.*

26. *Hermathen Poëtica, ſeu Lib. de Inventionibus poëticis*, Lectionibus Academicis A. 1667. propoſitus, & *Parte III. Commentarii de Lingua & Poëſi Germanica, c. 13. p. 650.* ac *in Progr. Invit. ad Lect. Acroam.* promiſſus.

27. *Lexicon Latinitatis Poëticæ magni in ſcribendo Carmine uſus*, Auditoribus A. 1670. dictatum. Specimen ejus, ſive Idea de Translatis *Libri III. Polyhiſtoris Literarii, c. II. p. 74-111.* legitur.

*28. *Oratio de Genio & Spiritu Poëtico*, qua, d. 17. Oct. A. 1660. Profeſſionem Poëticam Roſtochii eſt auſpicatus, ab ipſomet *in Diſſ. de Enthuſiaſmo Poëtico* allegata (*66*).

*29. *Manuductio ad Excerpendum*, Auditoribus propoſita privatis, cujus editionem

(*66*) *V. Volumen Diſſert. Acad. p. 81.* & Conf. Alb. Willebrandi JCti Roſtoch. Programma ad Orillam Invitatorium *in Append. ejusd. Voluminis p. 74.*

A. 1683. *in Progr. Invit. ad Lect. Acroam.* promiſit, Nucleumque poſtea *Libro Polyhiſtoris Literarii Tertio* inſeruit.

Hæc ſunt, quæ abſoluta ab Autore eſſe, & inedita adhuc latere, vel certo mihi conſtat, vel probabili ſuſpicor conjectura. Monendum tamen denuo, pleraque Lectionibus Academicis abſolvi extemporaneis, limam accuratiorem & manum ultimam Autoris ſui non expertis, nec proinde omnia promiſcue luce publica eſſe digna.

LXXXVII. Claſſi Secundæ affectorum, ab Autore, in Scriptis ſuis, Catalogisque publicis, promiſſorum quidem, ſed deinceps, vel plane derelictorum, vel ad finem haud perductorum, a nobis vindicantur:

1. *Tr. de eo, quod Divinum eſt in Diſciplinis*, in *Progr. Invit. ad Lect. Acroam.* A. 1683. promiſſus. Primas illius Lineas *Programma* exhibet ejusdem Argumenti Pentecoſtale, A. 1687. publicatum, & A. 1689. *Libro I. Polyhiſtoris Literarii, c. 12.* An. 1698. autem in *Programmatum* Sylloge, recuſum, de quo §. 74. jam nonnulla diximus.

*2. *Comm. de Infelice Eruditionis hoc noſtro tempore ſtatu*, quem meditatus eſſe a Joh. Ludov. Hannemanno, *in Præf. Ovi Hermetico-Paracelſici*, (67) perhibetur.

3. *Tractatus de Germanorum in Rem Literariam Meritis*, ſupercilioſo Exterorum opponendus contemptui, quem non ſolum *Parte II. Commentarii de Lingua & Poëſi Germanica, c. 2. p. 248. in Programm. ad Lect. Acroam. Invitatorio, Lib. I. Polyhiſt. Lit. c. 13. §. 53. c. 16. §. 56. ac c. 18. §. 50.* publice eſt pollicitus, ſed Lectionibus etiam Academicis A. 1686. cœpit proponere, & *Polyhiſtori* ſuo, uti Schema illius, eodem A. 1686. publicatum, oſtendit, Appendicis inſtar voluit adjungere. Sed pertexere illi telam inchoatam, Opusque tot Eruditorum Votis expetitum (cujus ſolum ſupereſt Exordium, inter ſchedas Studioſi, qui e dictantis ore in Auditorio exceperat publico, repertum, & *in Diſſertationum Academicarum Volumine (68)* A. 1699. excuſum) feliciter abſolvere, non licuit. Teſtem allego Henr. Muhlium, Succeſſorem, qui, in Epiſtola ad Wilh. Ern. Tenzelium, A. 1692. d. 30. Martii, ita de illo ſcripſit: (69) *De Meritis Germanorum ſpes votumque plane decollabit. Non enim niſi paucula, quæ Conſilium Inſtitutumque hujus Argumenti aperiunt raptim, & ſine cura, in chartam conjecit.* Argumentum ejus idem Muhlius, in *Poëmate Manibus* Noſtri *Sacro*, hiſce Elegis eleganter exponit:

Invideat nobis Batavus, ſint Gallus & Anglus,
Nomina Teutonicis non ſatis æqua Viris:
Hic Noſtris adſtat meritis, parat ille Theatrum,
Quo proſtent titulis conſpicienda ſuis.
Civibus ille ſtudet doctis, ne fama laboret,
Et patriæ Laudis gloria priſca cadat.

Quanta

(67) *lit. B. 2. a.* (68) *p. 612-616.* Conf. de illo §. 83. (69) V. Tenzelii *Dial. Menſtr. Germ. M. Jul. A. 1692. p. 603.*

Quanta ejus fuerit inter Eruditos exſpectatio, Celeb. Tenzelius, (70) Theod. Janſonius, (71) Bernh. Pet. Karlius, (72) vel ſoli, ut alios taceam, docebunt. Jacturam ejusdem Lipſienſes (quibus *Opus* audit *Utiliſſimum*, *totique Genti Teutonicæ maxime gloriosum*,) (73) Henr. Muhlius, (74) Caſp. Thurmannus, (75) Georg. Henr. Götzius, (76) Joh. Burch. Majus, (77) aliique, ſerio deplorant.

4. *Diſſ. de Chriſtianiſmo Veteri, quid ille e Philoſophorum Gentilium docendi modi, Moribus & Dogmatibus, traxerit*, in *Catalogo Lectionum Kilonienſium Academicarum Semeſtri A. 1673.* promiſſa.
5. *Opus plenum & accuratum de ortu & progreſſu Theologiæ Enthuſiaſticæ*; quod *A. 1662. Diſſ. I. Theologiæ Gentilis Politicæ p. 45.* a ſe juſſit expectari.
* 6. *Comm. de Principiis Naturæ Incognitis*, de quo ita Ipſimet, *in Stentore Ταλαιπλάστῃ p. 44.* ſcripſit: *Fatendum ſane eſt, in Cauſarum inveſtigatione plus ſæpe ſubeſſe difficultatis, etiam in minimis, quam credant Lynceï illi minutiarum Speculatores. Quæ me cauſa aliquando impellebat, ut de Principiis Naturæ incognitis Commentarium meditarer, per omnia Naturalis Scientiæ Capita demonſtraturus, ſine Principii alicujus incogniti ſubſidio extricari nos his difficultatibus non poſſe, ac nullam, hunc usque in diem, Sectam ſatis validos his nodis cuneos admovere.*
7. *Epiſtola de Transmutatione Metallorum* Editio nova, longeque auctior, quam molitum eum eſſe, præter Vitæ Continuatorem, teſtis eſt J. Lud. Hannemannus, *in Ovo Hermetico-Paracelſico p. 133.* In cujus Libri *Appendice, p. 12.* edi etiam optat *Chronicon Chemiæ Adeptæ, quod quidam Colonellus ſtudio & opera Magni Morhofii concinnavit & collegit.* Confer, quæ §. 66. de hac Epiſtola jam diximus.
8. *Diſſertationis de Principe Medico*, Roſtochii an. 1665. publicatæ (de qua §. 56. conſulenda,) Editio nova auctior, *P. II. Hiſt. Nat. MS. c. 8.* promiſſa.
9. *Diſſertationis de Paradoxis Senſuum*, an. 1676. Kilonii evulgatæ, editio nova longe auctior, ſive Liber hujus Argumenti integer, *in Stentore Ταλαιπλάστῃ p. 142.* promiſſus, uti §. 67. jam eſt monitum.
10. *Commentatio πολυιστωρ de Ungue, in Catal. Nund. Vern. A. 1664. Lipſ. p. 37.* promiſſa, ſed nunquam (licet factum illud eſſe Georg. Matth. Königius *in Biblioth. Veteri & Nova*, falſo tradat) edita.
11. *Idea Viri Boni, ad Theologiam ſeu Philoſophiam Veterem Gentilem adumbrata*, quam *in Catal. Nund. Vern. A. 1664. Lipſ. p. 37.* promiſit. Nucleum ejus fiſtit *Oratio V. de Viro Bono, ad mentem Philoſophorum Gentilium*, an. 1669. habita, de qua §. 82. conſulenda.
12. *Commentatio de Heroibus*, promiſſa *Diſſ. I. Theol. Politicæ p. 24.*
* 13. *Homiletica Erudita*, Præcepta Converſationis Eruditæ exhibitura, quam ſe ſcribere

(70) *l. c. M. Sept. A. 1691. p. 757. 758. 801. & M Mart. 1691. p. 270.* (71) *in Biblioth. Promiſſa & Latente p. 37.* (72) *in Diſſ. de Germania Literis Artibusque nulli regioni ſecunda.* Roſtochii A. 1698. edita, *p. 2. 6. 7. 58.* (73) *in Actis Erud. M. Jul. A. 1699. p 291.* (74) *in Poëm. cit. p. 7.* (75) *in Biblioth. Acad. p. 61.* (76) *in Diſſ. de Principe Hebraice docto p. 4.* (77) *in Præfat. Diſſert. Academicarum Morhofii.*

bere aliquando voluiſſe, ſed. dein conſilium iſtud abjeciſſe, *Libri I. Polyhiſtoris Literarii Cap. XV.* (quod totum in Sciagraphia Laboris hujus iſtenda occupatur) ſignificavit. Jacturam Operis iſtius Morhoſiani Chriſt. Dav. Funccius, Görlicenſis (Autorem *Eruditorum, dum viveret, facilis Principem* ſalutans,) prolixe, *in Vindiciis Seculi Noſtri*, Francof. an. 1696. editis, *p. 331. 332.* deplorat.

14. *Polyhiſtor Civilis*, de ſingulis Diſciplinis, quatenus ex Viro Civili addiſcendæ, promiſſus *in Catal. Numd. Lipſ. A. 1664. Vernal. p. 37.*

*15. *Polyſpragmon Civilis*, quem in eodem *Catalogo p. 37.* eſt pollicitus, & Georg. Matth. Königius, *in Biblioth. Vet. & Nova*, perperam Scriptis Noſtri Editis accenſuit.

*16. *Theologia Gentilis Politica*, de cultu Principum Idololatrico & genuino, cujus duæ priores tantum lucem viderunt Diſſertationes, §. 53. memoratæ, plena autem Tractatio, in *Catalogo* eodem, *p. 37.* eſt promiſſa.

17. *Diſſ. de Fato Politico*, quam *Diſſ. I. Theol. Gent. Polit. p. 19.* a ſe juſſit expectari.

18. *Myſterium Septentrionis, ſeu Diſſ. Theologica, Phyſica & Politica de Terra Septentrionali*, promiſſa non ſolum *in Catal. cit. A. 1664. p. 37.* ſed etiam *P. II. Hiſt. Nat. MS. c. 21.* Cauſam derelicti Laboris iſtius, in *Ep. ad Ol. Rudbeckium de ejus Atlantica, §. 77.* jam laudata, hiſce verbis expoſuit: *Ego, jam in juventute mea, non abſimilis argumenti colligere quædam cœpi, Librum aliquando concinnaturus, cujus iſte Titulus:* ***Myſterium Septentrionis.*** *Sed jacuit per bene multos Annos Labor iſte. Ego vero nunc in ſinu gaudeo, confirmari in multis meas iſtas ſuſpiciones tuis, pene dixeram, demonſtrationibus. Multa enim domi habes Argumenta, quæ lucem his Cogitatis adferre poſſint, Exteris incognita. Omnia itaque mea abjicio: omnino enim, poſt Roſcium hunc, ſaltare ſtultum foret atque temerarium.* Conſer de Labore hoc affecto Wilh. Ern. Tenzelium *in Dial. Menſtr. Germ. M. Febr. A. 1690. p. 174.* & Henr. Muhlium *in Poëmate Manibus Morhoſianis Sacro p. 6.* honorifica illum dignatos mentione.

*19. *Liber de Cimbrorum Coloniis in Italiam, ante Urbem Conditam, miſſis*, de quo ita ipſe *Orat. VIII. p. 221. 222. Neque ſane, quo præ Cimbris multum glorientur, habent Romani, quos ego noſtris, & nobilitate gentis, & antiquitate, minores judico, ſi non omnino falſa ſunt, quæ de noſtrorum Hominum in Italiam Coloniis, jam ante ipſam Urbem Conditam eo miſſis, non obſcura hariolatione obſervavi. Tanta eſt, & Populorum, & Urbium, & Fluminum & Nominum, cum Cimbricæ Gentis Nominibus affinitas, ut hæc mihi attentius contemplanti ſæpe admirationem excuſſerit, nemo vero, caſu ac forte fortuna contigiſſe, perſvaſurus ſit. Quas meas, Conjecturas etſi forte quidam ſupercilioſi Cenſores contemſerint, ego tamen aliquo numero habendas, minimeque contemnendas eſſe, exiſtimo; cum, non tenui aut jejuna aliqua Diſſertatiuncula, ſed vel integro Libro, ejus rei veritatem me aſſerturum confidam.*

*20. *Hiſtoria Holſatica*, quæ Literis mandare, a Joh. Adolpho Kielmanno, Seniore, Miniſtro Ducis Holſatici Primario (Hiſtorici etiam Ducalis pollicito dignitatem,) aliisque Aulicis Gottorpienſibus, perſuaſus, aliquando decreverat. Verum, cum Σκιαγραφίαν ejus jam concinnaſſet, mentem mutavit, Monitis adductus Friderici, Comitis ab Alefeld, Proregis tunc Cimbrici, Summique poſtea Aulæ Danicæ

Danicæ Cancellarii, quam periculoſæ plenum opus aleæ, Diſſidia Regum Danicorum & Ducum Holſaticorum perpetua traditurus, aggrederetur, quantamque Danorum, ſi Principis ſui cauſam tuendam ſuſciperet, adverſus ſe concitaturus eſſet indignationem, prudenter inculcantis. Confer, quæ hanc in rem a nobis jam ſunt dicta *P. I. Iſagoges ad Hiſt. Cimb. c. 7. §. 15. p. 135.*

21. *Syntagma Antiquarium de Pileo*, a Matth. Henr. Burchardo etiam, *in Or. Fun. Morhofio habita, p. 15.* memoratum.

22. *Commentatio de Enthuſiaſmo Poëtico plenior & prolixior*, de qua ſupra §. 52. in Diſſertatiunculæ ejusdem Argumenti brevioris Recenſu, abunde jam eſt dictum.

23. *Philoſophia Alphabetaria*, in qua de Literarum natura, & varia apud varias gentes pronunciatione, agere conſtituerat. Vid. *Lib. 2. Polyhiſt. Literarii, c. 3. §. 31.* Theod. Janſonii *Biblioth. Promiſſam & Latentem, p. 37. & Catal. Numd. Vern. A. 1664. Lipſ. p. 37.*

24. *Diſſ. de Characteribus Linguarum*, ſub finem *Diſſertationis de Enthuſiaſmo* (*in Volum. Diſſertt. Acad. p. 81.*) promiſſa.

* 25. *Tr. de Particularum Linguæ Latinæ Uſu & Senſu inveſtigando*, cujus ſpem fecit *L. 3. Polyhiſt. Lit. c. 2. §. 18.* ubi Argumentum hoc minime, prout debebat, eſſe excultum, quæritur.

* 26. *Diſſ. de Linguarum Græcæ & Latinæ Novitate*, qua Germanicam illis eſſe antiquiorem, imo utriusque matrem, oſtendere voluit. Vid. *P. I. Commentarii de Lingua & Poëſi Germanica, c. 1. p. 4.* De hac ita Sam. Rachelius *in Introd. in Jus Publ. p. 95. Quod ſi Morhofius noſter, eximium Academiæ Holſaticæ Decus, de Græcæ & Latinæ Linguarum novitate, & Originibus Germanicis, ſcribendi conſilium perſecutus fuiſſet, reconditæ Eruditionis Opus ab illo expectandum fuiſſet: Nunc, cum Amico hanc operam ſe commendaſſe nunciet, eumque procul dubio ope & conſilio adjuvet, vel ſic etiam bene merebitur.*

27. *Origines Germanicæ*, Opus ejusdem cum Diſſertatione præcedenti Argumenti plenius, ad cujus elaborationem materiam ſe copioſam jam conquiſiviſſe, ſed vereri, ut vita ſua illi ſufficiat, in *Præfatione Commentarii de Lingua & Poëſi Germanica Vernaculi* (cujus Pars Prima Lineamenta ejusdem ſiſtit atque Specimen,) an. 1682. ſignificavit. Editionem illarum, præter Sam. Rachelium (cujus Judicium de iis honorificum modo recitavimus,) Joh. Ludov. Praſchius (ſuam Noſtri ſuffragio confirmans ſententiam) *in Diſſ. altera de Origine Linguæ Latinæ Germanica*, Ratisbonæ an. 1689. edita, M. Chriſt. Griibelius, *in Diſſ. de Lingua Germanica Veteri & Moderna, c. 1. p. 13.* Ludolphus Neocorus *in Biblioth. Librorum Novorum, M. Aug. & Sept. A. 1697. p. 323.* aliique, cupide efflagitarunt. Imo & ante iſtos Ad. Tribbechovius, Autoris Collega, *Exerc. II. Anti-Baroniana, Sect. V. p. 60.* ita ſcribens: *Quod ſi Viri Clariſſimi, D. G. Morhofi, Collegæ ac Amici noſtri conjunctiſſimi, Philologemata Teutonica, quæ parat, lucem aliquando aſpexerint, de cognatione Linguarum Occidentalium nemo amplius dubitabit.*

28. *Diſſ. de Mannis Germanorum*, promiſſa *Parte I. Comm. de Lingua & Poëſi Germanica, c. 7 p. 131.*

*29. *Ars Poëtica Germanorum*, peculiari Opere Latino tradenda, quam, in *Commentarii* ejusdem *de Lingua & Poëſi Germanica* Vernaculi (*Parte Tertia* hujus Prægustum exhibentis) *Præfatione*, a ſe juſſit expectari.

LXXXVIII. E ſolo tandem Continuatoris Vitæ Morhofianæ ἀνωνύμου Indice Scriptorum τῦ Μακαρίτου Affectorum, ut ad Claſſem horum Tertiam pergamus, nobis innotuerunt:

1. Bibliotheca, ſeu de Libris Autorum Elogia politica.
2. Ariſtarchus Librarius, ſeu Tr. de Titulis Librorum.
3. Tr. de Arcanis Dominationis in Rę Literaria.
4. Tr. de Imagine Dei ex Gentilium Doctrina.
5. Henr. Mori Tr. de Immortalitate Animæ, e Lingua Anglica Latine verſus, cum Diſſ. Præliminari.
6. Kenelmi Digbæi Obſervationes in Thomæ Brownii *Religionem Medici*, e Lingua Anglica Latine verſæ, Notisque illuſtratæ.
7. Tr. de Religione Politici.
8. Proluſiones Juridicæ de Studio Juris, ejusque Principiis.
9. Tr. de Soloeciſmis Juridicis.
10. De Conſenſu Gentium.
11. De Phyſiognomiæ Uſu in Jurisprudentia.
12. De Pœna Furti, ex Jure Naturæ & Gentium.
13. De Arreſto Cadaverum.
14. De Falſationibus Relationum & Celatione Mortis.
15. Exercitationes Phyſicæ.
16. De Faſcino Oculorum.
17. De Arte Oblivionis.
18. De Rerum omnium Circulatione.
19. Theſaurus Politicus Univerſalis.
20. Juſti Lipſii Politica, cum Annotationibus Herculis Catti, e L. Ital. Latine verſis.
21. De Magia Politica.
22. De Triumpho ante Victoriam.
23. Diſſ. de Veſtitu Civili.
24. Diſſ. de Novo Anno (diverſa ab illa, quam ſub nomine Joh. Goth. Böckelii prodiiſſe §. 54. diximus.)
25. De Hydrolatria.
26. Syntagma de Poculo.
27. Volumen Orationum panegyricarum, a Viris Clariſſimis ſparſim antehac editarum (quarum plerasque *Libro VI. Polyhiſtoris Literarii Oratorio c. 3. §. 6.* fuſe enumeravit.)

28. *Verve-*

28. *Vervecum Patria*, Satyra.
29. De Virtutibus & Vitiis Carminis Germanici.
30. Lib. de Arte Epigrammatica & Epigraphica, cum Exemplis.
31. Liber Epitaphiorum Jocularium.
32. Veſtiarium Epigrammaticum.
33. De Varia Poëtarum Fortuna.
34. Diſſ. παραδοξος de Aquæ Potu Poëtis præſcribendo.
35. Vindiciæ Statii contra Alex. Roſſæum.
36. Theſaurus Adagiorum Univerſalis.
37. Diſſ. de Lingua Univerſali.
38. Specimen Philologiæ Teutonicæ.
39. Diſſertationes variæ Philologicæ Germanicæ.
40. Die Nothwendige Thorheit (Stultitia Neceſſaria,) Satyra in ineptos Amantium mores Vernacula.

LXXXIX. Locum inter Scripta, quæ hactenus recenſuimus, Morhofiana, Edita pariter atque inedita & Affecta, ultimum, uti plus ſemel jam ſignificatum eſt, Viri Summi deſtinavimus.

POLYHISTORI, *ſive de Notitia Autorum & Rerum Commentariis, quibus præterea Varia ad omnes Diſciplinas Conſilia & Subſidia proponuntur.*

Faſtum id a nobis, non ſolum, quod mole pariter atque Argumenti dignitate cetera omnia ſuperat, & πολυισοριαν Autoris ſui longe iſtis luculentius, ac plane ἀναντιῤῥήτως, demonſtrat, ſed etiam, quod illi, ac Novæ pleniorique, Tomi ejusdem Primi, ſive Literarii, Editioni, commendandis Prolegomena hæc, Bibliopolæ, cujus ſumtu is denuo prodit, Lubecenſis rogatu, potiſſimum ſunt deſtinata. Accedit, quod Opus hoc grande Scriptis tam Editis, quam ineditis Affectisque, jure queat accenſeri; illis quidem ob Libros Tres priores, ante duo jam luſtra, & quod excedit, excuſos, his autem ob Partes reſiduas, luce publica, vel nunc demum, vel nondum, donatas.

XC. In POLYHISTOREM hunc (quem eundem eſſe credo cum *Encyclopædia Bibliothecaria, de re Bibliothecaria in univerſum & de præſtantiſſimis in omni Doctrina Autoribus*, a Noſtro in αὐτογραφῳ Scriptorum Affectorum Indice promiſſa) Autor, tanquam in Pandectas Literario-Philoſophicas, omnium ſuarum per luſtra ferme ſex Lectionum Academicarum (quas ſigillatim, uti olim conſtituerat, publicare, per adverſam ſibi valetudinem, fataque imminentia, haud fore integrum, facile prævidebat) Nucleum, aliasque in Hiſtoria Literario-Libraria, & Polymathia univerſa, Obſervationes, conſtipare in animum, quinquennio ante obitum circiter, induxit. Fundum tamen ejus præcipuum eſſe voluit *Lectiones Polyhiſtoricas*, Anno jam 1672. habitas, &, quæ ex hiſce, paſſim auctis, interpolatis atque immutatis, natæ ipſi ſunt, *de Notitia Autorum* Acroaſes privatas prolixiores, bis ab Anno 1680. ad 1683. in Auditorum

torum gratiam, inſtitutas. *Polyhiſtoricæ* XVII. abſolvuntur Capitibus, quorum I. de Re agit Bibliothecaria, & LLCC. Bibliothecariis, II. de LLCC. Scriptoribus in genere, III. de Diſciplinis in univerſum, easque tractandi Methodo; IV. de Linguis in genere, & Scriptura, V. de Lingua Græca, VI. de Lingua Latina, VII. de Eloquentia, VIII. de Eloquentia Sacra, IX. de Poëſi, X. de Philoſophia Naturali, XI. de Artibus Divinatoriis & Magia, XII. de Philoſophia Morali, XIII. de Oeconomica, XIV. de Politica, XV. de Hiſtoria, XVI. de Artibus Mathematicis, ac XVII. tandem de Logica atque Metaphyſica. *Lectiones* autem *de Notitia Autorum, Polyhiſtoricis* & poſteriores, & uberiores, XXVII. conſtant Capitibus, quorum I. de Scriptoribus diſſerit, in genere de re Literaria commentatis, II. de Scriptoribus Hiſtoriæ Literariæ, III. de Scriptoribus Bibliothecariis, IV. de Catalogorum Scriptoribus, V. de Vitarum Scriptoribus, VI. de Fructu Hiſtoriæ Bibliothecariæ, VII. de Locorum Communium Scriptoribus, VIII. de Epiſtolographis, IX. de Hiſtoriæ Philoſophicæ Scriptoribus, ipſisque Philoſophis Sectarum omnium, Antiquis pariter atque Modernis, X. de Linguarum Scriptoribus, XI. de Lexicographis, XII. de Grammaticis, XIII. de Linguæ Latinæ Scriptoribus, XIV. de Criticis, XV. de Antiquariis, XVI. de Rhetoribus Oratoribusque Profanis, XVII. de Oratoribus Sacris, XVIII. de Poëtis, XIX. de Scriptoribus Phyſicis, XX. de Mathematicis, XXI. de Ethicis, XXII. de Politicis & Oeconomicis, XXIII. de Hiſtoricis, XXIV. de Logicis & Metaphyſicis, XXV. de Theologicis, XXVI. de Juridicis, XXVII. vero, ſive ultimum, de Medicis.

XCI. Has *de Notitia Autorum* Lectiones, iisdem pene verbis, quibus Auditoribus olim erant propoſitæ, in *Polyhiſtore* ſuo exhibere, ſed per ſingulas tamen partes prius refingere, & Obſervationibus ſuis atque Auctariis, tum Diſciplinas atque Res ipſas illuſtraturis, tum Scriptores illarum potiores, addita de ſingulis *Κρίσεσι* accurata, enarraturis, ex *Hiſtoria* (de qua §. 86. dictum) *Naturali* Ἀνεκδότῳ, ceterisque Acroaſibus Academicis, Publicis ac Privatis, locupletare, decreverat. Quem Laborem etſi ſerio, ſummaque animi contentione, rogatu Amicorum ſit aggreſſus, & per annos aliquot, ſatis feſtinanter, quod haud procul a vitæ ſe fine abeſſe ſentiret, ſuaque ab aliis, poſt obitum, inculta atque impolita nollet evulgari, continuaverit, perficere tamen non potuit, ſed Octo tantum Prioribus Capitibus (quæ *Libros Polyhiſtoris Literarii Primum, Secundum Tertiumque*, ſibi vindicarunt) abſolutis, illi eſt immortuus. Schema totius Operis hoc A. 1686. publicavit, a Vitæ Continuatore Anonymo *(78)* & Caſp. Thurmanno *(79)* repetitum:

POLYHISTOR,

ſeu

De Notitia Scriptorum & Rerum Libri XII.

quorum

I. *Bibliothecarius*, de Re Bibliothecaria in univerſum, de Subſidiis ad Notitiam Auto-

(78) *In Append. Diſſert. Acad. p. 31. 32.* (79) *in Elegis Monteſ. ibid. p. 53. 59.*

Autorum & Hiſtoriæ Literariæ parandam, Epiſtolarum, Vitarum, Locorum Communium, Scriptoribus.

II. *Methodicus*, de Pædagogia Regia & Vulgari, variis parandarum Scientiarum Methodis, tum legitimis, tum illegitimis, variis item Compendiis & Subſidiis Mnemonicis, Excerptis inſtituendis, &c.

III. *Grammaticus*, de Linguis variis, & illarum Scriptoribus Grammaticis.

IV. *Criticus*, de Critice in genere, Linguarum Græcæ ac Latinæ Autoribus, & Scriptoribus Criticis.

V. *Rhetoricus*, de Rhetoricis Scriptoribus, Oratoribus Antiquis ac Novis, Rhetorica Sacra & Civili, Pura & Arguta Dictione, Periodo, Epiſtolis, varioque ad omnem Eloquentiam Apparatu.

VI. *Poëticus*, de Poëtis Græcis ac Latinis, in quo etiam varia ad Poëſin Adminicula, & Latinitatis Poëticæ Inventionumque Poëticarum Lexica, ac plurima alia, nova quadam ratione, proponuntur.

VII. *Philoſophicus*, de Scriptoribus Philoſophicis, Antiquis & Recentioribus, Scholaſticis imprimis, pro Sectarum varietate, Metaphyſicis. Logicis.

VIII. *Phyſicus*, de Sectis Phyſicorum, Antiquis & Recentioribus, Specialium item Argumentorum Scriptoribus, & noſtrorum Temporum Inventis.

IX. *Ματαιότεχνος*, de Artibus Vanis, Superſtitioſis & Dæmoniacis, earumque Propagatoribus & Scriptoribus.

X. *Mathematicus*, de Matheſeos Diſciplinæ Scriptoribus, præcipue iis, qui poſt Voſſii & Riccioli tempora innotuerunt, variisque noſtrorum temporum Inventis.

XI. *Practicus*, de Philoſophiæ Moralis, Civilis, Oeconomicæ, Scriptoribus, variisque ad Societatem Civilem felicius tuendam Adminiculis.

XII. *Hiſtoricus*, de Scriptoribus Hiſtoricis, illisque cum fructu tractandis,

Opus e *XX.* Annorum Laboribus Academicis collectum,
& ad omnes Artes ac Diſciplinas accuratius noſcendas
ac tractandas utiliſſimum.
Appendicis loco addetur *Diſſertatio de Germanorum*
in Rem Literariam Meritis.

XCII. Ab hoc Schematiſmo, quoad Ordinem, uti a Vitæ Continuatore (80) jam eſt monitum, paululum deinde Noſtrum receſſiſſe, oſtendit Sciagraphia Operis, in tres Tomos dividendi, Recentior, quam *Præfationi* duorum priorum *Polyhiſtoris Literarii* Librorum A. 1688. hiſce verbis inſeruit: *Totum Opus a me in Tres Tomos tribuetur, quorum Primus Polyhiſtoris Literarii, Secundus Philoſophici, Tertius Practici Titulo appellabitur. Nunc Prima Pars Tomi Primi, atque adeo duo Libri, Bibliothecarius & Methodicus, in lucem prodeunt, quos ceteri ſuo ordine & tempore ſequentur, & quidem in Polyhiſtore Literario Liber Grammaticus, Criticus, Oratorius & Poëticus, in ceteris Tomis reliquæ Philoſophiæ Partes.* Sed nec iſti Sciagraphiæ ita arcte inhæſit, quin Excerptorum Doctrinæ, *Libro Polyhiſtoris Literarii Secundo* tradendæ, peculiarem deinde tribueret,

(80) *l. c. p. 37. 38.*

bueret, Tertium ſcil. ſive παρασκευαστικὸν, poſt Fata Autoris A. 1692. editum, atque ita Tomum Primum Libro Septimo augeret. An Capita Tria Commentationis *de Notitia Autorum* ἀγενδότῳ ultima, de Scriptoribus agentia Theologicis, Juridicis & Medicis, *Polyhiſtoris* ſui partem eſſe voluerit, haud immerito dubites, cum nullam plane illorum, in Schematiſmis modo laudatis, fecerit mentionem.

XCIII. Lucem hactenus publicam vidit Pars tantum Operis hujus Tripartiti perexigua, Tomi ſc. Primi, ſive *Polyhiſtoris Literarii*, Libri III. Priores. Quos inter *Primus* atque *Secundus*, *Bibliothecárius* nempe ac *Methodicus*, ab Autore ſuperſtite Lubecæ A. 1688. *in 4to* ſunt editi, &, adjecto Tertio (de quo mox dicetur,) præfixaque Joh. Burch. Maji, Profeſſoris Kilonienſis, Præfatione nova breviori, (in qua ſuos in Opus Morhofianum Indices, ſeorſim edendos, promiſit,) ſubjuncta vero Matthiæ Henr. Burchardi *Or. Funebri*, Autori habita, auctiores (uti Titulus jactat) ibidem A. 1695. *in 4to* recuſi. Bibliothecarius *XXIV.* abſolvitur Capitibus, quorum I. agit de Polymathia, II. de Hiſtoria Literaria, III. de Bibliothecis, earumque erigendarum cauſis, IV. de Bibliothecarum erigendarum Mediis atque Ornatu V. de earundem Ordine atque Everſionibus, *VI.* de Bibliothecariis, & Notitia Bibliothecaria paranda, VII. de MSStis, VIII. de Libris Damnatis, IX. de Pſeudonymis, Anonymis & Plagiariis, X. de Libris Myſticis & Secretis, XI. de Libris Phyſicis Secretioribus præcipue Chymicis, XII. (de quo §. 74. dicta conferantur) de eo, quod in Diſciplinis eſt divinum, XIII. de Collegiis Secretis, XIV. de aliis Eruditorum Societatibus, XV. de Converſatione Erudita, XVI. de Scriptoribus ad Rem Librariam & Hiſtoriam Literariam pertinentibus, XVII. de Scriptoribus Bibliothecariis, XVIII de Catalogorum Scriptoribus, XIX. de Vitarum Scriptoribus, XX. de Fructu Hiſtoriæ Literariæ, XXI. & XXII. de Locorum Communium Scriptoribus & Polygraphis, XXIII. & XXIV. de Epiſtolarum Scriptoribus, XXV. de Epiſtolis Eruditorum Ineditis. *Liber II, ſive Methodicus*, Capita XVI. complectitur, quorum I. de Ingeniorum commentatur Delectu, II. de Scholis, Bonarum Mentium Officinis, III. de Facultatum Animi Subſidiis, IV. de Subſidiis dirigendi Judicii, V. de Arte Lulliana, ſimilibusque Inventis, VI. de Memoriæ Subſidiis, VII. de Methodis Studiorum variis, VIII. de variis in doctrina paranda Compendiis, IX. de Methodo Linguas, Latinam præcipue ac Græcam, diſcendi, X. de Curriculo Scholaſtico, XI. de Curriculo Academico, XII. de Pædagogia Regia, XIII. XIV & XV. de Exercitationibus in Oratione Soluta, quarum Exempla Imitatione expreſſa adjiciuntur, XVI. de Exercitationibus in Oratione Ligata. Pleniorem Argumentorum Libri Utriusque Recenſum, & aliquam ſimul Operis totius affecti, e Præfatione, σκιαγραφίαν, plerique Scriptores Ephemeridum Literariarum Moderni in Penſis ſuis exhibuerunt Menſtruis, Lipſienſes ſc. *in Actis Eruditorum, M. Oct. A. 1688. p. 564. 568.* Pariſienſes *in Diario Erud. Gallico A. 1691. num. 38. & 39. p. 671. 692.* Parmenſes (a Pariſienſibus laudati) *in Diario Eruditorum Italico (Le Giornal de Letterati) An. 1689. num. 9.* Pet. Bælius *in Novellis Reip. Literariæ Gallicis, M. Majo A. 1688. p. 575. 576.* Henr. Baſnagius *en l'Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans, M. Jun. A. 1688. p. 158 - 178.* Joh. Clericus *T. XIII. de la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique*

M.

M. Apr. A. 1689. p. 1-39. Chr. Thomaſius *in Cogitatis de Libris Recentioribus Jocoſeriis Menſtruis*, Germanice editis, *M. Aug. A. 1688. p. 275-289. & M. Nov. ejusd. Anni ferme integro, p. 583. & ſeqq.* Wilh. Ern. Tenzelius in *Dialogis Menſtruis*, itidem Germanicis, *Anni 1689. M. Jan. p. 4-115. & M. Mart. p. 254-303.* ac Joh. Gröningius (ſi jungi is, præter Capitum indicem vix quicquam ſuggerens, modo enumeratis meretur,) *Tomo I. Relationum Reip. Literariæ*, A. 1702. edito, Sect. I. *Relat. II. & III. p. 11. 12. 13. 14.* Quos, ἐμοθυμαδὸν de Libris his Morhofianis honorifice diſſerentes ac judicantes, quibus plura de illorum inſtituto ac Methodo addiſcere volupe eſt, conſulant.

XCIV. Duobus hiſce Libris, ab ipſo Autore luce donatis publica, Anno ab obitu ejus proximo acceſſit *Tertius* ejusdem *Tomi Primi, vel Polyhiſtoris Literarii*, ſive παρασκευαστικὸς, XIII. is Capitibus, non de Excerpendi ſolum ratione in genere, ſed Specialibus etiam Excerptis, Phraſeologicis, Lexicis Criticis, Exegeticis, Antiquariis, Oratoriis quadruplicibus, Poëticis, & ad Diſciplinas pertinentibus, adjectis plerorumque Exemplis, commentatur, ac ſub *Partis Secundæ Polyhiſtoris* Titulo minus accurato, Lubecæ, an. 1692. *in 4to*, cum Henr. Muhlii Epicedio, Manibus Morhofianis Sacro, eſt excuſus, ibidemque, una cum Libris II. præcedentibus, an. 1695. ſeorſim autem an. 1698. recuſus.

XCV. Partes *Polyhiſtoris* reſiduas, Tomi ſcilicet Primi Libros IV. Poſteriores (Grammaticum, Criticum, Oratorium & Poëticum,) Tomosque Secundum & Tertium integros, Philoſophiæ, ejusque Diſciplinis, Theoreticis pariter atque Practicis, Logicæ item, Artibus Divinatoriis Magicisque, & Hiſtoriæ, dicatos, quod attinet, in lucem quidem illæ, cum Autor moribundus fieri id permiſerit, e *Prælectionibus de Notitia Autorum* &, quæ jungendæ his ſunt, *Polyhiſtoricis*, proferentur, verum (ſi Reliquias *Tomi I.* prælo jam a Lipſienſibus, uti mox indicabitur, paratas, excipias) neutiquam ea, quam & argumenti dignitas exigit, & ab Autore Orbis Eruditus expectavit, vel ἀκρίβειαν, vel perfectione, Lectoribus ſe commendabunt. Cum enim Prælectiones iſtæ Academicæ extemporaneæ maximam partem fuerint, nec eo ſtudio, quod Monumenta Literaria, publicæ luci deſtinata, exigunt, elaboratæ, ſed minore, uti fieri ſolet, cura e ſolius ferme memoriæ penu depromptæ, & Auditoribus dictitatæ, Autor vero moribundus, Colloquio cum D. Achille Daniele Leopoldo familiari, inſeri atque addi ſuis quicquam, quod ſuum non eſſet, ab Editoribus vetuerit, non poterit ſane ab his (niſi Lipſienſium exemplo, voluntatis illius ultimæ ſint incurioſi) ullo evitari pacto, quo minus juſta paſſim accuratio, ſæpiſſime autem plenior de Argumentis nobilioribus, nec mutila adeo ἐργασία, a Cenſoribus rigidis, in iſtis, & jure quidem, deſideretur. Non tamen, ob nævos iſtos, luce publica cenſendæ ſunt indignæ, ſed Opus potius utiliſſimum, morte Autoris immatura interruptum, a Viris Eruditis ea, quam voluntas hujus ultima permittit, diligentia, emendatis lapſibus, & Autoris Mnemonicis, & Auditorum (quorum ſolæ ſuperſunt Scriptiones, Hypomnematis paſſim Marginalibus a τῷ Μακαρίτῃ auctæ atque illuſtratæ, nullum autem ipſius Αὐτόγραφον) Graphicis, ſatis numeroſis, Supplementisque neceſſariis ſeorſim, ſub finem

finem paginarum singularum, Scholiorum instar, adjectis, pertexi meretur & continuari.

XCVI. Exantlare hunc Laborem, in Orbis Literati gratiam, Henr. Muhlius initio decreverat Morhofii & Discipulus, & in Professione Poëtica Kilonienſi Successor, uti, præter Celeberr. Tenzelium, Literis ipsiusmet ea de re certiorem redditum, (81) ac Bibliopolam, qui suis an. 1692. sumptibus *Librum Tertium Polyhistoris* edidit *Literarii*, Lubecensem (82) Frid. Bened. Carpzovii, Senatoris Lipsiensis, de Literis optime meriti, ac mihi, dum viveret, amicissimi, Epistola, Non. Oct. an. 1691. exarata, hisce me verbis edocuit: *De Polyhistoris continuatione sollicitus erit Henr. Muhlius, qui me certum esse jussit, in Literas jam ab Autore integrum hunc Librum esse missum.* Post Muhlium, quem occupationes munerum diversorum multiplices, aliæque insuper causæ, promissis satisfacere non patiebantur, Continuationis istius curam, ab Hæredibus Autoris anno circiter 1694. sibi commissam, Joh. Burch. Majus in se suscepit, Athenæi Cimbrici Rhetor atque Historicus, & in gemina hac Professione Morhofii itidem Successor. Cum vero & ille, nova Librorum, jam antehac excusorum, Editione, an. 1695. cum suo publicata Proœmio, contentus, Partem residuam *ἀνέκδοτον*, ob causas mihi ignotas, negligeret, itum est tandem a Bibliopola ad Polyhistorem Lipsiensem modo laudatum, Frid. Bened. Carpzovium, Virum de Commodis Reip. Literariæ promovendis assidue sollicitum, & Morhofii Morhofianorumque omnium amantissimum. Is, qua erat humanitate, ut pertexendi Operis curam gereret, facile se passus exorari, cum ipsemet Labori huic vacare non posset, Juveni Erudito (quem M. Joh. Frickium, Ulmensem, Collegii Lipsiensis Philosophici Assessorem, e Diatribis aliquot Academicis, luculentis variæ Autoris sui doctrinæ testibus, mihi cognitum, fuisse, ab Amico sum edoctus) eum suis exantlandum auspiciis demandavit. Factum hoc Annis 1698. & 1699. quibus publice etiam *Novorum Literariorum Lubecensium* Collectores, (83) & Vitæ Morhofianæ Continuator, (84) *Polyhistoris* Partium reliquarum Editionem a Lipsiensibus, & *Viro* hos inter *Magno, deque Re Literaria dudum meritissimo*, expectandam esse significarunt. Et dextre sane atque præclare Frickius, ductum secutus Carpzovianum, suo functus est officio, Librosque *Polyhistoris Literarii* Quatuor Posteriores (ulterius enim, sive ob mortem Carpzovii, Eruditis omnibus luctuosam, sive alias ob causas, telam Continuationis cœptæ haud pertexuit, ac perperam proinde a *τῷ δεινᾷ*, meam de *Helmoldo Diatriben*, cum Lubecæ haud ita pridem excuderetur, temere interpolare aggressus, §. 1. *Morhofiana omnia studio Carpzovii in ordinem esse redacta*, traditum,) e Schedia sive Prælectionibus defuncti Academicis, sedulo pariter atque judicioſe congessit, & in congruum redactos ordinem Bibliopolæ Lubecensi transmisit. Primus horum, qui *Polyhistoris Literarii* est Quartus, & *Grammatici* Titulo ab Autore donatus, Capitibus constat XIV. quorum I. de Linguis agit & Scriptura in genere, II. de variis Scripturæ modis, III. de Lingua Universali & Primæva, IV. de Vulgaribus Europæis, V. de Orientalibus, VI. de Græca, VII. de Lexicographis & Glossariis Græcæ

(81) *in Dialog. Menstr. Germ. M. Sept. A. 1691. p. 807. 808. & M. Jul. A. 1692. p. 603.* (82) *in istius Præfatione.* (83) *M. Mart. 1695. p. 47.* (84) *in Append. Dissertt. Acad. p. 28.*

Græcæ antiquioribus, VIII. de Lexicographis ejusdem Recentioribus, IX. de Lingua Latina, X. de illius Grammaticis, XI. autem, XII. XIII. & XIV. de Latinis Ætatum Aureæ, Argenteæ, Æneæ & Ferreæ, Autoribus. Liber V. sive *Criticus*, duo tantum Capita de Scriptoribus Criticis & Antiquariis continet. Sextus, sive *Oratorius*, IV. Capitibus, 1. Scriptores Rhetoricos, 2. Oratores antiquos, & solos quidem ferme Græcos (quod Latinorum Historia Lib. IVto, inter hujus Linguæ Scriptores, jam esset proposita,) 3. Oratores Recentiores, 4 Rhetores & Oratores Sacros; Septimus autem, sive *Poëticus* tribus Capitibus, 1. Scriptores Artis poëticæ, 2. Poëtas Veteres Græcos, 3. Poëtas Recentiores, partim celebrat justisque ornat laudibus, partim Virgula perstringit Censoria. Unum istud forte haud immerito desideres, quod Continuationis hujus Collector, ultimæ Morhofii voluntatis, sive ignarus, sive immemor & incuriosus, Textui Autoris Auctaria atque Supplementa, vel sua, vel Carpzoviana, eaque crebra satis & copiosa, ubique ita immiscuerit, ut Lectorum, qui prælectiones Autoris non viderunt MSStas, nemo hæc ab isto queat discernere, & suum cuique vindicare. Libri sane Sexti Caput Secundum de Græciæ Oratoribus, & Septimi Alterum de ejusdem Poëtis, tota Continuatori Lipsiensi debentur, cum nihil ferme de utrisque, in Prælectionibus Morhofianis, mancis hic atque imperfectis, sit annotatum. In ceteris autem Capitibus Libri imprimis Quarti, *Grammatici* (in sequentibus enim parcior talium occurrit seges,) Supplementa ista tantundem sæpe spatii, quantum ipse Textus, imo plus interdum, occupant. Erudita omnia esse fateor, & Nomine Morhofiano adeo haud indigna, ut Autoris ipsius Commentationibus extemporaneis præferri sæpe mereantur, imo & ad Notitiam Autorum, de quibus agitur, plenam atque accuratam necessaria. Præstitisset tamen, me judice, seorsim illa Textui subjungi, tum ut Morhofii satisfieret desiderio, tum ut a Lectore quovis, quid huic, quid item Continuatori, debeatur, accurate posset dignosci. Lucem ista Continuatio, a me, Bibliopolæ Lubecensis rogatu, revisa, passim emendata, in Paragraphos distincta, Capitum singulorum instructa Summariis, & Hypomnematis Historico-Criticis subitaneis subinde illustrata, una cum Libris Tribus *Polyhistoris Litterarii* prioribus, simul tertia vice recudendis, & Hyppomnematum aliquot meorum accessione itidem locupletandis, propediem videbit publicam. Accedent mea hæc in Opus totum Prolegomena, Vitæ simul & Scriptorum Autoris Historiam cum Judiciis Eruditorum de illo pariter atque hisce honorificis, complexa. Quatuor hos Tomi I. Libros residuos Tomi duo *Polyhistoris* Posterioris, *Philosophicus* (in Quinque Libros, Philosophico-Historicum, Metaphysico-Logicum, Physicum, Mathematicum & Μεταιώτεχνον commode dispescendus) & *Practicus* (Libris Sex vel Septem, quæ Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Historiam, Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam, illustrant, exhibiturus,) revisi quidem accurate atque emendati, nullibi autem (ut voluntati Autoris ultimæ satisfiat) interpolati, suo tempore sequentur.

XCVII. *Morhofium Illustratum, seu Commentarium in ejus Polyhistorem*, Christ. Matthæus Knesebeckius, JCtus, in *Prodromo Juris Publici Universalis*, anno 1700.

Roſtochii edito, (*85*) *Polyhiſtorem* autem *Bibliothecarium*, ſive *Theſauri Polyhiſtorico-Legalis Librum I. ea Methodo adornatum, ut ſimul vice Supplementi in Morhoſii Polyhiſtorem commode eſſe queat*, Joh. Gröningius, Wismarienſis, J. U. D. Regiique in Urbe Patria Protodicaſterii Advocatus & Referendarius, in Catalogo ejusdem Anni 1700. Nundinali, (*86*) promiſit. De Kneſebeckii Opere, ubi Lucem illud viderit, ferri poterit Judicium. Gröningius, promiſſis ſatisfacturus, Anno 1702. Hamburgi *in 8vo* edere cœpit *Tomum I. Relationum* ſuarum *Reip. Literariæ, ſive Apparatus ad Hiſtoriam Scientiarum & Artium Notitiam Univerſalem Celebriorum Autorum, Epiſtolas, Diplomata & Obſervationes, maxime Antiquarias & Phyſico-Mathematicas, cum Figuris Æneis, ea exhibituri Methodo ac Inſtituto, ut ſimul vice Supplementi in D. G. Morhoſii Polyhiſtorem eſſe poſſit.* Inſtituti ſui rationem, in Procœmio, hiſce verbis exponit: *Promiſi jam ante biennium, in Catalogo Lipſienſi, Faſtos Rei Literariæ ſeu Continuationem Polyhiſtoris Morhoſiani. Quo ipſo neceſſitas quædam mihi impoſita datam fidem Specimine quodam liberare. Verum ne varietate & multitudine rerum, quod aliis accidit, forte obruar, rectius me facturum credidi, ſi omnia in compendium contraherem, & primo quidem Relationes ſeu apparatum, diverſis Tomis, ſtatisque temporibus, divulgarem, & ex eo poſtea Hiſtoriam ipſam, in brevi quaſi tabula pictam (quæ ad Relationes iſtas perpetuo ſe referret, tanquam Referens ad Relatum,) Methodo Styloque Hiſtorico deſcriberem.* Adeo autem præclare de labore hoc ſuo ipſemet judicat, ut Relationes iſtas *σποραδικὰς*, exiguo licet ſelectu congeſtas, ac in plerisque Scientiis nihil novi in medium afferentes, ſed ab aliis dudum occupata, & ne quidem plene ſatis aut accurate, iterantes, Lectori ſe varietate, utilitate & novitate rerum, magis quam Polyhiſtorem Morhofianum, eſſe commendaturas, ſperare audeat. Quo tanto hiatu an dignum aliquid Promiſſor hic, Morhofio Cive, ni fallor, quod ad ingenium, judicium, ſtyli nitorem, & Eruditionem variam atque elegantem, attinet, paulo inferior, attulerit, aliorum eſto judicium.

XCVIII. Expoſita hactenus ſatis prolixe *Polyhiſtoris* Morhofiani Hiſtoria, Judicia etiam Virorum Eruditorum de eodem, ac Libris imprimis Tribus jam editis ſubjungemus, ſed brevitatis ſtudio, pauca tantum ex plurimis. Elogium, quo LIPSIENSES, in Recenſu illius, Actis Eruditorum Anni 1688. (*87*) inſerto, eum dignati ſunt, perquam honorificum §. 34. maximam partem jam recitavimus. Addi tamen *h. l.* merentur, quæ ſub finem Recenſus ejusdem (*88*) occurrunt: *Omnia, quæ affert Autor, ea Sermonis elegantia, & multijugæ Eruditionis Apparatu, inſtruit ac exornat, ut a Lectione hujus Libri nemo adeo ſatur receſſurus ſit, quin reliquas partes Operis univerſi, quod animo Auctor doctiſſimus deſtinavit, quamprimum conſpicere avide expetat.* CHRIST. THOMASIVS, in Cogitatis de Libris Recentioribus Jocoſeriis, Germanice publicatis, (*89*) ſuam de eodem ſententiam verbis expromſit ſequentibus: Ich muß bekennen, daß mich des Herrn Morhofs ſein Polyhiſtor unvergleichlich afficiret hat, daß ich, bey

(*85*) *pag. 66.* (*86*) *V. Catal. Numd. Lipſ. A. 1700. Vernalium p. 66.* (*87*) *M. Oct. p. 564. 565.* (*88*) *p. 568.* (*89*) *M. Aug. A. 1688. p. 275.*

bey deſſen Leſung öffters geſeufftzet und beklaget habe, daß nicht jede von unſern Teutſchen Academien zum wenigſten einen Morhof hat. Et paulo poſt: (90) GOtt laſſe dieſen gelehrten Mann ſo lange leben, bis er die höchſtlöbliche und nützliche Arbeit vollendet hat. Vielleicht wird dadurch der Weg gebahnet, durch welchen die Pedanterey und Unwiſſenheit, die ſich bißher, unter der Larve einer anſehnlichen und gravitätiſchen Gelahrtigkeit, in die Academien eingeſchlichen, und das Directorium geführet, ihren Abzug hinwiderum zu nehmen gezwungen wird. Ich habe nur den tauſendſten Theil oder, ſo zu ſagen, die kleineſten Atomos, von dem, was gut und gelehrt in dieſem Polyhiſtore iſt, angemercket. Es iſt keine Seite, ja faſt keine Zeile nicht, im gantzen erſten Buche, daraus nicht eine verwunderſame Gelahrtheit dieſes Mannes hervorleuchtet. Wann ſein Polyhiſtor fertig iſt, ſo dürffen wir den Frantzoſen mit ihrem Baillet die Spitze bieten, &c. Wilh. Ern. Tenzelius his Opus iſtud laudibus, in Dialogis Vernaculis Menſtruis, dignatur: (91) Ich habe ſolches Buch ſchon mehr als einmahl durchgeleſen, und gefällt mir je länger je mehr, ſo daß ich glaube, der bekandte Vers, wenn er jemahls wahr geweſen iſt, wird hier am gewiſſeſten erfüllet: *Lectio lecta placet, decies repetita placebit.* Denn ſo offt ich den Polyhiſtorem anſehe, ſo offt lerne ich etwas mehr daraus. *Et p. 153.* Dis Buch iſt von ſolcher Importanz, daß man unter tauſenden nicht eines finden würde, das demſelben gleich käme. Hiſce Ephemeridum Germaniæ Literariarum Scriptoribus Belgicarum Autor, Pet. Rabus, (92) eſt ὁμόψηφος ita inquiens: Zijn (Morhofii) Boock, *Polyhiſtor Literatus*, waarin hy van Schrijvers en Boeckzaken berigt gaf, tot behülp van een volslage Letterkünde, was alleen magtig hem tot Hoofdmann pan't Gilde der Bookwijzen te verhelpen; als zijnde een wiſſe Proef van zijn Bedrevenheid, in allerley Oude en nieuwe Schriften, waarmit men kan komen tot de Kenniſſe van al, wat in't gemeen beſt der Geletterden omgant, en vor wetaierige Zielen noodig iß te weten. Veel heb ick ut dat Werck geleert, buiſten Twijfel ook zeer veele met my: en gedenck ick dickwils an de Worden van zeker geleerd Profeſſor, dat he de beſte Anlegging van zijne Boock offeningen het gezeide Boeck van Morhof alleen danck wiſt. Similia Ephemeridum, quibus Polyhiſtoris Morhofiani Recenſus inſertus eſt, Exoticarum, §. 93. enumeratarum, de illo Judicia, prolixitatis tædio, non vacat exſcribere. Sed nec alii Viri Eruditi, a quibus obiter is tantum in Scriptis ſuis eſt allegatus, quanti illum facerent, diſſimularunt. Vicentio Placcio (93) *Eruditiſſimus* ille audit, *Doctiſſimus, Curioſiſſimus, Elegantiſſimus & ſummo Reip. Literariæ bono editus, lectu digniſſimus*, ac (94) *curioſæ raræque doctrinæ pleniſſimus*, Henn. Wittenio (95) *Opus Incomparabile*, Jac. Wolfio, Prof. Medico Jenenſi, (96) *Limatiſſimus*, Joh. Bilbergo, Mathematico Upſalienſi, (97) *Elegantiſſimus*, Georg. Henr. Götzio (98) *Scriptum Eruditum, & ab Eruditis hactenus, ut meretur, magnificis celebratum laudibus,*

(90) *p. 288. 289.* (91) *M. Jan. A. 1689. p. 4.* (92) im Boeckzaal van Europa, *M. Sept. & Oct. A. 1699. p 252. 253.* (93) *in Lib. de Arte Excerpendi p. 3. 11. 17. 19. 20.* (94) *in Invitatione ad Anonymos ſuos augendos p. 7. 8.* (95) *in Præf. Tom. I. Diarii Biograph. Sec. XVI.* (96) *in Progr. Ἀνεκδ. p. 6.* (97) *in Aphor. Miſcell. A. 1688.* editis (quos C. Thurm. *in Elog. Morh. p. 52.* allegat) *p. 4.* (98) *in Diſſ. de Lect. Cic. §. 3. p. 9.*

Joh. Alb. Fabricio (99) *Liber, quo nihil noſtra memoria prodiit eruditius.* Commendatur præterea honorifice (ut Encomiaſtas obſcuriores taceamus) ab Henr. Meibomio Jun. *locis Additamentorum ad Val. Henr. Vogleri Introd. in Notit. Bon. Scriptt. complurihus*, Nicol. Chriſtoph. Linckero, JCto Jenenſi, imperfectum eum eſſe, ob mortem Autoris, dolente, in *Inſtructorii Forenſis Introitu*, (100) Eraſmo Franciſci, *in Scripto contra M. Joh. Matthæum Vernaculo*, (1) aliisque pluribus, partim jam a Caſp. Thurmanno, in *Elogiorum Morhofianorum Sylloge* ac *Bibliotheca Academica*, (2) allegatis, quos illaudatos præterire, ad finem Schediaſmatis hujus adſpirantes, cogimur.

XCIX. Nec tamen Operi, tot nacto Admiratores, ut nullum ejusdem generis aliud majori, noſtris temporibus, exceptum fuerit applauſu, fui defuere Cenſores. Ipſi Duumviri, quorum laudes illius invidendas §. præcedenti recitavimus, Celeberrimi, Chriſt. Thomaſius & Wilh. Ern. Tenzelius, in ſuis ejusdem Recenſibus §. 93. allegatis, paſſim ab Autore, *ἐυκαίρως ἀκαίρως*, diſſentiunt, nonnullosque ſimul Errores ipſius Hiſtoricos detexerunt. Qualia *παροράματα*, in Hypomnematis etiam ad iſtud noſtris Hiſtorico-Criticis, quorum ſupra facta eſt mentio, ſubinde ſunt notata. Sed Nævi adeo exiles, a quibus nemo immunem ſe, quantacunque accuratione adhibita, in iſtius molis atque Argumenti Opere, præſtabit, Faciei illius pulcherrimæ nullam conciliant deformitatem, faſſusque eſt, in Præfatione, ipſe Morhofius, *non pauca, vel a deſcribentis manu, vel ſua etiam feſtinatione, Sphalmata, fortaſſe etiam ἁμαρτήματα μνημονικὰ, quibusdam in locis irrepſiſſe, quæ, manum extremam poſcentibus Nundinis, non ſollicite adeo a ſe conſignari potuerint.* Majoris momenti eſt Ἔγκλημα, quo nonnulli nimiam Autori feſtinationem objiciunt, &, hujus vitio accurationem atque concinnitatem debitam *Polyhiſtori* deeſſe arbitrantur, Celeberr. Tenzelius ſcilicet, qui (3) *miram* eum, ſcribit, *arguere properantiam*, & Nicol. Chriſt. Lynckerus, Antecellor Jenenſis, cui (4) Liber Primus, ſive Bibliothecarius, *ſatis diſjecta & inæqualis diſciplinæ eſſe* videtur. Ipſemet ſane haud diffiteor, Autorem, ſi otio abundaſſet neceſſario, Prælectionibus illis *de Notitia Autorum*, e quibus hoc Opus enatum eſt, extemporaneis limam paſſim adhibere potuiſſe accuratiorem, multaque in *Polyhiſtore* plenius, multa exactius, multa dilucidius & ordine meliori, quam factum eſt, in Scriptorum præſertim & Argumentorum, de quibus diſſeruit, Hiſtoria, proponere. Verum enim vero, ut taceam, non fuiſſe ei propoſitum, omnia, quæ de ſingulis, vel Argumentis, vel Autoribus afferri poſſent, undecunque corradere, ſed ſuas ipſius potiſſimum, in quolibet Literaturæ genere, promere Obſervationes, propriaque de Scriptoribus iſtorum, quos legiſſet, exhibere judicia, tot, cum Laborem hunc aggrederetur, curis premebatur atque negotiis, tam afflicta ac dubia erat valetudine, tamque exiguum ſibi videbat reſtare Vitæ ſpatium, ut Oceano adeo vaſto ſeſe committere, cupido etiam atque

(99) *in Dec. Scriptt. Recent. n. 1.* (100) *lit. D. 1. b.* (1) V. die gebrochene Spott- und Läſterpfeile M. Joh. Matthæi *p. 429.* (2) *p. 71. 72.* (3) *in Dial. Menſtr. Germ. M. Febr. A. 1689. p. 198.* (4) *in Inſtruct. Forenſis Introitu §. 7. lit. E. 1.*

atque volenti, haud fuerit integrum, imo hac quoque Methodo, quam elegit, compendiaria & minus exacta, vix tres priores Libros, ſtrenue licet opus cœptum urgenti, abſolvere licuerit. Ipſe cauſam ſuam, in *Præfatione*, verbis jam dixit ſequentibus: *Etſi multo elaboratius enucleatiusque Opus hoc dari poterat; neque enim, quam debebam, poteramque, aliis ſæpe rebus diſtentus, impendi curam; erunt tamen in illis, utut ſubito calore effuſis, non pauca, quæ juvare Juventutis ſtudia poſſunt, in quibus, ſi non accuratiſſimi Judicis, ſaltem boni Judicis, munere defungar. Scripta ſunt hæc plane eo, quo Joach. Fortius libros ſcribi voluit, modo. Quæ hic chartis illevi, vix interdum relecta, Tabellario deportanda dedi, exſcripſit illa, ut a calamo venerant, Typographus. His ſæpe Academica & Domeſtica Negotia, Curæ familiares ex obitu cariſſimæ Uxoris, Valetudo non ſemper commoda, moras injecerunt, ut jam præcipitati, jam interrupti labores, rigidiori Examini & ulteriori limæ, locum non reliquerint.* Spectat huc & alterum Apologema, *Lib. I. c. 16. §. 1. ſeq. Nunc ad Autores ipſos perveniemus, quorum recenſionem non magno Apparatu & Pompa inſtituemus, ſed præcipua quædam de iis monebimus, quæ τῆς πολυμαθείας Studioſis imprimis profutura exiſtimamus. Neque enim Nomenclatoris hic partibus fungimur, qui & Vitas, & tempora, & Libros Autorum, juſta ſerie recenſeat, quo labore alii defunguntur, ſed ad ſolum nos uſum reſpicimus, quem in cognitione rerum præſixum ſibi habere bonarum Literarum Cultores debent. Cum primum Scholis privatis illa proponeremus, pleraque, quæ in ſequentibus de Autoribus dicemus, ex memoria, ſine ullo Libro Commentario, aut operoſa meditatione, nobis depromta ſunt, ut optime norunt, qui tum illis interfuere. Non diſplicuit illi Viris Eruditis, ut extemporalis, Labor, qui ejus editionem ſæpiſſime urſere, & nunc quidem Juventutis præcipue commodo illa publici juris facimus; interjectis nonnullis, quæ ſub manu, cum illa concinnaremus, nata ſunt.* Profeſſori Academiæ Batavicæ, qui, in Colloquio cum Henr. Muhlio, Belgium perluſtrante, familiari, tum multa alia in *Polyhiſtore* reprehendit, tum Methodum imprimis Veteres, in ſoluta pariter atque ligata oratione imitandi, *Lib. II. c. 13. 14. 15. & 16.* commonſtratam, tanquam operam minutiorem, putidam ac ad pueros ablegandam, ſupercilioſe notavit, a Celeberrimo Muhlio, in Præfatione *Operum* Morhofii *Poëticorum* an. 1697. jam eſt reſponſum. Sed & ipſe Morhofius *παρέκβασιν* hanc ſuam (quam ſeorſim forte edi præſtitiſſet, niſi Autor omnium ſuarum Lectionum Academicarum Nucleum in *Polyhiſtorem*, mortem propinquam præſagiens, decreviſſet conſtipare) in *Præfatione* ita excuſat: *Ubi de Exercitationibus ago, copioſior in exemplis fui, quoniam e re juventutis, cui omnis mea Opera dicata eſt, fore credidi, ſed illa paulo plenius proponerem. Qua in re a peritis & æquis æſtimatoribus veniam me facile impetraturum confido.*

C. Studium Chymiæ nimium, quod *Libri I. Capita X. & XI.* de Scriptoribus agentia Myſticis ac Chymicis ubique produnt, non a Tenzelio ſolum, (5) ſed & me ipſo, in *Homonimoſcopia*, quod, hujus vitio, in Scriptorum Veterum Chymicorum ψευδεπιγράφων adverſus Reineſium, Conringium, aliosque, Vindiciis, ſubinde cœcutierit,

(5) *in Dial. Menſtr. Germ. M. Jan. A. 1689. p. 45. & ſq. ac M. Febr. p. 197. 198.*

rit, paſſim (6) oſtendente, notatum, cum aliis Viris magnis, Errore eodem amabili, ſive delectatis, ſive dementatis, Noſtro fuit commune, & vel hoc nomine excuſationem admittit. Huic Chymiæ amori imputandum eſt etiam mitius, non de Paracelſo ſolum, aliisque in numerum Fanaticorum vulgo relatis, ſed Jacobo etiam inprimis Böhmio, Suore famæ inter Theologos ambiguæ illiterato, ejusque Scriptis Sacris, Judicium, *Lib. I. c. 10. §. 28.* obvium, quod ab hujus Patronis, Frid. Breclingio, (7) Andr. Stübello, (8) aliisque, honorifice paſſim allegatur, ab Eraſmo autem Franciſci, Adverſario ejusdem, (9) operoſe, partim in ſenſum detorquetur commodiorem, partim vero impugnatur. Verum hos aliosque nævos, in Opere tantæ molis, Argumentique adeo diffuſi ac multiplicis, nemo Cordatus morabitur, aut in partem interpretabitur pejorem, ſed, *Homerum* etiam *quandoque dormitare*, imo *fas eſſe in Opere longo ſomnum obrepere*, a Vate Venuſino edoctus, ſuum Autori πολυμαθεστάτῳ, ſuum Volumini eximio, & tot Eruditiſſimorum quorumvis candidos promerito calculos, nihilominus ſtatuet pretium.

Ubi plura nitent in LIBRO, non ego paucis
Offendar maculis, quas non incuria fudit,
Verum humana parum cavit natura.

Quod ejusdem Lyrici Romani Judicium ſapiens te, L. B. mecum eſſe approbaturum, & grata mente poſthumos, qui in lucem jam prodeunt, Morhofii τῦ Μακαρίτυ Labores Polyhiſtoricos, etſi ultimam Autoris limam non expertos, perlecturum, nullus dubito. Scripſi Flensburgi Cimbrorum, exeunte Anno Æræ Chriſt. MDCCII.

(6) *Sect. II. c. 2. §. 17. p. 264. §. 18. p. 269. c. 3. §. 79. p. 351. c. 5. §. 35. p. 475. §. 70. p. 510. & c. 6. §. 83. p. 611. 612.* (7) *in Anti-Calov.* (8) *in Append. Jud. de Ang. Pfeifferi Scepticiſmo Spener. Germ. p. 157.* (9) in den gebrochenen Spott- und Läſterpfeilen M. Joh. Matthæi, Scripto A. 1692. edito, *p. 427-431.*

D. G. MOR-

BK 2

D. G. MORHOFI
POLYHISTORIS
TOMVS II.
SIVE
POLYHISTOR PHILOSOPHICVS.
LIB. I.
PHILOSOPHICO-HISTORICVS.

CAPVT I.
DE HISTORIA PHILOSOPHIAE IN GENERE, AC IN SPECIE BARBARICAE POPVLORVM ORIENTALIVM ET SEPTENTRIONALIVM, EIVSQVE SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Inter Scriptores Hiſt. Philoſophicæ Univerſalis familiam ducit Diogenes Laërtius, cujus Editio Menagiana præ aliis commendatur.* 2. *Sequuntur hunc Eunapius Sardianus.* 3. *Heſychius Mileſius*, Illuſtrii *agnomine ſive Titulo a Græcis Lati-*

Latinizantibus donatus. 4. *Gerh. Joh. Voſſius*, *cujus* Libri de Philoſophia ac Philoſophorum Sectis, *Poſthumi & ferme affecti tantum, deploratur imperfectio.* 5. *Georg Hornius*, *cujus non* Hiſtoria *ſolum* Philoſophica, *ſed Scripta etiam reliqua, tanquam Extemporalia & minus accurata, explodentur.* 6. *Joh. Jonſius*, *ob diligentiam commendatus, & aliis prælatus.* 7. *Bened. Pererius*, *ob nimium Sectæ Ariſtotelicæ ſtudium in alias iniquior.* 8. *Theoph. Galeus*, *poſt Aug. Steuchum Philoſophiam Gentilem univerſam ex Hebræa derivans, ſed hoc in conatu nonnunquam impingens.* 9. *Philoſophiæ Barbaricæ Hiſtoriam tradidit Otto Heurnius.* 10. *Indicæ Veteris Palladius*, *Ambroſius*, *& Anonymus quidam*, *ab Edv. Biſſæo junctim editi.* 11. *Indicæ Brachmanum modernæ Abr. Rogerius*, *hujusque Interpres & Commentator Chriſtoph. Arnoldus* (*de reliquarum etiam Aſiæ*, *Africæ & Americæ*, *Gentium Philoſophia conſulendus*,) *& Anonymus Scriptor Theologiæ Indorum Indicus αὐτόδιδακτος.* 12. *Ægyptiacæ & Chaldaicæ*, *e Scriptis Hermetis Trismegiſti & Zoroaſtris reliquis* (*de quorum γνησιότητι controverſa Judicium ſuſpenditur*, *adjecta brevi de Trinitate Platonica atque Ariſtotelica παρεμβάσει.*) *Franc. Patricius* (*Novator in Philoſophia ineptus*) *& Joh. Jeſſenius.* 13. *Septentrionalium Populorum* (*quibus omnis Sapientiæ primas Origines Ol. Rudbeckius*, *Georg. Stiernhelmius*, *aliique Sveci ob ſtudium Antiquitatum patriarum obiter laudati*, *vindicari non dubitant*) *Philoſophiæ & Doctrinæ Sacræ Snorro Sturleſonius*, *in* Edda *Islandorum*, *a Pet. Reſenio edita*, *ac Ol. Wormius in* Literatura Runica.

I DIOGENES LAERTIVS Familiam merito ducit, quem niſi ex antiquis haberemus, qui de Philoſophorum Sectis & placitis aliquid ſcripſiſſet, pauca de Philoſophis antiquis conſtarent. Nunc ſane habendæ in pretio ſunt ſuperſtites hæ e naufragio tabulæ, & diligenter perquirenda ſunt, quæ apud ipſum conſignata habemus. Non poſſunt illo libro carere, qui Philoſophiæ genuinæ & antiquæ operam dant. Ab his incunabulis arceſſenda ſunt Veterum dogmata, a Recentioribus recocta, ita in orbem abeunt omnia, veteresque opiniones, quaſi ex ruderibus & cineribus reſuſcitatæ, vel novitatis aliqua ſpecie obtrudi ſolent. Facile eſt hujus hiſtoriæ gnaro omnium in Philoſophia Novatorum ſententias ad ſua revocare principia. Extant multorum in hunc Auctorem Commentationes, Henrici Stephani, Iſaaci & Merici Caſaubonorum, Thomæ Aldobrandini, & demum Ægidii Menagii, qui perpetuos in hunc Auctorem Commentarios ſcripſit & ex hiſtoriis rem philoſophicam diligenti collatione illuſtravit. Edidit ille Diogenem, cum ſuis & aliorum Commentariis, Londini anno 1664. in fol. (*a*) quam tamen editionem Auctor ipſe improbare viſus

(*a*) Editio, quæ *b. l.* memoratur, Diogenis Laërtii Menagiana Græco-Latina, longe nitidior pariter

viſus eſt, ob Erratorum multitudinem, novam in Gallia ſe editurum minatus, quæ tamen ex illo tempore nondum comparuit. Recudere in Germania voluerunt Opus aliqui, quod caro nimis vendunt Angli, ſed deterruit hactenus illos opinor, quod novam & locupletiorem a Menagio metuerent Editionem. Paravit etiam Salmaſius Comm. in Laërtium, teſte Laur. Craſſo *T. II. Elog. p.* 211.

EVNAPIVS. Sub Theodoſio M. vixit Eunapius, Sardibus natus, unde a Sardianus quoque dicitur; ſcripſit *Vitas Philoſophorum & Sophiſtarum*, ſed pauca ſunt in illo libro ex tanto Oceano hauſta; Editus eſt Antwerpiæ in octavo, typis Plantinianis, anno 1568. & Coloniæ Allobrogum A. 1616. (*b*) cum MScriptis pluribus comparatus. Accedunt ejusdem Auctoris Legationes è Bibliotheca Andr. Schotti. Nemo hactenus fuit è Philoſophorum & Criticorum ſcholis, qui aliquam huic Operi operam impendere voluerit, quæ tamen non inutilis futura eſſet. Notas tamen in Eunapium molitus eſt Pet. Lambecius, Codice uſus manu Scaligeri notato. Vid. Lib. VI. de Biblioth. Vindobon. p. 263.

HESYCHIVS ILLVSTRIVS Mileſius. Heſychius Mileſius, Illuſtris 3 habuit Titulum, quem Græci ſua lingua efferebant ita: ἰλλέστριος, ut nobilis νοβίλιος, fidelis φιδέλιος, Cardinalis καρδινάλιες. Peccant itaque, qui hoc quaſi cognomen ipſi tribuunt. Vixit ſub Anaſtaſio, Juſtino & Juſtiniano. Scripſit de iis, qui eru-

 ditione

ter atque auctior Amſtelod. a. 1692. in 4. duobus recuſa Voluminibus, præter Verſionem Ambroſii Camalduenſis, a Viro Doctiſſ. Marco Meibomio (qui totius quoque Editionis curam geſſit), nunc demum ſuppletam & emendatam, *Notas* Aldobrandini & utriusque Caſauboni, ac *Obſervationes*, quæ multis hic acceſſionibus denuo locupletatæ comparent, Menagianas, novas exhibet Meibomii & Joach. Kühnii, Philologi Argentinenſis, *Annotationes*, Menagii de *Mulieribus Philoſophis Syntagma*, Editionum priorum omnium Præfationes & Epiſtolas Dedicatorias, XXIV. Philoſophorum imagines, e Nummis, Marmoribus aut Gemmis, depromptas, Olympiodori *Vitam Platonis*, Thomæ Galei *Varias* in Diogenem *Lectiones*, & Indices denique Joh. Clerici in illum pariter atque Commentatores. Prolixiorem illius Recenſum V. in *Actis Erud. Lipſ. M. Jul. an.* 1692. *p.* 315 - 319. & cæteris plerisque Literariis ejusd. an. 1692. Ephemeridibus, Gallicis ac Belgicis. De Editionibus Laërtii, quæ, præter geminam hanc Menagianam prodiere, Græca Una, Græco Latinis VIII. totidemque Latinis, Verſionibus item Gallica Franc. Fougerolii, Italica Joh. Felicis Aitolfi, Germanica (Auguſtæ Anno jam 1490. excuſa) & Belgica, Dan. Heinſii, Pet. Lambecii & Joh. Bapt. Lantini, Curiæ Divionenſis Senatoris, Commentationibus in eum, partim affectis, partim ineditis, cæterisque ad Autoris pariter atque operis Hiſtoriam ſpectantibus uberiorem, locus ſe dicendi commodior *in Apparatu ad Notitiam Reip. Literariæ Geographicam*, Eunapium etiam & Heſychium Laërtio comites juncturo, poſthac offeret. Conferri interea de illo poſſunt Gerh. Joh. Voſſius L. 2. de *Hiſt. Græcis c.* 13. Joh. Jonſius *l. 3. de Scr. Hiſt. Philoſ. c.* 12. Thom. Popeblount *in Cenſura Autorum*, *p.* 158. 159. & Æg. Menagii, cæterorumque Editorum, ad Editiones ſuas Prolegomena.

(*b*) Eunapii (de quo Voſſius *l. c. Lib. 2. c. 18. p.* 252. Jonſius *l. c. L. 3. c. 17.* Popeblountius p. 261. 262. & Mart. Hanckius *L. 2. de Rer. Rom. Scriptoribus*, *P. I. c. 9. p.* 100 - 109. conſulendi) *Vitarum*, ex MStis pluribus emendatarum, novas editiones Græco-Latinas haud ita pridem polliciti ſunt Viri Celeberrimi, Rich. Bentleius, Anglus, Philoſtratorum eas adjuncturus Operibus, & Joh. Alb. Fabricius, Prof. Hamburgenſis.

Latinizantibus donatus. 4. *Gerh. Joh. Voſſius, cujus* Libri de Philoſophia ac Philoſophorum Sectis, *Poſthumi & ferme affecti tantum, deploratur impetfectio.* 5. *Georg Hornius, cujus non* Hiſtoria *ſolum* Philoſophica, *ſed Scripta etiam reliqua, tanquam Extemporalia & minus accurata, exploduntur.* 6. *Joh. Jonſius, ob diligentiam commendatus, & aliis prælatus.* 7. *Bened. Pererius, ob nimium Sectæ Ariſtotelicæ ſtudium in alias iniquior.* 8. *Theoph. Galeus, poſt Aug. Steuchum Philoſophiam Gentilem univerſam ex Hebræa derivans, ſed hoc in conatu nonnunquam impingens.* 9. *Philoſophiæ Barbaricæ Hiſtoriam tradidit Otto Heurnius.* 10. *Indicæ Veteris Palladius, Ambroſius, & Anonymus quidam, ab Edv. Biſſæo junctim editi.* 11. *Indicæ Brachmanum moderna Abr. Rogerius, hujusque Interpres & Commentator Chriſtoph. Arnoldus (de reliquarum etiam Aſiæ, Africæ & Americæ, Gentium Philoſophia conſulendus,) & Anonymus Scriptor Theologiæ Indorum Indicus ἀνέκδοτος.* 12. *Ægyptiacæ & Chaldaicæ, e Scriptis Hermetis Trismegiſti & Zoroaſtris reliquis (de quorum γνησιότητι controverſa Judicium ſuſpenditur, adjecta brevi de Trinitate Platonica atque Ariſtotelica παρεκβάσει.) Franc. Patricius (Novator in Philoſophia ineptus) & Joh. Jeſſenius.* 13. *Septentrionalium Populorum (quibus omnis Sapientiæ primas Origines Ol. Rudbeckius, Georg. Stiernhelmius, aliique Sveci ob ſtudium Antiquitatum patriarum obiter laudati, vindicari non dubitant) Philoſophiæ & Doctrinæ Sacræ Snorro Sturleſonius, in* Edda *Islandorum, a Pet. Reſenio edita, ac Ol. Wormius in* Literatura Runica.

1 DIOGENES LAERTIVS Familiam merito ducit, quem niſi ex antiquis haberemus, qui de Philoſophorum Sectis & placitis aliquid ſcripſiſſet, pauca de Philoſophis antiquis conſtarent. Nunc ſane habendæ in pretio ſunt ſuperſtites hæ e naufragio tabulæ, & diligenter perquirenda ſunt, quæ apud ipſum conſignata habemus. Non poſſunt illo libro carere, qui Philoſophiæ genuinæ & antiquæ operam dant. Ab his incunabulis arceſſenda ſunt Veterum dogmata, a Recentioribus recocta, ita in orbem abeunt omnia, veteresque opiniones, quaſi ex ruderibus & cineribus reſuſcitatæ, vel novitatis aliqua ſpecie obtrudi ſolent. Facile eſt hujus hiſtoriæ gnaro omnium in Philoſophia Novatorum ſententias ad ſua revocare principia. Extant multorum in hunc Auctorem Commentationes, Henrici Stephani, Iſaaci & Merici Caſaubonorum, Thomæ Aldobrandini, & demum Ægidii Menagii, qui perpetuos in hunc Auctorem Commentarios ſcripſit & ex hiſtoriis rem philoſophicam diligenti collatione illuſtravit. Edidit ille Diogenem, cum ſuis & aliorum Commentariis, Londini anno 1664. in fol. (*a*) quam tamen editionem Auctor ipſe improbare viſus

(*a*) Editio, quæ *h. l.* memoratur, Diogenis Laërtii Menagiana Græco-Latina, longe nitidior pariter

viſus eſt, ob Erratorum multitudinem, novam in Gallia ſe editurum minatus, quæ tamen ex illo tempore nondum comparuit. Recudere in Germania voluerunt Opus aliqui, quod caro nimis vendunt Angli, ſed deterruit hactenus illos opinor, quod novam & locupletiorem a Menagio metuerent Editionem. Paravit etiam Salmaſius Comm. in Laërtium, teſte Laur. Craſſo *T. II. Elog. p.* 211.

EVNAPIVS. Sub Theodoſio M. vixit Eunapius, Sardibus natus, unde 2
Sardianus quoque dicitur; ſcripſit *Vitas Philoſophorum & Sophiſtarum*, ſed pauca ſunt in illo libro ex tanto Oceano hauſta; Editus eſt Antwerpiæ in octavo, typis Plantinianis, anno 1568. & Coloniæ Allobrogum A. 1616. (*b*) cum MScriptis pluribus comparatus. Accedunt ejusdem Auctoris Legationes è Bibliotheca Andr. Schotti. Nemo hactenus fuit è Philoſophorum & Criticorum ſcholis, qui aliquam huic Operi operam impendere voluerit, quæ tamen non inutilis futura eſſet. Notas tamen in Eunapium molitus eſt Pet. Lambecius, Codice uſus manu Scaligeri notato. Vid. Lib. VI. de Biblioth. Vindobon. p. 263.

HESYCHIVS ILLVSTRIVS Mileſius. Heſychius Mileſius, Illuſtris 3
habuit Titulum, quem Græci ſua lingua efferebant ita: Ἰλλούστριος, ut nobilis νοβίλιος, fidelis φιδέλιος, Cardinalis καρδινάλιος. Peccant itaque, qui hoc quaſi cognomen ipſi tribuunt. Vixit ſub Anaſtaſio, Juſtino & Juſtiniano. Scripſit de iis, qui eru-

(A) 2 ditione

ter atque auctior Amſtelod. a. 1692. in 4. duobus recuſa Voluminibus, præter Verſionem Ambroſii Camalduenſis, a Viro Doctiſſ. Marco Meibomio (qui totius quoque Editionis curam geſſit), nunc demum ſuppletam & emendatam, *Notas* Aldobrandini & utriusque Caſauboni, ac *Obſervationes*, quæ multis hic acceſſionibus denuo locupletatæ comparent, Menagianas, novas exhibet Meibomii & Joach. Kühnii, Philologi Argentinenſis, *Annotationes*, Menagii de *Mulieribus Philoſophis Syntagma*, Editionum priorum omnium Præfationes & Epiſtolas Dedicatorias, XXIV. Philoſophorum imagines, e Nummis, Marmoribus aut Gemmis, depromptas, Olympiodori *Vitam Platonis*, Thomæ Galei *Varias* in Diogenem *Lectiones*, & Indices denique Joh. Clerici in illum pariter atque Commentatores. Prolixiorem illius Recenſum V. in *Actis Erud. Lipſ. M. Jul. an.* 1692. *p.* 315 - 319. & cæteris plerisque Literariis ejusd. an. 1692. Ephemeridibus, Gallicis ac Belgicis. De Editionibus Laërtii, quæ, præter geminam hanc Menagianam prodiere, Græca Una, Græco Latinis VIII. totidemque Latinis, Verſionibus item Gallica Franc. Fougerolii, Italica Joh. Felicis Aſtolfi, Germanica (Auguſtæ Anno jam 1490. excuſa) & Belgica, Dan. Heinſii, Pet. Lambecii & Joh. Bapt. Lantini, Curiæ Divionenſis Senatoris, Commentationibus in eum, partim affectis, partim inceditis, cæterisque ad Autoris pariter atque operis Hiſtoriam ſpectantibus uberiorem, locus ſe dicendi commodior *in Apparatu ad Notitiam Reip. Literariæ Geographicam*, Eunapium etiam & Heſychium Laërtio comites juncturo, poſthac offeret. Conferri interea de illo poſſunt Gerh. Joh. Voſſius L. 2. de *Hiſt. Græcis c.* 13. Joh. Jonſius *L. 3. de Scr. Hiſt. Philoſ. c.* 12. Thom. Popeblount *in Cenſura Autorum*, *p.* 158. 159. & Æg. Menagii, cæterorumque Editorum, ad Editiones ſuas Prolegomena.

(*b*) Eunapii (de quo Voſſius *l. c. Lib. 2. c. 18. p.* 252. Jonſius *l. c. L. 3. c.* 17. Popeblountius p. 261. 262. & Mart. Hanckius *L. 2. de Rer. Rom. Scriptoribus*, *P. I. c. 9. p.* 100 - 109. conſulendi) *Vitarum*, ex MStis pluribus emendatarum, novas editiones Græco-Latinas haud ita pridem polliciti ſunt Viri Celeberrimi, Rich. Bentleius, Anglus, Philoſtratorum eas adjuncturus Operibus, & Joh. Alb. Fabricius, Prof. Hamburgenſis.

ditione floruerunt, libellum exiguum, quem Hadrianus Junius (c) in linguam Latinam convertit, & breves aliquas notas addidit; Editus eſt Antwerpiæ Anno 1572. in 8vo typo Plantiniano. Scripſit & in illum Notulas Joh. Meurſius, Vir de omni Græca antiquitate optime meritus.

4 GERH. IOH. VOSSIVS. Dolendum eſt, virum hunc nobis ereptum fuiſſe, antequam perfecerat, quos moliebatur, libros. Nemo enim majori cura acceſſit ad omnem Philoſophiam, & ejus hiſtoriam, tum qua hiſtoriam, tum qua dogmata, è fontibus & incunabulis ſuis arceſſenda. Immortuus eſt Operi de *Philoſophia & Philoſophorum Sectis*; exiguo ſane libello, ſi cum materiæ amplitudine compares. Edidit filius ejus, Iſaacus Opus, hoc (d) affectum potius, quam effectum, Hagæ Comitis an. 1657. in 4to. Quare mirum non eſt, toties ipſum notari à Scriptoribus poſterioribus, qui accuratius rem illam penſitarunt, quanquam exiguus illorum numerus, & pene nemo hactenus fuerit, qui hoc argumentum pro dignitate tractarit. Eſt tamen alterius præ altero diligentia & cura laudanda. Ponenda itaque hactenus inter deſiderata vera & perfecta Hiſtoria philoſophica.

5 GEORGIVS HORNIVS. Scripſit & ille *Hiſtoriam Philoſophicam* libris 7. in qua veterum philoſophorum doctrinam proponit, & cum novis quoque confert, ſed in veteribus indiligens & inaccuratus, nonnunquam in digreſſiones ſupervacuas dilabitur, ut exteinporalis potius, quam cura aliqua ſcriptus, liber videatur. Nam pene omnia iſtius Viri ſcripta ſunt αὐτοσχεδιάσματα, a calamo ad typum ſtatim propulſa; omnia enim ex memoria depromſit, vix aliquo libro conſulto. Quæ de recentioribus afferuntur, itidem exigua ſunt, nec magna cura conſcripta, (e) legi tamen & conferri cum aliis poteſt in iſtius argumenti ubertate, & defectu ſcriptorum, undecunque corradendi ſunt, qui quadam in parte exornare illam materiam conati ſunt. Editus eſt ille liber Lugd. Batav. anno 1655. in 4to.

IOH.

(c) Heſichii (de quo Voſſius *L. 2. c. 22.* p. 268. 269. Jonſius *L. 3. c. 19.* Hanckius *in Lib. de Scr. Rer. Byzant. P. I. c. 4.* p. 142-145. Guil. Cavius *P. II. Hiſt. Lit Scr. Eccl.* p. 108. 109. & *Homonymoſcopia noſtra, P. II. c. 5. § 38.* p. 478. 479. plura docebunt) Libellum, poſt Hadr. Junium, Græce & Latine, ediderunt Henr. Stephanus Lugd. an. 1593 in 12 & qui Junii *Caſtigationes*, Henr. Stephani *Animadverſiones, Notasque* ſuas, imo ipſius quoque Heſychii *de Rebus Conſtantinopolitanis* Opuſculum, ac Beſſarionis *Epiſtolam Græco-Barbaram*, illi adjecit, Joh. Meurſius Senior, Lugd. Bat. an. 1613. in 8.

(d) Voſſii hic Libellus & ſeorſim eſt recuſus, cum Joh. Jacobi a Ryſſel Continuatione ſed itidem nec plena ſatis, nec accurata, Lipſiæ 1690. in 4to & cum reliquis ejus Operibus, *Tomo* illorum *Tertio*, Amſtelod. an. 1701. in fol.

(e) De Georg. Hornio, ejusque *Hiſtoria Philoſophica*, haud mitius Autore noſtro judicium, & merito quidem, tulerunt Joh. Jonſius *L. 2. Scr. Hiſt. Philo. c. 20.* p. 315. Jac. Thomaſius *in Diſſ. de Doctoribus Scholaſticis § 15.* C. S. Schurtzfleiſchius *in Judiciis de Noviſſimis Prud. Civ. Scriptoribus, num. 12.* Thom. Crenius P. *III. Animadv. Philol. & hiſtor. c. 4.* p. 178. 179. & Burch. Gotth. Struvius *in Biblioth. Philoſ. c. 3.* p. 40.

IOH. IONSIVS. (*f*) Holſatus ille fuit, Rector ſcholæ Rensburgenſis, qui *de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ Libb.* 4. ſcripſit, Francof. anno 1659. editos in 4to; qui, ſi diutius vixiſſet, omnes, credo, in argumento Scriptores ſuperaſſet. Diligentiſſimus enim & accuratiſſimus ille fuit Inquiſitor veterum ſcriptorum. Hornius & Voſſius frequenter ipſi vapulant. Multa ipſi Menagius debet in Comment. Laërtianis, apud quem utramque ille paginam facit. Magna diligentia Veteres ſuper hoc argumento Scriptores, Editos, Ineditos, recenſuit. 6

BENEDICTVS PERERIVS. Jeſuita doctiſſ. fuit, cujus extant *Commentationes in Geneſin* (quibus cum fructu uſus eſt Sam. Bochartus in *Geographia* ſua *ſacra*) & *Libris 15. de communibus rerum naturalium principiis & affectionibus*, Coloniæ anno 1595. in 8vo editi, ubi lib. 4. antiquorum Philoſophorum placita, ſecundum Sectas, exponit, earumque Auctores. Habentur autem illic tantum Phyſica, in quibus recenſendis diligenter verſatur, illa quoque refutans pro aſſerenda Ariſtotelis doctrina, cum ſtudeat aliquantulum, in Veterum ſententiis recte ponendis vacillare aliquando videtur. 7

THEOPHILVS GALEVS. Edidit librum titulo *Philoſophiæ Generalis*, in cujus prima parte agit de ortu & progreſſu Philoſophiæ, ejusque traductione è ſacris fontibus. Id enim unice illic agit, ut demonſtret, Philoſophorum ſententias & Sectas ex veteri Hebræorum Philoſophia & Theologia fuiſſe derivatas. Id argumentum plenius exſequutus eſt in alio libro, qui Anglica lingua in 4to editus eſt, ſub tit. *The court of gentils*, i. e. *Aula Gentilium:* argumentum quidem præclarum, hoc eſt, dignum, in quo ſe exerceant ingenia elegantia. Galeus quidem laudandus ob illum conatum, qui hoc in argumento multos tamen anteceſſores habet, quibus non pauca debet, e. g. Auguſtinum Steuchium in *libris de perenni Philoſophia*, aliosque, qui data occaſione aliqua particulatim tractarunt. Utiliſſ. tamen liber eſt, quod hic quaſi in unum conſpectum omnia congeſta ſunt. Sed & ille tamen nimium interdum partibus ſuis favere videtur, & ad Scholam Judaicam trahere, quæ aliunde originem habent. Solet autem id familiare eſſe in argumento aliquo verſantibus, ut in theſeos ſuæ gratiam quidvis aſſerant & credant. Liber ille Latinus editus eſt Londini anno 1676. in 8. Ceterum Auctor ille diligentiæ ſuæ ſpecimina plura edidit, & novam Editionem Herodoti non ita pridem procuravit. 8

OTTO HEVRNIVS, Profeſſ. Leidenſis Medicus, Vir doctus, ſcripſit *Barbaricæ Philoſophiæ Antiquitatum libb. 2.* quorum primus inſcribitur *Chaldaicus*, alter *Indicus;* Multa illic habet collecta ex antiquis Autoribus, de Chaldæorum & Indorum Philoſophis & Philoſophia ac Magia, quam ſecundum partes diſtinguit in Aſiaticam, 9

(*f*) Quæ in laudem Joh. Jonſii noſtratis, & Scripti hujus, cujus Editioni an. 1659. munere Prorectoris in Urbis ad Mœnum Francofurtanæ fungens Athenæo, fato immaturo eſt immortuus, Cedro dignißimi, moneri & congeri a nobis poſſent, quamplurima, *Cimbria Literata*, brevitatis ſtudio, reſervamus.

ticam, Africanam & Europæam. Allata ſunt multa ex Autoribus loca prolixiora, quæ pene totum librum conficiunt; ſed tamen utile eſt, illa ſic junctim collecta habere. Ipſe pauca admodum de ſuo affert, nuda recitatione contentus. Liber editus eſt in 12. ex Officina Plantiniana anno 1600.

10 PALLADIVS. Indorum Philoſophia, vel exiguis, vel fabuloſis Autoribus, prodita eſt; pauca ejus veſtigia habemus apud Strabonem *lib. 15.* Plin. *l. 7. c. 2.* Plutarchum *in Vita Alexandri;* Arrianum *de expeditione Alexandri lib. 7.* & eundem *in Indicis;* Apulejum *in floridis;* Clementem Alexandrinum *l. 3. Stromatum;* Porphyrium *de abſtinentia l. 4.* Philoſtratum *in Vita Apollonii l. 3. c. 4 & 5.* Palladius autem de *gentibus Indiæ & Brachmanibus* ſingularem lib. ſcripſit, quem edidit Eduardus Biſſæus, Eques Auratus, è Bibliotheca Regia Anglica, Græce & Latine, Londini anno 1665. in 4to. Quis Palladius fuerit (*g*) vid. Voſſium *de Hiſtoricis græcis lib. 2. c. 19. p. 255. & lib. 3. p. 397.* Baronium *anno 388.* & illa, quæ Biſſæus proponit, Teſtimonia. Addidit quoque S. Ambroſii Tractatum *de locis, doctrina ac moribus Brachmanum*, item cujusdam *Deſcriptionem* Latinam *de Brachmanis*, tum primum ab ſe editam. Optime verſatus eſt in colligendis fragmentis obſcuræ alioquin & paucis cognitæ Philoſophiæ, è quibus tamen aliqua ejus veſtigia deprehendere licet. In tenebris enim verſantibus vel exigua lucis ſtructura jucunda eſt.

11 ABRAHAMVS ROGERIVS. (*b*) Batavus ille fuit, & lingua patria ſcripſit de philoſophia & religione Brachmanum hodiernorum. Quondam in iis terris peregrinatus, & admiſſus ad Brachmanum converſationem, multa ex illis expiſcatus eſt, quæ deinde in librum Commentarium conjecit, ut erant ipſi dicta. Incertum itaque, an illa Veteribus dogmatibus ex aſſe reſpondeant. Veroſimile enim eſt, ut apud omnes nationes quidam Sectarum & doctrinarum orbis eſt, ita & apud Indos fuiſſe. Obſervare tamen licet præcipua quædam, ut Metempſychoſin Pythagoricam, hodieque illis ſuperſtitioſe creditam, neque ſecura adeo omnia relatione tradi veroſimile eſt, cum peregrini homines, nec philoſophiæ ſtudiis imbuti, nec lingua ſatis promti, ſiniſtre interdum, vel accipiant nonnulla, vel interpretentur.

(*g*) Palladius hic (cujus *Tr. de Gentibus Indiæ & Brachmanibus* Lucas quoque Holſtenius, *in Syſtemate Geographorum Græcorum Minorum*, edere voluit) an idem ſit, uti Morhofium credidiſſe è Voſſii & Baronii allegationibus apparet, cum Palladio Galata, ex Monacho Paleſtinæ Epiſcopo, ſub Sec. V. initium, Helenopolitano, ac tandem Aſponenſi, *Hiſtoriæ Lauſiacæ* Autore, adhuc ſub judice lis eſt, de qua V. Guilh. Cavii *Hiſt. Lit. Scr. Eccl.* p. 205. Ambroſii *Tr. de Brachmanibus*, ceu Præſule Mediolanenſi indignum, Monachi Congreg. S. Mauri Benedictini, in noviſſimam ſuam Operum hujus Editionem, noluerunt admittere.

(*b*) Abr. Rogerius, Eccleſiaſtes Batavorum, in Littore Indiæ Coromandelenſi, ab an. 1630. per decennium, fuit Paliacattenſis, ac, in patriam reverſus, Goudæ a. 1649. obiit. Libri ejus Editio prima Belgica, ab A. W. ICto, curata, & notis illuſtrata eruditis, Amſtelod. A. 1651. prodiit in 8. Conf. de illo *Polyhiſtoris* hujus *T. I. L. I. c. 3. §* 27. & adde Judicium Herm. Conringii honorificum, *in Antiquit. Acad. Supplem. V.* p. 214. obvium.

tur. Illum librum in Germanicam linguam convertit CHRISTOPHORVS ARNOLDI, Profeſſ. & Eccleſiaſtes Norimberg. addito paralleliſmo ceterarum gentium Orientalium, in religione ac philoſophia; qui labor utiliſſimus eſt, & quaſi compendio quodam proponit omnem Aſiaticam, Americanam & Africanam Idololatriam, & doctrinam in naturalibus, Tit. libri eſt: Aſiatiſches, Afrikaniſches und Amerikaniſches Heidenthum. Rogeri libellus præmittitur, cum tit. Offene Thür zu dem verborgenen Heidenthum. Cetera adduntur a Chriſtoph. Arnoldo. Liber editus eſt Norimbergæ anno 1663. in 8vo. Inveni quoque in Catalogo rariſſimorum librorum Corn. Lerkii, qui [illegible] Hafniæ venduntur, inter MScriptos unum, cui tit. *Vanimavdry Theologia Indostomis tribus.* Crediderim Virum illum, qui diu in Hiſpania vixit, Regis nostri Legatus, in hunc librum incidiſſe apud peregrinatorem quendam, & ipſa lingua Indica eſſe ſcriptum.

FRANCISCI PATRICII HERMES & ZOROASTER. (*i*)

Ægyptiorum & Chaldæorum prima apud omnes fama eſt, quibus adjungendi quoque Thraces. A Barbaris illis prima ſapientiæ initia, ſive ab Hebræis ad illas pervenerint, ſive e traditionibus Majorum, quorum cum Patribus primævis converſatio fuit; ſed obſcure omnia & incerta fide referuntur. Id quidem veriſſimum eſt, extitiſſe illos Philoſophos, & fuiſſe illorum ſcripta diligenter à poſteris ſervata, ſed poſtmodum ab iis, in quorum manus inciderant, interpolata, vel plane falſa illis ſuppoſita. Fuerunt tamen, qui fragmenta aliqua ejus Philoſophiæ collegerunt. Hermes quidem, quem antiquiſſimum alias Ægyptiorum Philoſophorum faciunt, fuit ejus nominis Magnus apud illos Philoſophos; ſed, an genuina ſint, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, affirmari non poteſt. Publicavit Franc. Patricius Hermetis Trismegiſti libellos 20. una cum ejus fragmentis, quæ habentur in *nova* ejus *de univerſis philoſophia.* Non deſunt, qui exiſtimant, multa eſſe in illis, vel a Chriſtianis primis conficta, vel aliunde etiam ſuppoſita, quam litem definire vix noſtrum erit. Videantur, qui de ſcriptis Hermetis diſquiſitiones inſtituerunt, Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco*; J. Henr. Urſinus in peculiari libro; Ol. Borrichius in libris adverſus Conringium de *Hermetica Medicina* ſcriptis. Caute in illis rebus procedendum eſt, neque ſtatim omnia pro falſis & confictis habenda, ubi hiſtoria deficit; nam nec in gentibus ceteris, extra Græcos & Romanos, & nec in illis quidem, certe explorata rerum initia. Nos ad Zoroaſtrem venimus, de cujus ætate, nomine, natione, omnia ſunt

(*i*) De Hermete Trismegiſto & Zoroaſtre, illorumque Monumentis, Autori etiam *T. I. L. I. c. 10. §§ 7 9. ſqq. c. 11. §. 6. & c. 13. §. 14. ſq.* memoratis, quæ moneri *h. l.* potuiſſent, ex *Homonimoſcopiæ* noſtræ, Judicia etiam autorum aliorum, fuſius de iis commentatorum, exhibentis, *P. II. c. 1. §. 16. & 17* p. 255-267. repeti malumus. Zoroaſtris Hiſtoriam haud ita pridem Thomas quoque Hydius, *in Hiſtoria Religionis veterum Perſarum*, Oxoniæ an. 1700. edita, egregie illuſtravit. De Trinitate Gentilium, imprimis Platonica, cujus *h. l.* facta eſt mentio, conferri meretur Gothofr. Vogtii, Scholæ olim Hamburg. Rectoris, *Exerc. Hiſtorica de Sacroſancta unius Divinitatis Triade ex ſententia Gentilium, præcipue Græcorum, cum ante, tum poſt Chriſtum natum*, Roſtochii an. 1675. *in 4to* excuſa.

ſunt controverſa. Aliqui Bactrianum, aliqui Medum aut Medo Perſam, faciunt; ætas ejus ad Abrahami tempora vulgo refertur, genus etiam diverſum aſſignatur; quæ omnia diligentiſſime collegit Joh. Marshamus, Eques Auratus Anglus, in *Canone* ſuo *Chronico Ægyptiaco, Hebraico & Græco, pag. 144. 145.* Editionis Liptienſis, qui tamen nihil definit in tanta incertitudine. Perſæ ipſum pro Patre Magorum habent, ac præceptorem Pythagoræ facit Apulejus. Mentio ejus multa, & magna apud antiquos Autores fama. Sic recenſentur paſſim ap. Platonem, & Platonicos, præcipue recentiores (quod ſuſpicionem alicujus corruptionis arguat,) ejus ſententiæ. Hæ ſententiæ, undecunque collectæ, uno volumine editæ fuerunt ſuperiore ſeculo in Gallia. Sexaginta enim Oracula, à Juliano quodam Chaldæo Græce facta, Pariſiis excuſa ſunt anno circiter 1530. in quibus ipſa pene Chriſtiana fides, myſteriumque Trinitatis proponitur; quam ob cauſam ſuſpicati fuerunt multi, pia quadam fraude hic actum fuiſſe, & ſuppoſita quædam à Chriſtianis ad convincendos Gentiles. Clarior enim illic Trinitatis notitia, quam in ipſo V. Teſtamento. Sed aliter tamen dicendum eſt, ſi inſpiciamus ſcripta Platonica, in quibus Trinitatis quædam Idea ſimiliter repræſentatur, quæ non aliunde, quam è talibus libris hauſta videtur. Platonis Platonicorumque ſententias omnes de Trinitate principiorum collegit diligentiſſime Auguſtinus Steuchus integro libro ſecundo de *perenni philoſophia*, ubi collationem inſtituit Platonicæ hujus doctrinæ cum myſterio Chriſtianorum: Voluit & Scaliger in libro de *Subtilitate; Exercitatione 365. ſect. 3.* ex Ariſtotele aliquam Trinitatis Ideam exſtruere, qui ipſe ea de re videri poteſt. Hujus Ariſtotelicæ cum Platonica Collationem inſtituit Henr. Morus *in ſcholiis capitis 28. Enchiridii* ſui *Metaphyſici*, qui & è Cabaliſtis doctrinam de Trinitate adſtruit, *in deſcriptione tabularum Cabaliſticarum p. 464.* Legi etiam poteſt Is. Caſaubonus in *Exercitationibus* ſuis *Anti-Baronianis*, qui de hujus generis ſcriptis, & Sibyllinis verſibus, peculiarem diſquiſitionem inſtituit. Ex ſtylo & dictione multa colligi poſſunt. Zoroaſtris illa Oracula cum Auctario ſententiarum, ex antiquis auctoribus collecta, edidit Franc. Patricius, vir doctiſſimus, de quo infra plura dicemus. Is *novam de univerſis philoſophiam* ſcripſit ad Pontificem Gregorium XIV. ejusque ſucceſſores, qua illud agebat, ut, excuſſo e manibus juventutis Ariſtotele, Platonica philoſophia reſtitueretur. Quod ut obtineret, monſtravit primo, Ariſtotelis libros eſſe mutilos & ſuppoſitios, ac veteribus ſurreptos, integro libro in fol. cui tit. *Diſcuſſiones Peripateticæ.* Edidit poſtea aliquos tractatus philoſophicos, quos complexus eſt uno libro, cui tit. *Nova de Univerſis Philoſophia*, edito Ferrariæ, anno 1591. in fol. Hic, non per motum, ut Ariſtotelica methodus facit, ſed per lucem & lumina, ad primam cauſam aſcendere conatur. Nolo quicquam jam de ejus conatu judicare; Id certum eſt, illum potius hac doctrina Enthuſiaſtas philoſophos effecturum, quam methodo aliqua inſtitutos; quæ tamen in re ſcholaſtica neceſſaria eſt. Certe, ſi ejus philoſophia in ſcholas fuiſſet recepta, nec Doctores, quod docere poſſent, habuiſſent, nec diſcipuli, quod diſcerent, & meras in iſta via lucis tenebras inveniſſent. Ut itaque omnia ex ovo accerſit, ita Zoroaſtris Oracula præmiſit cum aliquo Commentario. Hæc Zoroaſtræa doctrina peculiari libro triennio poſt eſt comprehenſa à Ioh. Iessenio à Iessen, Philoſopho

&

& Medico Pragenſi, viro quidem docto, ſed qui fatorum violentia tandem ſuccubuit in Executione Pragenſi. Liber aliquoties editus eſt. Una ejus editio Wittebergæ prodiit anno 1593 in 8vo, qui ſub *Zoroaſtris* titulo promittit novam, brevem, veramque de univerſo Philoſophiam. Vide de nomine Zoroaſtris Menagium *in Commentario ad Diog. Laërtium p.* 3.

SNORRONIS STURLÆ EDDA ISLANDORUM. Ad barbaro- 14
rum Philoſophos referendi quoque ſunt Septentrionum filii; neque enim credat quis, adeo frigidum ſanguinem circa præcordia illis obſtitiſſe, ut nec ipſi aliquam Philoſophiæ partem attigerint. Si audimus recentiores Sveciæ Criticos, pene inter primos fuere, qui philoſophiam alios docuerint; quicquid enim de Orphei dogmatibus traditur, id à ſe profectum putant, namque illum, ut popularem ſuum, laudat Rudbeckius in *Atlanticis* ſuis. Non eſt nunc locus, ea omnia ſub examen revocandi. Ut in tenebris interdum aliqua palpamus, ita & in his fabularum nubibus aliquam interdum veritatem apprehendimus, quanquam metus ſit, ne interdum nubem pro Junone amplectamur. Latitant tamen aliqua in Septentrionis priſcis monumentis, quæ omnem & Græcam & Latinam antiquitatem longe ſuperant. Ol. Rudbeckius certe vir ingenioſiſſimus eſt, &, quæ illic magno apparatu & molimine e tricis iſtis evolvit, ſi non ſerenam, creperam tamen lucem oſtendunt. Incumbunt nunc in Antiquitatum Septentrionalium ſtudium præ cæteris Sveci, apud quos ſingulare Collegium hoc ſcopo inſtitutum eſt. Eſt illic Profeſſor Septentrionalium linguarum, Runicæ, & antiquæ Gothicæ, Olaus Verelius, vir doctiſſimus, cujus extant multi in Gothica aliquot monumenta Commentarii. Olim in animo habuit Georgius Stiernhielmius, Nobilis Svecus, ſingulare aliquod ſyſtema philoſophiæ & literaturæ iſtius veteris ſub tit. *Runæ Svecicæ*, ſed labori illi immortuus eſt, & poſt mortem ejus tantum apparuerunt vagæ ſchedulæ, quas in ordinem redigere nemo potuit, ut in literis ad me datis teſtatur vir clariſſimus Joh. Schefferus, cujus extat in ſimili argumento (*Upſalia antiqua*) præclarum antiquitatum iſtarum ſpecimen. Edidit quidem Stiernhelmius *Synopſin* ipſius *Runæ*, in qua habentur nuda illa capita totius tractationis, promiſerat quoque, in aliis quibusdam ſchedis ſuis, hiſtoricas tractationes de ortu veterum Gothorum & Scytharum, adverſus Cluverium & alios, ſed intra ſpem & titulos omnia ſubſtiterunt. E *Synopſi* illa apparet certe, magna illum agitaſſe animo, quæ ſi probare omnia ſufficienter potuiſſet, Svecicæ genti ſe totas deberent linguæ Hebraica, Græca, Romana; imo Græci Idololatriam & Theologiam ſuam cum illis communes haberent. Quæ quidem non omnia fruſtra dicuntur; eſt enim inſignis locus apud Diod. Siculum, *l. c.* 47. qui diſertis verbis teſtatur commercia Orientalium & Græcorum cum Hyperboreis & de Religione inter Græcos & Hyperboreos communi. Diodorus vero Siculus, qui Bibliothecas veterum perreptaverat, multa invenit in aliorum ſcriptis, quæ alias hodie ignorarentur. Idem teſtantur non obſcure veteres illæ Septentrionalium fabulæ, quæ anno 1215. in unum corpus compactæ ſunt à Snorrone Sturla, ſub tit. *Edda Islandorum*, i. e. Philoſophia Islandorum. Fuit vero Snorro Sturla Islandiæ νομοφύλαξ. Ex antiquis codicibus

MScriptis Bibliothecæ Regiæ illam edidit, & notulas quasdam adjecit PETRUS JOH. RESENIUS, Juris & Ethices Profeſſ. & Conſul Hafnienſis, Anno 1665. in 4to; (k) illa autem omnia dudum fuerunt ante Snorronem iſtum, qui ex antiquis gentis monumentis illa collegit. Ceterum tota ejus libri hiſtoria & argumentum, cum Sectis aliorum Philoſophorum collatum, habetur in præfatione illa Reſeniana. Verum, ut audio, Sveci habent, quæ in ea editione improbent, &, ſi recte memini, novam pollicentur. Ex iſtis vero fabulis manifeſte patet Aſianorum in Septentrionem adventus, cultus Deorum, Solis, Martis, Jovis, reconduntur multæ Moſaicæ hiſtoriæ, ſed miris fabulis deturpatæ: legitur & illic de diluvio univerſali. Ex illis, tanquam fragmentis & laciniis, colligi quadantenus poteſt illorum hominum Philoſophia naturalis & moralis, & de Diis illorum doctrina. Trahi in ſubſidium poteſt Olai Wormii *Tractatus de literatura Runica*, ubi habentur vetera aliqua Carmina Runica, in laudem virorum fortium ſcripta.

CAP. II.

DE PHILOSOPHIÆ PYTHAGORICÆ HISTORIA, EIUSQUE SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Hos inter eminet Joh. Schefferus, Opus de Philoſophia hac vaſtum molitur, cujus Prodromus eſt* Liber de ejus Natura ac Conſtitutione, *A. 1664. editus.* 2. *Jungendi huic Jamblichus (ineptum nactus Interpretem Joh. Arcerium,) & Malchus, ſive Porphyrius,* de Vita Pythagoræ, *& prior etiam* de Myſteriis Ægyptiorum, Myſticaque *eorundem* Theologia, *commentati, Origenes, Autor Φιλοσοφουμένων, inter Codd. Lucæ Holſteinii (quorum Editio deſideratur) reliquorum MSStos.* 3. *Ocellus Lucanus, Scriptor* Libelli de Natura Univerſi, *ab Ariſtotele compilati, ſolus e Vett. Pythagoricis ſuperſtes, ejusque Editores ac Commentatores, quos inter Car. Eman. Vizzanius eminet; Timæi item Locrenſis Fragmentum* de Anima Mundi & natura *dubium:* 4. *Nicomachus & Jamblichus, qui Arithmeticam ex ſenſu Pythagoræ propoſuerunt. Qua occaſione de doctrina Numerorum Pythagorica (a Joh. Meurſio & Pet. Bungo illuſtrata, a Johanne Heydon vero, Enthuſiaſta Anglo, ad necromantiam*

(k) De Edda utraque, Antiquiori Sæmundi Sigfuſonii, Sec. XI, & recentiori Snorronis Sturleſonii, Sec. XIII. congeſta, præter Reſeniana hujus Prolegomena, conſuli poſſunt, quæ in *Iſagoge* mea *ad Hiſt. Cimbr. P. II. c. 1. p. 4. 5. 6. in Homonymoſcopia. P. I. c. 1. §. 5. p. 11. 12. in Hypomnematis ad Alb. Bartholini Lib. de Script. Dan. p.* 378 - 379 - 404. 408. iſtorumque *Spicilegio p.* 45. 46. 47. ſuſe ſunt allata. De Ol. Rudbeckio, Ol. Verelio & Georg. Stiernhelmio, illorumque Scriptis & Sententiis Paradoxis, Joh. Schefferi *Svecia Literata*, & mea ad hanc *Hypomnemata*, locis ſuis, conferantur, Stiernhelmii *Runæ Svecicæ Capitum Synopſin* Morhofius; in *Tr. Germanico de Lingua & Poeſi Germanica, P. I. c. 1. pag.* 11. 18. integram Lectoribus ſuis exhibuit.

mantiam detorta,) quam Hebræorum Cabalæ debuiſſe creditur, Sinenſium per Lineas philoſophandi Methodo, Pulſuumque Medicina, & Tetractus tandem Pythagorica, ab Erh. Weigelio explicata, haud pauca inſpergantur. 5. *Philoſtratus, Scriptor Vitæ Apollonii Thyanæi, Pythagorici, de cujus Miraculis, an Magica arte patrata, an vero in Chriſtianorum invidiam conficta ſint, in utramque partem diſputatur.* 6. *Franc. Georgius, cujus* Harmonia mundi *anſam ſuggerente, Pythagoræorum Harmonica Univerſi Proportio (a Joh. Pico, Rob. Fluddio & Henr. Mobrio, etiam defenſa,) & Chimarici Orbium Cæleſtium Concentus, impugnantur, ſimulque de miranda Muſices vi & efficacia diſſeritur.* 7. *Ambr. Rhodii* Dial. de Transmigratione Animarum Pythagorica, *in cujus, Ægyptiis quoque & Indis creditæ, Fontes, Senſum & Veritatem, obiter inquiritur.* 8. *Carmina Aurea, Pythagoræ vulgo adſcripta (de quorum Autore controverſo, ac Editionibus, nonnulla monentur,) & Hieroclis Pythagoræi in illa* Commentarius. 9. *Paganini Gaudentii (cujus extemporalis in ſcribendo notatur feſtinatio)* Diſſ. de Pythagorica Animarum Transmutatione.

PRocedimus jam ad Sectas Philoſophorum, inter quas primo loco referenda 1
eſt illa, quæ dicitur ITALICA, cujus Autor PYTHAGORAS habetur; nam eorum, qui ante Pythagoram vixerunt, obſcura eſt fama & doctrina, quanquam & ipſius Pythagoræ dogmata non adeo in aprico ſint, omnibusque pateant. Fuit tamen JOH. SCHEFFERUS, vir Celeberrimus, Academiæ Upſal. Prof. qui, juſſu Chriſtinæ Reginæ, philoſophiam Pythagoricam integro Syſtemate complecti conatus eſt, Gaſſendi exemplo, qui Epicuream doctrinam, è ſuperſtitibus ejus philoſophiæ monumentis, in unum corpus compegit. Cui tamen, ad extruendum hoc Syſtema, plus materiæ fuit, quam Scheffero, qui vel e Platonis & Ariſtotelis ſcriptis, vel è Jamblichi vita Pythagoræ, & ſimilibus ſcriptoribus, per meras lacinias & fragmenta, colligere illam debuit. Sed dolendum eſt, integrum opus non conſpexiſſe, ipſo vivente, lucem: ejus autem magnam partem ſupereſſe, & Catalogus Operum ejus, & literæ ad me ſcriptæ, teſtantur. Non habemus nunc niſi prodromum vaſti Operis, *librum de natura & conſtitutione Philoſophiæ Pythagoricæ*, qui prodiit Upſaliæ in 8. an. 1664. (*l*) Quo in lib. *ὡς ἐν κεφαλαίῳ*, & velut per ſummam, philoſophiæ Pythagoricæ capita quædam proponuntur.

(l) Joh. Schefferi (in *Hypomnematis* noſtris ad *Sveciam* ipſius *Literatam p.* 456-463. fuſius celebrati) *Lib. de natura & conſtitutione Philoſophiæ Pythagoricæ*, denuo, adjectis Pythagoræ *Carminibus Aureis*, excuſus Wittebergæ anno 1701. *in* 8. cum *Præfat.* Conr Sam. Schurtzfleiſchii prodiit. Jac. Thomaſio (in *Schediaſm. Hiſtor.* §. 13. p. 5.) *Aureus* is audit, Schurtzfleiſchio autem (*in Præfat. cit*) *perutilis, & reconditæ eruditionis plenus, qui magnum Autori nomen famamque conjecit.* Inediti hactenus latent, & manum ultimam (teſte *Svecia* ipſius *Literata p.* 300) deſiderant, Ejusdem *Pythagoras, ſeu de Vita Pythagoræ Liber, Tr. de Claris Pythagoræis, & Libri III. de Philoſo-*

phia

2 JAMBLICHUS & MALCHUS. Ad hiſtoriam Philoſophiæ Pythagoricæ prodeſt, noſſe illos, qui Vitam iſtius Philoſophi conſcripſerunt. Extat Jamblichi Chalcidenſis de *vita Pythagoræ* liber, Græce & Latine editus à Joh. Arcerio in 4to, anno 1598. Hunc habemus quaſi indicem paucorum ejus dogmatum; ſed libri tantum duo infeliciter ab Arcerio editi, plena mendis omnia, inepte non nunquam converſa, ut mirari ſatis non poſſim, neminem hactenus fuiſſe e ſagaciſſimis Criticis, qui huic Auctori limam addere voluerit: ſed difficile eſt, ex ipſis fontibus ſuis & principiis aliquid eruere. Libros ejus quatuor MScriptos habuit Lucas Holſtenius, ut patet ex Indiculo illo MScriptorum Holſtenianorum, quem mecum communicavit Amicus. (*m*) Jungendus eſt huic libro Jamblichi alter *de myſtica Ægyptiorum Theologia*, ſed quem itidem in Bibliotheca ſua ineditum ſervavit Holſtenius, diverſum, ut apparet, ab illo, qui *de myſteriis Ægyptiorum* à Jamblicho ſcriptus eſt, quem Thomas Galeus, Anglus, nuper edidit Oxoniæ, Anno 1678. una cum Notis ſuis, inquo multa habentur, quæ pertinent ad veterem illam Pythagoricorum & Ægyptiorum doctrinam, multa de omnium ſpirituum & dæmonum negotio. Extat & Malchi (n) *de vita Pythagoræ* liber, editus à Conrado Rittershuſio cum notis, Altorfi anno 1610. in 8tavo. Porphyrii quoque liber extat *de vita Pythagoræ*, quem, cum aliis ejus Opuſculis, in lucem dedit Holſtenius, Romæ in 8tavo anno 1630. qui cum plura alia MSta volumina poſſederit, hactenus inedita, optandum ſane eſſet, ut MStorum illorum hæres operam iſtorum Editioni impenderet. Inter quæ, ut obiter hoc memorem, habentur quoque Origenis *Philoſophumena, liber de variis Veterum Philoſopherum ſectis & opinionibus*, in quo procul dubio multa latent ejus argumenti. Fuit Origenes, χαλκέντερος inde dictus, incredibilis librorum expugnator & ſcriptor, præterea doctiſſimus, & veteris philoſophiæ etiam in Chriſtianiſmo, ultra quam par eſt, tenax Ceterum & *Vita Pythagoræ*, à Jamblicho ſcripta, cum nova Verſione & Notis, promittitur ab illo Thoma Gale, qui librum *de myſteriis Ægyptiorum* edidit.

OCEL-

phia Pythagorica. Idem Argumentum, ſed brevius, illuſtrarunt Joh. Schilterus, JCtus hodie Argentinenſis, in *Diſſert. de Diſciplina Pythagoræa*, Lipſiæ in 4. edita, &, ſub finem *Manuductionis* illius *ad Philoſophiam moralem*, Jenæ anno 1676. in 8. recuſa, ac M. Joh. Jac. Syrbius, Ord. Philoſoph. Jen. Adjunctus, in *Pythagoræ, intra Sindonem noſcendo, ſeu Hiſtorica in Phyſicam Pythagoræam Introductione*, quæ Jenæ an. 1702. in 8. prodiit.

(*m*) Codicum Lucæ Holſtenii ineditorum Indicem, qui *h. l.* allegatur, integrum invenies *T. I. Polyhiſt. L. I. c. 7 §. 66.*

(*n*) Malchus & Porphyrius perperam ab Autore, tanquam duo diverſi totidem diverſorum de Vita Pythagoræ Librorum Autores, laudantur, cum, qui ſub Malchi nomine, curante Rittershuſio, prodiit, idem ſit cum Holſteniano, Porphyrii inſerto Opuſculis. Philoſophus ſcil. iſte Sec. III. Paganus, gente Syrus, Nomen ſuum *MALCHI* vernaculum, Re-

OCELLUS LUCANUS (o) Fuit ille antiquiſſimus philoſophus Pythago- 3
ricus, qui ante Ariſtotelem de *natura univerſi* ſcripſit. Hunc ſuperſtitem habemus pene ſolum ex Autoribus doctrinæ Pythagoricæ. Extat & quoddam Timæi Locrenſis fragmentum *de anima mundi & natura*, editum Pariſiis anno 1555. in 8. ſed non usque adeo plenam meretur fidem. Hujus Ocelli Lucani ſcriptum genuinum eſt; Edidit Ludovicus Nogarola cum notis; & poſtea Carolus Emanuel Vizzanius, Bononienſis, qui diligentiſſime contulit, quos nanciſci potuit MStos Codices, & meliores Editiones; prodierat tamen ante Nogarolæ opera, qui Venetiis anno 1559. ediderat. Latine tantum prodiit Lugduni anno 1541. Guilhelmo Chriſtiano interprete, ut ideoque primus non ſit Nogarola, qui in linguam Latinam convertit, ut ipſe jactat. Impreſſit poſtea ipſum illud exemplar Commelinus anno 1596. Optimus Comm. in illum Autorem eſt Vizzanii, nam Nogarolæ breves tantum notæ ſunt. Emendavit itaque Autor ille tum ipſam Verſionem, tum Paraphraſin, addidit & Commentarios pleniores, quibus argumentum philoſophicum illuſtratur ulterius locis Platonicis & Ariſtotelicis. Hujus Ocelli paſſim ſunt ap. Græcos Encomia, & apud ipſum Ariſtotelem. Illud, quod *de natura univerſi* ſcripſit, totum pene Ariſtoteles exſcripſit, ut vel ex uno hoc pateat, non adeo falſos eſſe, qui Ariſtoteli plagia, in veteres Philoſophos commiſſa, imputant. Omnia enim, quæ pro æternitate mundi apud Ariſtotelem argumenta occurrunt, ex his fontibus hauriuntur, ut conferenti patebit. Si alios haberemus aliorum Philoſophorum & hujus ipſius libros ſuperſtites, plura fortaſſis obſervare liceret. Editus eſt Vizzanii Commentarius Amſtel. anno 1661. in 4to.

JAMBLICHI Chalcidenſis *Introductio in Nicomachi Arithmeticam & de fato.* 4
Fuiſſe è Pythagorica ſchola Jamblichum, notum eſt, & Nicomachum quoque. Is ſcripſit Arithmeticam ex ſenſu Pythagoricorum, cujus MStum, cum ſcholiis marginalibus antiquis, habebatur in Bibliotheca Holſteniana. Illum Auctorem edidit Samuel Tennulius, Belga, qui primus è Codice Memmiano deſcripſit, cum Codice Regiæ Bibliothecæ Gallicæ, Romanoque contulit, Latine vertit, notisque illuſtravit. Incipit vero liber ille a libro quarto, nam ceteris editis traditur Vita Pythagoræ. Liber quartus certe, qui unicus hic eſt, ut tit. promittit, Introductionem in Arithmeticam Nicomachi continet. Ipſa vero Nicomachi Arithmetica integra habentur in Bibliotheca Holſteniana, quæ hactenus edita eſſe mihi non conſtat. Vide Tennulium *p.* 67. *in notis.* Extant quidem Notæ Joach. Camerarii in duos libb. Arithmeticæ Nicoma-

 chi,

Regem ſignificans, hortatu Dionyſii Caſſii Longini, Præceptoris, cum Græco PORPHYRII, a purpura, veſte Regum propria, derivato, commutavit, velut, ex Eunapio, aliisque, in *Homonomoſcopia* noſtra, P. 3. c. 4. §. 3. p. 806. 807. eſt oſtenſum.

(o) Ocelli Lucani de *Univerſi natura*, & Timæi Locri *de Anima mundi & Natura*, Opuſcula, Græce & Latine denuo ſunt recenſita, Notisque illuſtrata, à Thoma Galeo, in *Opuſculorum* veterum *Mythologicorum, Phyſicorum & Ethicorum*, collectione, Cantabrigiæ an. 1671. & Amſtelod. an. 1668. in 8. publicata.

chi, doctæ & laborioſæ, quas adjecit Tennulius ſuæ Editioni. De iſto Nicomacho legatur Tennulius *in notis pag. 64. 65. 66.* Utilis eſſe liber ille poteſt ad intellectum Pythagoricæ Philoſophiæ, quæ in numeris tota verſatur. Edita ſunt hæc Arithmetica etiam Lutetiæ anno 1538. teſte Voſſio *de ſcientiis Mathematicis*, *c.* 10. §. 1. Extat & alter hujus Jamblichi liber, cui titulus: *Arithmetica Theologumena*, qui editus eſt ibid. anno 1543. quo plenius traditur, quod ad Philoſophiam de numeris Pythagoricam pertinet. Non inepta eſt illorum ſententia, qui hanc numerorum doctrinam Hebræis, & eorum Cabalæ, debuiſſe Pythagoram exiſtimant, ut late explicare contendit Henr. Mohr, in *Cabala* ſua, Anglica lingua ſcripta, ubi plurima dogmata Pythagoræa confert cum Hebræorum dogmatibus, atque ipſam adeo doctrinam de ſolis quiete, quam è Judæorum ſchola hauſiſſe Pythagoram oſtendit. Non eſt omnino in vulgus notum, quid Pythagoras ſymbolica hac numerorum doctrina notare voluerit; nam è laciniis & fragmentis illa utcunque conjicere poſſumus. Galeus, ut omnia, ad Hebræos deducit ejus dogmata. Ego tamen, quod numeros attinet, exiſtimo, Pythagoram illis uſum fuiſſe, ut Ideis ſuis Platonem, formis Ariſtotelem, lineolis ſuis Chinenſes. Res enim eodem recidit, an verbo quodam nationali, an ſignis, exprimantur rerum differentiæ; ad conceptum enim mentis omnia tantum referuntur. Martinus Martinius, in *Decade* ſua *prima Hiſtoriæ Sinicæ*, ſub initium, ubi de Philoſophia Sinenſium agit, illorum philoſophandi per lineas modum plenius deſcribit. Quatuor ſc. lineas comminiſcuntur, & ex earum vario poſitu (variantur autem ſeptuagies) de poteſtatibus naturalibus argumentantur; quod ſi quis numeris efficere velit, res eodem recidit. Peripateticus efferre poſſit per illas ſuas formas formarum, & quæ naſcuntur ab illis, generales, ſpeciales, & ſubordinatas. Similia ſunt illis pene & longe petita in re Medica principia, ubi omnis Anatomes ignari, ſuas tamen de venis obſervationes, omni Medicorum choro inauditas, tradunt; de pulſibus neſcio quæ Meteora comminiſcuntur, quibus tamen illi mirifice, ut fama eſt, proficiunt. Nam & ſedes & cauſas morbi ſolo pulſu explorant, ac feliciter non nunquam pronunciant ac medentur, ut vel hinc pateat, de Medicis etiam verum eſſe, quod de Vatibus non nemo; *Omnium optime qui conjecerit, hunc Vatem perhibeto optimum.* Andr. Cleyerus (p) aliquis nuper myſteria hæc nobis revelavit, quæ, ubi in lucem protracta ſunt, riſum potius, quam applauſum, merentur, ac merito pudorem illis incutiunt, qui Europææ Medicinæ hujus perfectionem objicere non ſunt veriti. Quantum ex antiquis autoribus cognita eſt, numerorum illorum formalium doctri-

(p) Andr. Cleyeri, Caſſellis Haſſi, Med. Lic. & Societatis Indicæ in Nova Batavia Archiatri, *Specimen Medicinæ Sinicæ*, ſex Autorum diverſorum, partim Chinenſium, partim Europæorum, Opuſcula, ad mentem Chinenſium, Medica, de pulſibus morborumque Indiciis ex linguæ coloribus & affectionibus agentia, complectens, prodiit Francof. an. 1682. in 4. Recenſum ejus V. *in Actis Erud. Lipſ. M. Oct. an.* 1682 p. 301. 302. Georg. Hieron. Welſchius etiam *de Medicina Sinenſium Relationem Hiſtoricam Medico - Politicam* voluit edere, teſte Luca Schröckio *in ejus Memoria* p. 75.

doctrinam Pythagoricam magna diligentia eſt exſecutus Joh. Meurſius, in *Denario* ſuo *Pythagorico*, qui diligentiſſime inveſtigavit e Græcis Philoſophis, quæ ad illam pertinent. His addi poteſt *Petrus Bungus* in *libro de myſteriis numerorum*, qui & Pythagorica illa congeſſit, quanquam non iſto ordine, accuratione & diligentia, quam Meurſius. Plenius quidem & copioſius hoc argumentum tractavit, ſed multa addit non ex Pythagoricis fontibus hauſta, ſed è Cabaliſtarum & Enthuſiaſtarum ſcriptis, qui in hoc argumento valde ſunt operoſi. Aliqui ad ipſam Magiam & ſpiritum evocationem extendunt doctrinam hanc de numeris, quod facit Joh. Heydon, Enthuſiaſta Anglicus, in libro, cui tit. *The Roſie Crucian infallibile Axiomata, or, Generall Rules to know allthings paſt, præſent and to come*, Londini A. 1661. in 8vo edito. Ejusdem Autoris plura extant de Harmonia mundi, quibus multa magnifica promittuntur; hæc tamen omnia imputantur doctrinæ Pythagoricæ, ac nemo inter Enthuſiaſtas tam obſurdus eſt novis ſententiis & ſomniis, quæ non velit ex antiquiſſimis Philoſophis, S. Scriptura, & Cabala Hebræorum, deducere. Qui homines ſuis ſenſibus & ſpeculationibus permittendi ſunt, ut Achivus ille Horatianus, qui ab amabili inſania per Medicum revocari nolebat. Tetractus Pythagorica, quaternarius numerus, in magna veneratione apud Pythagoram, ejusque aſſeclas, fuit: hinc per illum numerum juramenta ipſis concepta. Sunt, qui hoc ad Tetragrammaton Hebræorum referunt. Erhardus Weigelius, Prof. Acad. Jenenſis celeberrimus, multus eſt in Tetractus hac Pythagorica explicanda & demonſtranda, cujus extant varia ſuper hoc argumento Opuſcula, diverſis temporibus edita. Eſt ejus *Θεόδεξις Pythagorica*, qua laborat è numeris realibus demonſtrare exiſtentiam Dei, item *de Corpore, divini numinis charactere demonſtrativo alia Diſſertatio*, ubi multa de quaternis principiis cujuscunque cognoſcibilis. Quod Jamblichum attinet, editus ille eſt Arnhemii anno 1668. in 4to.

PHILOSTRATVS de vita Apollonii. Apollonius Thyanæus è Py- 5
thagoricorum quoque Secta fuit, homo vere *θεμόνιος*, de quo multa miranda prædicant paſſim hiſtoriæ, hujusque hiſtoriam ac res geſtas ad examen revocavit Johan. Franciſ. Picus Mirandola *l. 7. de rerum prænotione cap. 10.* Illum omnes Magiæ receſſus perreptaſſe fama eſt, nam & vetitæ Magiæ illum operam dediſſe aſſerunt. Si veræ ſunt hiſtoriæ, mortuos ille excitavit, diſparuit in media hominum turba, vidit, quæ locis remotiſſimis fierent. Quæ omnia vix absque Magiæ infamis ſuſpicione peragi ab illo potuerunt. Omnes hominem innocentiſſimæ vitæ & morum faciunt, nec deſunt etiam inter Patres antiquos, qui tam ſtupenda opera beneficio interioris ſcientiæ naturalis illum patraſſe exiſtimant. Memorabile eſt, quod Ælius Lampridius, *in Alexandri Severi vita*, ſcribit, ipſum in Lario ſuo optimos quosque viros & animos ſanctiores coluiſſe, in quibus Apollonium, Chriſtum, Abrahamum & Orpheum, habebat, quibus quotidie ſacra faciebat. Memorabile item eſt, quod Flavius Vopiſcus, in *Aureliano* refert, Apollonii Imaginem Aurelianum, Thyanam, patriam ejus, expugnaturum, monuiſſe, ne faceret. Quæ dum re-

cenſet

cenſet Vopiſcus, quaſi ſacro quodam furore abreptus in hæc verba erumpit; *hæc ego à grævibus viris comperi & in Ulpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro Majeſtate Apollonii magis credidi. Quid enim illo Viro ſanctius, venerabilius, antiquius diviniusque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam, ille multa ultra homines & fecit, & dixit, quæ qui velit noſſe, Græcos legat libros, qui de ejus Vita conſcripti ſunt. Ipſe autem, ſi vita ſuppetat, & ipſius viri favori usquequaque placuerit, breviter ſaltem tanti viri facta in literas mittam, non quod illius viri geſta munere mei ſermonis indigeant, ſed ut ea, quæ miranda ſunt, omnium voce prædicentur.* Incomparabile hoc atque invidendum iſtius viri elogium eſt. Ex Pythagoræa illum ſchola fuiſſe conſtat, & antiqua Magorum diſciplina imbutum. Illum Talismanis uſum fuiſſe, præcipue autor eſt ille, qui de Talismanis diſſertationem ſcripſit Gallica lingua, quæ reperitur inter varia illa librorum Gallicorum, quæ ſub tit. *Mercure galant* prodierunt, & quidem *Tomo nono, Menſe Januario Anni 1680. p. 177.* (prodeunt vero ſingulis menſibus aliquot Tomi talium librorum Pariſiis, qui continent Diſſertationes elegantiores de rebus, vel naturalibus, vel moralibus, tum & Carmina elegantiora.) In medio nunc relinquo, an impoſtoris titulo ſalutandus ſit. Certe a Magiæ infamis ſuſpicione illum purgare laborat Gabr. Naudæus in doctiſſimâ *Apologia ſua*, quæ Gallica lingua ſcripta eſt pro viris illis, qui falſo accuſati fuerunt Magiæ, c. 12. Ubi non Apollonium tantum, ſed & Pythagoram, Orpheum, & Zoroaſtrem, a Magia defendit; quod vero Apollonii iſta miracula attinet, non fortaſſis adeo abſurde exiſtimat Naudæus, ſuffragante Huetio in *Demonſtrat. Evang.* conficta hæc potius fuiſſe ab illis, qui in invidiam Chriſtiani nominis amplificare hujus res geſtas & opera voluerunt, ne haberent Chriſtiani, quod ſibi objicerent. Conjectura ejus inde formatur, Philoſtratum, qui vitam ejus ſcripſit, adeo pene in omnibus obſervaſſe paralleliſmum Chriſti & Apollonii miraculorum, quem ille luculentius illic inſtituit. Cæteroquin Apollonium Virum fuiſſe probum & honeſtum autumat, & maximæ in rebus naturalibus experientiæ. (*p*) *Vita Apollonii* a Philoſtrato ſcripta Græce & Latine prodiit Venetiis in fol. Anno 1502. In Gallicam linguam convertit, qui multos Autores alios, Blaſius Vigenerius; quam verſionem ad exemplar Græcum emendavit Federicus Morellus, Lector & Interpres Regius, & Commentariis prolixis illuſtravit Artus Thomas,

(*q*) De Vitæ Apollonii Thyanæi Scriptoribus, Damide Aſſyrio, Hieroele, Philoſ. Alexandrino, Maximo Ægienſi, Moeragene, Nicomacho, Sidonio Apollinari, Sotericho Oaſite, Taſcio Victoriano, Fl. Vopiſco, & Philoſtrato Lemnio, conſulendus omnino eſt Joh. Jonſius *in Libb. IV. de Scr. Hiſt. Philoſ. locis in Indice deſignatis.* Philoſtrati utriusque (& Senioris hujus, & Junioris, Utriusque Lemnii) Operum & in iſtis *Vitæ* etiam *Apollonii*, Editiones novas Græco-Latinas, cum MSS. collatas, emendatas, Notisque, tum propriis, tum aliorum (& has inter Salmaſianis quoque,) auctas, Rich. Bentleius (Apollonii *Epiſtolas* XCI. Eunapii *Vitas Sophiſtarum & Philoſophorum*, ſuamque de *Apollonio & Philoſtratis* Diatriben, iisdem adjecturus) & Henr. Muhlius, ante aliquot jam Luſtra, pubblice ſunt polliciti, neuter autem promiſſis hactenus ſatisfecit.

Thomas, ſed qui paulum licentius evagantur. Editus ille liber eſt Pariſiis anno 1611. in 4to majori.

FRANCISCVS GEORGIVS, VENETVS. Inter Pythagoræ dogmata illud fuit præcipuum, totum mundum hunc certo numero, pondere & menſura, conditum fuiſſe. Hinc harmonica univerſi quædam proportio ab ipſo excogitata, inde concentus orbium cœleſtium confecti, de quibus multa operoſe commentati ſunt & veteres, & recentiores. Omnes enim ſpecies conſonantiarum harmonicarum ad proportionem corporum cœleſtium aptatæ, de quibus multa cumulat Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco, Tomo 2do, parte 2da, claſſe 7ma, ſect. 7. c. 3.* Multa hic mirifica & monſtroſa exſtruuntur dogmata: poſſe per illam harmoniam, ſi quis recte intelligat, cœlum terræ miſceri, ipſosque ſpiritus & res inanimatas moveri & trahi, quæ omnia nunc ſuo loco relinquimus. Quanquam quidem negari non poſſit, Muſicæ admirandam eſſe vim, in moderandis hominum animis, imo & in morbis curandis. Notum enim eſt, beneficio Muſicæ peſtem fuiſſe curatam, & curari hodie, qui a tarantulis mordentur. Per accidens tamen hic videtur tantum Muſica quicquam conferre, licet in tarantulis ſingulare aliquid & paradoxon eſſe videatur, non facile ingenio humano explicandum, quod ſuſpicionem latitantium plurium in ſono affectionum injicere poſſet. Fuit in Anglia, qui experimentum cepit, quomodo per Muſicam certi generis, & certæ formæ, cicurari beſtiæ poſſint; neque deſunt etiam vulgo exempla, capi ſtupida & bruta animalia poſſe certo ſoni genere, qui aptus eſt movere ſpiritus animales. Ita Delphines afficiuntur voce *Simonis*, & notarunt nonnulli, aſinum imprimis affici voce *Martini*, ſemperque reſpondere, ſi voce hac appelletur. Sed hæc extra ſcopum noſtrum ſunt conſtituta. Audaciora ſunt, quæ hinc educunt Pythagoricæ ſcholæ ſectatores, magnam eſſe muſicæ vim, etiam in res animatas, imo in ipſos ſpiritus. Ipſa denique harmonica proportio mundi videtur plus ingenii ac phantaſiæ habere, quam veri. Quam enim ineptum hoc eſt, mundi ætates diſtribuere per tonos, orbes cœleſtes, per varias harmonicas proportiones. Denique concentus ipſi, qui noſtris auribus non poſſunt audiri, neſcio quid puerilis commenti, aut anilis fabulæ, ſapere videntur. Quanquam Thomas Campanella, *in libro de ſenſu rerum inanimatarum*, ſpe illa teneatur, fore aliquando artifices, qui, ut oculi teleſcopiis armari poſſunt, ita pro auribus ſingulare inſtrumentum aliquod ἀκουστικὸν parent, quo audiri poſſint concentus orbium cœleſtium. Notum quidem eſt, Hiſpanos tale aliquod inſtrumentum, quod ipſi *Sarbadana* vocant, pro acuendo auditu habere. Idem quoque efficit tuba Stentorophonica, auribus appoſita, ſed concentum orbium cœleſtium nondum audivimus. Magna cura & labore totam hanc doctrinam deduxit, vaſto libro, FRANCISCVS GEORGIVS, VENETVS, qui & ſeorſim prodiit, & junctim cum omnibus Scriptoribus Cabaliſticis, editis Baſileæ anno 1587. in fol. aliquot tomis. Infinita hic ſunt ſomnia & commenta. Tota enim κοσμογραφία & χρονολογία ſecundum Muſica principia inſtituta eſt, in quibus qui veritatem quærat, aut philoſophiam aliquam ſolidam, is certe nubem pro Junone amplecte-

6

plectetur. Scripſerat & ante illum, in ſimili argumento, Joh. Picus Mirandula, qui magnus fuit Cabaliſticorum Auctorum amator; omnes enim libri ejus pleni ſunt his commentis. Rob. Fluddius, totus quantus παραδοξόσοφος, omnem ſuam Medicinam & Phyſicam in Monochordo collocat, cujus menſura apta ipſi eſt omnium rerum omnes interiores qualitates demonſtrare. Henr. Mohr quoque, in *Cabala* ſua *Philoſophica*, & ejus *Appendice*, operoſus admodum eſt in Pythagoricis de mundi Syſtemate hypotheſibus cum Judæorum Cabala conciliandis: nam *c. 5. Appendicis*, *n. 3.* Emblemata veſtimenti Aaronis cum hypotheſibus Pythagoræis confert, & proportionem illam harmonicam, Pythagoræis tam diligenter excultam, in veſtimento illo, quaſi per Euclidæam aliquam demonſtrationem, oſtendere laborat. Multa hic de Tetractus Pythagorica, quaſi primo illo harmoniæ fundamento, de quo Diſſertatio quoque reperitur, hactenus inedita, inter ſchediaſmata Joh. Andr. Boſii, ut patet e Catalogo MScriptorum Boſianorum, quem mecum communicavit Amicus. Illum crediderim accuratius aliquid hac de re tradidiſſe.

7 AMBROSII RHODII (r) *Dialogus de transmigratione animarum Pythagorica.* Inter præcipua Pythagoræ dogmata, in vulgus celebrata, eſt animarum transmigratio, ſive μετεμψύχωσις, cujus an autor primus fuerit Pythagoras, incertum. Apud Ægyptios certe & Indos primum hanc obtinuiſſe ſententiam, e locis non nullis veterum Autorum patet. Vulgo quidem a Pythagora ad Indos hoc dogma perveniſſe creditur, nam hodieque apud illos viget. Sed verum tamen eſt, ante Pythagoram Ægyptiis & Indis hanc fuiſſe doctrinam; incertum, cui genti præcipue aſſignari debeat. De ſenſu hujus opinionis varie diſputatum fuit inter Philoſophos. Aliqui συμβολικέν τι ſubeſſe huic doctrinæ crediderunt, ut fere omnibus cæteris Pythagoræ dogmatibus, cujus hodie ſuperſunt Symbola, & Jamblicho morali explicatione illuſtrata; & poſt illum a Beroaldo & Politiano. Hac in ſententia Galeus eſt, cujus videri poſſunt explicationes *l. 2. c. 3. §. 5.* Ego vero exiſtimarim, non fuiſſe Pythagoræ tropicam hujus doctrinæ acceptionem, ſed veram. Eſt & in eadem ſententia AMBROSIVS RHODIVS, cujus extat *Dialogus de transmigratione animarum Pythagorica*, Hafniæ anno 1638. editus in 8vo. Multus ille eſt in ventilandis variis de hac μετεμψυχώσει opinionibus, ac tandem ſuam profert ſententiam, quatenus ea concipi & defendi poſſit. Sed ita ille non Pythagoricam, ſed ſuam ſententiam, propoſuit; quæ hic adducit de mutationibus animalium, inſectorum & ſimilia, ſpecioſa quidem ſunt, ſed durum eſt, hinc ad animas hominum conſequentias formare. Si enim vel maxime ſtatuas triplicem in homine animam, liberaliores quodammodo eſſe poſſimus, atque unam ex iis vel bovi, vel aſino, velut, ab inteſtato relinquere. Sed tamen habet illa ſententia nescio

(r) De Ambr hoc Rhodio Juniore, ejusque Scriptis, v. *Hyponnemata* noſtra *ad Alb. Bartholini Lib. de Scr. Dan. p. 157.* Profeſſor fuit Gymnaſii in Norwegia Chriſtianienſis Phyſico-Mathematicus, urbisque Poliater, patria autem Kembergenſis Saxo.

neſcio quid paradoxi, quæ animas in nobis multiplicat. Mihi hic illuſtrandus e Platoniſmo Pythagoras videtur. Platonis hæc erat ſententia, animam humanam poſt mortem certa ſubire vehicula, prout ſe in corpore geſſerit, vel æthereum, vel aërium, vel terreſtre: animas, voluptatibus corporis immerſas, in brutam naturam degeneraſſe, atque ita poſt mortem aërem hunc ſublunarem terreſtrem habere pro vehiculo. Hac doctrina præſuppoſita (nam Platonica Philoſophia Pythagoricæ quaſi propago eſt,) non a vero alienum videtur, ſtatuiſſe Pythagoram talem animam, vehiculo aërio-terreſtri huc illuc volutam, tandem in brutum aliquod corpus incidere, pro cœlo forte cavea aliqua aut hara donandam; cum contra mentes, per continuas ſpeculationes in ætheris naturam ſubtilitatæ & abſtractæ, poſt mortem dignam meditationibus ſuis ſedem in æthere ipſo nanciſcantur, atque ita fiant θεοειδεῖς, qui finis ultimus eſt philoſophiæ Pythagoricæ.

PYTHAGORAE *carmina aurea.* Tandem & illa prodeant, Pythagoræ quidem vulgo inſcripta, non vero ab illo, ſed ab aliquo, Pythagoricæ ſcholæ diſcipulo, ſcripta; ſapere tamen ejus ſcholam videntur, ob ſummam brevitatem, & argumenti ſublimitatem; vere enim *aurea* vocanda ſunt, quicunque demum ſcripſerit. Suidas Pythagoræ adſcribit, Gellius toti ſcholæ Pythagoricæ, quæ breves has ſententias, quibus moralem doctrinam proponere conſueverat Pythagoras, ex ore loquentis exceperit, unde poſtea ad poſteros illæ propagatæ. Alii exiſtimant, ideo Pythagoræ carmina dici; quod, ſi non eſſent, illo tamen Autore digna videantur. Aliquoties illa edita ſunt. Inter veteres editiones utiliſſima omnium eſt, quæ a Michaële Neandro, communi Germaniæ præceptore, in ſcholarum uſum, cum explicationibus & notis utiliſſimis, curata eſt, adjectis Phocylidis & Theognidis *ſententiis*, prodiitque Baſileæ anno 1559. *in 4to.* In hæc carmina extat Commentarius Hieroclis, qui Philoſophus Pythagoricus fuit Juliani tempore, ut vel hinc appareat, illorum jam tum Autorem creditum fuiſſe Pythagoram; prodiit ejus editio in *8vo.* Pariſiis, Græce & Latine, anno 1583. Latine tantum *in 4to*, Romæ anno 1594. & Lugduni *in 12mo;* omnium optima editio eſt, quæ prodiit Londini, cum notis Merici Caſauboni eruditiſſimis, anno 1665. *in 8vo.* 8

PAGANINVS GAVDENTIVS *de Pythagorica animarum transmutatione.* Quodnam de illo viro Judicium ferendum, ſatis patet e *dedicatione Adoptivorum Carminum* Nicolai Heinſii, ubi characterem ejus deſcribit, quod limæ ac lituræ impatiens, magnoque impetu, ſcribat, ut pro lutulento interdum, minusque nitido, a popularibus ſuis habeatur. Satis id oſtendit ejus *Inſtar Academicum*, in quo varia ſunt, nec inchoata ſatis, nec abſoluta. Hæc *Diſſertatio* ejus prodiit Piſis *in 4to*, anno 1641. 9

CAP. III.

DE PHILOSOPHIAE SOCRATICAE SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Socrates, Philoſophiæ Practicæ, quam Theoreticæ, ſtudioſior, immerito a Petr. Pomponatio Atheiſmi accuſatur. Nihil vel pauca ſcripſit.* Epiſtolæ *ſub ejus nomine a Leone Allatio publicatæ, Xenophontis de illo Scripta.* 2. *Joh. Lud. Balzaci lib. Gallicus* de Vita Socratis *(cui Verſio librorum Xenophontis de eodem acceſſit)* & Socrates Chriſtianus *commendantur, & de* Deo Socratis, *ſimilibusque aliorum eruditorum, ac Hieron. præſertim Cardani, geniis, quos Gabr. Naudæus pro ipſorum habuit figmentis, diſquiritur.* 3. *Cebetis* Tabula λείψανον *eſt Philoſophiæ Socraticæ, cum Epicteti* Enchiridio, *præcipuum & ferme unicum. Joh. Elichmanni editio illius* πολύγλωττος *poſthuma, & Aug. Maſcardi in eandem* Diſſertationes, *celebrantur.*

1 SOcraticæ ſcholæ quanta fuerit olim dignitas & autoritas, non opus eſt, ut hic prolixe recenſeatur. Pauca vel nihil ipſe Socrates ſcripſit, quanquam fuerint olim plures ex ejus diſcipulis, qui de ejus vita rebusque geſtis aliquid conſignarint. Tenuia tamen hæc tantum ſunt fragmenta, e quibus apparet, quantus ille vir fuerit. Contemplativas ſcientias non usque adeo excoluit aut excolere voluit, cum videret, quantis difficultatibus omnia eſſent obſepta, ideoque ad moralem & civilem doctrinam totum ſe contulit, & quandam vitæ ſanctimoniam. Hujus doctrinæ veſtigia paſſim deprehendas in ſcriptis Platonis, in quibus ille ſæpe ſub perſona Socratis loquitur. Notum eſt, illum ſupplicio fuiſſe affectum ab Athenienſibus, quod ipſorum Deos ſperneret, ideoque illum Pet. Pomponatius, *in libro de incantationibus*, ipſe Atheus, ut Atheiſmi Patronum commendat, ac Platonem exiſtimat, eam ob cauſam, ne ſibi exitio eſſet illa libertas, religionem & dæmonum cultum præ ſe tuliſſe; quæ tamen manifeſta calumnia eſt. Contemſit Deos Athenienſium Socrates, ut idola, interim meliora de divinis rebus edoctus, ut patet e Platonis *Phædone*, ubi mortem ejus deſcribit. Schola ejus in varias poſtea Sectas ſe diviſit, quæ ex illo omnes ludo prodierunt. Aliquas Socratis & Socraticorum Epiſtolas Græce & Latine publicavit, cum notis ſuis, Leo Allatius (*s*) editas Pariſiis in 4to, anno 1637. *Apologias Socratis* ſcripſere olim Xenophon, aliaque ejus diſcipuli; tum & Xenophon *de Socratis memorabilibus dictis & factis Libros IV.*

IOH.

(*s*) Dialogum Leonis Allatii *de Scriptis Socratis, Socratis Epiſtolis & Socraticorum* an. 1697. annexum, in quo varia Philoſopho huic ingenii monumenta, contra Plutarchi aliorumque veterum, ſententiam, vindicavit, examini erudito ſubjecit Gothofr. Olearius L. Gr. in Acad. Lipſ. Profeſſor doctiſſimus, in Exerc. peculiari, Lipſiæ, an. 1696. *in 4to* excuſa. De Lyſia, Xenophonte, cæterisque Socratis Apologetis, v. Joh. Jonſii *Lib. I. de Scr. Hiſt. Philoſ. c. 7. p. 35.*

IOH. LVD. BALZACVS *de Vita Socratis.* (t) Vir inter Gallos doctiſ- 2
ſimus *de vita Socratis* libellum Gallica lingua ſcripſit, quo ille diligentiſſime collegit, quicquid rerum Socraticarum apud Autores antiquos reperiri potuit. Addidit Xenophontis Opus *de rebus memorabilibus Socratis*, a ſe in Callicam linguam converſum, adjecit quoque tabulas Chronologicas, ad illuſtrandam Socratis vitam, ut hinc uno quaſi conſpectu pateat viri iſtius hiſtoria. Multa illic lectu digna, inprimis de Deo vel genio Socratis, de quo Apulejus quoque libellum ſcripſit. Multa illic affert de hoc argumento curioſa, de quo præterea legi poteſt Naudæus in *Apologia* ſua *cap. 13.* ubi de omnibus illis geniis agit, qui aſſignati fuerunt Socrati, Ariſtoteli, Plotino, Porphyrio, Jamblicho, Scaligero & Cardano, exiſtimatque, illos fuiſſe inter arcana philoſophica, idque conſinxiſſe ipſos, ut ſe eo venerabiliores redderent. Quod Cardanum attinet, de illo pluribus agit in Vita ejus, quam præmiſit Operibus Cardani, in unum aliquod corpus a ſe collectis; nam potius ad calliditatem Cardani, quam ad malitiam aut magiam ejus, refert. At erat ille vir mirifice ſuperſtitionis, in quo magna dementiæ & ſapientiæ miſtura fuit; interdum enim ultra aniculas delirat, interdum ultra hominum ſapit, prout ſua habuit intervalla. Ubi foris aliqua crepuit, ſtrepitus aliqui auditi, ille ad genium ſuum omnia retulit, ut facile eſt ingeniis melancholicis, quale ipſi fuit, quidvis fingere. Prodiit Balzaci liber Pariſiis anno 1650. *in 8vo.* Scripſit & idem *Socratem Chriſtianum* Gallica lingua, quo libro continentur varii Diſcurſus Theologico-morales, de argumentis, in quibus Philoſophiæ Socraticæ cum Chriſtianiſmo convenit, ubi multa tamen in Pontificiorum favorem. Editus Arnhemiæ anno 1675. *in 12mo.*

CEBETIS *Tabula.* Cebes, Thebanus, Philoſophus Socraticus fuit, cujus 3
extat hodieque *Tabula*, qua vitæ humanæ conditio velut ſub fabula aliqua depingitur, quod genuinum eſſe Socraticæ ſcholæ ſpecimen facile videri poteſt, cum Socrates fuerit in iſtis rebus fingendis mire ingenioſus, lepidus etiam & facetus, unde & εἴρων dictus eſt. Hujus Tabulæ extant multæ editiones & commentarii, e quibus illa optima, quæ prodiit Græca, Latina Arabicaque linguas conjunctim, cum paraphraſi Arabica Joh. Elichmanni, edita in 4to Lugdun. Batav. anno 1640. Memorabilis eſt illa præfatio quam præmiſit Salmaſius, qua dolet obitum Elichmanni, viri in Orientalibus verſatiſſimi, & multa præclaraque olim ſpecimina daturi, ſi ſupervixiſſet. Fatetur ingenue illic incomparabilia fuiſſe hujus viri erga ſe merita, in adjuvandis ſuis ſtudiis Orientalibus, quibus ipſi ad res maximas indagandas ſubſidio fuit; inprimis conſideratu dignum eſt, quod, cum Perſicæ linguæ ſecreta penetraverit, præ cæteris omnibus ſingulari libro oſtendere voluerit, Perſicæ & Germanicæ affinitatem, imo Græcæ origines

(t) Balzaci *de Socratis vita* libello jungi meretur Chriſt. Hoffmanni ab Hofmannswaldau, Senatus Uratislavienſis Præſidis, Sterbender Socrates, ſive Scriptum de Morte ejus, ac Sermonibus cygnæis, Germanicum Proſaico-Metricum, *Phædonis* Platonici ductu doctrinam etiam Socratis Philoſophico-Theologicam, non ineleganter exponens, quod una cum reliquis vatis eximii Poematis vernaculis, aliquoties jam prodiit.

ex Scythica lingua. Habentur quoque illic ſingularia quædam de verſionibus Arabicis Græcorum Philoſophorum, quibus illæ vitiis redundent, quave oſcitantia ex incogitantia factæ. Sed de his illic plura legi poſſunt, ubi præterea multa conferuntur paraphraſeos Arabicæ & textus Græci loca. Solet ipſi jungi Epicteti *Enchiridion*, quod itidem ſcholæ Socraticæ opus eſt, in quod extant Simplicii & Arriani Commentarii, qui pleni ſunt prudentiæ & doctrinæ moralis. In Cebetis *tabulam* extat elegans Commentarius, vel potius Diſſertationes miſcellaneæ Auguſtini Maſcardi, viri doctiſſimi, qui Cubicularius fuit Urbani VIII. Cujus & extant aliæ Diſſertationes morales, Latinæ, Italicæ ac Poëmata argutiſſima. Liber ille ſæpe recuſus eſt in Italia; una editio Venetiis prodiit *in 8vo*, anno 1643. In Germanicam linguam nuper converſus eſt, prodiitque Francof. anno 1671. *in 12mo*. Autor verſionis illic non apparet. De Cebete ipſo pluribus agit Maſcardi ad lectorem *præfatio*. De Epicteto plura dicentur, ubi ad Scriptores Philoſophiæ Stoicæ perveniemus, quæ genuina eſt & princeps Socraticæ propago.

CAP. IV.

DE PHILOSOPHIAE STOICAE SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Stoici, e Socratis Schola progreſſi, multos Romanorum, & in his Senecam, atque JCtos ferme omnes, Sectæ ſuæ habuerunt aſſeclas.* 2. *Judicium de Juſti Lipſii* Manuductione ad Philoſoph. Stoicam, & Phyſiologia Stoica, *ac Carp. Scioppii* Elementis Philoſ. Moralis Stoicæ, *e Lipſio contractis.* 3. *De Jac. Thomaſii* Diſſertationibus Stoicis. 4. *Elogium inſigne M. Aurel. Antonini, Imp. Operis ejus* τῶν εἰς ἑαυτὸν *ac editionis hujus, a Thoma Gatakero A. 1652. cum luculento Comm. publicatæ.* 5. *Commendatur Epicteti* Enchiridion, *ejusque, uti & Commentatorum illius, Arriani (cujus MS. etiam de* Romanorum Exercitiis *laudatur* Equeſtribus) *ac Simplicii, editiones ac interpretes enumerantur.*

1 E Socratis ſchola Zeno prodiit, pater atque autor Stoicæ Philoſophiæ, quæ qua in re à Socratica differat, non adeo ſcitur. Quandoquidem Socrates ipſe nihil ſcripſit, & Theoreticæ diſciplinæ ab eo negligenter habitæ, dici non poteſt, an Stoicorum ſchola hic ſuas, an vero Socratis ſententias profiteatur. Fuerunt Stoicæ Philoſophiæ addicti olim maximæ autoritatis viri, &, quia à vulgo ſegregati honeſtiorem vitam ſequebantur, Principes in Rep. Rom. & poſtea Seneca, qui Stoicam doctrinam, tam Moralem, quam Phyſicam, in libris ſuis excoluit, quanquam non methodo aliqua didactica, ſed perpetuis diſſertationibus. Poſt illa tempora JCti plerique omnes Stoicæ Philoſophiæ erant addicti, cujus veſtigia paſſim in Digeſtis deprehendas, ac notarunt loca non pauca alii JCti, in quibus Stoiciſmi aliqua apparet ratio.

LIPSII

LIPSII *Manuductio ad Philoſophiam* Stoicam. Inter dogmaticos libros, quos Juſtus Lipſius ſcripſit, præ cæteris laudem merentur ejus *Manuductio ad Philoſophiam Stoicam*, & deinde ipſa ejus *Philoſophia Stoica*. Cum enim Juſtus Lipſius vehementer delectaretur lectioni Senecæ, eam ſibi operam ſumſit, ut præcipue è Seneca, hincque ex aliis Philoſophiæ Stoicæ Scriptoribus, corpus aliquod concinnaret, & ad certa principia deduceret. Non eſt plenior in hoc argumento ſcriptor, & qui accuratius hanc doctrinam tractarit. Nam, quanquam Caſpar Scioppius *Elementa Philoſophiæ Stoicæ moralis* ſcripſerit, quæ edita ſunt Moguntiæ *in octavo* anno 1606. tamen partem ejus Philoſophiæ, nimirum moralem, tantum attigit, & attigit tantum, nam in compendium traxit, quicquid a Lipſio ſcriptum prolixius erat. Aliud de Philoſophia Stoica univerſa opus Scioppium eſſe molitum, Autor Vitæ P. Sarpii teſtatur. 2

JACOBUS THOMASIUS. Etiam ille doctrinam Stoicam, poſt Lipſium, illuſtravit ulterius, præcipua enim Philoſophiæ Stoicæ capita, imprimis illa, quæ ad Phyſiologiam pertinent; ſingularibus diſſertationibus perſecutus eſt, e. g. Stoicam mundi exuſtionem; annum magnum; æternitatem mundi; doctrinam de Deo, fato, chao Stoicorum; de immortalitate animarum; pluralitate mundorum, & hominibus redivivis, de quibus ille prolixe & more ſuo erudite, e variis Scriptoribus, agit, interſerit quoque Diſſertationem de quatuor Græcorum Sectis præcipuis. Lipſiæ anno 1676. *in 4to Diſſertationes* hæ *Stoicæ* prodierunt. 3

MARCUS AURELIUS ANTONINUS. Veniunt nunc quoque in ordinem noſtrum Imperatores. M. Aur. Antonius, Philoſophiæ Stoicæ addictus, vir inculpatæ vitæ, & inter Ethnicos quaſi quidam Deus, magna ſanctimonia, quam ipſe præter naturam ſuam, quæ ipſi contigerat optima, debebat Philoſophiæ Stoicæ. Ejus extant lib. 12. τῶν εἰς ἑαυτὸν, *de rebus ſuis*, ſive de iis, quæ ad ſe pertinere cenſebat. (*u*) Editi illi ſunt aliquoties, primum cum Merici Caſauboni notis *in octavo*, poſtea cum elaboratiſſimo Commentario Thomæ Gatakeri, viri doctiſſimi, cujus extant varia ſcripta, eaque omnia doctiſſima, ut *Adverſaria ſacra*, *Cinnus*, aliaque. Opera illa, quam in Antoninum impendit Gatakerus, plane egregia eſt. Primum præmiſit luculentam Diſſertationem de diſciplina Stoica, in qua eam confert cum Peripatetica & Academica Vetere, Epicurea, &c. Variæ lectiones notantur in margine, parallelismus Autorum, in Antonino occurrentium, ad minutias usque eos oſtendit, lateri appoſitus. Denique Commentarii uberrimi, aliorum Philoſophorum ſententias Græcas, 4

(*u*) Recuſi ſunt noviſſime M. Antonini Imp. *Libri de rebus ſuis XII.* Græce, cum verſione Latina & *Commentario* Thomæ Gatakeri, adjectisque huic *notis* Merici Caſauboni & Guilh. Xylandri, inter *Opera* Gatakeri *Critica*, junctim denuo Trajecti ad Rhenum an. 1698. *in fol.* cum Præfat. Herm. Witſii, Theologi Ultrajectini, publicata. Anonymi verſio illorum Italica Romæ anno 1675. *in 12.* Gallica autem Andr. Dacerii & Annæ Fabræ, conjugum doctiſſimorum, *notis* aucta, tum Lutetiæ, tum Amſtelod. anno 1691. in 12. prodiit.

Græcas, Latinas, Antonini effatis reſpondentes, magno cumulo congerunt, ut librum hunc non immerito Pandectas doctrinæ moralis Stoicæ dicere poſſis; prodiit ille Cantabrigæ *in 4to*, anno 1652.

5 EPICTETI *Enchiridion.* Epictetus, Philoſophus Stoicus, judice Gellio, Stoicorum maximus, vixit ſub Domitiano, Stoicæque Ethices doctrinam compendiolo quodam propoſuit. In illum Commentarii antiqui extant Arriani, qui Epicteti fuit diſcipulus, & ſub Adriano floruit. Scripſerat idem de vita Epicteti, præceptoris ſui, quod opus injuria temporis periit. Arriani Commentarius in ipſum prodiit aliquoties *in 4to*, Baſileæ anno 1554 Latine & Græce, Latine Baſileæ *in 8vo.* Prodiit itidem Genevæ Græce & Latine anno 1594; ſed editio non ſatis correcta eſt. In eundem Epictetum extat Simplicii Commentarius, qui Græce prodiit *in 4to*, Venetiis anno 1528. Latine verſus ab Angelo Caninio Venetiis *in fol.* anno 1569. Optima editio ejus prodiit, cum Verſione Hieronymi Wolffii, & Commentario Claudii Salmaſii, Lugd. Batav. in 4to, anno 1640. Arriani, cujus mentio nunc facta eſt, ut hoc etiam memorem, aliud extat opus MScriptum, & ineditum hactenus, de *veterum Romanorum Exercitiis Equeſtribus*, quod inter libros MStos Bibliothecæ Holſtenianæ apparet. In eadem Bibliotheca extat Zenonis, & reliquorum Stoicorum, Philoſophiæ moralis compendium.

CAP. V.

DE PHILOSOPHIAE EPICVREAE SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Epicuri Secta Stoicæ fuit inviſa, & variis ab hac calumniis impetita, magis tamen, quam hæc, profana. In Theoreticis Epicurus Democritum eſt ſecutus, Philoſophiæ Experimentalis Doctorem eximium, cui an MStum debeatur Chymicum, quod Titulo* Phyſicorum & Myſticorum Democriti *ſupereſt, diſquiritur, judiciumque de illo fertur benignius. Commendatur Pet. Gaſſendi* de Vita, Moribus & Doctrina Epicuri *Liber. 2. T. Lucretius Carus, Poëmate* de Rerum Natura, *in ſex Libros diviſo, Epicuri Philoſophiam complexus laudatur, & de Editoribus ejus ac Exegetis ſimul fertur judicium, de Hub. Giſanio benignius, de Dan. Pareo autem, Tanaqu. Fabro & Joh. Nardio, ſequius. Laus Aonii Palearii, Styli Lucretiani & Ciceroniani imitatoris felicisſimi. 3. Pet. Gaſſendi, moderni Philoſoph. Epicureæ inſtauratoris, ac Operis ipſius de illa, ſive* Commentarii in lib. X. *Diog. Laërtii elogium, Bernerii* Epitome *iſtius. 4. Joh. Franc. Grandis* Diſſertationum Philoſophicarum prima, *Phyſicæ Epicureæ oppoſita, commendatur. 5. Gvaltheri Charletoni* Phyſiologia Epicuro - Gaſſendo - Charletoniana. *6. Jordanus Brunus*, in libro de Immenſo & Innumerabilibus, *Solium & Mundo-*

mundorum pluralitatem, cum Epicuro, defendit, ſed vivicomburio hanc luit audaciam. 7. Rob. Boylius doctrinæ Epicuri de atomis corpuſcularis, poſt Carteſium, inſtaurator. Artifi.ium ejus oſſa emolliendi, & in cibum convertendi.

EPICVRVS Gargettius, Athenienſis Philoſophus, Sectam condidit de ſuo nomine, Stoicis plane adverſam, inter quos perpetua olim bella fuere. Hinc mutua orta fuerunt convitia, cum ſchola Stoicorum inſectaretur Epicureos, & Epicurei Stoicos. Notum eſt, quænam vulgo ſit de Epicureis opinio, quaſi ſc. voluptatem omnem pro fine habeant, cum alii contra Epicurum defendant, qui exiſtimant, illum per voluptatem non corpoream iſtam, ſed animi intellexiſſe. Quicquid tandem ejus ſit, profana magis fuit Epicuri, quam Stoicorum, Philoſophia, ut per certa capita oſtendit Gatakerus in docta illa Diſſertatione præliminari ſuper Commentarium in Antoninum. Quod doctrinam contemplativam attinet, veterem illam Democriti ſententiam ſecutus eſt, quanquam veroſimile ſit, illum ſuis quibusdam dogmatibus interpolaſſe, vel adulteraſſe. Democriti ſcriptorum nihil extat, niſi pauca aliqua, quæ tamen dubiæ fidei habentur. Id certum eſt, fuiſſe illum Philoſophum maximum, magnæ in rebus naturalibus experientiæ. Certum eſt, Ariſtotelem multa ex eo deſcripſiſſe, qui, ut in experimentis totus erat, ita nihil quicquam definivit, niſi quod ipſe ſatis exploraverat. Plinius autor eſt, ejus libros multa habere de gemmis, unionibus, metallis, ut hinc ſuſpicio aliqua multis oriatur, fuiſſe inter primos artis Chymicæ propagatores. Quam ſuſpicionem firmat libellus, qui ſub ejus nomine MStus (*x*) circumfertur Græca lingua, cum illo tit. *Democriti Phyſica & Myſtica*, qui in linguam latinam converſus prodiit, ſi recte memini, Venetiis. Extat, cum aliis Artis χρυσοποιητικῆς ſcriptoribus Græcis, in Bibliotheca Regia Pariſienſi, unde titulos illorum Auctorum excerpſit Labbæus in ſua *Bibliotheca MStorum*, & multa Exemplaria tranſſumpta fuerunt, Viennenſe & Altenburgenſe. Quod extremum ad manus meas pervenit, mecum ab Amico communicatum, cum Annotamentis marginalibus Thomæ Reineſii, qui verba Græca, inemendate ſcripta, vel correxit, vel explicuit. Differt tamen illud exemplar a Regio Pariſienſi MSto, ut notavit ipſe Reineſius, in Diſſertatione de his Scriptoribus MScripta. Quod enim Salmaſius in *Commentario* ſuo *in Solinum*, ex exemplari Regio adducit de unionibus parvis, in magnos convertendis, in Altenburgenſi Codice plane non apparet, ideoque aliqua ſui parte mutilatum oportet fuiſſe librum, nec bona fide deſcriptum. Quicquid jam ſit de illis Scriptoribus, & Democriti ipſius opuſculo, non definiri libri

(*x*) De MSto, quod Democriti nomen præfert, Chymico confer *Polyhiſtoris* hujus P. I. L. I. *C. IX.* §§. *31. ſqq.* de dogmatis vero Democriti Philoſophicis Joh. Chryſoſt. Magneni *Democritum Reviviſcentem, ſive de Democriti Vita & Philoſophia libellum.* Lugd. Bat. an. 1648. & Hagæ an. 1658. *in 12mo* editum.

iſtius autoritas poteſt. Incertum enim, an ab illo ſcriptum, quove tempore. Qui acutius hic ſe videre putant Critici, e ſtylo judicant, non eſſe illius ætatis fœtum, qua Democritus vivebat. Adverſus quos tamen, quæ excipiat, habet Borrichius in *Diſſ.* ſua *de ortu & progreſſu Chymiæ adverſus Conringium*, & in libro, quo plenius rem omnem de his ſcriptoribus perſequitur, quem adverſus Conringium iterata vice ſcripſit, ſub titulo *Sapientiæ Hermetis, Ægyptiorum & Chymicorum, a Conringii animadverſionibus vindicatæ.* Equidem non omnem ipſi autoritatem detraxerim: quod enim ſtylum attinet, notum eſt, talia, quæ in Commentariis ſcribi ſolent, rudi tantum ſermoni delineari ſolere. Deinde, ſi non ab ipſo Democrito, ſortaſſis ab aliquo diſcipulorum ejus potuerunt conſignari, & quaſi per manus tradi. Sed illa nunc mittimus, tanquam extra ſcopum noſtrum conſtituta, & ad Scriptores Philoſophiæ Epicureæ procedimus, quandoquidem Democriteæ Philoſophiæ nihil reſtat. Qui vitam Epicuri, ejusque ſcholæ hiſtoriam, plenius noſſe deſiderat, ille adeat ſingularem Pet. Gaſſendi librum, quem *de Vita, moribus & doctrina Epicuri*, ſcripſit, editum Hagæ Comitum *in 4to*, anno 1656.

2 TITVS LVCRETIVS CARVS (*y*) Philoſophus potius quam Poëta, ſed cujus tamen puriſſima latinitas eſt, quem non immerito magni faciunt, tam veteres, quam recentiores. Etiam ſylvam ejus cæcidit Virgilius, uti ex multis locis deprehendimus, quod argumento eſt, magni ipſum ei fuiſſe æſtimatum. Nemo eſt ex antiquis, qui doctrinam Epicuream integro opere complexus ſit, uti Lucretius. Nam Diog. Laërtius, *l. 10.* tantum per lacinias & fragmenta ejus doctrinam colligit. Lucretii variæ ſunt editiones, & quidem inter eos, qui Autorem ipſum ratione textus emacularunt, præcipuus eſt præſtantiſſimus ille JCtus, Obertus Giſanius, cujus extant alia multa in alios Autores Commentaria. Nam, quod illum plagio quædam Mureto ſubripuiſſe tradunt, in invidiam ejus, ut puto, confictum eſt. Dedit ille indicem in Lucretium, qui ſimul explicat ipſum textum Lucretianum. Editus liber eſt Lugdun. Batav. ex Officina Plantiniana anno 1595. in 8. Eſt & alia editio Danielis Parei, quæ prodiit Francof. anno 1631. in 8. qui merus eſt plagiarius Giſanii. Notus eſt enim inter Philologos vir ille, ut fucus aliena ad pabula. Edidit *Lexicon Lucretianum*, editioni ſuæ additum, quod ex Giſanio compilatum eſt, paucis quibusdam non magni momenti additis. Adjecit Scip. Capitii *libros 2.* carmine ſcriptos, *de principiis rerum*, & Aonii Palearii *lib. 3.* itidem carmine ſcriptos, *de immortalitate animæ*, dictione tali, quæ Lucretianam ad vivum exprimit. Fuit enim

(*y*) De Lucretio plura *Tomi I. Lib. IVtus, Cap. XI.* jam expoſuit. De plagii crimine, Commentatori ejus, Hub. Giphanio, objecto, v. Jac. Thomaſii *Tr. de Plagio Literario*, *ſ.* 445-445. Anglicis verſibus Lucretium reddidit, adjectisque notis, Oxoniæ A. 1682. *in 4to* publicavit, & deinceps ipſum quoque textum Latinum, interpretatione ſua & annotationibus illuſtratum, ibidem an. 1695. *in 4to* edidit, Thomas Creechius, Collegii omnium Animarum Oxonienſis Socius, eodem, quo Lucretius, fato, *ἀυτόχερ*, ob amoris impatientiam, haud ita pridem, uti fertur, extinctus.

eniin illo viro inter recentiores nemo Ciceroni qua dictionem ſimilior, quod ex Orationibus & Epiſtolis ejus patet. In carmine hoc expreſſit Lucretium. Edidit quoque Lucretium Tanaquil Faber Salmurii anno 1662. *in 4to*, cum notis ſuis, ubi ille, more ſuo, multa audacter corrigit, vir quidem alias doctiſſimus, ſed critica ſua virgula nimium cenſorius. Nam in MStorum defectu parce ingenio permittenda eſt licentia. Atque hi ſunt, quorum in Lucretium extant labores Philologici. Phyſicum Commentarium in illum ſcripſit Joh. Nardius, qui prodiit Florent. anno 1647. *in 4to.* Sed ſtrictior tamen eſt pro materiæ amplitudine, in quam ſi diffundere ſe voluiſſet autor, majus ille opus concinnaſſet. Ejus multa alias extant ſcripta Phyſiologica, ſed quæ non videntur ſpirare illam *ἀκριβειαν*, quam ſeculi noſtri perſpicacitas requirit.

PETRVS GASSENDVS. Per compendium, & quaſi per lancem ſatu- 3
ram, exhibuerat Philoſophiam Epicuri Diog. Laërtius *lib. 10.* Ex his igitur fragmentis, & Lucretiano Poëmate, magno molimine concinnavit Syſtema aliquod Philoſophiæ Epicureæ Pet. Gaſſendus, quod eſt inſtar Commentarii in librum illum decimum Diog Laërtii. Multa hic ſunt prolixe diſputata in omnibus argumentis, tam Phyſicis, quam Metaphyſicis & Moralibus, vel pro Epicuri doctrina, vel adverſus illam, ubi illa Chriſtianiſmo, vel communibus Philoſophorum placitis, repugnat. Adjicitur in fine *Syntagma Epicureæ Philoſophiæ*, quo, & compendioſius, & ornatius, illa proponitur. Magno alioquin ingenio & apparatu liber ille ſcriptus eſt, prodiitque *in fol.* Lugduni, anno 1649. & cum ceteris ejus Operibus, junctim editis. Ceterum hic vir eſt ſummus Philoſophiæ Epicureæ inter recentiores reſtaurator, quam & ipſe ex animi ſententia amplexus eſt. Cetera ejus ſcripta philoſophica, mole non minora, Epicuri principia pro fundamento ponunt, præterquam in illis argumentis & hypotheſibus, in quibus ipſe ab ejus ſententia divortium facit. Prodiit non ita pridem Gallica lingua Philoſophia Gaſſendi Epicurea, in compendium contracta, de qua legi poſſunt Ephemeridum Gallicarum Scriptores. (z)

JOH. FRANCISCVS GRANDIS. Hujus viri extant *Diſſertationis* ali- 4
quot *Philoſophicæ & Criticæ*, Pariſ. anno 1658. *in 4to* editæ. Earum prima eſt adverſus Epicuream Philoſophiam, ad Pet. Gaſſendum ſcripta. Multa habentur in illa Diſſertatione curioſa & non vulgaria, quæ doctrinam Epicuream de atomis & inani

(z) Epitomator Philoſophiæ Gaſſendi Epicureæ, *b. l.* memoratus quidem, ſed haud nominatus, eſt Franc. Bernerius, Principis Viduæ Aurelianenſis Conſiliarius & Archiater, cujus *Abregé de la Philoſophie de Gaſſendi*, Lugd. Gall. an. 1678 *in 8vo*, ac reviſa emendataque ibid. an. 1684. *in 12mo.* VII. Tomis prodiit. Exſtant & ejusdem *Doutes ſur quelques uns des principaux Chapitres de son Abregé de la Philoſophie de Gaſſendi* ed. Paris. an. 1682 *12mo.* V. Corn. a Beughem *Appar. ad Hiſt. Lit. Noviſſ. Conſpect. I. p.* 47. & loca Ephemeridum Literariarum iſthic allegata. Fuiſſe autem Bernerium hunc Gaſſendi comitem individuum, & Amicum intimum, Sam. Sorbierius *in Vita Gaſſendi* teſtatur. V. hanc in Wittenii *Dec. VI. Memor. Philoſ. p.* 224.

inani, unde totus orbis componitur, eorumque motu, impugnant. Nam principia illa ad rerum conſtitutionem, & ſpecierum productionem, non ſufficientia monſtrat, & ex ipſo Lucretio aliquod principium divinius, & quaſi ſupernaturale, oſtendit, quo opus ſit in digeſtione rerum, & ſpecierum fabrica. Errare itaque Epicurum demonſtrat, qui ex fortuito atomorum concurſu omnia vult produci.

5 GVALTERVS CHARLETON. Ille poſt Gaſſendum in theatrum hoc venit, & ex Epicuri Paralipomenis, Gaſſendi diſſertationibus, & ſuis hypotheſibus, Syſtema aliquod confecit, cui tit. *Phyſiologiæ Epicuro-Gaſſendo-Charletoniana, or a fabrick of ſcienſe natural, upon the hypotheſis of atoms*, editum Londini anno 1654. *in fol.* Ejus quanquam plurima ſint e Gaſſendo deſumta, non pauca tamen ipſi adjecit rerum & experimentorum novorum, quæ ad hypotheſin de atomis explicuit. Fuit & antea doctrina de atomis tractata a Joh. Chryſoſt. Magneno in *Democrito* ſuo *redivivo*.

6 JORDANVS BRVNVS, NOLANVS. Inter dogmata Democriti etiam illud fuit de pluralitate mundorum, imo illorum infinitate, quod argumentum Jordanus Brunus, Nolanus, reaſſumſit, cujus inter Opera extat *liber de immenſo & innumerabilibus, ſive de univerſo & mundis.* Quo in libro doctrinam hanc de multis ſolibus, & multis terris, ſumma cum cura propoſuit, hac methodo, ut primum præmittat carmen, deinde ſcholia ſubjungat, quibus argumenta, pro theſi ſua adducta, ulterius firmare intendit. Ille vero in Italia tandem vivicomburio ſententiæ ſuæ audaciam luit, quanquam non deſunt, qui alia de cauſa ſupplicio hoc affectum fuiſſe exiſtimant. Alioquin theſis ipſius plerisque Aſtrologis nunc placet, qui ſtellas fixas habent pro ſolibus, quibus ſingulis ſuæ circumponuntur lunæ, vel terræ, nobis inviſibiles. Editus ille liber eſt Francof. anno 1591. *in octavo*, cum aliis quibusdam ejus operibus, quæ neſcio quid Cabaliſtici, aut Lulliani, ſapiunt. His enim rebus videtur fuiſſe addictus. Prolixe illic de mundis diſputat adverſus Ariſtotelem, pro immenſitate & infinitate mundi, in infinito ſc. ſpatio, infinita eſſe finite mobilia ſtatuit, infinitos ſoles (fixas ſtellas) & tellures (planetas). & non eſſe compertum planetarum numerum circa hunc ſolem, neque ſpectabilem circa alios. Iſtam illic ſententiam multis argumentis propugnat, quæ ibi prolixe legi poſſunt. Hanc ille ſententiam primus videri vult in medium protuliſſe e recentioribus, quanquam poſt Copernicum in theatrum venerit. (aa) RO-

(aa) Sententiam de pluralitate mundorum noviſſime, & majori quidem, quam omnes alii, conatu, audacia & curioſitate, propugnavit Chriſt. Hugenius, *Mathematicus* Bataviæ celeberrimus, in Κοσμοθεωρῳ *ſive Conjecturis de Terris Cæleſtibus, earumque ornatu*, ſcripto poſthumo, Hagæ Comitum an. 1698. *in 4to* edito, cujus recenſum, tum in reliquis Ephemeridibus nuperis Literariis, tum in Actis Erud. Lipſ. M. Octobr an. 1698. p. 448-455. Cenſuram autem in *Memoriis* Jeſuitarum *Trevorienſibus Menſtruis Anni* (niſi memoria me fallit) 1702. invenies. Dialogum etiam pro eadem Gallicum edidit Dn. de Fontenelles, Academiæ Pariſienſi Scientiarum Regiæ nunc a Secretis, in Linguam quoque nuper translatum Germanicam. Gallice prodiit Amſtelod. an. 1687. *in 12mo* ſub Tit. *Entretiens ſur la Pluralité des Mondes.*

ROBERTVS BOYLIVS. Inter dogmata Democriti fuit illud de minimis rerum particulis, unde omnia conſtent in rerum natura, quæ ſententia nunc præ cæteris ita exculta eſt, ut addi vix quicquam poſſe videatur. De Carteſio res notiſſima eſt, quam ille particularum etiam minimarum figuras dimenſus fuerit, atque inde operationes naturæ plurimas deducat. Hoc argumentum nemo nunc melius expoſuit, quam Robertus Boylius, qui ingenio addens experientiam, multa in hac doctrina abſtruſa patefecit. Ejus libri pene omnes, quos ſcripſit (ſcripſit autem multos,) ſuper doctrina corpuſculari, ut vocat, fundati ſunt. *Liber* ejus *de Origine formarum*, *Chymiſta Scepticus*, *& Tr. de frigore*, multas habent curioſiſſimas demonſtrationes, quæ omnes procedunt e conditione particularum, varie mutatarum, figuratarum, & in ſe incidentium, in quibus adeo operoſus & diligens eſt, ut omnium ſuperarit induſtriam. Speciatim quoque ſcripſit *de natura effluviorum*, *eorum determinatione & mira ſubtilitate*, *motu etiam particularum in ſolidis & apparenter quieſcentibus corporibus*, etiam compactiſſimis, ut in gemmis, lapidibus, metallis, oſſibus, quæ poſtrema nunc, novo artificio πνευματικῷ, ita in minimis ſuis attenuare docuit, ut in ſubſtantiam cartilagineam ac mollem e dura illa convertantur & vel ipſi homini in cibum cedere poſſint. Quod elegans quidem eſt & curioſum ſed in fraudem canum, inventum.

CAP. VI.

DE SCRIPTORIBVS SCEPTICIS.

§. 1. *Sceptici e Schola Socratis & Academicorum ſunt progreſſi. Nicol. Cabaſilæ, Cl. Ptolomæi, Mar. Merſenni & Malebranchii, contra eos Scripta. Sectam hanc amplexi ſunt Lucianus, Thomas. Hobbeſius & Bened. Spinoſa. Falſo contra Scepticismi accuſantur Ren. Carteſius, Henr. Corn. Agrippa, modernique Philoſophi Experimentales, quibus Joſ. Glanvil*, in Scepſi ſcientifica, *patrocinatur.* 2. *Scepticismum defenderunt Sex. Empiricus.* 3. *Et, inter modernos, etſi haud ſerio, Franc. Sanchez, a Dan. Hartnaccio impugnatur.*

VEnimus ad philoſophiam Sceptican veterum, ſive Pyrrhoniam, a Pyrrhone, ejus Philoſophiæ auctore, ita dictam, qui Scepticorum princeps fuit. Videtur hæc Secta ex Academicis prognata. Socrates enim, Academicorum princeps, primus fuit, qui ex modeſtia & neglectu contemplativarum diſciplinarum nihil ſciri poſſe aſſerebat; quanquam non deſint, qui hoc per Ironiam illum feciſſe arbitrantur, quaſi ſcientiam diſſimulando ſimulaverit, renunciando ſc. iis, quos manifeſto ſciebat, ut ea, quæ neſciebat, ſcire etiam putaretur. Tota autem hæc Secta primum orta videtur a vanitate & jactantia, quod & notat Verulamius *de Augm. ſcientiarum l. 5. cap. 2.* eosque, qui eloquentia floruerunt, hanc fere ſibi Sectam ſumpſiſſe, in utramque partem copioſe diſputando gloriam aſſequerentur. 1

tur. Contra illos Scepticos extant veterum nonnullorum Patrum declamationes; uti teſtatur Lambecius *Commentariorum de Bibliotheca Vindobonenſi l. 5. pag. 212. Codice 276.* ubi de MStis Græcis agit. Laudat illic Nicolai Cabaſilæ, Archi-Epiſcopi Theſſalonicenſis, *Diſſertationem de Criterio veritatis* ſive de facultate & inſtrumento judicandi, quid ſit verum, contra Pyrrhonem, Scepticorum principem. Eſt & Claudii Ptolomæi peculiaris tractatus *περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ*, *de judicandi facultate & animi principatu*, qui reperitur MStus inter libros Lucæ Holſtenii, & ab Iſmaele Bulialdo Græce & Latine editus eſt Pariſiis, apud Cramoiſios *in 4to*, Anno 1663. In eodem illo Codice MSto, quem laudat Lambecius, extat ejusdem Cabaſilæ *ſolutio argumentorum quinque contra Rhetoricam, ſive artem dicendi*, quæ a ſcepticis proponuntur. Sed de iſtis ineditis nullum formari judicium poteſt, notari tamen debent, ſi fortaſſis aliquando in Bibliothecas incidamus, ubi reconduntur. Fuit & Lucianus iſti Sectæ addictus, cujus argumenta multa ſunt in ipſius libris. Solebant enim Sceptici omnia ſalſe ridere, de omnibus rebus in utramque partem diſputare, nihil ut certum aſſeverare. Audio &, e recentioribus, Marinum Merſennum, virum alioquin doctiſſimum, ut ex ejus libris editis conſtat, & Mathematicum ſolertiſſimum, totam hanc Scepticorum doctrinam ſingulari libro *de Veritate ſcientiarum*, Gallice ſcripto, a capite ad calcem refutaſſe. Quem cum ipſe non viderim, eſt enim rarior, ut pene omnes iſtius viri libri, remitto ad Sorellum, qui, in *Scientia* ſua *Univerſali*, quædam in compendium ex illo redegit. De capitibus, quæ ſpectant ad doctrinam Scepticorum, evolvi etiam meretur Malebranchius, autor Diſſertationum Gallicarum, quibus tit. *la Recherche de la verité*; ubi de illis, quæ ad doctrinam de ſenſibus ſpectant, & de eorum erroribus, prolixe agit, eosque diſtincte propoſuit. Palmarium enim argumentum Scepticorum in illo ſitum eſt, quod ſenſus noſtros non recte affici demonſtrare velint, illos variis modis errare ratione objecti & ſenſorii, quo fundamento ſublato, omnium diſciplinarum & rerum incertitudinem ſe confeciſſe exiſtimarunt. In hoc itaque omnis opera ponenda eſt, ut ſenſuum demonſtretur evidentia, unde omne principium demonſtrationis dependet, quo ſublato, omnes ſcientiæ eſſent ſublatæ. Sed facillimo negotio illis reſponderi poteſt, ut qui meris ſophismatibus & parallelismis ſententiam ſuam defenſum eunt. Ex hac tamen Camarina hauriunt hodie, qui impia dogmata, tam qua Dei cognitionem, quam qua mores, tradunt, Hobbeſius & Spinoſa. Ambo enim, in eodem ludo ad nequitiam docti, veterem illam cramben recoquunt, eoque ſubtilius venenum iis miſcent, quo magis Mathematicis diſciplinis fuerunt exculti. Sed abſurditatem illarum ſententiarum deprehendere facile eſt illi, qui ſolidam huic negotio affert doctrinam, interiorem ſcilicet philoſophiæ, non veteris tantum, ſed & recentiorum Sectarum, & Matheſeos peritiam. Non referendi tamen ſunt ad hanc claſſem, qui ideo de rebus dubitant, ut ſcientiam ſibi forment veram & ſolidam, quemadmodum fecit Carteſius, cujus hoc primum principium eſt, de omnibus rebus aliquando dubitandum eſſe. Nam qui ideo Scepticum illum facere volunt, injurii in

ipſum

ipſum ſunt: nihil enim ille magis quærit, quam demonſtrationis evidentiam. Ac demonſtrari facile poſſit, ex omnibus Philoſophis antiquis, Platone & Ariſtotele, plane idem illos docuiſſe. Eodem modo Societas Angliæ Regia omnia illa ſeponit præjudicia veteris Phyſicæ, ut certas concluſiones inveniat & demonſtret. Quo fine Joſephus Glanvil librum ſcripſit Anglica lingua, cui tit. *Scepſis ſcientifica, adverſus vanitates Dogmaticorum*, editum Londini *in 4to* anno 1665. Scopus ejus Autoris in hoc opere eſt, ut monſtret, quam multa ſint incognita in ratione, nec ulla arte cognoſci poſſint, illis tamen viam eſſe ſternandam per ea, quæ manifeſtis demonſtrari poſſunt argumentis. Neque pertinet ad hanc claſſem Henricus Cornelius Agrippa, cujus extat *de Vanitate Scientiarum* liber, doctus profecto & laborioſus. Voluit enim potius abuſus & ineptias ſcientiarum Satyrico ſale defricare, quam, illas plane nihili eſſe, oſtendere.

SEXTVS EMPIRICVS. Sextus ille quis fuerit, ubi & quando vixerit, 2
non ſatis certum. Alexandriæ quidem vixiſſe volunt. Ille quidem, in ſcriptis ſuis, multis in locis innuit, ubi non vixerit, nusquam autem diſertis verbis ait, ubi vixerit, ac neſcivit fortaſſe Scepticus, an illic viveret, ubi vivebat. De ordine Pyrrhoniorum doctorum & ſucceſſione Laërtius agit *lib. 9.* Sed parum hæc res ad nos pertinet. Prolixe admodum de ejus ætate diſputat Jonſius, *de ſcriptoribus hiſtoriæ Philoſophicæ lib. 3. cap. 12.* Hujus Sexti Empirici Opera omnia extant Græce & Latine edita Pariſ. *in fol.* anno 1601. & Genevæ 1621. *Pyrrhoniæ* ejus *Hypotheſes* Lat. ling. ſeorſim ſunt editæ ab Henr. Stephano cum notis, in *8vo* anno 1562. Opus *adverſus Mathematicos* Latine eſt editum a Gentiano Herveto *in fol.* Pariſ. anno 1569. Ceterum Opera ejus Omnia Græco-Latina rara ſunt, operæque pretium faceret, ſi quis e Criticorum familia iſta recudi faceret & emendatius ederet.

FRANCISCVS SANCHEZ. Fuit ille Doctor Medicus, & in Acad. 3
Toloſona Prof. Regius, qui Tractatum ſcripſit, ut tit. habet, *de multum nobili & prima univerſali ſcientia, quod nihil ſcitur.* Libellus eſt exiguus, ſed qui in compendium traxit pleraque Scepticorum argumenta, argute ſatis & nervoſe. Aliquoties editus eſt, & *in 4to* quidem Lugduni apud Gryphium anno 1581. Poſtea Francofurti *in 8vo* anno 1618. Cui editioni additus eſt libellus Maturini Simonii, JCti, *de literis percuntibus.* Eſt etiam alia quædam Roterodamenſis editio, ſi recte memini. Sc. is quoque vir e Medicorum gente novi aliquid ſapere viſus eſt. Plerumque enim Medici, vel in Theologia, vel Philoſophia, novaturiunt. Nam putarem tamen, adeo ſerio rem ſuam egiſſe Franciſcum noſtrum, eumque potius ſcriptionis ſuæ habuiſſe finem, ut exagitaret Scholaſticos, eorumque Philoſophiam, oſtenderetque, nihilo nos certiores fieri ex eorum ſcriptis, & longe incertiores eſſe, quam dudum. Multa ſane in illo ſcripto ſana ſunt & arguta, quanquam non omnia probem. Adverſus auctoritatem paſſim pugnat, & Ariſtotelem, qui ſi Scepticiſmus eſt, facile ipſi hujus delicti gratiam fecerim. Noviſſima ejus editio, una cum refu-

tatione

tatione Danielis Hartnaccii, prodiit Stettini *in 12mo* anno 1665. ſub. tit. *Sanchez aliquid Scient.* Additæ ſunt textui notæ refutatoriæ, & præmiſſa eſt Hiſtoria breviuscula Scepticiſmi veteris & recentis, quæ tamen longe plenius tradi poteſt. Nam qui hactenus hoc argumentum tractarunt, e Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ, parci admodum in eo ſunt. M. Gabr. Wedderkopf Argentorati Diſputationem habuit *de Scepticiſmo Veteri & Recentiori A. 1664.*

CAP. VII.

DE PHILOSOPHIAE PLATONICAE SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Plato Dogmata, a Socrate accepta, cum Barbaricis & Pythagoricis miſcuit: multos Patrum primæ Eccleſiæ Sectatores habuit. Operum illius editiones & commentatores. Scripta ejusdem ſuppoſititia. Plagii in Timæum falſo accuſatur.* 2. *Iſagogas in Philoſophiam Platonis ſcripſere Joh. Bapt. Bernhardus, & ante hunc Alcinous, collationes autem ejusdem cum Ariſtotelica Georg. Gemiſtus, Georg. Trapezuntius (in Platonem perquam maledicus, & a Beſſarione Card. refutatus,) Pet. Bembus, Jac. Mazonius, Seb. Foxius, Lud. de Morainoillier & Gabr. Buratellus. Plato pie eſt philoſophatus, Atheiſque contrarius.* 3. *Speuſippi, ſucceſſoris Platonis, quem Ariſtoteles permagni fecit, ſcripta.* 4. *Platonici reliqui celebriores, ſcriptisque etiamnum ſuperantibus; inclyti, Plotinus ſc. & Origines.* 5. *Proclus, de cujus ſcriptis, editis ac ineditis, paulo differtur uberius.* 6. *Maximus Tyrius.* 7. *Plutarchus.* 8. *Numenius.* 9. *Chalcidius.* 10. *Apuleius, Damaſcius, Hermias, Olympiodorus, Syrianus, Heremius, Sallaſtius.* 11. *Philo Judæus, ſi non Platonicus, Platonizans tamen.* 12. *Mich. Pſellus, cujus, aliorumque Platonicorum, de Dæmonibus doctrina, magiæ eſt affinis.* 13. *Franc. Joſ. Borri, in eadem de Dæmonibus doctrina, πλατωνίζει.* 14. *Nec non Autor libelli le Comte de Gablis, Georg. Pictorius, aliique.* 15. *Recentiores Platonici, Marſilius Ficinus, ad magiam proclivior.* 16. *Joh. & Joh. Franc. Pici, Comites Mirandulani.* 17. *Gabr. Buratellus, de quo, ceterisque Ariſtotelis cum Platone conciliatoribus, ſertur judicium.* 18. *Scipio Agnellus, doctrinæ Platonis de ideis, contra Ariſtotelem, propugnator eximius, & Joh. Marcus Marci, ejusdem inſtaurator.* 19. *Henr. Morus, Philoſophus Platonico-Carteſianus, animarum etiam cum Chriſtoph. Sandio, & Anonymo* Lucis Orientalis *Autore, patrocinatus præexiſtentiæ, per Jac. Thomaſium impugnatæ.* 20. *Leo Hebræus, doctrinæ Platonis de amore exegetes.* 21. *Dan. Heinſius, cujus* Poëma de Contemptu Mortis, *Platonis congruens doctrinæ, commendatur.* 22. *Indiculus Autorum, de Hiſtoria Dogmatisque Sectæ Platonicæ conſulendorum.*

E Scho-

EX Schola Socratica PLATONIS Philoſophia prodiit, quanquam alii Platonem incuſent, quaſi miſcuerit Socraticam doctrinam cum Barbara & Pythagorica, Exprobrat hoc ipſi Xenophon, ipſe Socratis auditor Epiſtola quadam, ad Æſchinem Socraticum ſcripta, quæ legi poteſt apud Euſebium *in præparatione Evangelica, lib. 24.* & Stobæum *in Sermone de Diis.* Longe autem ille a Scepticiſmo abeſt, quem imputare illi nonnulli voluerunt, a quo illum excuſat Verulamius, *in novo Organo l. 11. Aphor. p. 67.* Claud. Berigardus, *in Circulo* ſuo *Piſano, Circulo tertio part. 1.* Platonicam Philoſophiam partim Pythagoricæ, partim Peripateticæ, ſimilem facit; ſublatis enim Ideis, quas impugnarat Ariſtoteles, in ceteris tantum verbis & ratione conſiderandi differre ait; de quibus omnibus nunc diſputare non eſt noſtri inſtituti. De dignitate ejus Philoſophiæ præ Ariſtotelica, aut earum convenientia inter ſe, integris Voluminibus agitur a multis, de quibus plura in ſequentibus. Nos hic tantum, ὡς ἐν κεφαλαίῳ, quædam de Platonica doctrina afferemus, nam Hiſtoriam ejus integram non teximus; quam velim tamen a quopiam contexi. Non habemus Autorem ullum, qui Platonis Platonicorum omnium Hiſtoriam, Vitas, Scripta, juſto ordine congeſſerit & digeſſerit, qui tamen vehementer faceret ad Philoſophiæ illius illuſtrationem. In Ariſtotele ſollicitiores fuere nonnulli, quanquam tamen neque de illo omnia ea, qua poterant, diligentia tractata ſint. Et magni tamen intererat, tum ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam, tum ad Philoſophicam, geminæ hujus Sectæ ortus & progreſſus noſſe accuratius, quandoquidem Patrum quorundam etiam in ſacris opiniones multum ex his fontibus hauſerunt. Platoniſmus primis Chriſtianis Patribus ad multa ſingularia facem prætulit, multi ex hoc fonte errores propullularunt; quam ob cauſam accuratius indaganda ſunt omnia, quæ in negotio hoc indagari poſſunt. Quod Platonis Opera attinet, aliquot eorum editiones prodierunt. Eſt Græco-Latina a Marſilio Ficino edita, cum argumentis & commentariis, *in fol.* Lugd. anno 1590. Item Francof. anno 1602. Melior vero eſt editio, quæ duobus Vólum. *in fol.* prodiit, cum interpretatione Joh. Serrani, ejusque notis, *in fol.* apud Henr. Stephanum, anno 1578. (*bb*) Inter Libros ejus ſingulares, *Timæus* prodiit ſeorſim, cum Commentariis nonnullorum, extantque *libri 10. Commentariorum in Timæum Platonis* Pauli Benii, ne quid de aliis nunc dicam. In *libros de Rep.* extat *Paraphraſis* Averrois, quam in Lat. linguam convertit Jacobus Mantinus, Medicus Hebræus, editam una cum Franciſci Philelphi *libris 5. de Morali Philoſophia & (diſciplina.)* Non pauca quoque ſunt ſuppoſititia, quæ Platoni adſcribuntur, quorum aliqua addita ſunt Operibus ejus. Fuerunt & olim alii ejus adulterini Dialogi, quos recenſet Diogen. Laërtius, ſed qui amplius non extant. Emendatiſſima eſt editio Platonis illa, quæ Græca tantum lingua prodiit, cum Procli *Commentariis in Timæum*, Baſileæ anno 1534. *in fol.* Fuerunt, qui Platonem etiam plagii incuſa-

1

(*bb*) Digna eſt, cujus hic mentio fiat, Andr. Dacerii, Acad. Francicæ Socii, verſio Operum Platonis Gallica, cum notis elegantibus, Pariſiis an. 1699. *in 12mo* edi coepta.

runt, quod Timæo doctrinam de anima mundi ſurripuerit, qui tamen injurii in illum ſunt. Neque enim plagiarius dicendus eſt, qui profitetur nomen, unde ceperit.

2 Auctores ad doctrinam Platonicam παρασκευαστικοὶ ſunt, tam Græci, quam Latini, tam veteres, quam recentiores, omnium autem Platonicorum ſyllabum, operumque illorum enarrationem, quanquam valde imperfectam, præmiſit *Seminario* ſuo *Philoſophiæ Platonicæ* Lugd. Gall. A. 1599. *in fol.* excuſo, Joh. Baptiſta Bernhardus. Extat aliquoties in lucem edita Alcinoi *Introductio in Philoſophiam Platonis*, Græce *in 8vo*, anno 1521. apud Aldum Manutium (quæ eſt editio correctiſſima,) Græce & Latine a Dan. Heinſio, una cum ejus *notis*, Lugd. Batav. *in 8vo.* Editus eſt idem liber cum Commentariis Dion. Lambini Pariſ. *in 4to*, anno 1557. & cum Commentariis Joh. Carpentarii *in 4to*, Pariſ. duobus voluminibus. Georgius Gemiſtius, cui Plethonis cognomen datum eſt ab amore Platonis, ut exiſtimant, ſcripſit librum Græca lingua *de Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia*, qui prodiit Baſileæ anno 1574. *in 4to* Latine, & Venetiis, una cum Bernhardini Donati, Veronenſis, *paraphraſi*, *in 8vo*, in linguam Latinam translatus a Georgio Chareandro, qui Baſileenſem editionem Latinam procuravit. Hujus Autoris plurima alia ſunt ſcripta, partim edita, partim inedita, partim Philoſophici, partim Hiſtorici argumenti, de quibus ulterius videri poteſt Leo Allatius in *libro de Georgiis Claris.* Georgius Trapezuntius *Comparationem Platonis & Ariſtotelis* inſtituit, qua Ariſtotelem Platone longo intervallo ſuperiorem eſſe contendit, qui liber Venetiis editus eſt anno 1528. *in 8vo.* Quod vero in Platonem vehementer maledicus eſſet, permovit ejus rei indignitas celebratiſſimum Cardinalem Beſſarionem, ut diſſimulato Trapezuntii nomine, Calumniatori Platonis libris quatuor reſponderit, quibus ſapientiam Platonis atque doctrinam, & probitatem morum, exponit. Addit porro quintum ſuperioribus librum, in quo Trapezuntii errores in interpretatione legum Platonis refutavit, oſtenditque, illum non intellexiſſe Platonem. Addidit quoque *Diſputationem* ſuam *de natura & arte*, in eundem Trapezuntium ſcriptam, quæ omnia Venetiis prodierunt *in fol.* apud Aldum, anno 1503. Ceterum de Georgio Trapezuntio itidem legendus eſt idem Leo Allatius libro citato: de Beſſarione autem ejusque operibus aliis, ad Philoſophiam ſpectantibus, Jac. Gaddius *in libro de Scriptoribus*, ſub tit. *Beſſarionis.* Scripſerat & Pet. Bembus *Apologiam Platonis*, *& Diſſertationem* in ejus opera, quæ tamen hactenus inedita ſunt, eodem referente Gaddio. Poſt illa tempora ſequuti ſunt alii complures, qui hoc argumentum copioſe tractarunt, de convenientia & diverſitate Philoſophiæ Platonicæ & Ariſtotelicæ. *De conſenſu utriusque* ſingularem librum ſcripſit Jacobus Mazonius, (de quo v. Erythræi *Pinacoth. I. p. 68.*) tum & Sebaſtianus Foxius Hiſpalenſis, qui utriusque conſenſum tantum ad Philoſophiam naturalem reſtrinxit, & editus eſt Wittebergæ anno 1589. *in 8vo.* Idem Autor in *Phædonem* Platonis, & *libros* ejus *de Rep.* prolixos ſcripſit Commentarios, *in fol.* editos Baſileæ anno 1554. & anno 1556. E recentioribus quoque aliquis Ludovicus de Morainuillier d' Orgeville, Doctor

Doctor Sorbonicus, *Examen Philoſophiæ Platonicæ* edidit Macloviæ anno 1650. *in 8vo*, quo in libro univerſam Philoſophiam Platonicam ſpeculativam, quam ſub nomine Dialecticæ comprehendit, ſub examen vocat, additis nonnunquam Parallelis Peripateticis. Eſt ille liber velut ſummarium & breviarium Philoſophiæ Platonicæ, cujus maxima pars verſatur in Theologia & Metaphyſica. Cauſas enim externas, efficientem & finalem, in philoſophando magis reſpexit, quam materialem & formalem, rerum ſc. miſtionem ac generationem. Pie ſane in illis dogmatibus philoſophatus. Nam Spinoſa, & alii profani ac Athei, omnem finalem cauſam e natura elliminare laborant, ut ingenii humani commentum, qua ſublata facile ipſa efficiens tolletur, Deus. *De controverſiis Platonis & Ariſtotelis præcipuis* Gabriel Buratellus librum itidem ſcripſit, qui prodiit Venetiis anno 1573. *in 8vo.*

SPEVSIPPVS. Inter primos Platonis ſucceſſores fuit, ejusque ex ſorore nepos. De illo, librisque ejus, fuſius agit Laërtius *lib. 4.* Pauca ab illo habemus: Ariſtoteles illum magni fecit, ejusque libros maximo pretio emit, teſte eodem Laërtio. Laudat ipſum quoque Ariſtoteles in Metaphyſicis. Scripſit *de Philoſophis*, ſcripſit itidem *Encomium Platonis* & *librum de cœna Platonis*, quorum nomina tantum ſuperſunt. *De diſſinitionibus* tamen *Platonicis* ſupereſt libellus ſub ejus nomine editus. Pariſ. lingua Græca, qui jungitur Alcinoo *de doctrina Platonis.* 3

PLOTINVS. Plotinus e Platonicorum ſchola libros ſcripſit, qui hodie ſuperſunt; vixit ſub Alexandro Severo, fuitque diſcipulus Ammonii Alexandrini, in cujus ludo Origenes quoque fuit inſtitutus, qui in ſcriptis ſuis Theologicis Platoniſmi veſtigia ubique oſtendit. Fuit tamen inter Peripateticos connumeratus iſte Ammonius, credo, quod ipſe ſe talem profiteretur. Nam, ut Hierocles apud Photium teſtatur *Codice* 251. primus fuit, qui Ariſtotelem a Platone non diſſentire oſtendit. Addit porro, utramque illum Sectam edoctum, Philoſophiam a contentionibus liberam tradidiſſe ſuis Auditoribus. Ejus Opera præ aliis omnibus vehementer illuſtrant doctrinam Platonicam, quæ Græce & Latine edita ſunt Baſileæ *in fol.* a Marſilio Ficino anno 1580. 4

PROCLVS. (*cc*) Celebratiſſimus Operibus ſuis Proclus eſt, cujus adhuc hodie libri extant plurimi, quanquam & multi ejus ſint deperditi. Vixit Theodoſii & 5

(*cc*) De Proclo, ejusque Scriptis, conſulenda omnino eſt ab horum amaſiis Marini Neapolitani *Vita Procli*, non mutila, ſicut antehac a Guilh. Xylandro & Æmil. Porto, ſed altera Parte *de Virtutibus Procli Theoreticis ac Theurgicis*, e Cod. Biblioth. Guidanæ MSto nunc primum eruta, auctior, atque adeo integra, Hamburgi an. 1700. *in 4to* a Joh. Alb. Fabricio, Polyhiſtore eximio, edita, ac verſione Latina, *notis*, *Prolegomenis.* de Proclo & Marino, *Elenchoque Scriptorum* Procli accuratiſſimo, illuſtrata. Ex MSStis Procli Holſtenianis, *h. l.* memoratis, in Bibliothecam Hamburgenſem, beneficio Holſtenii Profeſſoris, cum aliis pluribus Codd. ineditis, Platonicorum præcipue tranſierunt Procli *Elementa Theologica* (cum Guilh. de Morbeca verſione illorum Latina), Tres Μονόβιβλοι & *Comment. in Platonis Alcibiadem*, nec non Nicolai, Epiſc. Methonenſis *in Procli Elementa Theologica Explicationes & Animadverſiones.*

Leonis Thracis ætate. Scholam ejus, præceptores & diſcipulos, prolixe deſcribit Jonſius *de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ l. 3. c. 18.* Edidit, præter Philoſophica, quædam Grammatica & Poëtica, ſub titulo χρηστομαθείας, unde Excerptum nobis ſervavit Photius in *Bibliotheca, codice 239.* quod cum And. Schotti verſione, & Petri Joh. Nunneſii *notis*, ſeorſim prodiit Hanoviæ *in 4to* anno 1615. additum Andreæ Schotti *Obſervationibus Humanis.* Operum ejus Philoſophicorum variæ ſunt editiones, neque omnia ſimul & junctim edita. Edita eſt ejus *Explicatio Platonis ex Timæo*, ubi de animarum generatione agitur, Latina lingua, cum Numerorum Harmoniarumque figuris, interprete Nicolao Leoniceno *in fol.* Pariſiis anno 1580. Prodiit idem liber, cum *Enarratione difficilium quæſtionum in Politica Platonis, in fol.* Baſileæ anno 1584. Ejusdem *Elementa Theologica & Phyſica*, Latine a Franciſco Patricio verſa, prodierunt *in 4to* Ferrariæ anno 1583. Ejusdem *in Theologiam Platonis Commentarius*, una cum ejus *Vita* a Marino Neapolitano deſcripta, prodiit Græce & Latine, vertente Æmilio Porto, & ſumptus ſuppeditante Sereniſſimo glorioſæ memoriæ Principe Holſatico, JOHANNE ADOLPHO, e Typographeo Frobeniano, Hamburgi A. 1618. *in fol.* Multa ejusdem Autoris adhuc hodie ſuperſunt ἀνέκδοτα, quæ in lucem protrahi mererentur. Reperiuntur nonnulla inter Codices MStos Holſtenii. Sunt in illis Procli *Elementa Theologica* Latine, ex veteri verſione Fratris Guilhelmi de Morbeca, Archiepiſcopi Corinthii, cum ejusdem *Demonſtrationibus* in fol. Habentur & ejusdem *libri 3. ſingulares*, ſive μονόβιβλοι, primus *de decem dubitationibus circa providentiam;* ſecundus *de providentia & fato, & eo quod in nobis*, ad Theodorum Mechanicum, tertius *de malorum ſubſiſtentia*, Latine translati ab eodem Interprete, Guilhelmo de Morbeca. Extant itidem variï ejusdem Commentarii in Platonis *Dialogos*, ut & in *Alcibiadem priorem*, Græce, in *Parmenidem* ejus *libri 7.* Græce *in fol.* in ejusdem *Cratylum ſcholia* Græce *in 8vo.* Extant & ejusdem *Diſſertationes in Remp. Platonis* Græce, hactenus non editæ. Non dubito, multos alios paſſim in Bibliothecis ſupereſſe, ſcripſit enim plurimos, ſed negliguntur jam illi, neque digna eorum cura habetur, cum præ Platonica triumphet Peripatetica Philoſophia. Non tamen inutile eſt, vel titulos illorum librorum notaſſe, quanquam ipſos inſpicere non liceat. Datur enim nonnunquam ex inſperato occaſio in libros illos incidendi, in Bibliothecis præſertim publicis.

MAXIMVS TYRIVS. Philoſophus Platonicus, & Marci Antonini præceptor, ſcripſit varias *Diſſertationes Philoſophicas*, quæ *ſermonum* nomine Græca lingua editæ ſunt. Scripſit & *de Homero*, & quænam apud ipſum vetus Philoſophia ſit; an Socrates recte Apologiam detrectaverit. *Sermones* ejus e Græco in linguam Latinam convertit Coſmus Paccius, Archiepiſcopus Florentinus, cujus Interpretationis Latina editio prodiit anno 1557. *in 8vo.* Optima autem ejus Autoris editio eſt, quæ Græca & Latina lingua ſimul prodiit, cum interpretatione & notis Dan. Heinſii, Lugd. Batav. *in 8vo* anno 1607. Jungitur huic Maximo Tyrio Alcinoi *liber de doctrina Platonica.*

PLV-

PLVTARCHVS. Plutarchus vetus collector eſt variarum rerum, cujus induſtria multa nobis ſunt conſervata, etiam in Philoſophicis, quorum alioquin non ſupereſſet memoria: ejus extat Diſſertatio *de placitis Philoſophorum*, ubi velut per lancem ſaturam proponit varias Philoſophorum veterum ſententias. Ejusdem extant *quæſtiones Platonicæ*, & Commentarius *de animæ procreatione*, quæ in *Timæo* Platonis deſcribitur, in quibus omnia illa dogmata Platonica recenſet, quanquam breviter admodum. Sunt & de aliarum Sectarum dogmatibus illius libelli ſingulares, ut *de Stoicorum repugnantiis*, *de communibus notitiis adverſus Stoicos Diſſertatio*, *ne ſuaviter quidem vivi poſſe ſecundum Epicuri decreta*; item *de Socratis genio*, quæ omnia, ut fragmenta vetuſtatis, magni facere debemus. 7

NVMENIVS, Philoſophus Pythagoricus & Platonicus, ſub Lucio Vero & M. Antonino floruit, cujus multi olim libri fuerunt, nunc pauci ſuperſunt. Ejus olim *de Platonis & Academicorum diſcrepantia* liber fuit, quem laudat Euſebius *lib. 14. præparationis Evangelicæ*, atque inde argumenta recenſet. Scripſit & περὶ τᾶ ἀγαθᾶ aliquot libros: librum *de immortalitate animæ* (quem laudat Origines *lib. 5. contra Celſum.*) Item *de anima.* Ejus nominis & alius fuit ab illo diverſus, & alius quidam Rhetor; Vide Jonſium *de Scriptoribus hiſtoriæ philoſophicæ l. 3. c. 10.* Ex illo cepiſſe multa Plotinum exiſtimant, quam ob cauſam Amelius, itidem Platonicus Commentator & Philoſophus, librum ſcripſit *de differencia Plotini & Numenii* teſte Jonſio *loco citato.* 8

CHALCIDIVS. Eſt & is inter Sectatores Platonicos. Ejus *Commentarius in Timæum* editus eſt a Joh. Meurſio noviſſime, Lugd. Batav. Græce cum notis, *in 4to*, & olim Pariſiis anno 1579. *in 4to.* Magnificum huic viro elogium ſuſpendit Barthius *Adverſ. lib. 48. c. 8. Nemo*, inquit, *melius profuiſſe ſeculo noſtro videtur, quam Chalcidius, homo ita Chriſtianus, ut alium cum non potuiſſe eſſe evincatur, ita* Philoſophus, *ut videri velit, rationibus ſolis niti velle.* 9

APVLEIVS. Inter Philoſophos quoque Platonicos Apulejus eſt, cujus varia argumenta illuc ſpectant, ut videre eſt in libris ejus. Ejus extant variæ editiones de quibus *L. 4. Polyhiſt. Lit. c. 13.* eſt actum. Varii extant præterea Scriptores Platonici inediti & editi, tam Compendiarii, quam Paraphraſtici & Commentatores. Inter Manuſcripta Holſteniana ſunt Damaſcii περὶ ἀρχῶν ſive *de principiis quæſtionum & ſolutionum*, Græce in fol. quod magnum & præclarum opus in iſto Holſtenii Indice judicatur. Extant illic Hermiæ Philoſophi *in Phædonem Platonis ſcholiorum lib. 3.* Græce *in fol.* qui & in Latinam linguam converſi ſunt a Marſilio Ficino; ſed nec verſio illa edita eſt. Extant Olympiodori *Commentarii in Phædonem Platonis de immortalitate animæ* Græce *in fol.* & ejusdem *Commentarius in Georgiam Platonis*, Græce *in fol.* Extat Siriani Platonici, *in Metaphiſicam Ariſtotelis Commentarius*, cujus objectionibus contra Pythagoram & Platonem reſpondet, Græce *in fol.* Extant Herennii Philoſophi *Metaphyſica*, quod eſt elegans Theologiæ 10

Platonicæ compendium, Græce *in fol.* Item Ægidii, Cardinalis Viterbienſis, *Commentaria in librum ſententiarum ad mentem Platonis*, quibus univerſa Theologia Platonis luculenter exponitur, Latine *in fol.*

Salluſtii Opera Græca a Leone Allatio Græce & Latine edita ſunt Lugd. Batav. in 4to, in quæ extant notæ Lucæ Holſtenii. (*dd*)

11 PHILONIS JVDAEI Opera. Philonum multi fuere olim; fuit Philo e Pyrrhonis ſchola, fuit aliquis Ariſtoteli familiaris Pythagoricus, & multi alii, quorum opera non ſunt amplius ſalva. Fuit & Alexandrinus, Judæus ille, qui Caji Imperatoris tempore vixit, de quo vulgo creditur illum Platonicum eſſe. Extant multa ejus opera Philoſophici argumenti, quæ quodammodo convenire cum Platonicorum doctrina videntur. Hinc vulgatum de illo judicium! *Aut Philo platonizat, aut Plato philonizat.* Multa quoque ex ejus libris excerpſit Johan. Baptiſta Bernhardus in *Seminario* ſuo; ſed aliter tamen videtur viris doctis, qui libros ejus Platonicum genium non ſpirare exiſtimant: qua in ſententia quoque eſt Jonſius (*ee*) *Hiſtoriæ Philoſophicæ lib. 3. c. 4.* ubi multa de aliis Philonibus. In multis tamen eadem videtur dicere cum Platonicis, ſive ex Platone illa hauſerit, ſive e communi fonte cum Platonicis. Vero enim eſt ſimile, recentiores Platonicos multa e Rabbinorum & doctorum Judæorum, ſcriptis hauſiſſe, uti Plato ipſe e ſacris literis. Ejus Opera per partes Græce Latineque ſunt edita, ſed junctim, Francofurt. cum Variorum Verſionibus Latinis, curante Dav. Hoſchelio, A. 1587. *in fol.*

12 MICH. PSELLVS. Etiam hic inter Platonicos multa nos de Dæmonibus arcana, an in illorum ludo inſtitutus, neſcio, docuit, neque enim e divina, ut puto, revelatione habuit. Multum ſc. rei Platonicis cum Dæmonibus fuit, de illorum tutela, evocatione, familiaritate, pleni ſunt omnes Platonicorum libri, de ordine inter ipſos, de diſtinctione ſecundum elementa, mirabilia ſunt illorum commenta, quæ ad Magiam feneſtram aperire poſſe videntur. Pſelli *Dialog. de dæmonibus, & eorum operatione*, eſt e Græco verſus a Petro Morello, Pariſiis *in 8vo* anno 1577. prodiit; hinc altera editio Græco-Latina, cum notis Gilberti Gaulmini, viri doctiſſimi, Pariſiis anno 1615. *in 8vo.* (*ff*)

La

(*dd*) Damaſcii, Hermiæ, Olympiodori, Syriani & Ægydii Viterbienſis, Opera, *h. l.* enumerata, inter Codices MSS. Holſtenianos, in Biblioth. Urbis Hamburgenſis Publica, olim ſe mihi obtulerunt. Salluſtii, Philoſophi, non Platonici, ſed Cynyci, unicum tantum exſtat de *Diis & Mundo opuſculum*, Græce, cum Verſione Leonis Allatii, & Luc. Holſtenii *Obſervationibus*, a Gabr. Naudæo Romæ an. 1638. *in* 8. editum, Lugd. Bat. an. 1639. *in 12.* recuſum, & tandem a Thoma Galeo *Opuſculis Veterum Mythologicis, Ethicis & Phyſicis*, Cantabr. an. 1671. ac denuo Amſtelod. an. 1688. (*in 8.*) a ſe publicatis, inſertum.

(*ee*) *Pro Philonis Judæi Platoniſmo*, Exercitationem, adverſus Ioh. Ionſii *Cap. IV. Liber III. de Scr. Hiſt. Philoſ.* peculiarem Lipſiæ an. 1693. *in 4to* edidit Ioh. Alb. Fabricius, Gymn. Hamb. nunc. Profeſſor.

(*ff*) Mich. Pſelli *de Operatione Dæmonum* Dialogus, cum Gilb. Gaulmini Verſione & Notis noviſ-

La Chiave del Gabinetto del Borri. Subjungo hunc librum Pſello *de Dæmoni-* 13
bus, quia in eodem argumento verſatur. Quis Franciſcus Joſephus Borri fuerit, notum puto eſſe omnibus, multorum arcanorum Phyſicorum poſſeſſor, ſed tamen & ſummus impoſtor. De hujus Vita & Dogmatibus exiit liber iſte, impreſſus Coloniæ, ut titulus habet, anno 1681. in quo multa referuntur de doctrina ejus circa Dæmones, quæ cum Platonicis & Paracelſiſtis mire conveniunt. Dici non poteſt, quam liber ille plenus ſit his næniis. Plura alia illic habentur de transmutatione metallorum, quam ipſe tamen neſcivit; Inſtructio item Politica ad Fridericum III. Daniæ Regem, qua ratione is cives ſuos in obſequio continere debeat. Additur quoque Vita ejus.

Le COMTE de GABLIS. Quisquis Autor illius libri fuerit (eſt autem 14
Gallica lingua editus Amſtel. anno 1571. ad exemplar Pariſienſe recuſus,) mire illi cum *Clave* Borriana convenit. Profitetur titulos, multa illic agi de ſcientiis ſecretis, ſed revera nihil aliud facit, quam ut Magiam & converſationem cum Dæmonibus probet & doceat, Cabalæ titulo illam honeſtans. Sed multi tales libri ſunt, de quibus ut nimium ſolliciti ſimus, non eſt neceſſe. Multa de hoc argumento habentur quoque apud Georgium Pictorium, in libello *de Dæmonum ſublunarium ortu, poteſtate, miraculis, & quomodo pellendi;* qui libellus additus eſt *Sermonibus* ejus *convivalibus*, Baſileæ editis. Legi quoque poteſt Joh. Bodinus in ſua *Demonomania*. Sed hæc non adeo ſunt hujus loci.

MARSILIVS FICINVS, Florentinus, inſignis Philoſophus Platonicus 15
is ſuo tempore fuit, & Medicus, cui editionem Platonis debemus, non quidem omnium accuratiſſimam, ſed tamen non contemnendam. Quia enim potius Dogmaticus fuit & Philoſophus, quam Philologus & Criticus, mirum non eſt, ſi in Platonis textu interpretando non usque adeo ſcopum tetigerit. Scripſit ille plurima Opuſcula, fundamentis Platonicis ſuperſtructa, tam Theologica, quam Medica & Philoſophica, v. g. *librum de Chriſtiana religione*, cujus doctrinam cum Philoſophia Platonica conjungit, earumque convenientiam monſtrat. Scripſit & *de immortalitate animarum libros 16.* quibus titulum *Theologiæ Platonicæ* fecit. Multa illic memorabilia continentur, quorum uſus eſſe poteſt ad hoc argumentum illuſtrandum; diſputat enim adverſus Epicureos & Atheos. Scripſit & *de raptu Pauli in cœlum tertium*, & *de nativitate Chriſti æterna & temporali*; libros item Medicos *de ſanitate tuenda, & vita producenda, ac librum de vita cœlitus comparanda*, qui Magici aliquid ſapere videtur. Docet enim in eo, quomodo vita noſtra inſtituenda ſit, ut aſtrorum nobis aſſignatorum conſtitutioni ſit conformis. In eo libro per imagines Aſtrologicas mira ſe facturum confidit, quem ſe refutaturum fuiſſe dicit

noviſſime a Dan. Haſenmüllero, Prof. Kilonienſi, an. 1688. Kilonii *in 12.* eſt recenſitus Verum Editionem hanc, & Textum Pſelli, & *Notas* Gaulmini, mendis deformaſſe plurimis, recte jam monuit Joh. Clericus *T. XV. Bibliotb. Univerſ. Hiſtorica, Gallice* editæ, *M. Oct. A. 1689. p. 117. 118.*

dicit Johannes Franciſc. Picus Mirandula *l. 7. de rerum prænotione c. 10.* niſi id ob ſingularem cum illo amicitiam intermiſiſſet. Plurimæ ſunt ejus Epiſtolæ, quibus omnibus Philoſophiæ Platonicæ argumenta tractantur. Tomus Operam ejus ſecundus continet Commentationes in Platonem ipſum, & in Platonicos aliquos, editus Baſileæ in fol. anno 1576.

16 COMITVM MIRANDVLANORVM Opera. Johannes Picus & Joh. Franciſcus Picus, Mirandulani Comites, magnum ſuo tempore nomen ſibi pepererunt, editis in lucem libris Philoſophici & Cabaliſtici argumenti, præprimis vero Joh. Picus, qui admodum juvenis magna ingenii ſui ſpecimina edidit. Interdum certe in libris ſuis platonizat, ſed plurima tamen e Judæorum Philoſophia hauſit, ut indicio ſunt Opera ejus varia, quæ Cabaliſticum quid ſapiunt. Scripſit *adverſus Aſtrologos* acutiſſimum librum, cui reſpondit quidem Lucius aliquis Bellantius, ſed diſpari ingenio. Juvenis mortuus eſt anno 32. ætatis, quod illi tempus Aſtrologi in vindicationem artis ſuæ prædixerant. Ejus *Heptaplus* agit de conſtitutione mundi, in quo non pauca ſunt Cabaliſtica. Eſt vero Commentarius in opus ſex dierum; Joh. Pici Opera junctim prodierunt anno 1504. Argentorati in fol. Joh. Franciſc. Pici Opera quoque non pauca ſunt, liber egregius *de prænotione rerum; Examen* item *vanitatis doctrinæ gentium, libri de ſtudio humanæ, ac divinæ Philoſophiæ*, & alia nonnulla, quæ omnia, cum Fratris *(gg)* Operibus, junctim prodierunt Baſileæ ex Officina Henr. Petreana in fol. anno 1573. Liber alioquin rarus eſt.

17 GABRIEL BVRATELLVS. Fuit ordinis Eremitarum, cujus extat *conciliatio præcipuarum controverſiarum Ariſtotelis & Platonis.* Multa ille Autor in tit. promittit, nam *diu deſideratum opus* vocat, *& a veteribus & recentioribus pollicitum, non tamen abſolutum;* procedit per pleraque doctrinæ Platonicæ capita, ab Ideis incipiens. Sed & ille potius ſuo, quam Autorum, ingenio rem egit, ut ſolent plerumque omnes conciliatores, qui ſuo ingenio quomodocunque ſubveniunt difficultatibus. Fuerunt vero & ante illum, & poſt illum non pauci, qui hac in re operam præſtiterunt, ut neſciam ſane, quid ille præcipue hoc in negotio fecerit. *(hh)* Ariſtotelem diſſenſiſſe a Platone, verum certe eſt, ac patet ex ejus ſcriptis, an vere, an cavillandi ſtudio, incertum. Certe & Pet. Ramus Platonis cauſam adverſus Ariſtotelem agit, mea quidem ſententia non infeliciter; nam in multis e Diametro diſtat Platoni Ariſtoteles. Pleraque enim, quæ Plato de mundi cauſa efficiente, de animarum immortalitate, vel e traditionibus majorum, vel e ſuo ingenio, docuerat, vel

(gg) Joh. Franc. Picus, perperam hic Joh. Pici Frater appellatur, cum nepos ejus potius ex Fratre Galeotto fuerit, uti ipſemet in Vita Patrui, *Operibus* illius præfixa, teſtatur. *Libros* ejus *duos de ſtudio humanæ ac divinæ Philoſophiæ* Joh. Franc. Buddeus, Prof. Acad. Halenſis *πολυμαθέστατος*, ſeorſim nuper cum *Præfat.* ſua, Halæ Saxonum an. 1702. *in 12.* curavit recudi.

(hh) De Conciliatoribus Platonis & Ariſtotelis fuſius egit Joh. Bapt. Röſchelius, Phyſ. Prof. Witteb. in *Diſſ. de Philoſophia Conciliatrice*, ed. Witteb. 1692. *in 4.*

vel refutat, vel diſſimulatione quadam negligit, ut vel e ſilentio ejus appareat, quidnam ipſi de multis animi fuerit. Prodiit Buratelli liber in 8. Venetiis anno 1573.

SCIPIO AGNELLVS. De ideis multa docuit Plato. Cum enim mun- 18
dum intelligibilem alium a ſenſibili conſtitueret, contra quam nunc faciunt profani noſtri ſcioli, qui totam naturam ſenſuum humanorum objectum conſtituunt, atque ultra ſenſum quicquam eſſe in natura negant, ideas quasdam rerum confinxit, quaſi ſpirituales omnium productorum corporum effectrices. Subtilis eſt illa Platonis diſputatio, in quam ductu ipſius naturæ pervenit, cum ſenſum ad rerum demonſtrationem non ſufficere videret. Multus eſt in illa ſententia refutanda Ariſtoteles, qui tamen ſenſum Platonis non recte cepiſſe multis videtur. Totam hanc doctrinam, adverſus Ariſtotelem, pro Platone, libro doctiſſimo propugnavit SCIPIO AGNELLVS. Nihil eſt omiſſum, quod ad hanc doctrinam pertinet, ab illo. Liber rarior eſt, & in paucorum manibus, Venetiis in 4to, anno 1615. editus. Notari ille unice pro hoc argumento poteſt, ac vehementer laudatur a multis iſtius temporis ſcriptoribus. Simile quid reſuſcitare videtur Joh. Marcus Marci, Med. & Conſil. Cæſareus, Profeſſorque Pragenſis, in *libro* ſuo *de Ideis operatricibus*, (cujus Pragæ An. 1635. *in 4to* editi, hic eſt titulus: *Idearum Operatricium Idea, ſeu Detectio & Hypotheſis illius occultæ Virtutis, quæ ſemina fœcunda, & ex iisdem corpora Organica producit.* Finxit & ille quasdam ideas rerum, rebus ipſis connatas, aut ipſis immerſas, unde omne agendi principium dependeat. Scripſit & idem Autor *Philologiam veterem Reſtitutam*, Pragæ an. 1662. in qua idem Argumentum pluribus perſequitur. Sed dolendum eſt, ſpecialem partem *libri de Ideis operatricibus* poſt mortem ipſius Autoris, intercidiſſe, in qua multa tractaturus erat de Plantarum palingeneſia, & multis aliis naturæ miraculis, quorum ille cauſas ideis ſuis quærit. Differt tamen ejus ſententia a Platonica, quod ille intelligibiles ſuas ideas faciat, hic etiam ad ſenſus reducat.

HENRICVS MOORE. E recentioribus ſcriptoribus Philoſophiam pro- 19
feſſus eſt, e Platonis & Carteſii dogmatibus mixtam, quod mirum alicui videri poſſit, Philoſophiam, quæ meris demonſtrationibus, ad Mathematica & ſenſuum principia inſtitutis, utitur, miſceri poſſe cum Philoſophia, quæ tota conſiſtit in abſtractionibus & ſpeculationibus. Sed tamen ille in multis non adeo infeliciter procedit. Nam & Carteſii non omnia probat; ſed, ubi ille deficit & ſubſiſtit, e Platonis principiis intellectualibus quaſi ſupplet, quo non pertingit Carteſii Philoſophia. Quod animæ originem attinet, Platonicam ſententiam de præexiſtentia animarum defendit integro libro, Anglica lingua ſcripto, *de immortalitate animæ*, qui nunc in Linguam Latinam, cum reliquis ejus Operibus, converſus eſt Nimis longum eſſet, recenſere, quæ ille Argumenta pro animarum præexiſtentia afferat, adverſus creationem & traducem diſputans. Cœpit hæc controverſia, jam pridem ſopita, nunc iterum agitari inter Philoſophos & Theologos, neque deſunt adſtipulatores & refutatores. Idem argumentum a Chriſtophoro Sandio, Sociniano, pertractatum eſt, in

Tractatu de origine animæ, Coſmopoli anno 1761. *in 8vo.* In illo libro nihil aliud agit Autor, quam ut coacervet ſententias parallelas, quæ ſtabiliant hanc de animarum præexiſtentia opinionem, e S. Scriptura, (quæ tamen valde detorta eſt) e Platone & Platonicis, Patribus, Rabbinis. Adverſus illum Tractatum Orationem ſcripſit IAC. THOMASIVS, Lipſiæ anno 1674. editam, qua & Autorem illum & totam hanc doctrinam, refutat, prolixeque demonſtrat, quam periculoſi & graves errores ex hac doctrina proveniant. (*ii*) Ex adverſo alii fuerunt, qui hac doctrina magnam origini animarum lucem accenſam exiſtimarunt. Extat Autor quidam Anglicus, ſed Anonymus, qui libellum ſcripſit Anglica lingua, cui titulum fecit: *Lux Orientalis, ſive inquiſitio in opinionem Orientalium ſapientum*, Londini anno 1662. in 8vo. Toto libro Autor ille, quisquis ſit, demonſtrare intendit, doctrinam hanc eſſe clavem myſteriorum providentiæ divinæ, cum Thomaſius in Oratione ſua oſtendat, nihil magis in providentiam divinam impingere, quam hoc dogma. Henrici MOORI Opera Philoſophica Latina Londini prodierunt anno 1679. *in fol.* Anglica autem Lond. An. 1662. *in fol.*

20 LEO HEBRAEVS *de Amore.* Etiam hic inter Platonicos recenſetur, qui *de amore dialogos 3.* ſcripſit. Notum eſt, Platonem Dialogos aliquot de amore ſcripſiſſe, in quibus ſunt multa de Pulchro memorabilia, quæ e principiis & fontibus ſacris hauſta videntur. Multa ſunt ſane divine de amore Dei dicta, & de amore hominum inter ſe, multa recitat Plato de Socratis amore illis in dialogis, quem male audire ob amorem ſuum notum eſt; ſed ſunt, qui illum defendunt, de quo legi poteſt *Vita Socratis*, a Balzaco ſcripta. Hanc ſententiam Platonis de amore, omnemque ejus doctrinam, pleniſſime perſecutus eſt Leo Hebræus in *tribus* illis de *Amore Dialogis*, quos nitida Latinitate donavit Joh. Carolus Saracenus. Editus eſt liber ille Venetiis anno 1564. *in 8.*

21 DAN. HEINSIVS *de Contemptu Mortis.* Partem hanc doctrinæ Platonicæ, quæ in contemplatione mortis conſiſtit, adeo eleganti Carmine complexus eſt Dan. Heinſius, ut addi nihil poſſit. Virgiliano ſane carmini comparat non immerito acerrimus rerum illarum judex, Buchnerus in *libro de commutata dicendi ratione.* Argumentum hujus poëmatis hoc eſt, quod, cum Plato Philoſophiam per meditationem mortis definiverit, ille hanc ejus doctrinam, ex omnibus libris, confirmaverit, progrediendo ab abſtractionibus animi per Philoſophiam ad intelligibilia, monſtransque, quomodo animus noſter a corpore paullatim ſubmovendus ſit ad contemplationem pulchri æterni, quod mortem vocat Plato. Continentur illis libris pene tota doctrina mora-

(*ii*) Sæ̃dianum *de Origine Animæ* Libellum impugnavit etiam, poſt Thomaſium, D. Balth. Bebelius, Theologus tunc Argentinenſis, in *Exerc. adverſus Præexiſtentiam Animarum Humanarum, errorem Chriſtoph. Sandii & Anonymi cujusdam, novorum Origeniſtarum*, Argent. an. 1675. *in 8vo* edit. Jac. Thomaſii Oratio, inter reliquas ejus *Orationes*, Lipſiæ an. 1683. *in 8vo* junctim publicatas, *num. 20. p. 457. 495.* eſt recuſa.

moralis & Theologia Platonica, qui ideo commendandi ſunt præ ceteris, quod utile dulci miſceant, & ſuavitate carminis res abſtruſiſſimas proponant. Editi ſunt illi ſeorſim Lugd. Batav. in 4to, anno 1621. & junctim cum aliis ejusdem Poëmatibus.

Atque hæc dicta ſunto de Scriptoribus Philoſophiæ Platonicæ, de quibus lon- 22
ge plura dici poterant, ſed nos ad omnia ſingularia deſcendere non poſſumus De Interpretibus Platonicis, eorumque Editionibus ſpecialibus, ſingulari libro legi poteſt Philippus Labbæus, de quo plura dicemus, cum de Scriptoribus Peripateticis agemus. De dogmatibus ſpecialibus Platonis agit Galæus *l. 3. c. 1. & 2.* Videndus quoque eſt Jac. Thomaſius in *Diſſertationibus* ſuis *Stoicis*, ſupra citatis; nec non Samuel Parkerus in *Tentaminibus Phyſico - Theologicis*, ubi de anima mundi ex Platonicis agit, *l. 2. c. 1. & 2.* & demonſtrat, veteres Philoſophos animam mundi pro ſupremo numine habuiſſe. Utinam perveniſſent ad poſteros notæ illæ, quas doctiſſimus ille Paulus Sarpius in Platonem, omniumque Sectarum fragmenta, ſcripſit, de quibus legi poteſt Fulgentius in *Vita* ejus *p.* 130. 131. Scripſit & doctiſſimus Jeſuita Renatus Rapinus librum *de comparatione Ariſtotelis & Platonis*, ubi omnes illos Autores recenſet, qui curſus Philoſophicos ſcripſerunt, quorum nemo ipſi cum Ariſtotele conferendus videtur; nam Ariſtotelem præfert Platoni. Videri quoque poteſt Hier. Cardanus in ſingulari libro *de clarorum virorum vita, & libris, & de hominum aliquorum illuſtriorum judicio*, ubi de Platone, Ariſtotele, aliisque, agit. Reperitur is *Tomo 10.* Operum, a Naudæo publicatorum.

CAP. VIII.

DE ARISTOTELE, SCRIPTORIBVSQVE DE SECTA AC PHILOSOPHIA PERIPATETICA ISAGOGICIS AC HISTORICIS.

§. 1. *Philoſophia Ariſtotelica Monarchica ferme hactenus gaviſa eſt autoritate. Librorum Ariſtotelis Verſiones ævo ſequiori ineptæ Philoſophiam Scholaſticam, ceu abortum, ſunt enixæ. Joh. Jonſii & Joh. Reiskii in Hiſtoria Peripatetica Conatus. Inter editiones Ariſtotelis excellunt duæ Pariſienſes, quarum recenſus brevis exhibetur. Inter Vitæ autem ejus Scriptores Diog. Laërtius & Ammonius, a Pet. Joh. Numeſio egregie illuſtratus. Numeſii ipſius & Guilh. Vudallii ſcripta de Philoſophia Ariſtotelis Iſagogica commendantur.* 2. *Johannis de Launoy* Libri de varia Ariſtotelis Fortuna *Argumentum.* 3. *Conſpectus* Diſcuſſionum Peripateticarum *Franc. Patricii, omnia, ad Ariſtotelis pertinentia notitiam, accurate perſequentium, ſed maligno ſimul animo criminantium, Compendiarius. Ariſtoteles a plagii crimine abſolvitur, & ob methodum laudatam commendatur.* 4. *De Theod. Angelutii, quem Patricius adverſarium, & Franc. Mucii, quem hyperaſpiſten eſt nactus, Scriptis*

cenſura. 5. *Phil. Labbæi Conſpectus Interpretum Platonis & Ariſtotelis Græcorum.* 6. *Diſcrimen Librorum Ariſtotelis* Ἐξωτερικῶν *&* Ἀκροαματικῶν, *ex Oct. Ferrarii* Libro de Sermonibus Exotericis *addiſcendum.*

1 PRocedimus nunc ad ARISTOTELEM, & Philoſophiam Ariſtotelicam, quæ, poſtquam diu, Platonica etiam, in Chriſtianiſmo regnaverat, ita tandem occupavit omnium animos & ſcholas, ut religioni duceretur, vel latum unguem ab ea discedere. Sero librorum Ariſtotelis notitia ad nos pervenit, non niſi poſt captam a Turca Conſtantinopolin. Fuere quidem jam olim aliquot Ariſtotelis libri, vel ex Arabico in Latinum ſermonem converſi, quod curatum fuit a Friderico II. Imp. uti fuſius deducit Conringius *in Antiquitatibus Academicis*, (*Diſſ. III. p. 95. 96. 97. & in Supplem. p. 343. 344. 349. 350.*) vel ex paucis quibusdam Græcis exemplaribus quarundam diſciplinarum admodum corrupte in linguam Latinam translati, ab hominibus nec Græcæ, nec Latinæ linguæ, ſatis peritis, quorum tantum quatuor iſtius temporis numerat Antonius Wood *in Antiquitatibus Oxonienſibus*, qui ortum & progreſſum Philoſophiæ Peripateticæ & Scholaſticæ diligentiſſime tradit. Primi enim ejus natales in Pariſienſi & Oxonienſi Academiis. Hinc elaborata eſt Philoſophia qualis ex lacunis iſtis hauriri poterat. Ex Ariſtotele, male intellecto, & verſionibus ineptis deturpato, omne hoc Philoſophiæ genus primum prodiit. Unde conjici facile poteſt, quam bella proles e tam ſtulta ſit matre nata. Videre exinde poſſumus, quam multi ingenii ſui commenta pro Ariſtotelicis dogmatibus venditarint. Sed de illis hic multa aſſerre noſtri non eſt inſtituti. Ad Ariſtotelem ipſum venimus, cujus vita, doctrina, libri, Philoſophorum ab illo prodeuntium familia, accurate eſſent pernoſcenda. Sed nihil hactenus habemus, quod implere deſiderium noſtrum poſſit. Molitus eſt Ioh. IONSIVS, vir doctiſſimus, *Hiſtoriam Peripateticam*, cujus tamen non niſi *partis primæ prima diſſertatio* lucem vidit, qua illud tantum argumentum tractatur, qui Ariſtoteli fuerint ἐμώνυμοι, & unde ejus Secta Peripatetica ſit appellata; prodiit ea Hamburgi anno 1652. *in 4to.* Obſervavi in *Catalogis Francofurtenſibus*, Iohannem Reiskium aliquid de hiſtoria Peripatetica ſcripſiſſe, ſed nihil ejus vidi. Ariſtotelis Opera varie edita ſunt, quorum editiones omnes recenſere nihil attinet. Videatur Iſrael Spachius *in Nomenclatore Philoſophico pag. 80.* Eſt vero editio omnium optima, cæterisque præferenda, quæ Pariſiis prodiit anno 1639. *in fol.* duobus Voluminibus. Interpretationes Ariſtotelis ſunt ab Hadriano Turnebo, Iſaaco Caſaubono, & Julio Pacio. Acceſſit *Synopſis analytica univerſæ doctrinæ Peripateticæ*, autore GVILHELMO DU VALLIO, qui in hac editione Commentariolos quosdam ad Synopſin addidit. Succeſſit huic editioni alia itidem Pariſienſis, quæ melior tamen priori eſt & auctior, quod adjectus fuerit Index geminus, alter Autorum, qui ſuis lucubrationibus Ariſtotelis libros illuſtrarunt; alter, quo declaratur, quid ſit a quoque e ſuperioribus Interpretibus in ſingulas Ariſtotelicæ Philoſophiæ partes ſcriptum, collectus a Paſchale Gallo, e Bibliotheca Geſneri: promiſſa eſt Operi Ariſtotelis Vita, autore Diogene Laërtio ſcripta,

pta, & altera ab autore Ammonio. (*kk*) Hanc, ab Ammonio ſcriptam, edidit, cum copioſis & eruditis ſcholiis, Petrus Joh. Nunneſius, qui liber ad hiſtoriam Ariſtotelis accuratius noſcendam facit, editus Lugd. Batav. *in 8vo*, anno 1621, junctusque ejusdem Autoris libro *de ſtudio Philoſophico*, quo ille exponit conſilium de recte conficiendo Peripateticæ Philoſophiæ.

IOHANNIS LAVNOY *Lib. de varia Ariſtotelis fortuna in Acad. præſertim Pariſienſi.* Conſtantienſis hic patria, & Theologus Pariſienſis hiſtoriam hanc ſcripſit, ſed breviter admodum, nec adeo magno apparatu, qua exponit ortus & occaſus intervallares Philoſophiæ Ariſtotelicæ. Ordinate omnia inſtituit, eundo per ſecula, octoque obſervavit vices, quibus hæc Philoſophia Ariſtotelis, vel occidit, vel novas vires acquiſivit. Videas ex illo longa ſerie, quam conflictandum libris Ariſtotelis fuerit cum Eccleſiæ & Conciliorum decretis, quorum ſententia nonnunquam combuſti ſunt publice, obnitentibus ſemper Scholaſticis Doctoribus, qui Eccleſiæ & Pontificibus tandem invitis eos obtruſerunt. Accurate hic quoque recenſetur fortuna, quæ illi a Pet. Ramo obtigit, totaque illa impugnationis Ramiſticæ Hiſtoria. Hagæ Comitum *in 4to*, anno 1656. libellus hic prodiit. 2

FRANCISCVS PATRICIVS. *Diſcuſſionum Peripateticarum Tomos quatuor* ſcripſit, in quibus magna cum cura omnia, quæ ad Ariſtotelis notitiam pertinent, propoſuit, ſed partium tamen ſtudio ductus. Hinc Conringii eſt judicium, ex omnibus hoſtibus Ariſtotelis optime Patricium de illo eſſe meritum, in Philoſophiæ ejus Hiſtoria recenſenda. Iniquo enim in Ariſtotelem animo erat, veteremque, ut vocat, Philoſophiam reducere in animo habebat; *Tomo 1.* agit de Ariſtotelis vita, moribus, libris, auditoribus, ſectatoribus, Interpretum Sectis, philoſophandi ratione, *libris 15.* cui omnia, quæ poteſt, adjunxit, ad invidiam Ariſtoteli, ejusque ſcriptis, faciendam, dum libros ejus negat eſſe genuinos, ſed corruptos & ſuppoſititios eſſe ait, & dum illum plagiorum arguit, de quibus legi etiam poteſt Thomaſius, in *libro* ſuo *de plagio literario.* §. 364. & 365. *Tomo 2.* agit de Ariſtotelis cum Platone, aliisque veteribus Philoſophis, *a multis promiſſa*, (ut titulus habet) *a nemine edita*, in omni Philoſophiæ genere, Concordia, *libris 8.* Illic unum opus eſt Patricii, ut oſtendat, nihil ab Ariſtotele dictum eſſe aut excogitatum hypotheſium verarum, quarum non exſtent in aliis quoque Philoſophis veſtigia. Iſta tamen in injuriam iſtius Philoſophi afferre non debebat; nihil enim facilius eſt, quam talia loca congerere. Quod ſi nunc excuteremus omnium novatorum hypotheſes, nihil in illis inveniretur principiorum, quæ non in veteribus etiam legantur Philoſophis, cum nemo tamen dicere poſſit, illos ex laciniis iſtis tale quoddam corpus collegiſſe. Talia enim caſu eveniunt, ac poſſibile eſt, homines, de una eademque re ſollicitos, in ſimiles incidere cogitationes; rerum enim conceptus iidem ſunt. *Tomo tertio* Ariſtotelis 3

 cum

(*kk*) Ammonii *Vita Ariſtotelis* (quam alii Ioh. Philopono tribuunt), cum *Scholiis* Pet. Joh. Nunneſii, ſeorſim Helmſtadii an. 1666. *in 4to*, eſt recuſa.

cum Platone, aliisque veteribus diſcordiam perſequitur *libris* 7. ubi omnia rapit in ſiniſtram partem, quæ ab Ariſtotele diſputata ſuerunt adverſus veteres, & illa, tanquam frivola, & cavillatoria, traducit. Cujus generis quanquam aliqua apud illum ſunt, in omnibus tamen indiſtincte non reprehendendus eſt Ariſtoteles: quod ſi enim ille lucem Philoſophiæ non intuliſſet methodo aliqua ordinata, in Platonis Dialogis, ac veterum fragmentis, velut incondita aliqua ſylva, errasſemus. Nunc ab illo in aliquam tamen viam ducti, agnoſcamus beneficium, neque calumniemur. Niſi enim is manum operi tam vaſto admoviſſet, non haberent recentiores tela, quibus adverſus ipſum pugnarent. *Tomus quartus* denique, audax plane, totusque hypocriticus, rigidam inſtituit in Ariſtotelis dogmata cenſuram, *libris 10.* Condonemus huic egregio viro contumaciam. Liber certe ejus cum fructu legi poteſt, qui editus eſt Baſileæ anno 1581. *in fol.*

4 PHILIPPVS LABBAEVS. Locum etiam in hoc Peripateticorum ſenatu habeat Labbæus, non tamen ut Senator, ſed ut Nomenclator & Apparitor. Scripſit ille *brevem conſpectum*, ut vocat, *Ariſtotelis & Platonis, Græcorum Interpretum Ariſtotelicorum & Platonicorum, eorumque editionum.* Utilis ille liber eſt ad indicium Autorum, in re ipſa alioquin parum ſapit. Editus eſt Pariſiis, ex Officina Cramoiſiana, anno 1657. *in 4to.* Promiſit novam & locupletiorem ejus editionem, cum titulo *Syntagmatis Philologici Græcorum Ariſtotelis Interpretum*, quibus additurus eſt aliorum Philoſophorum veterum Interpretes, & præterea Andreæ Schotti *judicium de Ariſtotelicorum Operum Interpretibus Græcis & Latinis Bibliotheca Bibliothecarum, pag. 7. editionis Pariſienſis, anni 1664.*

5 FRANCISCVS MVCIVS, Conſentinus, fuit hyperaſpiſtes Patricii. Irritaverat enim ſcripto ſuo Patricius Theodori Angelutii calamum, qui adverſus Patricium ſcripſit. Opus ipſum Angelutii vidi quidem, ſed non videtur par eſſe huic viro oppugnando. Franc. Mucii libri *Diſſertationum* quinque ſunt, Ferrariæ, anno 1588. *in 4.* editi, *in quibus*, ut titulus habet, *pene univerſa Ariſtotelis Philoſophia in examen adducitur.* Mihi tamen non videtur Opus reſpondere tam amplo titulo.

6 OCTAVIANI FERRARII *Liber de ſermonibus Exotericis.* Vir fuit ille doctiſſimus, & hanc Diſſertationem *de ſermonibus Exotericis* ſcripſit, quæ prodiit Venetiis, anno 1575. *in 4to.* Tota hæc Diſſertatio facit ad elucidationem Ariſtotelicorum ſcriptorum. Notum ſcilicet eſt, diſtingui Ariſtotelis libros in Exotericos & Acroamaticos. Exoterici libri erant illi, qui non ſcripti erant ad genuinos diſcipulos, ſed in promiſcuum multorum uſum. Diſcipuli itaque Ariſtotelis quaſi in duas claſſes diviſi, in quibus erudiendis duplici eſt uſus ordine, etiam diverſo tempore. Ammonius alios libros facit διαλεγικὲς, alios αὐτοπρεσσάπες. Hinc colligitur, Exotericos libros per dialogos fuiſſe ſcriptos, quemadmodum libri Platonis; & hi libri Exoterici præterea vocabantur ἐγκύκλιοι, quaſi ſcilicet ideo editi, ut vulgo ſcilicet ac in circulis legerentur. Accuratiorem iſtorum librorum diſquiſitionem Ferrarius

in

in libro laudato habet. Sed edita poſtea eſt altera hujus libelli editio, plenior & auctior, quæ recuſa eſt in Germania cura Melchioris Goldaſti, a quo præfixa eſt præliminaris Epiſtola *de Cryptica veterum Philoſophorum diſciplina.* Titulus libri eſt: *Clavis Philoſophiæ Peripateticæ Ariſtotelicæ.* Addita eſt Diſſertationi de ſermonibus Exotericis altera ejus Auctoris, *de diſciplina ἐγκυκλίῳ*, ubi multa ſunt ſimilis argumenti. Editus eſt liber Francof. anno 1606.

CAP. IX.

DE INTERPRETIBVS ARISTOTELIS GRAECIS.

§. *Cenſura de Interpretibus Ariſtotelis generalis. Græci Latinis ſunt præferendi. Latini ſæpe ejus doctrinam depravarunt ignorantia Linguæ Græcæ, Philoſopho perquam neceſſariæ. Laus notarum Joach. Jungii in Ariſtotelem marginalium ἀνεκδότων. 2. Theophraſti, Ariſtotelis diſcipuli atque ſucceſſoris, ſcripta, horumque editiones & exegetæ. 3. Inter Græcos Ariſtotelis Interpretes eminent Alex. Aphrodiſæus. 4. Themiſtius. 5. Joh. Philoponus. 6. Simplicius. 7. Aſpaſius, Euſtratius, Michael Epheſius, Andronicus Rhodius. 8. Mich. Pſellus. 9. Georg. Pachymerius. 10. Porphyrius, Ammonius Hermeas, Dexippus, Theod. Metochita. Singulorum ſcripta, translatores & editiones, enumerantur.*

ARiſtotelicæ ſcholæ multi fuerunt *Interpretes, Græci,* Arabes, Latini, de quibus omnibus ſingulatim diſſerere nimis prolixum foret; nos præſtantiores ſeligemus. Id in univerſum notandum; Ariſtotelis ſcripta in re philoſophica potiora omnibus Interpretibus habentur; plerique enim ex illis peregrinos ſenſus in illum inferunt. Græci enim Interpretes omnibus ſunt præferendi, nam Latini, inprimis poſteriores, vehementer corruperunt doctrinam Peripateticam, qui non legerint, vel legere potuerint, Ariſtotelem in ipſis fontibus ſuis, ejusque Interpretes Græcos; magna autem eſt inter illos diverſitas, ſi quis doctrinas inter ſe conferat. Accurata linguæ Græcæ notitia habenda eſt Philoſopho. Niſi enim veteres Autores, primos Philoſophiæ fundatores, legere poſſit, totus ille Philoſophi titulus precarius eſt. Legerat olim Ariſtotelem magna cura IOACHIMVS IVNGIVS, quanquam a doctrina Peripatetica alienus, magnus tamen Philoſophus. Vidi, ut hoc obiter memorem, Ariſtotelis editionem Pariſienſem, perpetuis ejus notis marginalibus MStis illuſtratam, quam theſauri loco ſe habere dicebat Martinus Fogelius, cujus Bibliotheca ad Ducem Hannoveranum pervenit. Moliebatur ejus editionem Fogelius, ſed ipſe præmaturo fato huic conſilio præreptus fuit. 1

THEOPHRASTVS. Genuinus Ariſtotelis diſcipulus Theophraſtus fuit, qui

qui omnium Peripateticorum diſcipulorum princeps merito habendus eſt. Hujus viri ſi libri extarent omnes, ab illo ſcripti, Bibliothecam unus faceret, nam paucos tantum illos ſuperſtites habemus. Qui injuria temporis interciderunt, tam multi ſunt, ut e titulis ſolis integrum libellum confecerit Johannes Meurſius. Editus eſt ſub tit. *Theophraſti* libellus ille Lugd. Batav. anno 1640. in 12. Adduntur *Lectiones* ejus *Theophraſteæ*, in quibus explicantur quædam obſcuriora, quæ in libris Theophraſti ſuperſtitibus occurrunt. Libri ejus ſuperſtites, tam junctim, quam ſeorſim, variis editionibus prodierunt. Opera omnia Græca lingua prodierunt *in fol.* Baſileæ, anno 1541. Græco-Latina itidem *in fol.* ex recenſione Dan. Heinſii, Lugd. Batav. anno 1613. quædam autem ejus Opuſcula junctim, Interpretibus Daniele Furlano & Adriano Turnebo, quibus acceſſit liber *de ſpiritu innato*, qui Ariſtoteli vulgo tribuitur, e Bibliotheca Joh. Vincentii Pinelli, multarum linguarum & ſcientiarum peritiſſimi, Hanoviæ *in fol.* anno 1605. Libri quidam alii ejus ſeorſim ſunt editi, cum nonnullorum Commentariis, ut liber *de Plantarum cauſis*, in quem extant J. Cæſ. Scaligeri præſtantiſſimi Commentarii. In eundem librum Commentarium ſcripſit Joh. Bodæus a Stapel, Lugdun. Batav. A. 1664. *in fol.* editum, qui aliquanto rarior eſt. *Characteres* Theophraſti *Ethici & Politici*, aureus libellus, editus eſt cum Commentario Iſaaci Caſauboni, liber ad omnem vitam civilem & converſationem utiliſſimus. Nova ejus editio prodiit Brunſwigæ, curante Beckenſteinio, anno 1659.

3 ALEXANDER APHRODISAEVS. Recenſebimus præcipuos quosdam Ariſtotelis Interpretes, neque enim omnium inſtituere indicem poſſumus. Editiones illorum Autenticæ rariſſimæ ſunt, Græca enim exemplaria vel Venetiis ap. Aldum, vel Florentiæ, vel Pariſiis, vel Baſileæ, edita. Aldina autem, ut omnes Græci Codices, ab Aldo editi, optima ſunt. Vixit ſeculo tertio Alex. Aphrodiſæus, & multa ſcripſit in libros Ariſtotelis, ut in *priora Analytica*, quæ Græce prodierunt apud Aldum anno 1520. *in folio*, & *in 4to* Florentiæ; in *Topica*, quæ itidem prodierunt Græce ap. Aldum *in fol.* Venetiis anno 1520. Latine autem, interprete M. Ant. Mureto, *in 4to*, Ingolſtadii anno 1602. *in 4to*, *libros Meteorologicorum*, interprete Piccolomineo, Venetiis *in fol.* anno 1540. Item *de mixtione* Græce *in fol.* Scripſit *quæſtiones Naturales de anima, & Morales*, quæ editæ ſunt Venetiis, anno 1596. *in fol. & de fato*, qui liber prodiit, cum Verſione Latina Hieronymi Bagolini, Venetiis, anno 1541. *in fol.* Scripſit item in *librum de ſenſu & ſenſibili*, qui Comm. prodiit Græce *in fol.* apud Aldum, anno 1527. Item in 12. *libros* Ariſtotelis *de prima Philoſophia*, qui Latine prodierunt, translati a Joh. Geneſio Sepulveda, Pariſiis *in fol.* anno 1536. Scripſit & *Problemata*, quæ *in fol.* prodierunt apud Aldum, Venetiis anno 1503. & cum *problematibus* Ariſtotelis, ex editione Friderici Sylburgii, *in 4to.*

4 THEMISTIVS. Vixit ille ſeculo 4to, multaque ſcripſit Opera in Ariſtotelem, quæ ab Aldo Græce edita ſunt. Ejus Latinæ verſiones *Paraphraſeon* in Ariſtotelis *poſteriora Phyſica*, *libros de anima*, *memoria & reminiſcentia*, *ſomno & vigi-*

vigilia, *insomniis & divinatione per somnum*, Interprete Hermolao Barbaro, prodiere, viro elegantissimo; additæ *sunt Lucubrationes in quædam Themistii obscuriora loca*, & *solutiones contradictionum*, Marci Antonii Zimaræ. Themistii comm. *de anima*, a Ludovico Nogarola, Veronensi, Latinitate donatus, & scholiis illustratus, prodiit Venetiis apud Scotum, anno 1560. *in folio.* Scripsit Idem Themistius *Paraphrasin in libros 12. Aristotelis de prima Philosophia*, quam in Latinam linguam convertit Moyses Finzius, Venetiis anno 1558. *in fol.* apud Hieronymum Scotum, & *Paraphrasin in libros de Cælo*, quæ in Latinam Linguam conversa a Moyse Alatino, Hebræo, *in fol.* Venetiis prodiit.

IOHANNES PHILOPONVS, Grammaticus. Fuit ille inter celebra- 5
tissimos Aristotelis Interpretes, vixitque seculo quinto, quem alii tamen locant in seculo sexto. Dictus ille fuit, ob multitudinem operum, Philoponus, tanquam laboris amans, multa enim variaque scripsit in Aristotelis Opera. Ejus extat *Commentarius in priora Analytica*, Græce editus *in fol.* anno 1536. in Latinam vero conversus a Lucilio Philaltheo, apud Scotum, anno 1560. *in fol.* *In posteriora Analytica* prodiit Commentarius Græce apud Aldum, una cum aliis quibusdam Commentatoribus, anno 1534. *in fol.* Idem Commentarius in linguam Latinam conversus, Venetiis apud hæredes Hieronymi Scoti, anno 1586. Ejusdem *Explanatio in libros quatuor Physicorum, Aristotelis*, in linguam Latinam conversa a Johann Baptista Rasavio, Novariensi, Venetiis, apud Vincentium Valgrisium, *in fol.* anno 1569. Ejusdem *Commentaria in libros Aristotelis de generatione & corruptione*, e Colloquiis Ammonii Hermeæ, qui itidem Commentator Aristotelis fuit, propriisque ejus considerationibus, ab Hieronymo Bragolino in Latinam linguam conversa, prodierunt Venetiis apud Hieronymum Scotum *in fol.* anno 1559. *Commentarius in primum Meteororum* Aristotelis, a Joh. Baptista Camozio conversus, prodiit cum Olympiodori *in Meteora Aristotelis commentariis*, Venetiis apud Scotum, anno 1567. *in fol.* *Annotationes in 3. Aristotelis libros de anima*, e Dissertationibus Ammonii Hermeæ, & propriis meditationibus, Latine an. 1581. Venetiis, apud hæredes Hieronymi Scoti *in fol.* Apud Scotum hunc, ejusque hæredes, potissimi Peripateticorum Commentarii prodierunt, quasi scilicet ille, qui a tenebris nomen habebat, destinatus esset, ut lucem his scriptis conciliaret.

SIMPLICIVS. Præstantissimus Aristotelis Interpres est, qui & in Epicte- 6
tum scripsit elegantissimum Commentarium. Ejus multa extant in Aristotelem Commentaria. Jonsius Simplicium facit coætaneum Johannis Philoponi, qui seculo 5to vixit, cum Simplicius referatur ad seculum septimum; sed ætas illorum Interpretum non usque adeo explorata est. Ejus extat *Commentarius* in κατηγορίας sive *prædicamenta*, in Latinam linguam conversus a Justo Velsio, Peripatetico magni nominis. Addita sunt Latina summaria, & præfixa singulis capitibus; prodierunt Græce & Latine Basileæ, anno 1551. *in fol.* apud Michaelem Isengrinium. Illud de Operibus Simplicii notandum est, neminem diligentius exponere atque enarrare sententias, tam Aristotelis, quam aliorum, qui ab Aristotele dissentiunt. Est vero hæc editio Basi-

leenſis longe correctior, quam eſt Veneta, quæ anno 1499. prodiit; diligenter enim omnia emucleata ſunt. Extat ejusdem *Commentarius in 8. libros Phyſicæ Auſcultationis*, qui cum ipſo textu Græco Ariſtotelis prodiit Venetiis *in fol.* apud Aldum, anno 1526. & Interprete Lucilio Philaltheo, Latine *in fol.* Venetiis, apud hæredes Hier. Scoti, anno 1587. quæ ultima editio melior eſt priore illa, quæ apud ipſum Scotum prodierat anno 1566. Venetiis. Nam hæc poſterior a Johanne Vincentio a Collibus diligentiore cura eſt recognita, & marginalibus Annotationibus illuſtrata, textus ipſe ordinatius diſtinctus, ſummaria præfixa, tabulæque additæ in fine, in quibus inſigniora Simplicii dicta examinantur & explicantur. Apud eundem Scotum prodierat anno 1543. Latine converſus Simplicii *Commentarius in prædicamenta Ariſtotelis*, non a Juſto Velſio curatus, ſed a Sebaſtiano Foſcareno, Venetiis *in fol.* Ejusdem Simplicii *Commentaria in libros Ariſtotelis de cœlo*, prodierunt itidem Venetiis, apud hæredes Hieron. Scoti, anno 1584. *Commentaria in 3. Ariſtotelis libros de anima*, ab Evangeliſta Lungo, Aſulano, in linguam Latinam translata, Venetiis apud eosdem, anno 1587. *in fol.* Græcus autem textus, cum ipſo textu Ariſtotelis Venetiis *in fol.* apud Aldum, anno 1527. qui Aldus ejusdem etiam *in 4. libros de cœlo Commentarium*, cum textu Ariſtotelis Græco, Venetiis *in fol.* edidit, anno 1526. quem in linguam Latinam verterat Guilhelmus Morbecus, cujus Verſio prodiit Venetiis, anno 1540. Sed correctior eſt illa, & diligentius cum Codicibus Græcis collata, prodiitque anno 1584. cujus mentionem ſupra fecimus, non refertur tamen, quis illam editionem procuraverit. Simplicii *Commentarium in Epictetum* Angelus Caninius, magnum illud in Græca lingua nomen, in linguam Latinam convertit; editio illius procurata eſt Venetiis *in fol.* apud Hieronymum Scotum, anno 1569. ſed longe melior eſt, quam procuravit Cl. Salmaſius, cujus ſupra c. 4. §. 4. mentionem fecimus.

7 ASPASIVS, EVSTRATIVS & MICHAEL EPHESIVS. Commentatores illi ſunt in *Ethica* Ariſtotelis, cum Ariſtotele ipſo jungendi. Nam cum Ariſtoteles in Ethicis brevis ſit & parcus, præclaram illi acceſſionem faciunt egregio huic Operi. Aſpaſius circa initia ſeculi ſecundi floruiſſe traditur, cujus diſcipulo Galenus adoleſcens magiſtro uſus fuit. Meminere ejus Aphrodiſæus in *Commentario ad lib. 1. Metaph.* & Simplicius *ad lib. 1. Phyſ.* Scripſerat idem Aſpaſius Commentaria *in Categoras Ariſtotelis*, teſtibus Galeno, Boëthio & Simplicio. Euſtratius itidem in *Ethica* commentus eſt, quem viri docti male paſſim cum Euſtathio confundunt, *(ll)* præprimis Franciſcus Patricius, accuratus alioquin rerum Ariſtotelicarum inquiſitor, &, e Conringii judicio, omnium Ariſtotelis hoſtium optime de Ariſtotele meritus, in ejus Philoſophiæ hiſtoria recenſenda. Nam & Græca Editio Aldina & Feliciani translata, expreſſe Euſtratii nomen præferunt, quod & apparet in *Catalogo MStorum Bibliothecæ Florentinæ*, ab Henrico Ernſtio publicato. Refertur ejus ætas ad ſeculum decimum, & illa tempora,

(ll) De Euſtratii & Euſtathii ob Paronomaſiam confuſione, nec non *Commentariis in Ethica & Analytica Poſteriora* Euſtratio, Presb. circa an. 560. Conſtantinopolitano, per Caſim. Oudinum perperam tributis, Conf. *Homonymoſcopiæ* meæ *P. II. c. 5. §. 30. p. 464. 465.*

pora, cum in Græcorum imperio Philoſophiæ ſtudia, auſpiciis Bardæ Cæſaris, renaſcerentur. Ejusdem Euſtratii extant doctiſſima *Commentaria in poſteriora Analytica*, quorum Græca editio prodiit apud Aldum Venetiis, una cum Johan. Grammatici, & incerti Autoris, in eadem *Commentariis*, anno 1534. Eadem Latine vertit Andreas Gratiolus, Michaël Epheſius itidem. Vixit poſt ſeculum X. ſcripſitque in *Ethicam* Ariſtotelis. Ejusdem exſtant præterea *Commentarii in 4. libros Ariſtotelis de partibus animalium*, quos Petrus Victorius e Bibliotheca Medicæa edidit, quique ab aliis Philopono adſcribuntur, nec non *Expoſitiones in parva naturalia* ab Aldo editæ, & Latine a Philatheo & Geſnero verſæ, quarum MSta ſuperſunt in Bibliothecis Medicæa & Bavarica. Hi ſunt Commentatores in Ethicam Ariſtotelis, Triumviri præſtantiſſimi, olim ſeorſim, tam Græce, quam Latine, editi. Eſt vero magna adhuc circa capita illarum commentationum controverſia. Autores enim nonnunquam permutantur, & uni adſcribitur, quod adſcribi alteri debebat, qua de re videantur Sam. Rachelius in *Introductione in Philoſophiam moralem Ariſtotelis*, & Conringius *in præfatione Interpretum Græcorum ſuper Ariſtotelis Opus Ethicum*, a Sam. Rachelio editorum. Edidit vero ille hos tres interpretes, e translatione Joh. Bernhardi Feliciani, Helmſtadii *in 4to*, anno 1662. Extat & Andronici Rhodii Paraphraſis Græco - Latina, interprete Daniele Heinſio, *in 4to* edita Lugd. Batav. anno 1607. Euſtratii ceterorumque *Commentaria in libros Ethicorum* Græce prodierunt in fol. Venetiis apud Aldum, anno 1536. Habuit in animo Joh. And. Boſius novam horum interpretum editionem, ſed morte præventus illam non publicavit.

MICHAEL PSELLVS Seculo XImo vixit, qui in Ariſtotelis libros multos 8
ſcripſit. Fuit alioquin Pythagoricæ Platonicæque Philoſophiæ deditus, uti teſtatur opus ejus *de Operatione Dæmoniorum*, de quo ſupra, ejusque *Lyræ Pythagoricæ Diagramma*, quod hodie MStum in Gallia ſervari teſtatur Phil. Labbæus *in Bibliotheca nova MStorum fol. 114.* Ejus exſtat *Metaphraſis 2. libb. poſteriorum analyticorum*, in Latinam linguam converſa ab Emanuele Margunio, Venet. *in 8vo*, apud Juntas, anno 1575. *Commentarius in librum de interpretatione*, Græce editus ab Aldo, anno 1503. *in fol.* & *Commentarii in Phyſicorum libros*, qui a Joh. Bapt. Camozio in Latinam linguam ſunt converſi, Venet. anno 1554. *in fol.*

GEORGIVS PACHYMERIVS, Conſtantinopoli oriundus, & in Nicæ- 9
norum ſacerdotum numerum cooptatus, claruit ſub Michaële & Andronico Palæologis. Fuit epitomator Ariſtotelis. Nam pene in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam *Epitomen* confecit, quæ a Phil. Becchio, Philoſopho & Medico, in Latinum ſermonem eſt converſa, editaque Baſil. anno 1560. *in fol.* ap. Frobenium. Becchius ille magnam curam huic operi impendit. Opus illud, in varias partes ſciſſum, variis in locis prodiit, jam Græce, jam Latine, quarum omnium accuratam recenſionem inſtituit Leo Allatius in *Diatribe de claris Georgiis.*

Atque hi ſunt ferme celebriores Græci interpretes. Sunt præterea alii quidam, 10
non usque adeo publici & vulgares, neque tam neceſſarii uſus, Porphyrius in *Categorias*

Græce *in 4to* prodiit, Pariſiis anno 1543. Latine ex interpretatione Feliciani *in fol.* anno 1566. Ammonii Hermeæ *Commentarius in 10. Categorias* Græce Venet. anno 1503. apud Aldum, *in fol.* Ejusdem *Commentarius in 5. voces Porphyrii*, Græce in 8. Venet. anno 1545. Extat Dexippi *Defenſio prædicamentorum adverſus Plotinum*, Latine converſa a Feliciano, *in 8vo*, Pariſ. anno 1549. Eſt Theodori Metochitæ *Paraphraſis in Phyſica Ariſtotelis*, a Gentiano Herveto in Latinam linguam converſa, *in 4to*, Baſil. anno 1549. Aphrodiſæi *Problemata*, quorum mentionem ſupra fecimus, edita ſunt Venet. apud Aldum, *in fol.* anno 1503. Ejus Alexándri magnum olim fuit nomen, ut pene non Ariſtotelicus haberetur, qui non eſſet Alexandreus. Solent jungi cum Ariſtotelis *problematibus*, in quæ abſolutiſſimum Commentarium *in fol.* ſcripſit Ludovicus Septalius.

CAP. X.

DE INTERPRETIBVS ARISTOTELIS ARABICIS.

§. 1. *Arabum diligentia, in Græcorum ſcriptis, & ſpeciatim Ariſtotele, lingua ſua donandis, commendatur, ſed plurimis ſimul monetur, verſiones iſtas ſcatere ψευδερμηνείαις.* 2. *Mentione præ aliis digni Averroës*, 3. *Avicenna, Alfarabius, Jac. Alkindius.*

1 ARABES Ariſtotelis Philoſophiam diligentiſſime coluerunt. Nam Platonis & Ariſtotelis libros omnes in ſuam linguam converterunt, fuitque Ariſtotelicorum ſcriptorum major apud illos notitia, quam apud Italos & Gallos. Legendus eſt Joh. Leo Africanus in *libro de Vitis Philoſophorum Arabum*, (mm) quem, e Bibliotheca Florentina erutum, primus edidit J. Henr. Hottingerus, & *Bibliothecario* ſuo inſeruit. Ubi de quodam Johanne Meſue, Chaldæo, refert, illum in linguam Arabicam convertiſſe Opera Ariſtotelis Videatur etiam Hottingerus *in Hiſtoria Eccl. Seculi IX.* Plus igitur circa illa tempora Arabica verſio viguit, quam ipſe Textus Græcus, præſertim cum interdiceretur publice apud Arabes Græcæ linguæ uſus. Hinc itaque factum eſt, ut, Friderici II. tempore, Ariſtotelis ſcripta partim de Arabico, partim de Græco, Latina reddita fuerint, qua de re videatur Conringius *Antiquitatum Academicarum Diſſertatione 3. p. 95 & ſeqq.* Quid in univerſum de Arabicis illis verſionibus ſentiendum, docet Salmaſius, in *præfatione* ad *Tabulam* Ce-

(mm) De Abennedin. Ibn. Caſta, Abn. Alhaſii, Joh. Leone, aliisque Philoſophorum Arabum biographis & encomiaſtis vernaculis, in *Apparatu ad notitiam reip. literar. geographicam*, fuſius dicetur. E Chriſtianis, de illorum Philoſophiæ ſtudio, & philoſophandi ratione, conſuli poſſunt J. Henr. Hottingerus *in Biblioth. Orientali c. 3.* Sam. Schelgvigius *in Or. Inaug. de Philoſophia Turcica* (Dant. 1686. *in 4to.*) Guſt. Peringerus *in Hiſtoria linguæ & eruditionis Arabum* (Upſal. 1694. *in 8vo.*) & *Hiſtoria rationalis Philoſophiæ apud Arabes & Turcas*, in Acad. Halenſi, Præſide Joh. Pet. Ludovico, an. 1699. ab Henr. Balth. Seelmanno, Staſfurdienſi, propoſita.

Cebetis. *Arabes enim*, ait, *tum temporis, cum e Græcis verterent, magiſtros illos habuere, qui Græcam iſtius temporis linguam vix recte intelligerent.* Regnante apud Arabes Abbaſidarum familia, ſub regno Almamonis, Chalifarum ſeptimi, omnium ſcientiarum ſtudia floruerunt, tumque certatim in verſiones e Græcis incubuerunt, anno a Chriſto nato 900. cum barbaries ſumma, tam Græcam, quam Latinam linguam invaſiſſet. Hinc infinitos eſſe ait in translationibus Arabum errores, & multas ſententias falſas Autoribus affictas. Ita in Operibus Avicennæ, e Græcis Dioſcoridis & Galeni, falſa ſunt interpretamenta. Credibile itaque eſt, alios Autores non fuiſſe melius habitos, ut vix nobis promittere poſſimus, quod nonnulli volunt, e linguæ Arabicæ theſauris notabilem aliquam ſcientiarum emendationem.

Præcipuus inter Arabes interpretes eſt AVERROES Cordubenſis, cujus ex- 2
ſtant in omnia Ariſtotelis opera commentarii, ex arabica in linguam latinam converſi a Jacobo Mantino, quibus *annotationes* R. Levi Gerſonidis *in libros Logicos*, & *notæ* Bernhardini Tomitani *in Averrois & Ariſtotelis dicta*, additæ, prodierunt Venet. *in 8vo*, duodecim voluminibus, anno 1575. Exſtant quoque ejus *in libros Platonis de Rep. paraphraſes*, de quibus ſupra. De Averroë qui plura velit, legat Jac. Gaddium in *libro de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis*, *Tomo I. p. 50.* qui & in eodem libro, ſub tit. *Ariſtotelis*, multa de ipſo, & ejus interpretibus, congeſſit. Fuit vero impius homo Averroës, & profanis ſententiis plenus. Adverſus illum *libros 46.* ſcripſit Ambroſius Leo, (*nn*) quos laudat Eraſmus *lib. 10. Epiſtola 29.* Sed illi lucem, ut opinor, non viderunt.

AVICENNA itidem Arabs ſcriptor eſt, cujus Opuſcula quædam *de Logica,* 3
de cœlo & mundo, de animalibus, de intelligentiis, in fol. prodierunt, literis antiquis Gothicis; Opera omnia vero cum interpretibus, Venet. anno 1523. Tomis 5. *in fol.* Ejus medica ſeorſim quoque edita ſunt. Spectant huc quoque ALFARABIVS *de intelligentiis*, & JACOBVS ALKINDIVS *de gradibus rerum*, editus *in fol.* Argentor. anno 1532. De Avicenna videatur judicium Rhodigini *lib. antiqq. lectionum, cap. 2.* ubi parum honorifice de ipſo judicat, ut qui mutilaverit Ariſtotelis ſenſus, & multa commentitia in ipſum intulerit. Legendus etiam Gaddius *lib. citato p. 55.* Multum certe turbarunt Arabicæ illæ interpretationes Philoſophiam. Multa enim impia per illas invecta, de quibus conqueritur Piccartus *in diſſertatione de origine & progreſſu Philoſophiæ Ariſtotelicæ, pag. 40. 41. 42.*

CAP. XI.

DE INTERPRETIBVS ARISTOTELIS LATINIS.

§. 1. *Horum primicerius eſt Sever. Boëthius.* 2. *Sequuntur hunc longa ſerie, præter*

(*nn*) Ambroſii Leonis Nolani, *Caſtigationes in Averroëm* revera Venetiis anno 1517. prodiiſſe, teſtis eſt Joſ. Simlerus *in Biblioth. p. 30.* addens, *librum* eas eſſe *magnum, ac totius Philoſophiæ Theſaurum, quoſdam quaſi commentarios in ſingulos Ariſtotelis Libros ordine* exhibentem.

ter Scholaſticos, Cap. XIII. *enumerandos, de quibus generatim hic fertur judicium. 3. E recentioribus, Aug. Niphus. 4. Pet. Pomponatius, doctor Atheismi, quem ipſe ac diſcipulus ejus, Jul. Caſ. Vaninus, nec non Thom. Campanella, dum impugnare videri volunt, infirmis refutantes argumentis, lectori potius commendant. 5. Apollinaris Offredus. 6. Franc. Vicomercatus. 7. Job. Franc. Burana. 8. Joh. Paulus Pernumia. 9. M. Ant. Majoragius, de cujus etiam ſcriptis aliis quædam adduntur. 10. Ant. Montecatinus. 11. Dan. Barbarus. 12. Lucil. Philalthеus. 13. Dan. Furlanus. 14. Lud. Septalius. 15. M. Ant. Flaminius. 16. Tarquinius Gallutius, plagiarius. 17. Philoſophi Acad. Lovaniенſis. 18. Acad. Venetæ (de cujus hiſtoria quædam adduntur) Profeſſores. 19. Jac. Mazonius, homo indolis & memoriæ portentoſæ. 20. Franc. Vatablus. 21. Franc. Toletus. 22. Franc. Robortellus, contra Thuani cenſuram defenſus. 23. Jac. Schegkius. 24. Don. Acciajolus, (Joh. Argyropuli plagiarius) & Felix Accorombonus. 25. Andr. Cæſalpinus. 26. Nicol. Taurellus. 27. Ant. Scaynus. 28. Sim. Simonius & Joh. Neldelius. 29. Cæſar Cremoninus & Pet. Joh. Nunneſius. 30. Philoſophi Altorfini, §. 26. etiam jam commendati, Philippus Scherbius (cujus, uti & Aug. Buchneri, Poſthumorum editores, nullo uſi delectu, obiter notantur,) Ern. Sonerus & Mich. Piccartus. 31. Jul. Pallamedes & Joh. Bapt. Bernhardinus, indicum in Ariſtotelem Scriptores. 32. Interpretes Ariſtotelis diverſum ſectati ſunt inſtitutum, diverſaque uſi methodo. Herm. Conringii* Laudationes Ariſtotelis. *Deſ. Erasmi Roterodami Epiſtola de ſcriptis ejus.*

1 SEVERINVS BOETHIVS. Inter INTERPRETES LATINOS principem locum merito obtinet Sever. Boëthius, cujus extant præclari ſuper varia Philoſophiæ argumenta Commentarii. Vixit ſeculo VII. jam barbariem trahente ſermone Latino, Caſſiodori æqualis. Ejus Opera omnia, quorum maxima pars ad Logicam doctrinam pertinet, edita ſunt junctim *in fol.* Baſil. ap. Henr. Petri, anno 1570. Genere fuit illuſtris, de quo videri poteſt prolixe *præfatio* Petri Bertii ad Rutgerum Boetzellerium ab Aſperen, quæ præmittitur editioni variorum Operis *de conſolatione Philoſophiæ*, (oo) Lugdun. Batav. ex officina Hackiana, anno 1671. *in 8vo*, cum integris notis Sitzmanni & Vallini. In hac præfat. enarrantur omnia ejus Opera, quæ ſcripſit in Logicis, Rhetoricis, Arithmeticis, Muſicis, Geometricis, Metaphyſicis, Mechanicis. *Hujus*

(oo) Non poſſum *h. l.* laude defraudare debita, quam ingenti cum delectatione, per multos jam annos, volvi ac revolvi, metaphraſin librorum Boëthii *de Conſolatione Philoſophiæ* Germanicam, longe elegantiſſimam, quæ ἀνωνύμως Solisbaci an. 1667. *in 12mo* prodiit, Autorem vero agnoſcit virum illuſtrem, & omnigena eruditione famam adeptum jampridem immortalem, Chriſt. Knorrium a Roſenroth, Sileſium, Miniſtrum Aulæ Solisbacenſis principem. Hanc certe, tum ob prærogativas alias haud vulgares, tum ob metra vernacula, Boëthianis ferme ſuperiora, & nulli non Poëtarum Germaniæ modernorum palmam venuſtatis ingenioſæ, inque Autoris mente accurate exprimenda feliciſſimæ, dubiam redditura, omnibus aliis Boëthii verſionibus cum Chr. Henr. Paſſelio (*in Obſervat. in Periocham de Junonis callidirate Homericam p. 480.*) præferre nullus dubito.

Hujus viri magna fuit eruditio, Caſpare Barthio judice, *lib. 17. c. 13. Adverſ.* Ejus *Ingenium neque ante ſe multos, neque poſt ſe aliquem toto Romani Imperii tempore habuit ſimilem.* Plura illo loco de Jani Bernartii & Theod. Sitzmanni editionibus invenies, qui in libros ejus *de conſolatione Philoſophiæ* commentati ſunt. Idem, *libro 24. c. 15. ſtimen Romani ſermonis apud hunc fere ſolum remanſiſſe*, judicat. Legatur elegantiſſima Epiſtola, quam Caſſiodorus *l. 1. variarum num. 45.* Boëthio inſcribit. Scaliger *l. 6. Poët. c. 5.* de Boëthio ita judicat: *Valla docet Boëthium Latine loqui, at Boëthius Vallam bene ſapere.*

Recenſebimus nunc, e Latinis recentioribus, potiores Interpretes & Commen- 2
tatores. Omnium enim inire numerum res noſtri laboris non eſt. Parum curamus illos, qui in tenebris ſeculi Barbari in Ariſtotelem quicquam commentati ſunt, quanquam tamen in iis delectus etiam aliquis habendus eſt. Nam Scholaſtici Doctores, quos hæc ætas tulit, non ſunt in univerſum ſpernendi, de quibus, poſt enumeratos Latinos Interpretes, pluribus agemus. Licet enim ætate hos præcedant, præferendi tamen ſunt, qui preſſius Ariſtotelis veſtigia ſequuntur, a quibus magno ſæpe intervallo abſunt Doctores Scholaſtici. Non defuerunt, qui in utramque partem de illis diſputarunt. Extant Epiſtolæ mutuæ Joh. Pici Mirandulani & Hermolai Barbari, quorum ille Scholaſticos Doctores defendit, hic impugnavit. Recudi fecit Epiſtolas illas in Germania Philippus Melanchthon, adjectis diſpoſitionibus. Sed Hermolaus Barbarus potius Latinitatem ſpectabat, quæ in hoc argumento attendenda non erat. Sed de iis plura in ſequentibus. Nunc interpretes videamus.

AVGVSTINVS NIPHVS. Philoſophus pro tempore clariſſimus fuit, 3
cujus extant varia ſcripta, neque cultu ſermonis ille deſtitutus. Extant *Commentarii in Ariſtotelis 8. libros Topicorum*, editi Venet. *in fol.* apud Hieron. Scotum, anno 1559. *Expoſitio in Ariſtotelis Elenchorum librum*, quæ prodiit itidem Venet. apud eundem, anno 1567. *in fol. Commentarii* in plures alios Ariſtotelis libros; *Expoſitiones* in ejus *Metaphyſica*, quæ prodierunt Venet. *in fol.* anno 1547. *Commentarius in libros de animalibus* ibidem, item *in libros de anima*, Venet. apud Juntas, anno 1544. *in fol. Commentarius in parva naturalia in fol.* apud eosdem, anno 1540. *Commentarius in Meteorologica*, Venetiis anno 1559. *in fol. in libros 8. Phyſicorum*, Venet. *in fol.* anno 1543. *in librum de Interpretatione Expoſitio* Venet. anno 1537. *in fol. in libros poſteriorum Analyticorum, in fol.* Venet. anno 1553. *in lib. 3. Rhetoricæ Ariſtotelis, in fol.* Venet. anno 1537. Hæc fere ſunt Opera illa, quæ in Ariſtotelis libros ſcripſit Niphus. De ceteris ejus Operibus agemus, cum ad argumenta illorum pervenimus.

PETRVS POMPONATIVS. Omnes, me quidem judice, argutia ſu- 4
peravit Pomponatius, qua abuſus etiam ultra, quam par eſt, videtur. Inter primos fere ille eſt, qui Atheiſmi ſemina ſparſit, prodiit ex ejus ſchola Jul. Cæſ. Vaninus, extremo ob Atheiſmum ſupplicio affectus, cujus ſententia & hypotheſes in *Dialogis* conſpi-

conſpiciuntur, qui cum privilegio Regis Chriſtianiſſimi prodierunt, cum ipſe titulus *Deam Naturam* præferat, quæ verba in ipſo privilegio repetuntur. Atque hic perpetuo Dialogo inter ſe & Pomponatium ſermonem inſtituit. Ita enim ſolent procedere hujus nequitiæ profeſſores, ut, ſub reciproci ſermonis involucro, cum objectiones injiciunt, doctrinæ ſuæ interiora proponant. Moventur illic dubia, & ſegniter reſpondetur, dum vel ad autoritatem Eccleſiæ confugiunt, vel ad alia argumenta dubiis inferiora. Vaniniana illa argumenta notari tamen poſſunt in Thomæ Campanellæ *Atheiſmo Triumphato*. Eandem viam inſiſtit Pomponatius, omnium magiſter, e cujus pharetra omnia illa tela deſumta ſunt, quibus nunc utuntur Spinoſæ & Hobbeſii, & quicunque in uno illo ludo ad nequitiam docti ſunt. Vel unus ejus *liber de Incantationibus* multa producit ad hoc argumentum facientia. Acutiſſime e principiis peripateticis diſputat, objectiones formando, iis reſpondendo, ac alias iterum Objectiones, Objectionumque reſponſiones, ſuperinducendo. Scripſerat autem librum illum, occaſione quorundam obſeſſorum, quorum ille actiones ad ἐνεργείας quasdam occultas naturales reducere voluit, quæ ejus veriſſima ſententia fuit, quam incruſtavit ſpecie autoritatis Eccleſiaſticæ, cujus cenſuræ ille omnia ſua ſubjecit, ultro ipſi reformationem theſium ſuarum concedens. Extat etiam ejus *de immortalitate animarum* Tractatus, quem ego nunquam vidi. Alioquin & in Ariſtotelem Commentarii aliquot ab eo ſcripti ſunt. Extat quoque ejus *Dubitationes*, Venet. *in fol.* anno 1553. editæ, in quibus multa Ariſtotelis illuſtrat. Ego vero nihil ejus, præterquam *de Incantatione librum*, legi.

5 APOLLINARIS OFFREDVS. Celebris ille in Ariſtotelis præſertim Analytica Commentator, magna diligentia omnia evolvit. Fuit ex illuſtri familia apud Cremonenſes, unde prodierunt viri, non armis ſolum, ſed & literis, illuſtres, conſiliis quoque publicis apud Italiæ Principes admoti. Hujus quoque familiæ fuit Offiredus de Offredis, celebris JCtus. Hujus Apollinaris noſtri paſſim meminerunt Hiſtorici Itali. Erat enim Medicus & Philoſophus præſtantiſſimus, qui famam ſuo tempore magnam ſpargebat. Ejus extant *Commentaria* abſolutiſſima *in poſteriora Analytica*, una cum *quæſtionibus in poſteriorum Analyticorum librum I.* In Ariſtotelis ſenſibus penetrandis argutus fuit. Ita autem diſpoſuit Commentaria ſua, ut primum Ariſtotelis verba evolveret, atque theſin veram oſtenderet, deinde quæſtionibus diſputationibusque, tam in ipſo Ariſtotele, quam in Interpretibus ejus, inquiſitis, omnia illuſtraret. Edidit Commentarium illum Thomas Vachellius, Bibliopola, Cremonæ anno 1551. impenſas ſubminiſtrante Chriſtophoro Præconio. Ejus Operis Hiſtoriam recenſuit Joh. Ant. Honoratus *in præfat.* Multa de iſtius viri laudibus ſcripſit Hieron. Vida, Poëta Italus. Scripti ſunt plures ab illo Commentarii, *in librum Ariſtotelis de anima*, pluresque alii, quos typis paratos eſſe ait Honoratus, in dicta *præfat.* ubi illos brevi edendos promittit. Sed nunc quidem dicere non poſſum, an illi, & quando, prodierint. *(pp)* Rariores enim illi libri ſunt, neque nunc facile in Bibliothecis comparent. FRAN-

(pp) Apollinaris Offredi *Comment. in Lib. Ariſtotelis de Anima* impreſſum eſſe, teſtatur Joſ. Simler. *in Biblioth. p. 5.*

FRANCISCVS VICOMERCATVS. Mediolanenſis ille fuit, & Pari- 6
ſienſis Academiæ Prof. Commentator Ariſtotelis celeberrimus. In varios Ariſtotelis libros ſcripſit, quibus ille diligentiam ſingularem impendit. Nam fontes ipſos curioſe rimatus, adhibitis in conſilium Græcis Interpretibus, id operam dedit, ut mentem Ariſtotelis accurate indagaret. Verſiones depravatas Ariſtotelis ipſe correxit, imo alias ſubſtituit. Adduxit præterea, quæ ornamento eſſe poterant, ut ſuperarit omnium, tam Græcorum, quam Arabum, induſtriam. Denique & hoc in ipſo laudandum eſt, quod cultiori ſermone Philoſophica dogmata proponat. Ejus extant *Commentarii in 8. libros Phyſicorum Ariſtotelis*, quos ipſe e Græco in Latinum convertit; Græcæ enim linguæ peritiſſimus fuit, & Philoſophiam Pariſiis Græce profeſſus eſt. Prodierunt Venet. apud hæredes Hier. Scoti, anno 1584. *in fol.* Ejusdem extant *Commentarii in libros Meteorologicorum Ariſtotelis*, quos ipſe etiam e Græco in Latinum convertit, editi Venet. *in fol.* apud Hier. Scotum, anno 1565. Addita eſt ipſius Autoris præfatio, in qua conſilium Commentationum ſuarum exponit. Extant *Commentarii in Ariſtotelis lib. 3. de anima*, editi Venet. *in fol.* apud hæredes Hier. Scoti, anno 1574. Addita eſt ejusdem *de anima rationali Peripatetica* Diſſertatio.

IOHANNES FRANCISCVS BVRANA. Veronenſis ille fuit, opti- 7
musque Philoſophus, qui in Ariſtotelis *libros priorum Analyticorum* perſpicaciſſimos Commentarios ſcripſit, libroſque ipſos e Græco in Latinum ſermonem ipſe convertit. Additi ſunt Hieronymi Bagolini, Veronenſis, in eosdem libros *breves Annotationes*. In hoc viro illud laudandum eſt, quod ſumma diligentia omnium Interpretum & Commentatorum Græcorum, Arabum, Latinorum, explicationes & ſententias congeſſerit, ſua addita cenſura & judicio. Editi ſunt illi Commentarii Venet. apud Hier. Scotum, anno 1567.

IOH. PAVLVS PERNVMIA. Fuit ille Medicus Philoſophusque Pata- 8
vinus, cujus extat *Ariſtotelis Philoſophia naturalis, ordine definitivo tradita, quod a nullo hactenus factum* (ita titulus habet.) Liber ille in tenebris latitaverat, a tineis fere conſumtus, quem in lucem protraxit Simon Galignanus de Carera, ſuisque typis publicavit Patavii, anno 1570. *in fol.* Inſcripſit autem Opus Johanni Sambuco.

MARCVS ANTONIVS MAIORAGIVS, vir, cujus hiſtoria vel ex 9
Orationibus ejus nota eſt, magnæ doctrinæ, Philoſophusque cultiſſimus. Linguæ Latinæ nitor ſingularis in illo fuit, quod vel ex libello ejus poſthumo patet, quo caſtigat cujusdam Gaudentii Merulæ Latinitatem. Hujus extant varii Commentarii in Ariſtotelis libros, *in libros ſcil. de Cælo*, Baſil. *in fol.* apud Oporinum, anno 1554. & *in libros de generatione & interitu, in fol.* ibidem editi. Multa ſunt ab illo viro ſcripta, quæ lucem non viderunt, quæque in Bibliothecis virorum doctorum paſſim latitant MScripta. Memini ab illo elegantem *Commentarium in quatuor Georg. Virgilii libros* ſcriptum, quem ſervat Bibliotheca Gudiana.

ANTONIVS MONTECATINVS. Ferrarienſis ille fuit, cujus extant 10
Commentarii in ſtatum Ariſtotelis Naturalium librum. Ita vero Commentarios ſuos inſtituit,

ſtituit, ut primum ponat argumentum textus, huic ſubjungat Textum Græcum cum Verſione Latina, additis in margine variis lectionibus, illis ſubjungit Explanationem uberiorem, Explanationi deinde ſcholia. Impreſſus eſt liber ille Ferrariæ, apud Benedictum Mainarellum, anno 1591. *in fol.* Edidit idem *Commentarium in librum Ariſtotelis de anima*, adjunctis *ſcholiis*, *quæſtionibus & digreſſionibus in Averröem*, *in fol.* Ferrariæ anno 1576.

11 DANIEL BARBARVS. Patritius ille Venetus fuit, vir doctiſſimus. Scripſit multa varii argumenti, & inter illa *Commentarium in Porphyrii Iſagogen*, qui editus eſt Venet. *in 4to* apud Aldum, anno 1542.

12 LVCILIVS PHILALTHEVS. Medicus ille fuit & Philoſophus, qui multa Ariſtotelis convertit in Lat. ſermonem, cujus ille culturam magni fecit, quod teſtantur Epiſtolæ ejus, plane ad Romanæ Latinitatis genium ſcriptæ, de quibus ſupra diximus. Ejus extant *Commentarii in libros Ariſtotelis de Cælo*, qui prodierunt Venet. *in fol.* apud Valgriſium, anno 1565.

13 DANIEL FVRLANVS, Cretenſis, e gente mendaci; Philoſophus tamen doctiſſimus, quod oſtendunt *Commentarii* ejus *in Theophraſti Opera*, e Pinelli Bibliotheca editi, de quibus ſupra egimus. Is ſcripſit *Commentarium in Ariſtotelis librum de animalibus*, & *problemata* ejusdem, qui prodiit Venet. *in 8.* anno 1574.

14 LVDOVICVS SEPTALIVS. Medicus ille fuit & Philoſophus maximi nominis, cujus extant multi libri Politici argumenti, inter quos eſt ille, quem *de ratione ſtatus* ſcripſit Italico ſermone, ſed in Latinam linguam converſum edidit Joh. Garmerus, Poliater Hamburgenſis. Edidit & *in Ariſtotelis Problemata Commentarium*, uberrimum & locupletiſſimum, multa rerum varietate refertum, & variis diſquiſitionibus diſputationibusque phyſicis inſtructum. Prodiit Francof. anno 1602. *in fol.*

15 MARCVS ANTONIVS FLAMINIVS. Vir ille doctiſſimus, Poëta quoque Latinus elegans, Italus fuit, cujus, præter Poëmata, extant varia Opuſcula, interque illa *Paraphraſis* quædam *in Ariſtotelis libros de prima Philoſophiæ*, edita *in 8.* Pariſ. anno 1547.

16 TARQVINIVS GALLVTIVS. Jeſuita ille fuit. Scripſit varios libros, ſtylo cultos, quod teſtantur ejus *Orationes*, quæ de ſingularibus & elegantibus argumentis ſcriptæ in lucem prodierunt. De iis dictum alio loco. Ceterum in Philoſophia non usque adeo virum ſe oſtendit, non indoctus ille quidem, ſed in argumento, quod tractavit, multa aliis ſublegit. Edidit ille *Commentarium in Ethica Ariſtotelis*, una cum eorundem Interpretatione Latina, qui prodiit duobus Voluminibus *in fol.* Pariſ. ap. Cramoiſios, anno 1632. & 1645. Ille, ut magnificum pararet Opus, omnium quercus excuſſit. Quod Textus explicationem attinet, e Gifanio, doctiſſimo *Ethicorum* Ariſtotelis Interprete, pleraque exſcripſit. Quæſtiones, quas adjecit, pleræque e Scholaſticis ſunt congeſtæ.

17 LOVANIENSES. Edita ſunt in Ariſtotelis libros Commentaria ab integris Collegiis, & habemus talia multa. Rarior vero eſt Commentarius, quem in *Iſagogen* Por-

Porphyrii, & in omnes libros Ariſtotelis de Dialectica, ediderunt Philoſophi Academiæ Lovanienſis, cujus 3tia editio prodiit Lovan. anno 1568. *in fol.* ap. hæredes Arnoldi Birckmanni. Illorum Lovanienſium mentionem facit Pet. Joh. Nunneſius, in *Oratione de cauſis obſcuritatis Ariſtotelis, ejusque remediis.* Sed eodem in loco, & laudat illos, & vituperat. Nam, cum l. c. dicit, quod multa addita fuerint, & obſervata a nonnullis in Ariſtotelis libros, per ſe obſcuros, laudat Lovanienſes, qui in Logica rationem definiendi & dividendi accuratiorem tradiderint. In eodem autem libro *pag.* 234. ait, Lovanienſes *accuratius aliquid in Commentariis ſuis ſcribere magis voluiſſe, quam potuiſſe.* Laudat & illic civem ſuum Joh Gelidam, quem vocat *doctiſſimum Philoſophum, & in Ariſtotele multum exercitatum*, qui addiderit multa, quæ deeſſent Ariſtoteli, detraxerit, quæ redundarent, quem tamen ego nunquam vidi.

ACADEMIAE VENETAE Profeſſores. Multæ ſunt in Italia a viris Prin- 18
cipibus inſtitutæ Academiæ, quas ita vocant, quarum quidem non illa dignitas eſt, quæ ap. Germanos. Neque enim jurisdictione gaudent, aut privilegiis ſunt munitæ, ſed ſunt ſocietates virorum doctorum, vel ad omnes ſcientias, vel ad aliquas excolendas, inſtitutæ. Talis Academia inſtituta erat Venetiis a Friderico Baduario, qui in Germania pro Veneta Rep. Legati munere fungebatur. Quicquid itaque ab Academicis illis in univerſum, vel ab uno, ſcribebatur, nomine omnium edebatur, ac ſunt permulti optimi libri, ſed qui raro ad nos perveniunt, ab his Academicis editi. Talis eſt *explanatio nova Topicorum Ariſtotelis*, anno 1559. edita, typo eleganti Venetiis. Ex eadem Academia prodierunt multa alia, imprimis Federici Delphini, Medici & Philoſophi, *de fluxu & refluxu maris Tr.* quem ediderunt Medici Academiæ Venetæ. In cujus libri præfatione plura habentur de inſtitutione & conſilio hujus Academiæ.

JACOBVS MAZONIVS. Portentum hominis fuit, Philoſophus ſuo tem- 19
pore ad omnem palæſtram paratus, magna cum laude docuit, Diſputator promptiſſimus & acerrimus. Nam 5197. *placita* Ariſtotelis & Platonis pro theſibus publice propoſuerat, quibus Ariſtotelem & Platonem defendebat, omnium exſpectans tela, omnes in pugnam vocans. Cum objiceretur illi, quod Doctoris titulo careret, & ſeptem annos ſibi præſcribi videret, ſex menſes poſtulavit, quibus elapſis, cum ſtupore omnium ad omnia quæſita reſpondit. Integras ex Ariſtotele paginas memoriter recitavit Mille aureorum ſtipendio conductus a Cardinali Aldobrandino, ut Philoſophiam Ariſtotelis in Gymnaſio Romano profiteretur, ſibi ipſi vitam præcipitavit, ultra conſuetam in cibis temperantiam lautioribus epulis admotus. Scripſit ille varia, & inprimis laboravit in conciliando cum Ariſtotele Platone. Perpetua ipſi cum Franciſco Patricio lis fuit, illo Ariſtotelem impugnante, hoc Mazonio defendente, ac, niſi ſcribendi finem feciſſet Patricius, ille reſpondendo nunquam fuiſſet fatigatus. Extant ejus *in Ariſtotelem, & Platonis univerſam Philoſophiam, præludia*, edita Venet. in fol. anno 1597. Ubi & ille demonſtrat, Platonis Ariſtotelisque principia ex uno eodemque fonte hauſta. Plura de Mazonio videantur ap. Erythræum *in Pinacotheca I. p. 65-68.*

FRANCISCVS VATABLVS. Hunc Hebræi ipſi Lutetiæ Hebraicas 20

literas profitentem admirati ſunt. Circumferuntur ejus *notæ in V. T.* ab auditoribus e prælegentis ore exceptæ. Nam ipſe ſive naturali pigritia, quæ ipſi exprobrata eſt, ſive morte præventus, nihil omnino ſcripſit. Teſtatur hæc de ipſo Thuanus, ad annum 1547. Multa ex Ariſtotele in linguam Latinam tranſtulit, ac ſuperſunt aliqua ejus *Scholia* cum *Paraphraſi* in libros 8. Phyſicorum, quæ edita ſunt *in fol.* Pariſ. anno 1531.

21 FRANCISCVS TOLETVS, Cordubæ natus in Hiſpania, & Philoſophiæ Profeſſor in prima adoleſcentia factus, multa ſcripſit in Ariſtotelem, aliis multum laudata. Meminit ejus Thuanus ad annum 1596. Extant ejus *Commentaria in lib. 8. Phyſicorum, una cum quæſtionibus*, Venet. 1573. *in 4to* edita, it. *in librum de generatione & corruptione*, ibidem excuſa; *Commentaria in Logica Ariſtotelis, una cum quæſtionibus, in 4to*, Colon. anno 1583. ac *in libros de anima Commentaria*, Colon. *in 4to*, anno 1576.

22 FRANCISCVS ROBORTELLVS. Si judicium Thuani audimus, *ad annum 1567. magno* ille *cum ſtrepitu Patavii & Bononiæ profeſſus, majorem de ſe opinionem excitavit, quam implevit;* quod quidem judicium ego paulo acerbius putem. Nam quæ ſcripſit in libros Ariſtotelis *de Poëtica* & *Rhetoricis*, non ſunt adeo contemnenda. Multum enim illis boni ineſt, præcipue *Commentariis Rhetoricis*, in quibus multa de figuris occurrunt, de dictionis charactere, alias non obſervata. Invidiam, ut puto, ipſi concitarunt controverſiæ inter illum & Scaligerum agitatæ, in rebus philologicis, cum quo ille comparandus non erat. Scripſit & *in Politica Ariſtotelis Diſpp.* Venet. *in 4to* editas.

23 JACOBVS SCHEGKIVS. Vero ille cognomine *Degenus* dictus, cum hoc Patris agnomine iſtud permutavit. Prof. fuit Tubingenſis. Ariſtotelisque Philoſophiam ſingulari cura excoluit. Medicæ Artis Doctor factus, nunquam Medicinam exercuit; ſed continuis lucubrationibus & meditationibus in cæcitatem incidit & ex eo tempore majorem ſtudiis, quam antea, operam impendit, in lucem edens libros, cum ipſe luce careret. Optimos enim libros conſcripſit, tam Philoſophicos, quam Medicos. Nam *in Philoſophiam naturalem Ariſtotelis Diſputationes* ſcripſit. Ex Ariſtotelis *libris de anima*, & Simplicii *Commentariis*, interpretationes excerpſit. Ariani *Diſſertationes in Epictetum* Latine vertit. Edidit *libros 15. de Demonſtratione*, qui loco Commentarii locupletiſſimi ſunt, in *duos poſteriorum Analyticorum libros*. Addidit *Commentaria* cum *annotationibus & repetitionibus in Organi Ariſtotelis libros, ad artis partem analyticam pertinentes, in librum de Categoriis, de interpretatione, & duos Analyticorum priorum.* Scripſit item *Commentarium in libb. 7. & 8vum Topicorum, quibus perfecta & abſoluta definiendi ars tractatur.* Scripſit etiam Theologicos libros Eriſticos, & Medicos plurimos, quorum titulos. cum reliqua ejus vita, vide ap. Melch. Adamum *in Vitis Medicorum Germanorum*, in vita hujus Autoris, *p. 290 301.*

24 DONATVS ACCIAIOLVS, vel Accievolus, celebris Ariſtotelis interpres Florentinus, ſcripſit in *Ethica* & *Politica* Ariſtotelis. Politica impreſſa ſunt Venet. anno 1566. *in 8vo*, ſi recte memini, una cum *Ethicis*. Fuit præterea vir in rep. occupatiſſimus.

mus. Multa Plutarchi convertit. *Caroli M.* quoque *Vitam* ſcripſit, quæ ſolet addi *Vitis* Plutarchi. Vehementer illum laudant Jacobus Piccolomineus, & Eraſmus quoque in *Ciceroniano* ſuo. Refert de illo Voſſius, *l. 3. de Hiſtoricis Lat. p. 624. Editionis novissimæ*, fuiſſe illum auditorem Johannis Argyropuli, Byzantini, qui multa Ariſtotelis ſub παλιγγενεσιαν literarum, in Latinam linguam convertit, Romæque ejus Opera prælegit, & *Commentaria, in Nicomachica Ariſtotelis*, non Acciajoli eſſe, ſed prælectiones Argyropuli, ab Acciajolo deſcriptas, inque lucem emiſſas. Addi huic poteſt Felix Accorombonus, qui itidem fuit Commentator & interpres Ariſtotelis, inque *Ethica Nicomachica* Ariſtotelis *Commentarium* ſcripſit. Scripſit & de *Controverſiis inter Platonicos, Ariſtotelicos & Galenum;* qui liber, una cum aliis ejus, editus eſt *in fol.* Romæ, anno 1603. Scripſit & librum, cui tit. *Vera mens Ariſtotelis, & dilucidiſſima in omnia Ariſtotelis opera explanatio;* qui cum priori prodiit. Patria Eugubinus fuit.

ANDREAS CAESALPINVS, Aretinus, Medicus & Philoſophus ſuo tem- 25
pore celebris. Scripſit *quæſtionum Peripateticarum libros* 5. ad Fr. Medicen, Hetruriæ Ducem. Fuit Prof. Academiæ Piſanæ. Liber editus eſt Venet. ap. Juntas, anno 1593. *in 4to.* Continentur in illo variæ quæſtiones Phyſicæ, præprimis ex Ariſtotele deductæ, quibus immiſcentur nonnullæ Logicæ & Metaphyſicæ. Adjicitur libellus, qui inſcribitur: *Dæmonum inveſtigatio peripatetica*, ad Pet. Jac. Borbonium, Archiepiſcopum Piſanum, ubi e principiis Ariſtotelicis de dæmonibus agit, ac Galenum refutat, in credendis dæmonibus plane non ſuperſtitioſum.

NICOLAVS TAVRELLVS. Fuit ille Medicus & Philoſophus Altorfinus, 26
maximi, cum viveret, nominis. Habuit Academia Altorfina præſtantiſſimos ſemper viros, præprimis Philoſophos, qui ſolida ſemper principia ſectati fuerunt, & Ariſtotelicam doctrinam, veteresque Philoſophos, dogmatibus ſuis expreſſerunt. Cæterum Taurellum hunc Cæſalpino ſubjungo, quod ipſius inſolentiora dogmata diſcuſſerit ſingulari libro, cui tit. *Alpes Cæſæ.* Scripſit & *de mundi æternitate* peculiarem librum, quo omnium veterum Philoſophorum argumenta inter ſe confert. Scripſit & alia quædam contra Piccolomineum, *Discuſſiones ſe. Phyſicas de mundo;* it. *Discuſſiones Phyſicas & Metaphyſicas de cælo, adverſus eundem.* Adde his *Triumphum Philoſophiæ, ſive Metaphyſicam philoſophandi methodum*, qua, e notitiis menti inditis, firmiſſimas demonſtrationes deducere laborat. Scripſit & alia Medica, de quibus videatur Melch. Adami in *Vitis Medicorum Germanorum, p.* 403. 404.

ANTONIVS SCAYNVS. Etiam ejus extant commentationes in Ariſto- 27
telis quosdam libros. Fuit Salodienſis, ex agro Brixiano. Scripſit *Expoſitionem in 8. Ariſtotelis Phyſicorum libros*, quæ edita eſt Francof. anno 1607. *in 4to*, *Commentarium in libros Metaphyſικῶν Ariſtotelis*, qui prodiit Romæ *in fol.* anno 1587. *Paraphraſin in Ariſtotelis libros de anima;* cum *Annotationibus*, quæ edita eſt *in fol.* anno 1599. & *in Politica Ariſtotelis Paraphraſin*, cum *Annotationibus & dubiis, aliisque Diſſertationibus de argumentis civilibus*, lingua Italica, Romæ *in 4to*, anno 1578.

28 SIMON SIMONIVS, Lucenſis Italicus, exulavit e patria ob religionem profugus. Lipſiam enim conceſſit, ubi Academiam illam docuit Ἀριστοτελίζειν, ac exemplo ſuo, & præceptis, ad ſolidiorem Philoſophiam Analyticam viam monſtravit. Multæ illi cum Jac. Schegkio fuere controverſiæ, etiam in religionis negotio, qui tamen nimis indigne ſe ipſos tractant, cum uterque fuerit Philoſophiæ maximo decori. Scripſit ille *Commentarium* in *Ethica* Ariſtotelis, qui prodiit Genevæ *in 4to*, anno 1567. apud Criſpinum. Scripſit & in Ariſtotelis *librum de ſenſuum inſtrumentis, & de his, quæ ſub ſenſum cadunt*, & alium *Commentarium in librum* ejus *de memoria & reminiscentia*, qui prodiit Genevæ, ap. Criſpinum, *in fol.* anno 1566. Ex ejus ſchola prodiit Joh. NELDELIVS, doctior præceptore diſcipulus, uti judicat Conringius. Fuit & ipſe Profeſſ. Acad. Lipſienſis. Ejus extat præclarus liber, cui tit. *Inſtitutio de uſu Organi Ariſtotelici in disciplinis omnibus*, cujus poſtrema Editio Helmſtadii prodiit *in 4to*, anno 1666. cura M. Henrici Crellii, & cum præfatione Herm. Conringii, qui egregium ipſi Elogium ſuſpendit. Quanquam in Arte Analytica in multis ab illo ſe diſſentire dicit, de qua plenius ſe acturum in ipſa *Arte* ſua *Analytica* promiſit, quæ tamen lucem hactenus non vidit, & fortaſſis non videbit.

29 CAESAR CREMONINVS. Fuit in Academia Patavina Philoſophiæ Prof. cujus exſtat egregius liber *de Paedia Ariſtotelica*, quo continetur Introductio ad Ariſtotelis naturalem Philoſophiam, & quaſi διατύπωσις univerſæ Phyſices Peripateticæ. Additur *explanatio proœmii librorum de Phyſico auditu.* Prodiit ille liber Patavii, apud Melch. Novellum, anno 1569. *in fol.* Digni ſunt iſti libri, qui diligenter legantur. Pauci enim ſunt, qui παιδείαν Ariſtotelicam tractarunt. Hic quidem ſpeciatim ad Phyſicam ſe reſtringit; Nunneſius autem, cujus ſupra facta eſt mentio, magis ſe diffundit, cujus utiliſſimus liber eſt, quem *de curriculo Philoſophiæ Peripateticæ* ſcripſit. Elegantiſſima eſt ejus *Oratio de cauſis obſcuritatis Ariſtotelis, earumque remediis*, in qua ingenue defectus Philoſophiæ Ariſtotelicæ notat, neque laudes ejus diſſimulat. Plenior ejus editio eſt, quæ *in 4to*, prodiit, Helmſtadii anno 1667.

30 PHILOSOPHI ALTORFINI. E Germanis præcipua laude afficiendi ſunt Altorfini, ut qui Philoſophiam Ariſtotelicam præclaris ingenii monumentis illuſtrarunt, PHILIPPVS SCHERBIVS, ERNESTVS SONERVS, MICHAEL PICCARTVS, quorum extant Scripta varia, eleganti ingenii acumine & ſtylo non inculto ſcripta. Breviores illorum Diſputationes & Theſes publicatæ ſunt uno faſciculo a Joh. PAVLO FELWINGERO, Metaphyſices & Logices in Altorfina Academ. Profeſſore, Norimbergæ, an. 1644. *in 4to.* Inter quas eſt elegantiſſima Scherbii *Diſputatio pro Philoſophia Peripatetica adverſus Ramiſtas*, adeo brevis, nervoſa, elegans, neque ſine flore Eloquentiæ, ut vel vaſto libro accuratius aliquid ſcribi non poſſet. Adduntur variæ Scherbii & Soneri *Orationes*. Prodierunt etiam ejusdem Scherbii Diſputationes quædam, ſub tit. *Theſium Philoſophicarum* editæ, & in unum corpus redactæ, Helmſtadii in *4to*, anno 1659. Inter quas prima eſt *de libris Ariſtotelis Acroamaticis & Exotericis*, qua in compendium

dium trahuntur, quæ Octavianus Ferrarius integro libro produxerat. Editus quoque fuit Philippi Scherbii *Commentarius poſthumus in Ariſtotelis libros de Rep.* Francof. anno 1610. Sed ille plane non reſpondet famæ iſtius viri; ex ſchedis enim auditorum hoc, quicquid eſt notarum, collectum fuit, quod editum eſt e Schönwetteris, Bibliopoli, ut fieri plerumque ſolet, cum heredes, lucri captandi cauſa, omnia, quæ poſſunt, ſcripta corradunt, & Typographi facile ſumtus & opera impendunt. Quod vel videas ex Aug. Buchneri ſcriptis, quorum multa in viri iſtius opprobrium eduntur, uti Joh. Barclaji *Icon animorum*, cum ejus *Notis* plane puerilibus, & ad tyrocinia ſcholarum relegandis. Queſtus eſt ea de re nuper Georg. Caſp. Kirchmaierus in ſingulari programmate. Michaëlis Piccarti multa quoque extant doctiſſima, inprimis aureus ille *in Ariſtotelis Politica Commentarius*, ubi ille veros Ariſtotelis ſenſus enucleate exponit, ac confert cum interpretibus & commentatoribus. Optima ejus editio prodiit Jenæ, anno 1659. *in 8vo.* Vir ille non ſolum Philoſophiæ, ſed & Philologiæ, peritiſſimus fuit, quod oſtendunt ejus *Pericula Critica* (exiguus libellus,) a Joh. Sauberto Jun. denuo publicata, Helmſt. 1663. *in 4to.* Exſtant & ejus *Orationes* varii & ſingularis argumenti, inter quas una eſt *de Origine Germanorum*, qua oſtendere laborat, Germanos eſſe Perſarum fratres, argumentis profecto non futilibus, quanquam Chriſtoph. Ad. Rupertus, ejusdem Academiæ Prof. illam opinionem ſe refutaturum, in quadam ad Georg. Richterum Epiſtola, minetur, quem tamen Richterus, Piccarto conſentiens, in aliam ſententiam adducere laborat. Ejusdem viri doctiſſimi extat *Iſagoge in lectionem Ariſtotelis*, elegans libellus, quo carere non poteſt, qui ſolidioris Philoſophiæ cultor eſt. Scripſit illam juvenis, ideoque quadam parte deficit, ac optandum ſane fuiſſet, ut a viro fuiſſet ſuppleta, Queritur de eo Conringius, qui præfationem ultimæ editioni præmiſit, in qua quanquam multa apud Piccartum eſſe dicit, a quibus ipſe diſſentiat, præcipue in Politicis, unicum tamen in hoc genere ſcriptorum laudat & agnoſcit. Habetur in illo libro, ut Titulus promittit, *Hypotypoſis totius Philoſophiæ Ariſtotelis*, qua ſeries & ordo librorum, ſcopus & ſubjectum, diviſio in capita, breviter & ſuccincte proponuntur. Iteratam ejus editionem procuravit Johannes Conradus Durrius, Theologiæ & Philoſophiæ Moralis in Acad. Altorf. Prof. cujus præmiſſa quoque eſt præfatio. Additur & Piccarti *Oratio de ratione interpretandi.* Editus eſt liber Altorfii, anno 1565. *in 8vo.*

IVLIVS PALLAMEDES, Medicus. Imponemus tandem finem Com- 31
mentatoribus Ariſtotelicis, quanquam non omnes enarraverimus. Superſunt Commentarii adhuc multi, memini ignoti. tam ab integris Collegiis, quam a Philoſophis ſingularibus ſcripti. Cui ignota ſunt Franc. Piccolominei, Franc. Zabarellæ, Pet. Fonſecæ Conimbricenſium, Mexicanorum &c. Opera? Sed de iis, cum ad ſpeciales diſciplinas perventum erit, fuſius dicemus. Subjungimus vero hunc *Pallamedem* Commentatoribus Ariſtotelis, qui Indicem ſcripſit in Ariſtotelis libros *Phyſicorum, Metaphyſicorum & Ethicorum*; Titulus libri eſt: *Tabula, ſive Compendium, explicans omnia*

ea,

CAP. XII.

DE ARISTOTELIS IMPVGNATORIBVS.

§. 1. *Veteres omittuntur. Inter recentiores eminent, post Franc. Patricium (de quo c. 8. §. 3. dictum,) Pet. Ramus, in optimos quosque veterum injurius, Novator in Logica & Rhetorica ineptus, in Physica vero imperitus, Rud. Agricolæ & Lud. Vivis in nonnullis secutus vestigia, de cujus vita, scriptis, assectis, adversariis & hyperaspistis, plura cumulantur.* 2. *Guilh. Postellus, partim ob ἀκρισιαν, partim ob Pomponatii, aliorumque Atheorum, abusum Aristotelis, huic infensior.* 3. *Pet. Gassendus, cujus* Exercitationes Paradoxicæ adversus Aristoteleos, *opus imperfectum, ob temeritatem juvenilem, & cavillandi studium, notantur* 4. *Thom. Campanella, de cujus vita, satis adversis, ingenio portentoso, doctrina multiplici, novaturiendi in scientiis singulis libidine, scriptis potioribus, & opinionibus, quibus pleraque scatent, Paradoxis, fuse disseritur.* 5. *David Gorlæus, cujus* Exercitationum Philosophicarum *brevis sistitur Sciagraphia.* 6. *Henr. Ernstius, cujus Σόφος Ἄσοφος, quam leviter in Philosophia versatus fuerit, ostendit.* 7. *Judicium Venerale de novatoribus Philosophicis, aliam, quam Aristoteles, viam ingressis.*

PETRVS RAMVS. Nolo hic prolixe recensere veteres Autores, qui Aristotelem impugnarunt, quidve adversus illum publice nonnunquam actum fuerit, de quibus singulis prolixe Joh. Launoy videatur, *in libro de varia Aristotelis fortuna.* De Francisco Patricio supra c. 8. §. 3. diximus. Nunc ad Ramum venimus, qui suo tempore magno conatu id agebat, ut, ejecto e scholis Aristotele, sua Philosophia substitueretur. Magnos ille tumultus strepitusque fecit in Gallia, fretus præsidio Cardinalis Caroli Lotharingii. Profess. quoque Eloquentiæ Regius illic fuit, & Mathematicarum disciplinarum. Tardior & serior accessit ad literas, aliquo quidem ingenio, sed in plurimis sciolus & cavillator, veteribus Autoribus, iisque optimis, sine causa bellum indixit, adeo, ut nec Cicero ipse, Eloquentiæ Romanæ Princeps, cujus ille umbram non refert, dentes ejus effugere potuerit. Est vero certissimum stultissimæ δεκηπσοφίας argumentum, omnium seculorum judicia spernere, & viris, in exemplum positis, & ab omnibus in pretio habitis, detrectare. In Dialecticis præcipue reperisse sibi visus est, non quod pueri in faba, cum rem plane eandem nova & inepta methodo, novisque vocabulis, dixit, ejecta doctrina necessaria de Demonstratione & Elenchis sophisticis, sensusque Aristotelis, quos non intellexit, depravavit. In Rhetoricis ejecit maxime necessariam de Inventione partem, quæ in Enthymematibus Oratoriis consistit, cor itaque & caput hujus disciplinæ abjecit, reliquis servatis. *Mirare*, inquit Joh. Riolanus, Medicus acutissimus, in *præfatione Tra-*

ſtatus de Phyſicis principiis, ſtipendiarium bene dicendi Profeſſorem in male dicendo bonas horas conſumere, bonaque deſtruere omnia, nihil ædificare, eoque magis, quod hoc facias tam libere, ne dicam, impudenter, ut in hoc Regis ſtipendiis militare videatur. In Phyſicis quanquam corrigi Ariſtoteles poterat, tantum abeſt, ut ipſe hoc fecerit, ut potius depravarit. Cum Ariſtotelem redarguit, adverſus veteres Philoſophos diſputantem, audiendum ego illum exiſtimo, ſed ut tenuem aliquem diſputatorem & qui in re ipſa parum poſſit. Nihil autem facilius eſt, quam dubiis implere omnia, niſi quis ſolidiora poſſit afferre. Riolano eodem in loco judice, Pet. Ramus, *Phyſicæ ſacris vix initiatus, Phyſicus videri vult, gradumque ſibi munit ad gloriam, cum ruina, cujus umbram referre, vel ſi ſe ruperit, non poſſit.* Liber, in quo novitates ejus proponuntur, præcipue ille eſt, cui titulum fecit: *Schola in Artes liberales*, qui prodiit Baſil. *in fol.* anno 1559. Proponuntur illic Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Phyſica, Metaphyſica. Controverſiæ inter ipſum, & Ariſtotelicos, magno conatu agitatæ ſunt utramque in partem Pro ſua Philoſophia ipſe Orationes nonnullas conſcripſit, quæ & illi Operi junctæ ſunt, & ſeorſim editæ Pariſiis, anno 1551. *in 8vo.* Adverſus illas Orationes editæ ſunt aliæ ab Ariſtotelis defenſoribus, v. g. Joachimi Perionii *pro Ariſtotele in Petrum Ramum Orationes duæ*, editæ Pariſiis, anno 1543. *in 8vo.* Eſt & Petr. Galkandii, Latinarum literarum Profeſſoris Regii, *pro ſchola Pariſienſi, contra novam Academiam Pet. Rami, Oratio*, edita Lutetiæ, anno 1551. Habuit ille diſcipulos plurimos, & hyperaſpiſtas, inter quos præcipui ſunt Joh. Thomas Freigius JCtus Germanus, vir alias non indoctus, qui multum laboris, in reformandis ad mentem Rami diſciplinis, inſumpſit, & tabulis, diviſionibus, ſubdiviſionibus, Philoſophiam diſcerpſit. Tum & Henningus Rennemannus, JCtus Germanus, qui pro ejus Philoſophia Apologiam ſcripſit, Francof. anno 1598. *in 8vo* editam. Irrepſit in Germaniæ Academias hæc hæreſis, & Weſtphaliam pene totam occuparat. Helmſtadio continuis quaſi diſputationibus eam in exilium miſit Cornelius Martini. pene unicus tum temporis partium Ariſtotelicarum, adverſus Novatores illos, adſertor. Ceterum de Secta Ramorum vid. Hornium *in Hiſtoria Philoſophica, l. 6. c. 11.* & Launoyum *libro ſæpe citato.* Ejecta fuit & tandem illa Philoſophia ex Gallia, publico Regis Franciſci decreto, quod Helmſt. recuſum eſt. Vitam ejus ſingulari libro deſcripſit Nicolaus Nancelius. diſcipulus ejus, quæ edita eſt cum ejusdem Nancelii Orationibus anno 1599. Videatur & Keckermannus in *præcognitorum Logicorum Tractatu 2do*, ubi plura de origine Sectæ Ramiſticæ, ejusque incrementis. Gratiam huic viro conciliavit mediocris quædam facundia qua polluit. Cum Jac. Schegkio ipſi quoque res fuit, inprimis in Dialecticis Diſputationibus, & extat Petri Rami *Defenſio ſui adverſus Schegkium.* Rami *Orationes, Præfationes & Epiſtolæ*, Marpurgi ſunt editæ *in 8vo*, anno 1609. cum Vita ejusdem, a Joh. Thoma Freigio conſcripta, e quibus tota illa hiſtoria tumultuum in Philoſophiæ regno quaſi compendio diſci poteſt. Id dici in excuſationem Rami poteſt, primum illum non fuiſſe, qui in rebus multis ab Ariſtotetele diſſenſerit. Nam RVDOLPHVS AGRICOLA, vir ſuo tempore maximus & primus literarum in Germania reſtaurator, in libris ſuis *de inventione*, quasdam hypotheſes ponit, quæ

Rami-

Ramiſticis illis ita ſimiles ſunt, ut ex illo quaſi depromſiſſe videatur. Nam, quod inventionem Rhetoricam attinet, eam quoque ad Locos Dialecticos reducit, ac prolixe diſputat de eo, quod omnia Enthymemata Rhetorica ad locos Topicos reduci poſſint. Idem in Rhetoricis ſuis dicebat Ramus. Habuit & LVDOVICVS VIVES quasdam ſententias in libris ſuis Philoſophicis, quæ cum Ramiſticis convenire videntur. Barthol. Keckermannus ſane, in libro ſuperius citato, eum excuſat, quod his Autoribus nova multa induxerit.

GVILHELMVS POSTELLVS. Inter profeſſos Ariſtotelis hoſtes ille numerandus eſt. Convertit enim in Latinam linguam librum, qui inſcribitur: *Juſtini Martyris everſio Ariſtotelicorum dogmatum*, quem Carolo, Cardinali Lotharingio, nuncupavit. Præmittitur huic libro virulenta præfatio, qua damnat omnem Ariſtotelis Philoſophiam, tanquam Sophiſtices & Atheiſmi camarinam. Memorabile eſt, neque adeo a vero alienum, quod de Pomponatio habet: *Eo impietatis profecti ſunt multi, ut, quod publice non auderent, ob legum ſeveritatem, ſub Ariſtotelis nomine auſi ſint profiteri, ut proximis iſtis annis perditiſſimus quidam nebulo, Pomponatius, cum ſummo Italiæ probro auſus ſit, ſcriptis, etiam ſummis Pontificibus oblatis, & tantum non ſuaſis, conari, ut ex Ariſtotele demonſtraret, mortales eſſe animas. Et ita bellua illa invaluit in ea impietate, ut etiam in gloria ponant quidam Pariſiis ejus doctrinæ Interpretes, ſe Perretti & Pomponatii eſſe diſcipulos.* Hæc quidem Poſtellus, cujus laudanda pietas eſt, ſed judicio plane vir ille non valuit, quod oſtendunt multa ejus deliræ ſententiæ & fœdi errores, quorum multi magnique ſunt in libris illis, quos ſcripſit *de Orbis terræ Concordia*, & *de Nativitate Mediatoris ultima*. Quo poſtremo libro, qui rariſſimus eſt, inſanas fovet ſententias in Theologia, & eo denique inſaniæ proceſſit, ut ſe mediatorem fœminarum jactaret, uti Chriſtus fuit virorum. Videatur Sammarthanus *in Elogiis Gallorum, Lib. III.* 2

PETRVS GASSENDVS. Magno impetu Ariſtotelem adortus eſt Pet. Gaſſendus, vir maximi ingenii, ſed juvenili quadam præcipitantia in hæc conſilia adductus. Judicium de eo format Honoratus Fabri, Philoſophus noſtri temporis acutiſſimus, & qui Ariſtotelem ex ipſo Ariſtotele interpretari docuit, quod inductus juvenili audacia, alia quadam cauſſa privata, quam ibi allegat, iſtam viam inſtituerit, qua ad famam perveniret. Senem tamen pœnitentia ductum fuiſſe, idem teſtatur Faber. Titulus libri ita habet: *Exercitationes Paradoxicæ adverſus Ariſtoteleos, in quibus præcipua totius doctrinæ Peripateticæ fundamenta excutiuntur, opiniones vero, aut novæ, aut e veuſtioribus obſoletæ, ſtabiliuntur.* (qq) Editus eſt liber anno 1649. Amſtel. apud Elzevirium, *in 8vo*, & Hagæ anno 1656. *in 4to*. Inſcripſit autem librum *adverſus Ariſtoteleos*, non ipſum Ariſtotelem, ad effugiendam invidiam. Toto autem hoc libro 3

(qq) Gaſſendi *Exercitationes contra Ariſtoteleos* Diſputationibus Elenchticis Roſtochii an. 1698. & ſeqq. impugnavit M. Henr. Aſcan. Engelke, de quibus, cum non legerim, judicium ferre nequeo.

nihil aliud agit, quam ut oſtendat, Philoſophiam Ariſtotelicam eſſe ſpuriam, Sophiſticam, pejorem hiſtrionica, rixoſam, altercationibus horridam, barbaram, tyrannicam, ignavam, nulla autoritate, incertam item & obſcuram, ſuperfluis & alienis ſcatentem, falſitatibus, impietatibus, calumniis & contradictionibus, plenam. Hæc in genere contra doctrinam Peripateticam ſcribit. Libro ſecundo toto, ſex exercitationibus. Ariſtotelis Analyticam impugnat, eamque totam vult eſſe rerum inutilium farraginem, quæ inepte rerum claſſes in 10. Categorias diſtinguat, & futiliter multa de propoſitionibus & utraque Analyſi tradat. Addit, nullam dari poſſe demonſtrationem, vel definitionem Ariſtotelicam. Ceteros 5. libros, nimirum in *libros Phyſicorum, de corpore ſimplici, de mixtis, in Metaphyſica, & moralem Ariſtotelis Philoſophiam*, teſte Honorato Fabri, ex conſilio amicorum ſuppreſſit. Quam telam ſuam cum non poſſet abſolvere, vituperare Ariſtotelem amplius ſine dedecore, ad alterum extremum delapſus, Epicurum laudare, ejusque Philoſophiam illuſtrare cœpit. In ejus Exercitationes *Apologeticum pro Ariſtotele* ſcripſit hujus olim Academiæ Profeſſor, Mich. Watsonivs, qui in ſchedis ejus adhuc delitescit, nec in lucem prodiit. Meras ſane cavillationes *in Exercitationibus* illis deprehendas, dum vel methodum incuſat, vel contradictiones aliquas venatur; qualia ſunt repertu facillima in omnibus ſcriptoribus.

4 THOMAS CAMPANELLA. Mirum & portentoſum iſtius viri ingenium fuit, ad omnia factum & natum. Philoſophus, Theologus, Medicus, Mathematicus, & quid non? Editi ab ipſo ſunt multi libri. Longe plures, & integram pene Bibliothecam ſcripſit, quorum Catalogum ipſe ſingulari libello complexus eſt, qui reperitur in Tomo illo Autorum, qui *de ſtudiis inſtituendis* ſcripſerunt, & in lucem editi ſunt anno 1645. in Batavis. Scriptus autem eſt ille libellus ad Gabrielem Naudæum. Ordinis Prædicatorum fuit Monachus, omnium pene ſcientiarum ad ſuos ſenſus reformator, a Peripateticis principiis diverſiſſimus, quæ data occaſione ſemper impugnat; non tamen adeo inter profeſſos Ariſtotelis hoſtes. Multorum invidiam in ſe provocavit, cum omnes diſputationibus ſuis fatigaret. Cum Theologis aliquando bellum ingreſſus, omnem miſeriam ſuam & calamitatem inde hauſit. Multa magnaque animo molitus eſt, non in ſcientiis ſolum, ſed & in rebus civilibus. Ajunt enim, novum regnum illum animo agitaſſe, niſi forte ab invidis ejus hoc confictum. Perduellionis tamen & magiæ reus factus, ſub Inquiſitorum ungues pervenit, ubi acerbe habitus eſt omni ſuppliciorum & tormentorum genere. Magiæ in ipſo crimen incuſabant, qui impoſſibile crediderunt, tantum doctrinæ vim ab uno homine poſſe comprehendi. Dubitandum non eſt de falſitate hujus objecti criminis, ſi vera ſunt, quæ refert de eo Bœclerus *in Elogio Chriſtophori Forſtneri;* quod valde memorabile eſt, neque ſine magiæ adminiculo fieri potuit: ipſe enim Forſtnerum, nunquam antea viſum, nomine ſuo compellavit, & multa de futuris edocuit. Bernh. Teleſii doctrinam avide propugnandam ſuſceperat, qui novas hypotheſes Phyſicas adverſus Ariſtotelem confecerat, de quibus in Phyſicis agemus. Multos æquales ſuos acerbe tractavit, Joh. Bapt. Portam præcipue, cui plagii crimen impingit, eum accuſans, quod multa e MStis ſuis deſcripſerit, *Diſquiſitionum*

nam Phyſiologicarum quæſtione, articulo 5. in Appendice. Scripſit multa, quæ partim Pariſiis, partim Francof. in Germania, prodierunt. In Hiſpania enim cum viveret, ob acerrimos inquiſitores, qui Philoſophicas etiam cauſas ad fidei tribunal revocabant, non poterat ſua propagare: præterea obſtinatiſſimi Ariſtotelis propugnatores, & ſcholaſticæ Philoſophiæ ſemper fuere Hiſpani, ideoque, quæ edere voluit, amicis dedit, ut alibi edenda curarent. Multa itaque Campanellianorum Operum publicavit in Germania TOBIAS ADAMI, qui in eum inter peregrinandum inciderat, homo varia doctrina inſtructus, & poſtea Principum Saxonicorum conſiliis admotus, de quo videri poteſt Tob. Schmidt, in der Zwickauer Chronike, *Tom. I. p. 503.* Ubi inter alios patriæ ſuæ viros doctos, etiam hunc Campanellianorum Operum editorem nominat. E quibus præcipuum eſt *Philoſophia Rationalis.* Habet autem illa partes quinque, Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Poëticam, Hiſtoriographiam, juxta propria principia. In ſingulis mirificus Novator eſt, ut vel in Grammaticis Metaphyſicas ſubtilitates ſectetur, de quibus multa moneri poſſent, ſi ratio inſtituti permitteret. Logica mire miſcet omnia. Multa illuc pertrahuntur, quæ ad Metaphyſicam proprie ſpectant. Miras habet rerum definitiones & diviſiones, de quibus ipſe videatur. In Rhetoricis ad nova capita doctrinam Enthymematicam reducit, & neſcio quas *primalitates*, ut vocat, comminiſcitur, in quibus contradicit Ariſtoteli ſine ratione, ſaltem ut contradixiſſe videatur. Negat adverſus Ariſtotelem, Rhetoricam eſſe germen Logicæ, quia Logica ſit omnium ſcientiarum Organon: negat, eſſe artem bene dicendi, cum contingat & Grammaticum, & Phyſicum, & Poëtam, & Theologum, in arte ſua bene dicere, non per Rhetoricam, ſed per Logicam. Definit ergo Rhetoricam, quod ſit ars inſtrumentalis, ad ſuadendum bonum, & diſſuadendum malum, dicendo; quo nihil aliud agit, quam ipſe Ariſtoteles, & ipſum illud bene dicere requirit, non diſtinguens finem externum & internum. Stulte negat, Rhetorices Objectum eſſe omnem quæſtionem, quod ille facit ſuaſionem boni, & diſſuaſionem mali cum illa, ſi pro perſuaſione accipiantur, ſenſu generali, finem tantum externum conſtituant Rhetorices, ſi ſenſu ſpeciali, finem unius cauſarum generis, nempe deliberativi. Ineptæ itaque ſubtilitates illæ ſunt. In Poëticis non melius verſatur, aut majore judicio, cæcus judicans de coloribus. Edita *Philoſophia* eſt illa *Rationalis* (ne quis exſpectet aliam Irrationalem) Pariſiis *in 4to*, anno 1638. Scripſit & *Diſquiſitiones Phyſiologicas in fol.* editas Pariſiis, in quibus multa habentur non ſpernenda. Adverſus Ariſtotelem paſſim inſurgit; quæſtiones multas proponit abditas & abſtruſas, in quibus tamen parum ſæpe præſtat, remittendo nos ad qualitates & elementa, quæ ſunt conſueta illa ignorantiæ ap. Phyſicos aſyla. In iſtis *Diſquiſitionibus* nihil tam abſurde aſſerit, quod non ex S. Scriptura, aut antiquis Patribus, probare velit, illorum autoritatem paradoxis ſententiis ſuis prætendens. Edidit & *libros 4. de ſenſu rerum & Magia.* Curavit illorum editionem Tobias Adami in Germania; vocat ipſe librum hunc ſuum *partem mirabilem Occultæ Philoſophiæ*, ubi demonſtratur, mundum eſſe Dei vivam ſtatuam, beneque cognoſcentem, omnesque illius partes, patriumque particulas,

ſenſu donatas eſſe, alias clariori, alias obſcuriori, quantus ſufficit ipſarum conſervationi ac totius, in quo conſentiunt, & vere omnium naturæ arcanorum rationes aperiuntur. O felices nos, qui jam nihil ignoramus! Simili ratione inſaniebat. Joh. Bapt. Helmontius, qui, præter ſenſum, etiam phantaſiam omnibus rebus adſcribebat. Ita non truncos amplius ſtipitesque habebimus, & phantaſiam etiam habebunt ſtatuæ, in quibus cerebrum deſiderabat vulpes Æſopica. Sed bonus Campanella, cum hæc ſcriberet, novum ignorantiæ aſylum aperuit, fingendo novum aliquem ſenſum, quemadmodum Peripatetici qualitates ſuas, ut haberet colores, quibus omnia incruſtaret. Abundabat ſc. ſenſu Campanella, ut omnibus largiretur de ſuo. Sed aliud latitat arcanum; defendi hac velut orci galea omnis Magia poteſt, quod ex *libro 4.* hujus Operis videas. Per eum enim aër ſentit, & nobiſcum conſentit, atque ideo, quicquid nos cogitamus, etiam aër cogitat, qui & verba noſtra accipit & ſentit; prout itaque affectus a nobis aër eſt, ita & alii intelligere hanc arcanam aëris communicationem poſſunt. Hinc operationibus magneticis, incantationibus, ſimilibusque, via ſternitur. Editus eſt liber Francofurt. *in 4to*, anno 1620. Scripſit & *libros 7. Aſtrologicorum, in quibus*, ut tit. habet, *Aſtrologia, omni ſuperſtitione Arabum & Judæorum eliminata, phyſiologice tractatur, ſecundum ſacram ſcripturam & doctrinam S. Thomæ & Alberti, & ſummorum Theologorum.* Edidit hos libros Francofurt. *in 4to*, anno 1630. ſuperſtitiones, ut mihi quidem videtur, ſuperſtitionibus augens. Habentur tamen multa in illis, e Phyſicis depromta, tempeſtatum indicia. Liber ultimus agit *de fato Aſtrologico vitando*, quod nemini Aſtrologorum hactenus in mentem venerat; ſed vitare illud per hypotheſes ſuas Aſtrologicas docuit, adeoque fatum eluſit. Scripſit & *Atheiſmum Triumphatum*, & *de Gentiliſmo non retinendo, prædeſtinatione, electione & reprobatione, & auxiliis divinæ gratiæ, Centonem Thomiſticum, adverſus Lutheri & Calvini aſſeclas*, adeoque Thomas ipſe Thomam hyperaſpiſten accepit. In *Atheiſmo Triumphato* ſibi opponit argumenta, in uno latere Atheorum, in altero ſuas reſponſiones, quæ non adeo ſunt operoſæ, & paululum frigidiores. Liber *de Gentiliſmo non retinendo* adverſus Ariſtotelem directus eſt, in quo hæc capita pertractat, ſcientias inſtaurari debere poſt Græcorum & Latinorum Gentilium Philoſophiam, quod neceſſe ſit contra Ariſtotelem ſentire & agere, ob profana & impia ejus dogmata, quæ recenſet, quod utile ſit Ariſtoteli contradicere, exemplo Patrum, quos allegat. Thomam quoque ipſum ab Ariſtotele diſſentientem facit, qui Ariſtotelem non habeat pro optimo Philoſophorum, ac ipſe non ſit Peripateticus, uti multis locis probare contendit. Callide autem Thomam prætexit ſuis ſententiis, ne tantum in ſe derivet invidiæ. Editi ſunt libri illi, quorum mentionem feci, Pariſ. anno 1636. *in 4to.* Scripſit & *Medicinalium libros 7.* juxta propria principia, qui prodierunt Lugd. anno 1635. *in 4to*, in quibus nova multa, a reliquis Medicis diverſa, habet. Scripſit & in Politicis aliqua, ſcilicet *de arcanis Dominationis Hiſpanicæ, & conſilium de Belgio iterum ſubjugando.* Edidit & aliqua in moralibus, de quibus tamen omnibus tenendum eſt judicium Bœcleri, *in Commentario in Taciti Annales p. 101.* Editionis *in 8.* Edita eſt Campanellæ *Realis Philoſophia Epilogiſtica par-*

tibus 4. in qua continentur Phyſiologica & Moralia, in quibus mirabili methodo etiam de morbis, & febrium familia, agit, Politica, quibus addit *Civitatem ſolis*, ut Ideam Reip. Philoſophicæ, ac Oeconomicæ; quæ omnia edita ſunt, curante Tobia Adami, Francof. *in 4to* anno 1623. Poſt hanc Philoſophiam, 4. illis partibus conſtantem, Pariſiis *in fol.* aliam edidit, anno 1637. Petro Seguierio, Galliæ Magno Cancellario, inſcriptam, ubi immiſcet varias quæſtiones, quæ in *Philoſophia Epilogiſtica* non habentur, ipſa quoque dogmata fuſius proponit, in omnibus pene Ariſtotelem vellicans & reprehendens. Ubi in phyſicis interdum aſſeruntur aliqua non vulgaria, e quibus fortaſſis alii quædam ceperunt. E. g. cauſam intumeſcentiæ maris non lunæ vult adſcribi, ſed ſoli, & objectionibus Galilæi prolixe reſpondet. Illud, ut novum, Iſ. Voſſius, *in libro de motu marium*, prodidit, cauſam æſtus marini in ſolis motum conferens, quod jam tum ante ipſum fecerat Campanella, vel ipſi non viſus, vel diſſimulatus.

5 DAVID GORLAEVS, Ultrajectinus. Scripſit ille *Exercitationes Philoſophicas, quibus univerſa fere diſcutitur Philoſophia Theoretica, & plurima ac præcipua Peripateticorum dogmata evertuntur*, ita enim tit. habet. Exiguus liber eſt, ſed tamen cum aliquo ingenio ſcriptus. Incipit a Philoſophia in genere, hincque ad Metaphyſica & Logica pergens, multa illic ſtatuit a Peripateticis diſcrepantia. Procedit deinde ad Phyſica, in quibus ſuas ſequitur hypotheſes Ariſtotelicasque impugnat. Quarum præcipuæ ſunt illæ: cœlum nihil aliud eſſe, quam extenſionem aëris; duo fecit mixtorum elementa, terram & aquam; ignem e numero elementorum excludit, merumque facit accidens, quod etiam primarium Carteſianorum dogmatum eſt. Editus eſt ille liber Lugd. Batav. poſt mortem Auctoris, anno 1620.

6 HENRICVS ERNSTIVS. Etiam ille Philoſophorum Ordini Cenſor intervenit, ipſe Philologus potius, quam Philoſophus, ſed non adeo quicquam in Philoſophia tentavit, quam quod Ariſtotelem in judicium vocaverit plurimosque adverſus illum teſtes produxerit. Tit. eſt libri σόφος ἄσοφος, *ſive Diſſertatio de re ſumme omniumque difficillima, nempe de vera Philoſophia, vocisque ejus abuſu, profanis Philoſophis non ſine gravi conſilio oppoſita.* Diligentiſſime Autor hic collegit, quicquid adverſus Ariſtotelem, tum a Theologis & Patribus, tum a Philoſophis recentioribus, ſcriptum eſt, quo major etiam liber colligi poterat. Satis autem oſtendit in ea Autor, parum ſe Philoſophiæ ſacris imbutum. Prodiit Hamburgi, anno 1665. & 1668. *in 8vo.*

7 Poterant ſub hunc tit. plures revocari; ſunt enim multi, qui adverſus principia Ariſtotelica philoſophantur. Quoniam vero non adeo data opera Ariſtotelem impugnant, & profeſſos ſe ejus hoſtes gerunt, ideo a nobis ad Novatores referentur in Philoſophia. Nam ad illam accuratius indagandam, cum ſemper excitata fuerint ingenia erectiora, non exiguo numero, hanc Philoſophiæ partem ingreſſi ſunt multi, qui aliam ab Ariſtotele viam ſecuti ſunt, quos ego minime reprehendendos exiſti-

exiſtimo, ſi quid rectius Ariſtotele in medium afferre potuerunt, ut poſſunt ſane multa, licet multi nihilo meliorem doctrinam Phyſicam fecerint ſuis commentis. Ut pene ſatius ſit, ab Ariſtotelis latere non diſcedere, via ſcilicet illi communi, quam aliorum manuductione in, neſcio quas, ſylvas inconditas & horrida tesqua dilabi. Sed de illis, ubi ad Phyſicam perveniemus.

CAP. XIII.

DE DOCTORIBVS SCHOLASTICIS IN GENERE, ET NOMINALIBVS IN SPECIE.

§. 1. *Ariſtotelis illi Philoſophiam, ob linguæ Græcæ imperitiam, corruperunt, & neglectis partibus præcipuis, circa ſolas Notiones fuere occupati. Commentati de illis ſunt hiſtorice Joh. Henr. Alſtedius, Joh. Ad. Oſiander, G. Hornius, Joh. Lud. Vives, cæterisque præferendus Ad. Tribbechovius.* 2. *Primus illorum fuit, non Lanfrancus, ſed Joh. Rucelinus,* Nominalium *Autor, quorum, nec inter ſemetipſos concordium, de univerſalium exiſtentia diſceptationis cum Realibus, Hiſtoria exponitur, & inter Platonicos, Stoicos & Ariſtotelicos, eandem jam olim viguiſſe oſtenditur. Gabr. Naudæi de Philoſ. Scholaſticæ Ortu digreſſio allegata. Nominalium Sectæ, a Guilhelmo Occam Anno 1320. inſtauratæ, & Anno 1673. ab Anonymo Anglo reſuſcitatæ, præcipui recenſentur ac celebrantur doctores.* 3. *Guilh. ſc. Occam.* 4. *Rich. Suiſſet, ab Hier. Cardano & J. C. Scaligero, ſummopere commendatus, a Joh. Pico autem (contra quem* h. l. *defenditur,) & Joh. Lud. Vive ob ſubtilitates inepras, exagitatus.* 5. *Greg. de Arimino.* 6. *Gabr. Biel.* 7. *Pet. de Alliaco.* 8. *Joh. Gerſon.* 9. *Joh. Major. Mart. de Magiſtris, Joh. Celaya, Hier. ab Hangeſto.* 10. *Joh. Raulinus, Jac. Almainus, Georg. & Pet. de Bruxellis, Joh. Dullard, Joh. Buridanus, Marſilius de Inghen, Thom. Bricot, Caſp. Lachs, Ant. Coronell, Henr. & Joh. Altenſteigii.* 11. *Alii ejusd. ævi complures, e recentioribus Rod. Arriaga & Joh. Salabertus.* 12. *Eraſmi de Nominalibus, cæterisque Scholaſticis, judicia. Nominalium & ducis horum, Guilh. Occami, Pontificem Imperatori ſubjicientium, cum Realibus, Oxoniæ, alibique locorum, contentiones. Ludovici XI. Regis Galliæ, edictum contra Nominales, A. 1473. promulgatum.* 13. *Nominalibus perperam accenſentur Marius Nizolius (de cujus novaturiendi in Philoſophia libidine, hoſtilique in Ariſtotelem animo, plura adduntur) & Thom. Hobbeſius.* 14. *Georg. Calixti de Scholaſticis judicium benignius.*

1 PRocedimus nunc ad Philoſophorum genus, neque Ariſtotelicum plane, nec ab Ariſtotele omnino diverſum. Scil. hi Ariſtotelis quidem Philoſophiam profeſſi, parum ex ipſo, & interpretibus ejus Græcis, ſapere potuerunt: cum ipſi Græcæ linguæ ignari fuerint. Quicquid e Boëtio, Latino Ariſtotelis Commen-

Commentatore, ac ſordidis quibusdam Ariſtotelicorum librorum ex Arabico Verſionibus Latinis, haurire potuerunt, illud, pro ingenii ſui acumine, & ſeculi iſtius genio, exornarunt, & quoddam Philoſophiæ corpus nobis inde fecerunt, quod inſtar ſimiæ illius Claudianeæ, *claro deforme* eſſet *amictu.* Parum ab illis præſtitum eſt in Phyſicis & Mathematicis; in illis enim accuratior omnino indagatio inſtituenda erat. In ſolo notionum regno triumpharunt mirificis perplexisque ſubtilitatibus omnia implicantes, in quibus extricandis licet cerebrum quis ruperit, nihilo tamen in re ipſa ſapientior erit. Hiſtoria ſi accuratior eſſet a quopiam inſtituta ortus progreſſusque dogmatum illorum, non parum illud faceret ad Theologiam & Philoſophiam. Sed, ut ipſi confuſum aliquod Philoſophiæ chaos proponunt, ita & hiſtoria eorum tota tenebroſa eſt. Chronologiam Scholaſticorum Doctorum dedit Ioh. Henr. Alstedivs *in Chronologia*, ubi in tres ætates diſtinguit; primam a Lanfranco ad Albertum M. ſecundam ab Alberto M. usque ad Durandum; tertiam a Durando ad Lutherum. Prodeſſe etiam huic inſtituto poterit Catalogus Scholaſticorum, propoſitus a Ioh. Adamo Osiandro *in Chronotaxi* ſua *Hiſtorica*, ubi & Scholaſticos per ſucceſſionem temporum in tabula diſpoſuit, per ſex ſcil. latera. In primo eſt nomen Autoris; in ſecundo nationis; in tertio Ordinis, quem profeſſi; in quarto dignitas; in quinto tempus, quo floruerunt; in ſexto Scripta illorum recenſentur. Videatur quoque Hornivs *l. 6. Hiſtoriæ Philoſophicæ.* Legi etiam poteſt Ioh. Lvd. Vives *in libro de cauſis corruptarum diſciplinarum*, &, præ ceteris omnibus, qui argumentum hoc cum cura tractavit, Ad. Tribbechovius, *in libro de Doctoribus Scholaſticis, & corrupta per eos divinarum humanarumque rerum ſcientia. (rr)*

Primus Doctorum Scholaſticorum, quantum conſtat, fuit Ioh. Rvcelinvs, Britannus (Angli enim in his ſubtilitatibus valde ſolliciti fuerunt,) quem inter Scholaſticos non video numerari ab Oſiandro, neque ab Alſtedio, qui quidem altius origines Scholaſticorum incipit, ordiendo a Lanfranco, Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui vixit anno 1050. Sed illi, quos nominant, non videntur ad Scholaſticos eſſe referendi. Quæ enim illi ſcripſerunt, Theologica ſunt, neque ex illa ſchola, quæ poſtea prodiit. Fuerunt autem primo Doctores Scholaſtici Philoſophi, quos ſecuta eſt poſtea Theologia Scholaſtica. Neque enim Theologia ordinari poterat, antequam ejus principia eſſent a Philoſophis determinata. Refert & Alſtedius Gratianum, Monachum Benedictinum, inter illos, qui collegit Canones ſacros, quo tamen non referri debere videbatur. Sola enim illa Collectio in Scholaſticorum numero non ponit. Primæ itaque debentur Joh. Rucelino, Nominalis Sectæ primo autori propagatorique. Notum enim eſt, Scholaſticos fuiſſe diſtinctos

(rr) Ad. Tribbechovii *de Doctoribus Scholaſticis Libro*, Gieſſæ an. 1665. *in 4to* edito, jungi merentur, qui primas doctrinæ Scholaſticorum origines accuratius aliis vestigant, Jac. Thomaſii *de Doctoribus Scholaſticis Latinis* Diſſertatiuncula, Lipſiæ an. 1676. *in 4to* excuſa, ac *Oratio XII. de Secta Nominalium.*

ctos in Nominales & Reales, & ex utriusque ſectæ placitis acerrima inter illos fuiſſe orta bella, ac nonnunquam etiam inter diſcipulos cruenta. Campus autem harum velitationum erat Dialectica: hanc quoniam habebant a Boëtio Latino ſermone traditam, in illam omnem operam impenderunt. Atque hæc diſſidia in reliquas diſciplinas, imo ipſam Theologiam, poſtea penetrabant, cum illi, qui ſe Reales appellabant, Nominales, velut hæreticos, averſarentur. Anshelmus certe appellavit hæreticos Dialecticos. Tota res verſabatur in doctrina de exiſtentia univerſalium, quæ ad Metaphyſicos potius, quam Logicos, referenda. Alii non exiſtere univerſalia autumabant, alii habere in re ipſa fundamentum, adeoque illi Nominales, hi Reales, vocabantur. Non fuit vero hæc doctrina primum in iſtorum cerebellis nata, ſed jam tum in veterum Philoſophorum ſcholis agitata. Qui ante Platonem erant Philoſophi, negabant quid in rebus univerſale eſſe, ſed omnia fluere, ac nihil eſſe ſtabile. Plato ideas ſuas in ſcenam produxit, velut eorum, quæ ſenſu percipimus, exemplaria alterna, quæ eſſent tanquam univerſalia ante res. Has impugnavit poſtea Ariſtoteles, ac ipſa univerſalia, quaſi rebus immerſa, tradidit. Stoici autem putabant, tum demum exiſtere, cum cogitatio illa fingeret. Triplex ita hoc univerſalium genus, *ante multa*, *in multis*, *& poſt multa*; ac fuit, ob hanc diſtinctionem, in ipſis etiam Scholaſticis Nominalibus differentia. Reales Scholaſtici Nominales incuſabant Stoiciſmi, cum viciſſim Nominales Reales arguerent, quod Platonica ſomnia propagarent. Ac erant inter utrosque, tam Nominales, quam Reales, qui ſententias ſuas utrique, tam Platoni, quam Ariſtoteli, accommodabant, ut fuerunt, qui Ariſtotelem & Platonem inter ſe non diſſentire, integris libris docuerunt. Convenientiam concordiamque Nominalium cum Platonis dogmatibus aliqui quoque obſervarunt. Inter Reales quoque erant, qui Platonem habebant in deliciis. Poſtea vero, cum univerſa Realium natio Thomiſtarum præcipue ac Scotiſtarum factionibus cenſeretur, aboliti pene toti fuerunt Nominales, quorum usque ad hæc tempora quaſi tres erant familiæ. Aliqui, ut Rucelinus, univerſalia meras eſſe voces docuerunt. Alii iterum in ſolo intellectu poſuerunt, atque meros animi conceptus eſſe autumarunt, quos Conceptuales aliqui vocant, & a Nominalibus diſtinguunt, quanquam alii etiam confundant. Alii fuerunt, qui univerſalia quæſiverunt, non tam in vocibus, quam in ſermonibus integris, quod Joh. Sarisberienſis adſcribit Pet. Abelardo; quo quid intelligat ille, mihi non ſatis liquet. Vocati ſunt præterea Nominales illi Verbales, Terminiſtæ, Connotatiſtæ; vocati ſunt etiam ab aliquibus Tyrones, nam Reales ſe pro Veteranis habebant. Nominalibus hoc in ore erat Axioma: *non eſſe multiplicanda entia præter neceſſitatem.* Reales viciſſim Nominales reprehendebant, ob miram illam entium avaritiam, quam tamen natura non amet. Objiciebant illis, quod multas veritates interemiſſent. Atque hæc inter illos contentio perpetua fuit, quæ inter ſtudioſos Pariſienſes (nam Pariſiis & Oxoniæ qſ regnum erat illorum) in cruenta prælia prorupit, de quibus non verum erat illud Heſiodi: Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Eſt enim illa pulchra præcipue inter ſtudioſos, modo non ſit cruenta. De origine progreſſuque Scholaſticæ Philoſophiæ & Theologiæ legi poteſt Gabriel Naudæus

in Additionibus ad Historiam Ludovici XI. p. 151-164. qui refert primam hujus originem ad tempora Joh. Damasceni, Græci scriptoris, unde postea ad Latinos etiam pervenit, Petrum Abelardum, ejusque discipulum, Petrum Lombardum, qui Theologica dogmata his sophismatibus incrustarunt, de quibus Joh. Sarisberiensis *lib. 1. metalogici, cap. 3.* conqueritur. Nominalium tamen schola a Rucelino primum orta, cujus mentionem nullam facit Osiander *in Chronotaxi* sua, prima tum partes habuit, quæ postea anno 1320. in Guilhelmo Occamo revixit, quem ideo primum nonnulli autorem Nominalium faciunt. Docuit vero ille Oxonii circa tempus illud, plurimaque scripsit, tam in Theologicis, quam in Philosophicis. Quare omnem hanc Nominalium doctrinam Angli sibi tribuunt, utpote ab Anglis primum introductam, & ab Occamo restauratam. Prodiit Oxonii libellus anno 1673. *in 12mo*, sub tit. *Ars rationis, ad mentem Nominalium.* Autor non est additus, quantum tamen videtur, resuscitare nunc in Anglia Nominalem doctrinam conatur, quam vehementer illic laudat, ac subtilitate & perspicuitate reliquas omnes superare gloriatur. Sed labor illius viri vel in Logicis ipsis valde imperfectus est, & in Historia Nominalium quam præmisit, deficit. Nulla enim apud ipsum Rucelini mentio, qui tamen primus Nominalium est, & ipse Britannus, & aliquot seculis ante Occanum vixerat. Tum & alios omisit posteriorum temporum, qui tamen maximæ celebritatis erant, atque inter illos Rich. Svissetum, Calculatorem, cui tam mirifica elogia suspendunt Cardanus & Scaliger, uti postea videbimus. Breviter itaque recensebimus Nominales Scholasticos, quantum de iis expiscari possumus. Primi illi a Rucelino scriptores obscuri sunt, neque indagari possunt. Qui post D. Thomam vixerunt, quorum princeps est Guilhelmus Occamus, Realibus quidem Philosophis posteriores sunt, sed tamen Rucelini, tanquam antecessoris, doctrinam propagarunt; quanquam & in ipsum Thomam, qui ad Nominalium Sectam non pertinet, Commentarios plerique scripserint, cujus in suos sensus pleraque detorserunt, ut hodieque sunt multi, qui ipsum Aristotelem in suos sensus cogunt.

GVILHELMVS de OCCAM, sive OCCAMVS. Vixit circa annum Christi 1320. dictus *Doctor Invincibilis;* scripsit Theologica multa: Lib. *de sacramento altaris*, editum Parisiis *in 12.* anno 1513. *Annotationes in 4tum librum sententiarum D. Thomæ*, & *Centiloquium Theologicum, in fol.* editum Lugd. Gall. anno 1594. Scripsit & quædam ad Jurisdictionem Imperialem & Ecclesiasticam spectantia, quæ reperiuntur in Collectaneis Goldasti, quæ *de Monarchia Imperii* collegit. Ejus Opera edidit Marcus de Benevento, qui in *præfatione* testatur, quod *si apud Deos nexus Logicæ invenirentur, nullius, nisi Occami, viri doctissimi, solutione uti dignarentur.* 3

RICHARDVS SVISSET. Hic quanti nominis fuerit, vix credi potest, atque adeo tamen ignoratur, ut vix in Bibliotheca aliqua ejus nomen superstit, ut testatur Gabriel Naudæus in *Dissertatione* sua *de instruenda Bibliotheca pag. 86.* ubi miratur ille, in nulla Bibliotheca visa sibi esse ejus Opera, quæ tamen adeo commendat 4

Scaliger. Nomen ejus vocatur a Scaligero Richardus Sviſſet, cum cognomine *Calculatoris*. Gabriel Naudæus, qui, *in Diſſ. de inſtr. Bibliothec.* illum Richardum vocaverat, in *Additionibus ad hiſtoriam Ludovici XI. p. 214.* vocat Rogerium Sviſſetum, qui Monachus Ciſtertienſis ſalutatur in Edicto quodam Regis Galliæ. Vocatus autem fuit vero nomine, Anglica lingua, *Swinshead*, i. e. *caput porcinum* ſive *os porci*, quod poſtea nomen in Sviſſetum converterunt. Mentionem quoque ejus fecit Voſſius *in libro de ſcientiis Mathematicis c. 18. p. 78.* qui Johannem Sviſſetum vocat, quod prænomen ipſi quoque tribuit Gaddius *in lib. de ſcriptoribus.* Sed erravit hic Voſſius, qui, Calculatoris nomine inductus, ipſum ad Mathematicos retulit. Dicit enim, quod Logiſtices agrum excoluerit, & ab eximia artis hujus peritia dictus fuerit Calculator, præterea ne unicum quidem ejus librum citat, quem ſuper hoc argumento ſcripſerit, ſed ſolummodo ex Cardani *lib. 16. de ſubtilitate* ejus elogium recenſet. Unde patet, ex ſua conjectura eum hoc ipſi tribuiſſe: præterea nec annum, quo vixit, addidit, ut mirum ſit, adeo ignorari celebratum Scaligero nomen. Calculator vocatus eſt, ob ſubtilitates ſuas; ita enim Ludovicus Vives *l. 5. de corruptis artibus; Invectæ ſunt cavillationes ſtultarum ſubtilitatum, quas ipſi Calculationes vocant.* Scaliger *Exerc. 324.* de hoc Sviſſeto ait, illum *exceſſiſſe modum humani ingenii*, & Exercit. 340. ita de illo ſcribit: *Hic vir tam acute ſcripſit, ut a paucis plene & pro meritis intelligatur, dignus profecto, quem neque ſenium ſenem faceret, neque naturæ lex privaret vita. Illi viro maximo multa debeo, plura debiturus, ſi per ingenii mei imbecillitatem licuiſſet, non enim leviter in ejus campo nos exercuimus.* Et hic tamen Sviſſetus adeo ignoratus fuit, ut fruſtra illum in omnibus Bibliothecis quæſiverit Naudæus. Sed mirari merito debemus varietatem ſententiarum & judiciorum. Quem enim adeo in cœlum evehit laudibus Scaliger, illum, ut ſummum nugatorem, elevant Joh. Picus & Ludovicus Vives, hic *libro 5, de corruptarum artium cauſis* (ubi illi Rogerii nomen tribuit), ille autem ſubtilitates ejus vocat *quisquilias Sviſſeticas, quæ nihil ad ſciendum, vel ad uſum, conferunt.* Prolixior ejus locus adducitur a Gaddio *de ſcriptoribus Tom. 2. pag. 326.* Ejus an quicquam editum ſit, diu inquiſivi, ſed inveni tandem *de reactione Tractatum*, quem vellicare videtur Joh. Picus *dicto loco*, editus eſt ille liber hoc tit. *Richardi Sviſſet quæſtio de reactione, Venet. apud Octavianum Scotum, anno 1520. in fol.* Plura de illius ſcriptis expiſcari non licuit. Ceterum Picus exagitat infinitas ejus ſubtilitates, de motu uniformi, difformi, uniformiter difformi, difformiter difformi, de infinite raris aut denſis, de hora ſecta in partes proportionales aut hoc illo proportionis genere. Picus illa inventa eſſe dicit *ab otioſis hominibus, aliarum rerum omnium inſcientibus, ad exercendum in ſcholis guttur, ne tacendo obduceretur ſitu.* Hæc Picus, vir utique non obeſæ narit, adverſus Scaligerum, tot Autorum Hypercriticum, judicare non eſt veritus. Sed, ſi meam hic ſententiam dicere licet, judicio quantum ex titulo hujus libri colligere poſſum, rem illam non contemni debere. Motus enim doctrina infinitis modificationibus conſtat, in quibus ſi idonee ingenium exercuit Sviſſetus, profecto condemnandus non eſt. Qui diceret Picus, ſi hodie videret ſubtiliſſimas illas ſpeculationes Carteſianorum, Boylii,

atque

atque aliorum circa varios motus particularum? At hæc tamen ingenii profecto mera commenta non ſunt, ſed re ipſa fundata.

GREGORIVS de ARIMINO. Etiam ille inter Nominales celebratur, ipſi Occamo ſubtilitate non cedens. Hoc enim elogium illi tribuit editor *Logicæ Nominalium*, Anonymus Anglus. Edidit *Theologica* & *Philoſophica* varii argumenti, quæ raro in Bibliothecis comparent. 5

GABRIEL BIEL. Vixit circa annum Chriſti 1470. Scripſit Theologica & Philoſophica, Occami *libros in ſententias* in *Epitomen* redegit, & ubi ipſe vel nimis obſcurus, vel brevis, de ſuo addidit, ac interpretatus eſt mentem ejus. Commentarius ejus in Sententiarum libros editus eſt *in* 4. Brixiæ, anno 1574. tribus Voluminibus. Edidit & in Theologicis *Expoſitionem Canonis Miſſæ, in fol.* Pariſiis. Prodiit quoque eodem Autore *liber de monetis*, cum Notis Marquardi Freheri, Lugd. anno 1605. Fuit autem natione Germanus. 6

PETRVS de ALLIACO, Cardinalis Cameracenſis, ſuo ſeculo doctiſſimus habitus, vixit anno 1404. qui tamen aliquid elegantius ſapere videtur. Nam & in Mathematicis ſe exercuit, ſcripſitque *librum de ſphæra mundi*, qui editus eſt *in fol.* Pariſiis. Edidit *Commentarios* in varios Ariſtotelis libros. *Comment. in libros Meteorum*, qui prodiit Venet. anno 1509. *in fol.* Scripſit & Theologicos Tractatus, *Meditationes ſc. in 7. Pſalmos Pœnitentiales*, quæ prodierunt Pariſiis *in 12.* anno 1545. *Lib. de reformatione Eccleſiæ, & de ſqualoribus Eccleſiæ Romanæ*, editum Baſileæ, anno 1551. *Commentarium ſuper libros ſententiarum, una cum laudibus Theologiæ*, editum *in 4to.* anno 1505. *Lugd.* ac *Tractatum exponibilium de anima in 4to.* Pariſ. 1494. 7

IOHANNES GERSON, Cancellarius Pariſienſis, cujus extant varia Opera, tam Theologica, quam Philoſophica. Eraſmus de eo *l. 19. Ep. 95: Gerſonis quædam Opuſcula legi juvenis, nec omnino diſplicuit.* Ejus Opera edita ſunt *in fol.* Pariſ. 4tuor Voluminibus primum, & deinde auctiora atque caſtigatiora, anno 1606. *in fol* Scripſit *de probatione ſpirituum Tractatum*, (ss) qui reperitur in Jacobi Sprengeri *Malleo maleficarum; Regulas morales, quæ editæ ſunt Pariſiis in 12; Lib. de Valore Excommunicationis* (Latine & Italice); *de Imitatione Chriſti Tractatum*, qui editus eſt Venet. *in 8vo*, anno 1540. Edidit & illa quædam Opuſcula Politica, quæ collecta ſunt a Goldaſto *in Monarchia Imperii.* 8

IOHANNES MAJOR. Scripſit & ille Opuſcula quædam, quæ edi ſolent cum 9

(ss) Joh. Gerſonis Opuſcula *de diſcernendis veris Viſionibus a falſis, & probatione Spirituum*, occaſione Controverſiæ de Revelationibus Aſſeburgianis, Auſpiciis Rud. Auguſti. Ducis Brunſvic. Helmſtadii an. 1692. *in* 8. ab Hermanno ab Hardt, Profeſſore celeberrimo, denuo ſunt edita.

cum Operibus Gerſonis, partim Philoſophica, partim Theologica. Neſcio, an idem ſit, (*tt*) qui ſcripſit *Hiſtoriam Majoris Britanniæ*, quæ edita eſt Pariſ. anno 1521. Edidit *Comment. in 4tum ſententiarum*, Pariſiis anno 1616. *in fol.* De illo vide Gaddium *Tom. 2do de ſcriptoribus p. 55.* Recenſebo nunc, quaſi per lancem ſaturam, illos, qui ſequuntur. Quis enim in turbo ordinem obſervet? Eſt MARTINVS de MAGISTRIS, Ludovico XI. a confeſſionibus & Eleemoſynis, qui præter Theologica, ſcripſit librum *de conſequentiis in vera divinaque Nominalium Via*, quem laudat Naudæus *in Additionibus ad hiſtoriam Ludovici XI.* Ejus Opera, duobus Voluminibus *in fol. ſuper 4. virtutes Cardinales*, impreſſa ſunt Pariſ. anno 1491. Scripſit & *Commentarium ſuper ſalve Regina, Orationem S. Bernhardi.* Vocatus fuit e ſchola Pariſienſi a Rege Ludovico, ut hiſtoriam ſcriberet. Vide de eo Epiſtolas Trithemii. Ioh. CELAYA Doct. Pariſienſis dictus fuit, quoniam Pariſiis ad inſtituendam Univerſitatem Valentinam in Hiſpaniam evocatus eſt. Scripſit *Commentarium in libros Ariſtotelis de natura, una cum quæſtionibus*, qui editus eſt Pariſ. *in fol.* anno 1507. apud Emundum Febreum. Sequuntur jam multi, nomine ſolo mihi noti, uti HIERON. AB HANGESTO, cujus aliquod Opuſcula memorat Iſraël Spachius, ſine loco & tempore impreſſionis, quare dubito, an ipſe viderit. *De cauſis* ille ſcripſiſſe dicitur, & *de proportionibus, p. 345. & 354.* Ejus quoque extant *Moralia*, Pariſ. edita, apud Joh. Parvum, anno 1519. *in folio.*

10 JOHANNES RAVLINI aliqua etiam prodierunt in Philoſophicis & Theologicis, cujus *Sermones* impreſſi ſunt Pariſ. *in ſtavo*, anno 1642. duobus Voluminibus. Solebant autem illi ſermonibus ſuis miſcere ſcholaſticas ſubtilitates, quem morem reprehendit Eraſmus *l 5. Epiſtola 27. p. 522. Editionis Londinenſis*, JACOBVS ALMAIN Opuſcula quoque ſcripſit, tam Theologica, quam Philoſophica, quæ cum Gerſonis, Majoris & Petri de Alliaco, *Opuſculis*, junctim eduntur. Extant ejus *Tractatus de Autoritate Eccleſiæ contra Thomam; Expoſitio circa deciſiones quæſtionum Guilhelmi Occam ſuper poteſtate Papæ, in 8.* Pariſ. anno 1537. Nam hæc controverſia tum maxime agitata fuit a Nominalibus, de poteſtate civili adverſus Papam, & contra dicebant illis Reales, de qua re in ſequentibus plura. GEORGIVS & PETRVS BRVXELLENSES ad hanc quoque familiam pertinent. Scripſerunt aliqua in Ariſtotelem & Petrum Hiſpanum; & quidem Georgius *in Petri Hiſpani tractatus Logicos queſtiones*, Lugd. editas, una cum Petro Hiſpano, anno 1509. apud Jannotium de Campis; *Expoſitionem in Logicam Ariſtotelis per omnes Organi partes*, quæ prodiit Lugd. anno 1504. ap. Stephanum Gryad. Fuit alias dictus Crocard, teſte Spachio *in Nomenclatore pag. 629.* Petrus de Bruxellis quæſtiones in Phyſica Ariſtotelis ſcripſit, editas Pariſiis ap. Joh. Parvum, anno 1521. Scripſit & *in libros Ariſtotelis de anima Commentarium*, qui prodiit, una cum ejus *quæſtionibus in Phyſicam*, ibid. anno 1521. *in fol.* Ioh. DVLLARD, cujus extant *quæſtione, in libros Ariſtotelis de cælo* Pariſiis editæ

(*tt*) Joh. Major, Hadingtonienſis Scotus, Th. D. Pariſiis an. 1528 ſuperſtes & *Commentarii in Lib. Sentent. & Hiſtoriæ Britannicæ*, Autor eſt. V. Simleri *Biblioth. p. 393.* Bellarm. *de Scr. Eccl. p. 307.* Labbeum *de iisdem, T. I. p. 591.* Voſſii *L. 3. de Hiſt. Lat. P. I. c. 13. p. 687.*

editæ *in fol.* Ioh. Buridani *in Politica Aristotelis Commentarius* prodiit *in 4to*, Oxonii anno 1640. Scripsit & *Logicam, & in Aristotelis Ethica quæstiones.* Marsilivs de Inghen, cujus an quicquam editum sit, ignoro; quæ scripsit Opera Philosophica, habebantur manu ipsius Autoris scripta in Bibliotheca Heidelbergensi, teste Israële Spachio *in Nomenclatore, pag. 31. & 241.* Thomae Bricot, Francisco I. Regi Galliæ a Concionibus, Commentaria juncta sunt Georgii Bruxellensis *quæstionibus*, & quidem ad Petri Hispani *Tractatum Logicum* & ad *Organon* Aristotelis. Est & ejusdem Epitome *Physicæ*, cujus meminit Spachius in *Nomenclatore Philosophico, pag. 608.* Casp. Lachis scripsit nonnulla de *Syllogismo*, Parisiis edita, & in Arithmeticis quædam, nisi forte fallitur Spachius, qui illic retulit ipsum, ductus *supputationum* titulo, quo nomine tum temporis non numerorum doctrina, sed Scholasticorum Nominalium subtilitates, veniebant. Antonivs Coronel scripsit *in 12. capita libri primi poster. Analyticorum, qui Commentarius* prodiit Paris. *in fol.* Henricvs Altensteig cujas fuerit, equidem dicere non possum, quidve scripserit, novi tamen illum fecisse *Indicem in Thomam*, & si recte memini; alios quoque Scholasticos, qui usui esse possunt illis, qui in hoc sterquilinio aurum quærunt. Est & alius quidam Ioh Altensteig, qui *Artem Epistolandi* scripsit, e cujus libri titulo satis apparet, quale hic elegantiarum cornu copiæ lateat. Idem scripsit *de vocabulis barbaris*, ipse barbarus. Editus est liber ille anno 1512. Hagenoæ *in 4to*, per circumspectum virum, Rinnemannum.

Supersunt alii, quorum ego libros nunc quidem enumerare non possum, Al- 11
bertus de Saxonia, Guilhelmus de Rubione, Adamus Godsam, Robertus Holcot, Gervasius Wain Svevus, Caspar Hentesberg, quibus omnibus quoque accenset Editor ille *Logicæ Nominalium* Rodericvm Arriagam, de quo dicit, illum profiteri se quidem Nominalem, sed eorum fundamenta non intellexisse. Facit & mentionem cujusdam Ioh. Salaberti, qui defensionem Nominalium nuper susceperit, & *Logicam in Nominalium via* lingua Gallica ediderit, quem tamen hactenus ego non vidi. Ceterum autor illæ Logicæ Anglus, quisquis est, toties a nobis citatus, in terminis, & eorum formalitatibus, mire se fatigat. In quibus tamen meo quidem judicio, satis subtilium tricarum est, quarum usus aliquis in negotio Eristico esse possit.

Atque hæc de Nominalibus Scholasticis dicta sunto, quorum Secta magna 12
olim in celebritate fuit. Suo tempore illam floruisse tèstatur Erasmus *in Epistolis l. 19. ep. 9. p. 20. B.* cujus sunt varia de toto scholasticorum genere judicia, qui tamen non adeo adverso ab illis animo est. Non enim explodit illos, sed corrigi optat, & totam hanc Theologiam & Philosophiam accessione veteris veræque literaturæ locupletiorem & astigatiorem reddi cupit. Videatur ille *l. 1. ep. 22. p. 14. C. l. 11. ep. 15. p. 564. D. l. 19. ep. 38. p. 859. E. & l. 28. ep. 8. p. 1647. F.* Origo Nominalium, quæ Rucelino a quibusdam tribuitur, ab aliis ad Petrum Abelardum refertur. Sed parum quidem hæc ad nos. Sunt enim illa vetera & absoleta. Occamus alter ille, si non primus, est, sed qui hodie inter primos tamen habetur, uti Johannes Duns, Scotus

tus, Realium ſuo tempore antelignanus fuit, inter quos duos, Occamum & Dunſium Scotum, acerbæ fuerunt lites & controverſiæ, quarum tempus incidit in annum 1343. quo illæ diſſenſiones, in Oxonienſi Academia ortæ, totam illam univerſitatem in duas factiones diſtraxerunt, Aquilonarium & Auſtralium, quæ nomina jam olim factioſa, accedente novæ factionis titulo, vehementius recruduerunt. Auſtrales Occamo, Septentrionales Dunſio favebant. Neque ſubſtitit intra pulveres ſcholaſticos illa diſceptatio, ac intra Angliæ fines, ſed & in Galliam propagata eſt. Nam Occamus, in gratiam Ludovici Bavari, adverſus Pontificem Rom. ſententiam hanc publice defendebat, quod jurisdictio Eccleſiaſtica civili debeat ſubjacere, quod argumentum illo tempore diſcutere, erat ulcus tangere. Deſignatur tamen Avenione in Gallia huic palæſtræ ſcholaſticæ campus, rem acriter adverſus Occanum agentibus, tum Gallis, tum popularibus etiam Anglicis, qui ſtabant a Pontificiorum ſententia. Illis tamen omnibus ſuperior Occamus *Doctoris Invincibilis* titulum reportavit, quaſi in præmium illi e titulis Cæſareis ceſſerit. Ac magnam Pontificiæ tyrannidi plagam intulit, cum hoc dogma a ſcholæ ejus ſectatoribus propagaretur amplius, & Imperatoribus Rom. cederet in magnum beneficium. Plebs enim, his Doctorum diſputationibus commota, in dubium cœpit vocare jura Pontificis, & Imperatorum adhærere partibus. Hæc diſputatio nonnunquam in cruentos conflictus abiit, & in Academia Oxonienſi Boreales ſibi alium, alium Auſtrales, Cancellarium petiverunt, qui & dati ſunt utrique parti. Atque ita divortio illo ſciſſa fuit Academia, ſed res tamen iterum conciliata fuit, uti plenius deſcribit Antonius Wood *in Hiſtoria & Antiqq. univerſitatis Oxonienſis, ad annum ſupra dictum 1343.* Atque hanc ob cauſam credo in odium iſtud incurrit Nominalium Secta, dum paſſim adverſus illos concitarentur primum Scotiſtæ, & qui Scotiſtarum partibus favebant, Magnates & Principes. Eo tandem res deducta eſt, ut anno 1473. Rex Galliæ, Ludovicus XI. edicto publico damnaverit omnium Nominalium doctrinam, in quo diſertis verbis referuntur Guilhelmus Occam, Monachus Ciſtertienſis, quem Suiſſetum Naudæus interpretatur, de Arimino, Buridanus, Petrus de Alliaco, Marſilius Inghen, Adamus Dorp, Albertus de Saxonia, quorum ſcripta rejiciuntur, commendantur vero & permittuntur D. Thomas, Albertus Magnus, Ægidius de Roma, Alexander de Hallis, quem alii *Ales* vocant. Copia iſtius edicti, ex Archivo Academiæ Pariſienſis producitur a Gabriele Naudæo, *in Additionibus ad Hiſtoriam Ludovici XI. a p. 203. usque ad p. 224.* Omnes etiam nomen Nominalium & doctrinam eorum ejurare juſſi ſunt tam Doctores, quam Magiſtri & Cives Academiæ. Confiſcati quoque ſunt omnes Nominalium libri. Quam ob cauſam, puto, factum eſt, ut nunc tam pauci illorum Autorum libri exſtent, ac difficulter etiam in inſtructiſſimis Bibliothecis reperiantur.

23 Antequam vero ad Reales accedam, unum adhuc monendum duxi de MARIO NIZOLIO, quem inter Nominales refert Godfr. Gvilh. Leibnitzius, qui ejus librum *de veris principiis & vera ratione philoſophandi, contra Pſeudophiloſophos*, recudi fecit Francof. anno 1670. in 4to, in *Diſſertatione præliminari* operis illius. Tum & ipſe

ipse Autor; *in fine capitis 6. l. 1.* diserte se ipsum Nominalibus annumerat. Dicit enim, se Occami doctrinam & opinionem de Universalibus esse defensurum, non tamen tanquam Aristotelicam & Peripateticam, quod Aristoteles sine ulla dubitatione existimavit, & posuerit Universalia Realia, sed tanquam veram & communi omnium, tam Græcorum, quam Latinorum, recte loquentium, sermoni consentaneam. Sed ille quidem ad Nominalem referri non potest, quippe qui Aristotelem semper & in omnibus impugnat, quod non faciunt Nominales, qui Aristotelem in partes suas pertrahunt. Nam, quod Nizolius ait, Aristotelem Universalia Realia facere, id diserte ex ipso nunquam probabit. Quod vero Nizolium attinet, cujus sunt acerbæ adversus omnes sui temporis Philosophos declamationes: irratus fuit ille a M. Ant. Majoragio, cum ab ipso rerum philosophicarum plane rudis haberetur; ideoque ut famam suam vindicaret, aggressus est omnes istius ætatis Philosophos, & Aristotelis professum hostem se contestatus, totam & Aristotelis & Aristotelicorum doctrinam, ut sophisticam, traducens. Voluit vero ille omnem Philosophiam ad Oratoriam, Physicam & Logicam, reducere, cui fini immanem apparatum argumentorum struit. In Universalium doctrina ipse adeo a Nominalibus discrepat, ut plane aliam sententiam proponat; Universalia enim tantum habet pro collectione singularium, seu inductione, quod non dicunt Nominales. Multa sane tricatur adversus doctrinam Aristotelicam, de quibus ipse videri potest. Olim rarior erat ipsius liber, nunc a Leibnitzio editus parabilior est, qui breves notulas interspersit, quibus ejus doctrinam nonnunquam sub censuram vocat. Addidit ille utilissimam præfationem, de instituto operis & optima Philosophi dictione, & Epistolam de Aristotele Recentioribus conciliabili, brevem quidem, sed doctam; spectat vero præcipue ad Physica. Summum, sed ineptissimum, Nizolii argumentum, quasi Achillæum, hoc est, nullam esse Dialecticam, si universalia non sint realia, cum tamen ipsi nominales Dialectica Aristotelis usi sint. Et recte quidem; nam, licet in nominibus saltem, secundum illorum sententiam vera hæc sint, nihilominus tamen seorsim ita tractanda, quoniam nominibus istis in explicandis rebus utimur. Accenset Nominalibus Leibnitzius in eadem præfatione THOMAM HOBBESIVM, quem ille ipso Occamo Nominaliorem, & plus quam Nominalem vocat, qui non contentus cum Nominalibus Universalia ad nomina reducere, ipsam rerum veritatem ait in nominibus consistere, ac, quod majus est, pendere ab arbitrio humano. Quæ bella ejus sententia, quanquam laudat eam Leibnitzius, monstri aliquid alit, ac plane nequam est. Immania enim ex uno summo paradoxo fluunt absurda. Logica certe, quam tractat Hobbesius, a vocibus & terminis incipit, nec communi illa methodo procedit.

Hæc de Nominalibus sufficiant. Quod doctrinam Scholasticorum in universum attinet, legendus omnino de illis est Georg. Calixtus in *Apparatu Theologico, cap. de statu, studiis & Doctoribus Ecclesiæ, pag. 139. & seqq.* ubi secundum seriem Ordinum sacrorum, ὡς ἐν ἐπιτομῇ, recenset Doctores Scholasticos, & utilissima quædam de eorum scriptis & usu affert, illud inprimis in ipsis laudans, quod, in capita-

libus iſtis diſſidiis ſuis, & in maximo ſua tuendi ſtudio, non niſi rationibus & argumentis pugnent, omnibus convitiis & maledictis abſtineant, quod non faciant noſtrorum temporum Theologi. Sed reſponderi poterit Calixto, non usque adeo profeciſſe hos homines in caninæ Eloquentiæ apparatu, quo inſtructius eſt noſtrum ſeculum. Quia enim bene dicere non poterant barbari homines, nec male dicere didicerunt; niſi enim elegantia ingenii & ſtyli ornet cavillos, frigida omnia erunt & inſulſa. Ejus tamen doctrinæ ſtudium magnopere illic commendat, monſtratque, quid in illa fugere, quid amplecti debeamus.

CAP. XIV.

DE SCHOLASTICIS REALIBVS.

§. 1. *Princeps horum eſt Pet. Lombardus, de cujus Vita,* Libris ſententiarum, *& ſcriptis aliis, plura afferuntur, Scholaſticosque ſimul antiquiores & recentiores intermediis multo eſſe ſaniores, monetur. Sequuntur Alex. ab Hales, primus in* Sententias *Commentator, Pet. Comeſtor.* 2. *Albertus Magnus, de cujus Vita, rerum naturalium peritia, ob quam Magiæ eſt inſimulatus, interiori, πολυγραφίᾳ, ſcriptis genuinis ac ſuppoſititiis, diſcipulisque, pluribus diſſeritur.* 3. *Thom. Aquinas.* 4. *Bonaventura.* 5. *Matth. Aquarius, D. Thomæ interpres recentior.* 6. *Durandus a S. Portiano, a Guilh. Duranto, Speculatore, diſtinguendus.* 7. *Æg. Romanus.* 8. *Joh. Duns, Scotus, a quo Scotiſtæ orti, quorum lites cum Thomiſtis obiter tanguntur.* 9. *Hier. de Ferrariis, LL. CC. in Scoti Opera Scriptor.* 10. *Ant. Sirectus & Franc. Aretinus,* Formalitatum *Scoti Collectores.* 11. *Joh. Ponzius,* Curriculi Philoſophiæ Scotiſtici *compilator.* 12. *Claud. Fraſſen, Philoſophiæ Scotiſticæ illuſtrator, Paulus Leonhardus, Jeſuitarum Thomam ſectantium encomiaſtes.* 13. *Barthol. Maſtrius & Bonav. Bellutus, doctrinæ Scoti vindices. Joh. Ponzius plagii a Maſtrio accuſatur.* 14. *Joh. de Rada, Thomæ ac Scoti conciliator.* 15. *Joh. Lalemandet, controverſiarum inter Thomiſtas & Scotiſtas, Nominales & Reales, arbiter. Judicium ejus de doctrinæ Nominalium & Realium differentia, uti & de Arte Lulliana.* 16. *Mart. Meuriſſe, Metaphyſicus Scotiſta.* 17. *Petrus Hiſpanus, ejusque* Summularum Logicarum *Commentatores, Joh. Verſorius & Pet. Tartaretus.* 18. *Domin. de Flandria, Thomiſta.* 19. *Joh. a S. Thoma, Thomiſta.* 20. *Mich. Zanardus, Thomiſta.* 21. *Domin. Bannez, Thomiſta.* 22. *Nicol. de Orbellis, Scotiſta.* 23. *Barthol. a Medina, & quem is valde extollit, Franc. Victoria, Thomiſtæ.* 24. *Joh. Paulus Nazarius, Thomiſta.* 25. *Did. Nugnocabezudo, Thomiſta.* 26. *Domin. a Soto, Thomiſta.* 27. *Jac. Granadus, Thomiſta.* 28. *Collegium Complutenſe Thomiſticum.* 29. *Franc. Murcias, hujus epitomator.* 30. *Paulus Vallius, Thomiſta.* 31. *Euſtach. a S.*

a S. Paulo. 32. Bernh. Moriſanus. 33. Paulinus Soncinas. 34. Rob. de Sorbona, Sorbonæ Pariſienſis conditor. 35. Sylv. Prierias, Thomiſta. 36. Balth. Tellez, Thomiſta. 37. Franc. Mayro, Scotiſta. 38. Franc. Sylveſter. 39. Matt. Borull. & Paulus Leonhardus, de Scientia Media *commentati. 40. Pet. Hurtadus de Mendoza. 41. Franc. a Victoria. 42. Gabr. Vasquez, Thomiſta. 43. Franc. Suarez. 44. Ant. Ruvio, Thomiſta, a cognomine Erasmi adverſario diſtinguendus. 45. Greg. de Valentia, Thomiſta. 46. Franc. de Oviedo, Thomiſta. 47. Rodericus de Arriaga. 48. Ant. Polus, Novator in doctrina de Anima, & ſententiæ Ariſtotelis de Via Lactea defenſor ineptus. 49. Phil. a Sanctiſſ. Trinitate, Thomiſta. 50. Chriſt. Javellus, Thomiſta. 51. Jac. Fournenc, Novator in doctrina de Anima, quam materialem eſſe, & ſe ipſam multiplicare, conjicit. Qua occaſione Cl. Salmaſii Digreſſio Hiſtorica de Doctrina Pſychologica commendatur. 52. Pet. a S. Joſeph, Thomiſta. 53. Did. Maſius. 54. Melch. Cornæus. 55. Joh. Schulerus, Semi-Scholaſticus Carteſianus. 56. Did. Alvarez. 57. Greg. Sayrus, Caſuiſta. 58. 59. 60. Lud. Molina, Joh. de Lugo & Leonh. Leſſius, Jeſuitæ*, de Juſtitia & Jure *commentati. 61. Joh. Azorius, Caſuiſta. 62. Aug. a Clauſio, Caſuiſta Thomiſticus. 63. Jac. Zabarella, a Joach. Jungio impugnatus. 64. Franc. Titelmannus. 65. Ant. Scaymus, qui Alex. Aphrodiſæi* Comment. in Metaph. Ariſtotelis *judicat eſſe ſuppoſititium. 66. Joh. Bapt. Monlorius. 67. Rob. Balfoureus. 68. Joh. Cottunius, non Interpres ſolum Ariſtotelis, ſed Epigrammatographus inſignis. 69. Jul. Pacius. 70. Hub. Giſanius. 71. Ant. Roccus* (*de cujus* Tr. de Immortalitate Animæ, *materialitatem ejus adſtruente, ſertur judicium,*) *Interpretibus Ariſtotelis potius, quam Scholaſticis, una cum VI. præcedentibus*, §. 65-70. *celebratis, accenſendus. 72. Chriſtoph. Binderus, doctrinæ Scholaſticorum cenſor. 73. Plerique Scholaſticorum Angli aut Hiſpani fuere, quod a Guilh. Cambdeno Gallis eſt exprobratum.*

AD REALES SCHOLASTICOS accedimus, quorum princeps PETRVS LOMBARDVS habetur, peculiari nomine Magiſter ſententiarum dictus: ſcripſit enim *Sententias.* Fuit Epiſcopus Pariſienſis, & anno 1140. vixiſſe creditur. Frater Gratiani & Petri Comeſtoris, e cujus ipſo nomine quis crediderit non fuiſſe jejunum Philoſophum. Hos ex adulterio quidam natos volunt, quanquam dubia plane fide: plane enim diverſæ nationis fuiſſe, quidam opinantur. De Pet. Lombardo dubitatur, an genuinus fuerit *Sententiarum* Autor; putatur enim a Pet. Abelardo confectum fuiſſe hoc Opus, cui ille per plagum furripuerit. Refertur quoque ad quendam Bandinum; ſed obſcura illa omnia ſunt. Sunt in iſto Lombardo multa ſana, quibus Pontificiorum doctrina impugnari poteſt. Eraſmus quoque, *l. 28. ep. 8. p. 1634. B.* opus illud genuinum eſſe Lombardi, in dubium vocat. Frid. Spanheimius, *in Epitome Iſagoges ad Hiſtoriam N. T. p. 685.* Lombardum Damaſcenum imitatum fuiſſe, exiſtimat. Fuit autem Joh. Damaſcenus Græcus, Græceque ſcripſit, anno C. 730. Ad ejus imitationem Lombardus. pari arte ac methodo, parique inſtituto, in compendium redegit Theologiam ejus temporis, collatis I

ſententiis Patrum; quem inter Latinos ſecuti poſtea fuerunt Lanfrancus, Anſelmus, & Hugo de Sancto Victore. Prodierunt Petri Lombardi *Sententiæ* Lovanii, anno 1576. *in 4to*, & Pariſ. *in 8vo*, anno 1577. Scripſit itidem *in Pſalmos Commentarium*, qui prodiit Pariſ. *in fol.* anno 1541. & alium *in Paulum*, qui itidem prodiit *in fol.* anno 1537. Hæc prima Scholaſticorum ætas; multo tamen ſanior fuit media illa ætate: prima enim rerum harum tractatio non tantum ſordium admiſtum habuit, utpote quæ fonti erat propior. Ariſtotelis enim vel parca eſt, vel nulla, in Theologicis mentio. Poſtea vero Dogmata Theologica adeo intricata & implexa fuerunt Ariſtotelis ſententiis, ut pene nullus eſſet ſcripturæ locus. Recentior illa Scholaſticorum ætas, cum ſeculo cultiori, cultior quoque ipſa facta eſt, & nunc quidem, in Commentariis ſuper Thomam, Scotum, Pet. Hiſpanum, ſcriptis, plus doctrinæ oſtentat, & plus ſcripturæ, quod olim adeo in votis habebat Eraſmus, ut politior literatura accederet his ingenii commentis, non omnino vanis & rejiciendis, ſi ſaniore via docerentur. Primus in Lombardum commentatus eſt ALEX. HALENSIS, vel DE HALES, qui vixit ſeculo ſequenti, anno 1245. dictus *Doctor Irrefragabilis* & *Fons vitæ*, qui & præterea librum ſcripſit de Autoritate Verbi Dei, editum Pariſ. in 8. anno 1542. PETRVS COMESTOR, ſive *Manducator*, Gallis *Le Mangeur* dictus, Magiſter Philoſophiæ Scholaſticæ. & ideo Comeſtor dictus, quod omnes Scholaſticos devoraverit, quem elegantius Latina lingua helluonem librorum dicemus. (*m*) Scripſit vero *Hiſtoriam V. & N. T.* additis multis traditionibus & fabulis, *Hiſtoria* hæc *Scholaſtica* prodiit in 8vo. Lugd. anno 1543.

2 ALBERTVS MAGNVS. Prodeat nunc Germanicæ gentis decus, ALBERTVS, merito *Magnus* dictus, omnium illorum argutiorum Scholaſticorum princeps & pater, Thomæ Aquinatis præceptor, e cujus fonte omnes pene rivulos ſuos derivarunt ut ille ex Alberti M. Oceano. Fuit ille genere illuſtris, ortum trahens e Sveviæ Regulis, docuit Pariſiis & Coloniæ Agrippinæ, ac unus pene Bibliothecam ſcripſit, cujus omnes Tomi 200. marcarum pretio conſtant. Fuit ille vir argutus, nec in nudis ſpeculationibus ſubſtitit, ut ceteri faciunt Scholaſtici, ſed multa impendit in res Naturales & Mathematicas, quarum ad miraculum fuit peritus, adeo ut pro Mago ab imperitis haberetur; in quam ſuſpicionem facile apud ineruditos ingenioſior quis incur-

(*m*) De Petro Comeſtore nonnulla hic minus accurate traduntur. Non ſolet is *Philoſophiæ*, ſed *Hiſtoriæ Scholaſticæ*, *Magiſter* ſalutari, nec agnomen obtinuit *Comeſtoris*, *quod omnes, devoraverit Scholaſticos*, ſed potius (quæ verba ſunt Joh. Trithemii, a Georg. Calixto, *in Tr. de Autorit. S. Scripturæ P. II. §. 78. p. 142.* alisque repetita), *quod Scripturam autoritates, in ſuis Sermonibus & Opuſculis, crebrius allegaret, quas in ventrem memoriæ mandando repoſuiſſet.* Aliter ad agnomen hoc alluditur in Epitaphio ejus ſequenti, quod teſte Franc. Swertio *in Deliciis Orbis Chriſtiani p 759.* in Æde S. Victoris Pariſienſi legitur:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comeſtor,
Nunc comedor Vivus docui, nec ceſſo docere
Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum
Quod ſummus, iſte fuit, erimus quandoque, quod hic eſt.

incurrit. Scripſit de Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtrologia, de quibus omnibus parum ſolliciti fuerunt ceteri. Formatio illius capitis ænei Mechanica, quod loqui potuit, arguit interiorem Mechanices & Anatomes peritiam, iſto ſeculo plane inuſitatam. A magiæ ſuſpicione ſtrenue ipſum defendit Naudæus, *in Apologia Virorum doctorum, magiæ inſimulatorum.* Ad illum ſolet referri ſecunda Scholaſticorum ætas. Opera ejus, quæ ſcripſit, recenſentur a Joh. Jac. Boiſſardo in *Iconibus Virorum Illuſtrium.* Præter Commentarios in libros ſacros, & philoſophica, ſcripſit *Commentarium ſuper ſententias Lombardi* & *Summam Theologiæ. Liber de ſecretis mulierum* & nonnulla alia, creduntur ipſi affingi. Publicata quoque ſunt Chymica ſcripta ſub ejus nomine, quæ ſuppoſititia putat Naudæus, cui hac quidem in re fidem non habeo. Nam ille Chymicorum hoſtis eſt: ac fuit tum temporis apud multos arcanior rerum naturalium ſcientia, quam nunc in aprico ſepoſitam habere putant lyncei noſtri. Fuit Epiſcopus Ratisbonenſis. Diſcipulos, ut diximus, habuit Thomam Aquinatem & Bonaventuram, qui Scholaſticam illam doctrinam ſuo tempore authenticam fecerunt, de cujus uſu in Theologia, ut obiter hoc memorem, elegantiſſimam Orationem ſcripſit Franc. Vovaſſor, e S. I. quæ eſt inter reliquas ejus *Orationes decima.*

D. THOMAS AQVINAS. Alpha Scholaſticorum, cui horribilia paſſim elogia ſuſpenduntur a ſuis. Nam ex hominum ordine ſemotum plane Angelum faciunt, & pene Deum. Familiaris enim ejus titulus, ut omnibus quaſi quidam Character tunc temporis imprimebatur, eſt, quod vocetur *Doctor Angelicus.* In ipſis Pontificum Decretis maxima ejus leguntur elogia. Vocatur *plus, quam Salomon, Interpres divinæ voluntatis, matutinus Luciſer, quaſi Luna ſapientia & moribus, & veluti Sol oriens mundo.* Solis autem elogium mirifice placuit cuidam Aettelbergero Rettenbachenſi, qui Panegyricum in ipſum ſcripſit, in quo, ut Solem oſtenderet eſſe Thomam ſuum, per duodecim cœli domos deduxit pro ingenii ſui acumine, quidque, in ſingulis illis ſignis, hoc ſigno dignum præſtiterit Hercules ille, oſtendit, cujus itidem feruntur 12. labores. Panegyricus ille editus eſt Patavii, anno 1642. *in* 4. typis Pauli Frambotti. Ejus vita extat, a Monacho quodam deſcripta, in Bibliotheca noſtra Kilonienſi, in qua mirificæ ſunt fabulæ de miraculis ejus. Opera, quæ ſcripſit, & magna & multa ſunt, quæ 18 Tomis *in fol.* compinguntur. Librorum illorum titulos recenſet Autor *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothan. pag. 648.* Edita autem ſunt Opera illa omnia Romæ *in fol.* anno 1570. Partes illorum Operum, & libri ſingulares, diverſis locis plurimi editi ſunt, & quidem charactere Gothico. *Summa* ejus *Theologiæ*, Lovanienſium & Duacenſium Theologorum opera caſtigatior, & a falſis S. Patrum citationibus repurgata, prodiit Lugd. anno 1655. *in fol.* apud Johann. Baptiſtam Devenet, cum 5. Indicibus, primo locorum ſcripturæ, ſecundo locorum Communium, tertio rerum aliarum, quarto Refutatorio Hæreticorum, quinto Practico ad Evangelia & Epiſtolas. Atque hæc ſunt Theologiæ Scholaſticæ quaſi altera Biblia. 3

BONAVENTVRA. Fuit & ille diſcipulus Alberti M. & tandem Cardi- 4

nalis, cujus extant *Commentarii in Lombardi libros ſententiarum*, in quos ipſe etiam Thomas, & multi alii, ſequentibus temporibus ſcripſerunt. Scripſit varia Opera Theologica, quæ recenſentur *in Compendio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothano, pag. 648.* & edita ſunt 4. *in fol.* voluminibus, vel 8. *Tomis*, e Typographeo Vaticano, Romæ anno 1588. Prodierunt & Opuſcula quædam ſeorſim per Henricum Sedulium, Antwerpiæ *in 4.* anno 1660. in quibus & liber ejus *de vita S. Franciſci. Commentarius in libros ſententiarum* Norimbergæ prodiit, apud Anton. Coberger, anno 1500. charactere Gothico.

5 MATTHAEVS AQVARIVS. Longe quidem ab his diſtat ille in Gymnaſio Neapolitano Metaphyſices Profeſſor, ſed tamen nunc nobis recitatur, tanquam Index quidam & Interpres D. Thomæ. Scripſit enim utiliſſimum in hoc genere librum, cui titulus eſt: *Formalitates juxta Doctrinam Doctoris Angelici.* Quo in libro agit de terminis Thomæ uſitatis. Prodiit ille, cura Alphonſi de Marcho, Averſani, Neapoli anno 1605. *in fol.*

6 DVRANDVS a SANCTO PORTIANO. Etiam ille inter antiquos Heroas Scholaſticos eſt, vixitque anno 1320. Scripſit *Commentariorum libros 4. in Petri Lombardi ſententias Theologicas*, primum per Nicolaum a Martumbos, & poſtea per alios quosdam Doctores, emendatos, qui prodierunt Antwerpiæ, anno 1567. *in fol.* Ejus meminit Trithemius *in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.* Fuit Ordinis prædicantium, & Anicienſis Eccleſiæ Epiſcopus, quem *magnum Declamatorem ſermonum* ille facit. Solent cum illo quidam confundere Speculatorem, cui Guilhelmi Durantii nomen eſt. (xx) Ille Speculum Juridicum ſcripſit, quam ob cauſam *Speculator* vocatur, quo continentur, quæ ad proceſſum & fori obſervantiam ſpectant.

7 AEGIDIVS ROMANVS, Ordinis S. Auguſtini, & illuſtris generis. Vixit anno 1290. Fuit Thomæ auditor, ejus defenſor acerrimus, multaque in illius dogmata ſcripſit, ſed tamen illa Commentariis ſuis ſuper Ariſtotelis quosdam libros immiſcuit. Ejus extat *Commentarius in libb. 8. Phyſicorum, de cœlo, de generatione & corruptione, in libros Meteororum, de anima, parva Naturalia*, editus *in 8.* Urſellis anno 1604. *Quæſtiones* illius *Metaphyſicales* Venet. prodierunt anno 1501. d. 7. Octobris. *Commentarius in Rhetorica vero Ariſtotelis*, una cum Alpharabii *Compendioſa Declaratione*; addita quoque Ariſtotelis *Poëtica*, cum Averrois in eandem *ſumma.* In his tamen ſordibus aliqua invenias ſæpe, quæ non ſpernas, inprimis in argumento illo, ubi de moribus & affectibus agit Ariſtoteles. Editus eſt *Commentarius* ille an. 1515. Venetiis *in fol.* charactere Gothico. Scripſit & *Quodlibetum variarum quæſtionum*, editum Venetiis anno 1502. *in fol.* Adduntur Operi *Theoremata* ejusdem *de corpore Chriſti*,

(xx) De Durandi a S. Portiano confuſione cum Guil. Durando, aliisque Ὁμωνύμοις, plura invenies in *Homonymoſcopia* noſtra, *P. II. c. 6. §. 33. p. 556. 557.*

Chriſti, & Guilhelmi Occami *Tractatus de Sacramento Altaris.* Peculiare illi elogium tribuitur, quod appellatur Doctor fundatiſſimus. Habent enim omnes Scholaſtici ſuos titulos. *(yy)* Bonaventura, cujus ſupra mentionem fecimus, vocabatur *Seraphicus*, an forte in invidiam Thomæ, qui *Angelicus*, & hujus Seraphici præceptor.

8 IOHANNES DVNS, SCOTVS. Vixit ille eodem tempore, cognomenque habuit *Doctoris & Magiſtri ſubtilis*, a quo orta eſt peculiaris Scotiſtarum Secta, uti a Thoma Thomiſtarum. Perpetuus fuit Thomæ impugnator, habuitque ſuos aſſeclas & cum Thoma conciliatores. Legi poteſt ejus ſingulare elogium [illegible] ſcriptiones Petri Labbe, uti & alia aliorum, Alberti ſcilicet, Thomæ S. Bonaventuræ argutiora, quam merebatur horum hominum barbaries. Ejus ſunt *Commentarii in Lombardi ſententias*, editi charactere Gothico *in 4to*, quatuor Voluminibus, Venet. anno 1481. De ceteris ejus Operibus vid. Abr. Bzovii *Annales, Tomo 15. p. 765.* ubi habetur Apologia pro Bzovio, contra editorem Operum Scoti. *Recentior Commentariorum in ſententias*, ceterorumque operum Scoti, editio procurata eſt ab Hugone Cavello. Atque ille eſt, quem impugnavit Bzovius; pro *Cavello vero & Scoto Apologiam* iis præfixit Hugo Magneſius, ejusdem Ordinis Minor; prodiit hæc noviſſima editio Coloniæ anno 1635. Cauſæ, ob quas impugnata fuit doctrina Scoti, multæ ſunt, inprimis aſſertio illa de immaculata Virginis conceptione, impugnata præprimis a Janſenio. Hiſtoria illarum litium habetur in *præfatione ad lectorem*, quam præmiſit *Apologiæ* ſuæ Hugo Magneſius, in qua potiſſima, quæ ad has controverſias ſpectant, recenſentur.

9 MAGISTER HIERONYMVS de FERRARIIS. Utiliſſimus ejus viri liber eſt, & Indicem præſtat in Joh. Scoti Opera, cujus titulus: *Loci Communes ex libris ſententiarum, & Quodlibeticis Johann. Dns, Scoti, diligentiſſime collecti*, in quibus non ſolum omnia, quæ ſunt ſcitu digna, per modum Repertorii indicantur, ſed etiam ſententiæ, ad dogmata, & Caſuum deciſiones, pertinentes, continentur, adjectis propoſitionibus a Scoto contra D. Thomam aſſumtis, quas Johann Capreolus confutavit, aſteriſco demonſtratis. Opus hoc uſui futurum eſt non ſolum illis, qui Scoti, ſed & qui Thomæ doctrinam profitentur. Singulis lemmatibus, vel ſententiis adjiciuntur Notæ quædam. Ita SP. ſignificat Scoti propriam opinionem, T. ſignificat Thomæ ſententiam; per P. H. notatur Ariſtotelis Opinio: per A. U. Avicennæ ſententia; per C. O. M. Commentator Averrois, per O. P. vel, O. P. I. N. notantur aliorum opiniones, quæ a Scoto reprobantur. Literæ D. U. B. notant dubitationes, opinionibus inſertas. Denique hoc opus ita comparatum eſt, ut omnibus Scoti editionibus adaptari poſſit. Autor eſt Mag. Hieron. de Ferrariis Fontanus, Viglevenenſis, Ordinis prædicantium, excuſusque eſt liber Venet. anno 1597. *in 4to*, apud Joh. Baptiſtam & Joh. Bernhardum Seſſam. Errores typographici multi admiſſi ſunt, ob Typothetarum incuriam, quos excuſat Typographus. Præmiſſa eſt huic libro

(yy) De Scholaſticorum Titulis, ſive Agnominibus Hyperbolicis, plura congeſſimus in Homonymoſcopia, *P. III. cap. V. §. 10. 11. 12. p. 675-684.* Conferatur de iisdem Adr. Bailetus, *T. I. des Jugemens des Sçavans, P. I. cap. 5. p. 204-217.* in rationes etiam Agnominum, Scholaſticis potioribus impoſitorum, inquirens.

libro præfatio erudita Gaſcalini Regiſelmi, qua Theologiam Scholaſticam adverſus hæreticos, ut vocat, defendit. Docta eſt, & multa habentur in illa ad hiſtoriam Philoſophiæ Scholaſticæ illuſtrandam utilia.

10 FRANCISCVS ARETINVS. Produximus ſupra Autorem, qui *Formalitatem D. Thomæ* ſcripſerat, i. e. Expoſitionem de terminis Thomæ uſurpatis. Ad eundem modum *de Formalitatibus* Scoti ſcripſit quidam Mag. Antonius Sirectus, in quem *librum Commentarium* alium edidit Franciſcus Aretinus, Ordinis Minorum de Obſervantia Generalis Definitor, ac Hetruriæ Ducis Theologus ac Confeſſionarius, *in quo*, ut tit. habet, *difficultates quamplurimæ & controverſiæ, quæ inter Scotiſtas verſantur, facillime reſolutiſſimeque explicantur*, prodiit ille liber Venet. ap. Joh. Antonium & Jac. de Franciſcis, anno 1606. *in 4to.*

11 IOHANNES PONZIVS. Ut Thomas habuit dogmatum ſuorum epitomatores, de quibus in ſeqq. plura, ita & Scotus. Nam, poſt multorum Commentarios in Scotum, & conciliationes cum Thoma, de quibus in ſeqq. agemus, Joh. Ponzius, Corcagia Hibernus, Ordinis fratrum Minorum, S. Theologiæ Lector jubilatus, & olim in Collegio Romano vel Iſidori primarius Prof. *Curriculum Philoſophicum ex doctrina Scoti*, concinnavit, cui tit. *Philoſophiæ ad mentem Scoti Curſus integer, primum editus in Collegio Rom. fratrum Minorum Hibernorum*, poſtea *ab ipſo Autore, in conventu magno Pariſienſi, recognitus, inſuperque morali Philoſophia, variisque Editionibus, locupletatus*; prodiit Lugd. ap. Joh. Antonium Huguetanum, & Marcum Anton. Ravau, an. 1559. *in fol.* Proponit autem in iſto libro non tantum doctrinam & theſin Scoti, ſed & adverſus adverſarios defendit.

12 CLAVDIVS FRASSEN. Perſequemur nunc Autores aliquos præcipuos, qui doctrinam Scoti dogmatice propoſuerunt. Inter eos eſt CL. Fraſſen, Minorita Peronenſis, & in majori conventu Pariſienſi Philoſophiæ Prof. Is librum edidit, cui tit. *Philoſophia Academica, quam ex ſelectiſſimis Ariſtotelicis & Scotiſtis, rationibus ac ſententiis, brevi ac perſpicua methodo, adornavit.* Liber ille editus eſt Pariſ. ſumtibus Dionyſii Therri, *in 4to*, anno 1657. Laborat in illo Autor iſte, ut ſtrictam brevitatem cum ſolida claritate connectat, omiſſis Autorum prolixis allegationibus, quæ apud Scholaſticos iſtius temporis pene ita in morem abierunt, ut nunc apud JCtos. Breviter quoque defendit Scotum ſuum, vindicatque ab impugnationibus aliorum. Thomiſtæ & Scotiſtæ pertinaces inter ſe habuerunt controverſias, de quibus, earumque hiſtoria, videatur paſſim Antonius Wood *in Hiſtoria Univerſitatis Oxonienſis.* Jeſuitæ tamen præcipue Thomæ doctrinam ſecuti ſunt, quos ob eam cauſam vehementer commendat Paulus Leonardus, Hibernus, Prof. Theologiæ Menapienſis, *in libro Reſponſionum ad Expoſtulationes recentium quorundam Theologorum, contra ſcientiam mediam* (qui prodiit anno 1644. *in 4.* Lugd.) *Parte 2da, Sect. 12.* ubi omnem Jeſuitarum Thomiſtarum familiam, Svarezium, Molinam, Vasquezium, Gregorium de Valentia, Fonſecam, aliosque Thomæ Commentatores, plenis buccis laudat.

laudat. Idem Autor, *part. 3. ſect. 5. n. 23. & part. 2. ſect. 12. n. 29.* plura habet de veteribus Thomæ adverſariis, & *ib. n. 54 & 58.* de Thomiſtarum recentiorum heterodoxia, & a veteribus diſcrepantia, quæ omnia ad hiſtoriam horum hominum accuratius pernoſcendam pertinent.

BARTHOLOMAEVS MASTRIVS. Barth. Maſtrius de Meldula, & 13
Bonaventura Bellutus de Catana, ille Ordinis Minorum, hic Siciliæ provincialis ejusdem Ordinis, ediderunt junctim *Diſputationes in Organon Ariſtotelis, quibus ab adverſariis veteribus Scoti Logica vindicatur*, quarum altera editio prodiit Venet. apud Marcum Ginammum, anno 1646. *in 4to* Præmiſſa eſt huic libro præliminaris quædam Diſſertatiuncula de doctrina Scotiſtica, cœlitus & humanitus approbata & commendata, in qua recenſentur omnes miraculoſæ apparitiones & monitiones de doctrina illa, de quibus ipſi Autores viderint. Allegantur multa virorum doctorum & illuſtrium elogia, quæ omnia ad hiſtoriam hujus doctrinæ conducere poſſunt. Ejusdem Maſtrii, ſed non cum fratre ſuo juncti, extant *Diſputationes in 12. libb. Ariſtotelis Metaphyſicorum*, in quibus Scoti Metaphyſica doctrina vindicatur, editæ Venetiis an. 1646. *in 4to.* In præfatione ad Lectorem de Pontio Scotiſta, de quo ſupra vidimus, queritur, quod in *curſu* ſuo *Philoſophico*, nomine ſuo ſuppreſſo, ſua quædam deſcripſerit, & in quibusdam ſe nominatim inſectatus fuerit. *Tomus poſterior Metaphyſicorum* anno ſequenti 1647. eſt editus. Ejusdem extant *Diſputationes in libros de cœlo & Meteoris*, quibus itidem Scotum defendit, cujus laboris ille ſocium habet Bonaventuram Bellutum. Editæ ſunt illæ Venet. ap. Marcum Givanium, anno 1640.

IOHANNES de RADA, Arragonius, Epiſcopus Pactenſis, & in Salman- 14
ticenſi Academia Theol. Prof. conciliatorem agit inter Thomam & Scotum, in controverſiis Theologicis; Tit. eſt: *Controverſiæ Theologicæ inter S. Thomam & Scotum ſuper 4. libb. ſententiarum, in quibus pugnantes ſententiæ referuntur, potiores difficultates elucidantur, & reſponſiones & argumenta Scoti rejiciuntur.* Autoris hujus conſilium expoſitum vide in præfatione hujus libri, cujus partes ſunt 4; prodierunt autem Coloniæ Agripp. anno 1620. *in 4to*, apud Joh. Crithium. Liber utiliſſimus eſt, & in hoc argumento palmarius.

IOHANNES LALEMANDET. Etiam ille conciliator inter Thomi- 15
ſtas & Scotiſtas eſt, qui tamen ea libertate utitur, ut neutri ſe ſectæ interdum applicet, ſuasque ſententias proponat ac ſtabiliat, deſtructis communium opinionum fundamentis. Fuit ille Burgundus Sequanus, & Ordinis Minorum S. Franciſci de Paula per Germaniam, Bohemiam & Moraviam Provincialis. Ejus extant *Deciſiones Philoſophicæ;* ita enim inſcribit. Earum partes ſunt tres, prima *de Logica*, ſecunda *de Phyſica*, tertia *Metaphyſica. Logica* & *Phyſica* prodiit Monachii *in folio*, apud hæredes Cornelii Leyſeri, anno 1644. *Metaphyſica* ibidem anno 1645. Liber ille utiliſſimus eſt, nam quaſi per compendium proponit omnem doctrinam Thomiſtarum, Scotiſtarum & Nominalium. Quod Nominales attinet, diſtinctiſſime illorum propoſuit ſententias, earumque differentias a ceteris, ſuo interpoſito ubique judicio, ut equidem non meminerim, ab alio quodam Autore ſimile quid factum. Parti ejus primæ,

Logicæ ſc. adjicitur *Examen Dialecticæ Ariſtoteliceæ, Nominalium, Realium, Ramæ, & Lullianæ*, de quibus ſingulis ille utiliſſima attulit. De initio Nominalium, & de ejus doctrinæ differentia a Realibus, agit prolixe. Nominales ſc. ait diſputare de rerum conceptibus, terminis & nominibus; de rebus ipſis Reales, e. g. cum de homine diſputatur, Nominales intelligunt conceptum naturæ humanæ, vel nomen & terminum *homo:* Reales vero naturam humanam ipſam. Comparat itaque Reales & Nominales illis, qui vel abſolute ſummam ſupputant, vel calculis utuntur. Nominales, ait, terminis pro rebus ipſis uti, ut ſi Arithmeticus velit uti calculis ad ſummam aureorum eliciendam: Reales vero ipſos aureos nummos numerare & ſubducere. Mentionem hic facit de veteribus quibusdam Sectis Scholaſticorum, nunc abolitis, quæ apud ipſum prolixius legantur. Adducit deinde omnia illa capita ſententiarum per partes, in quibus Nominales a Realibus diſcrepant, & in quibus conſentiunt. Hæc ubi recenſuit, ſingulis ſuum judicium ſubnectit. De Doctrina Rami & Lullii omnia in utramque partem argumenta adducit, &, quod Lullium attinet, non quidem e diametro Ariſtoteli contrarium, ſed generaliores quosdam terminos commentum, recte judicat, illam doctrinam potius inſervire extemporali & tumultuario ſermoni, quam accuratæ & philoſophicæ diſputationi. In Phyſicis & Metaphyſicis ſubjicit ſemper quoque Nominalium doctrinam Thomiſticæ ac Scotiſticæ, ut hic Autor inſtar omnium eſſe poſſit. In Nominalium Sectæ dogmatibus, ut & in ceteris, qui junxerit Sectarum illarum dogmata, nemo hactenus fuit.

16 M. MEVRISSE. Frater Martinus Meuriſſe, Royenſis, Ordinis Minorum Doctor, & Prof. Theologus Pariſienſis, *Metaphyſicam* ſcripſit *ad mentem Doctoris ſubtilis;* Tit. libri eſt: *Rerum Metaphyſicarum libri 3.* Prodiit Pariſ. ap. Dion. Moreau *in 4to,* anno 1623. Cui Operi magnifica elogia ſuſpenduntur ab encomiaſtis, Poëtis nonnullis non contemnendis.

17 PETRVS HISPANVS. Inter antiquiores ille eſt, ac neſcio quomodo prætervisus, tam Oſiandro, quam Alſtedio, in Scholaſticorum Chronologia. Floruit an. 1272. Epiſcopus Tuſculanus a nonnullis habetur. Helvicus illum poſtea Pontificem factum eſſe ait, de quo tamen, certo quod pronunciem, non habeo; Gaddius certe dignitatis ejus non meminit, qui talia tamen diligenter annotare ſolet. *(zz)* Celebris eſt *libro ſummularum*, quo nomine innuitur Compendium allquod Summæ. Suis enim libris Compendium Dialectices proponit, cum alii integra opera *ſummas* vocent. Hinc ſolet Summulator dici. In eum extant diverſorum Commentarii, Joh. Verſorii, Prof. Colonienſis, & Petri Tartareti, Pariſienſis. Petri Hiſpani *Summulæ Logicales*, cum Verſorii *expoſitione*, & *Parva Logicalia*, eidem adſcripta, prodierunt Colon. ap.

(zz) Petrum hunc Hiſpanum, Ulyſſipponenſem, ex Epiſcopo Tuſculano an. 1276. Romanum eſſe factum Pontificem, & Johannis XIX. (XXI. vel XXII. juxta alios) nomen aſſumpſiſſe, octimeſtri autem ſpatio ab electione vix elapſo obiiſſe, extra dubitationis aleam eſt poſitum, & Hiſtoriæ Pontificum Scriptores univerſi teſtantur. E quibus ſolum jam allego Lud. Jacobum a S. Carolo *Lib. I. Biblioth. Pontificiæ p. 137.* quod de Scriptis ejus plura, quam alii, congeſſerit.

ap. Anton. Hieradt, anno 1622. *in 4to.* Petrus Tartaretus, qui fuit Scotiſta, *Commentarium* in hujus *Summulas* ſcripſit, qui, uti & reliqua ejusdem Tartareti Opera Philoſophica, Phyſica, Metaphyſica, ſeu *Commentarius in libb. Ariſtotelis naturales, Metaphyſicos, & morales*, prodierunt Venet. *in 8vo*, anno 1621. apud Jac. Sanſmam. *Moralia* ejusdem publicavit Jodocus Badius Aſcenſius. De univerſis Petri Hiſpani Operibus vid. Gaddium *p. 265.*

DOMINICVS de FLANDRIA. Inter acerrimos D. Thomæ propugnatores hic fuit, qui, quo tempore vixerit, certo definire non poſſum. Veroſimile 18
eſt, illum Johanni Capreolo fuiſſe æqualem, (*aaa*) oriundo ex inferiore Germania, qui anno 1410. vixit. In Lombardia Ordinis fuit prædicatorum, & ibidem factus eſt Regens Bononienſis. Docuit multis in locis, ac ſcripſit in Ariſtotelis libb. pene omnes, ut & in Thomam, multos Commentarios, qui injuria temporum perierunt. Certe non eſt ex minimis in Thomam Commentatoribus, neque adeo ſordidus, ut alii iſtius temporis ſcriptores. Ariſtotelem, Albertum M. & Thomam, unice ſequitur, quem adverſus Scotum & Scotiſtas acerrime defendit, & in Pſeudo-Thomiſtas ubique inſurgit. Catalogus omnium eorum, quæ ſcripſit, non exſtat. In illis tamen, quæ ſervata ſunt, deprehenduntur *Tractatus, vel Commentarii in Ariſtotelis libros Logicos omnes, libros Phyſicos, de cælo, de generatione & anima, parva naturalia, Ethica & Politica.* Compoſuit quoque *quæſtiones quodlibeticas*, & Commentatores etiam Vett. Ariſtotelis ſedulo volvit, & contulit. In Alberto M. multus eſt, quem diligenter legit, ubique ejus auctoritate fultus. Quæ ſuperſunt ejus Metaphyſica, *Commentarios* ſcil. *in XII. libr. Ariſtotelis Metaphyſicorum*, in lucem edidit F. Coſmos Morelles, Theologus Colonienſis, & per illas terras Generalis Apoſtolicus Inquiſitor, magna cura & diligentia, una cum *quæſtionibus* ejus. Falſas citationes locorum Thomæ, & Ariſtotelis, aliorumque, expungit, genuinas ſubſtituit. In Ariſtotelem & Thomam juravit iſte Autor. Nam Scoto, ac omnibus Anti-Thomiſtis, acerrime ſe oppoſuit. Editus eſt liber ille Coloniæ Agrippinæ, typis Arnoldi Kempenſis, & Francof. apud Anton. Hierath, anno 1621. *in fol.* Vel ideo in pretio debet haberi hic Autor, quod Germanus ſit.

IOHANNES a S. THOMA. Fuit ille Olyſſipponenſis, Ordinis Prædi- 19
cantium, Profeſſor in Complutenſi olim Univerſitate, poſtea in Salmaticenſi, Theologicus. Scripſit *Curſum Philoſophicum Thomiſticum, ad exactam veram, & genuinam Ariſtotelis & Doct. Angelici mentem.* Partes ejus 3. ſunt. Prima continentur Dialecticæ Diſpp, omiſſis alienis & prolixis citationibus; ſecunda parte agit de phyſicis: de Metaphyſicis vero & anima in 3tia parte. Librum illum emendatiorem in lucem edidit Thomas de Sarria, Compellanus, Ordinis prædicantium, Colon. Agripp. apud Mynchium, anno 1638. *in 4to*, qui maximis illum elogiis ornat in libri præfatione. Ac ſane non contemnendam operam poſuiſſe in hoc opere Autor ille videtur.

 Nam

(*aaa*) Dominicus de Flandria, teſte Simlero *in Biblioth. p. 173.* circa A. C. 1512. floruit, nec proinde Joh. Capreoli, quem A. 1415. vixiſſe ex eodem (*p. 352.*) & Trithemio conſtat. fuit æqualis, ſed integro fere ſeculo recentior.

Nam ſecundum hujus ſcholæ propria ordinate procedit, & multa in illa brevitate complectitur.

20 MICHAEL ZANARDVS, Bergomenſis ex Urgnano, SS. Theologiæ Lector, ac Ordinis prædicantium, inter Commentatores Thomæ laudatur, in cujus libros non pauca ſcripſit, teſtibus illis, qui Cenſuram ejus *Phyſicæ* & *Metaphyſicæ* præpoſuerunt. Ad meam notitiam pervenerunt *Commentarius* ejus *cum quæſtionibus ac dubiis, in 8. libb. Phyſicorum Ariſtot.* ubi diligens eſt in dubiis movendis, iisque reſolvendis, quibus uti poſſunt, qui in hoc ſcientiæ genere diſputaturi ſunt ex principiis Ariſtotelicis. Eidem methodo inſiſtit in *Metaphyſicis*, in quibus principia Thomæ, ab antiquis & recentt. impugnatoribus, defendit. Liber editus eſt Colon. Agripp. apud Woetzerum, anno 1622. *in 4to.*

21 DOMINICVS BANNEZ. Fuit & hic Ordinis Prædicantium, Profeſſor Theologiæ primarius, in Salmatienſi Academia, patria Mondragonenſis. Scripſit in nonnulla Theologiæ Thomæ, & quidem *in primam partem ſummæ* ejus, *usque ad 64. quæſtionem.* Scripſit item *in ſecundam ſecundæ, de fide, ſpe, & charitate Commentaria*, quæ ad *quæſtionem 46.* pertingunt. Uterque liber prodiit Lugd. apud Stephanum Michaëlem, anno 1588. *in fol.* Inter celebres alias habetur Commentatores, ac fit magni a ſuis. Ejusdem exſtant *inſtitutiones minores Dialecticæ*, quas *ſummulas* vocant, quæ editæ ſunt Coloniæ anno 1617. *in 4to.*

22 NICOLAVS DE ORBELLIS, Ordinis Minorum, vixit anno 1495. Fuit Scotiſta. Scoti enim doctrinam defendit, & in meliorem ordinem redegit. Scripſit *Compendium ſuper ſententias*, elegantiora Doct. ſubtilis dicta ſummatim complectens. Edidit *Compendium* illud in lucem Lodoicus Hunnonius, Nerdius, qui non ſine elogio illius meminit, addito etiam Epigrammate non omnino inepto. Si ipſius judicio accedimus, illa, quæ a Scoto confuſo quodam ordine digeſta ſunt, hic adeo ſuccincte, ordinate, & lepide, in ordinem redegit, ut ſingula verba ſingulis fere quadrare videantur ſententiis. Editum eſt *Compendium* hoc Pariſiis, apud Johann. Petit. anno 1511. *in 8vo.*

23 BARTHOLOM. a MEDINA, Ord. Prædicantium, in Salmaticenſi Academ. Theologus primarius, *Expoſitiones in Thomam* ſcripſit. Et quidem exſtat ejus *Expoſitio in primam ſecundæ*, quæ edita eſt Venetiis anno 1580. *in fol.* Præfatio ejus præfixa encomium Thomæ continet, & illorum, qui ex Hiſpanis Thomiſticam doctrinam illuſtrarunt, in quibus ille celebrat Franciſcum Victoriam, in Salmaticenſi Academia Profeſſorem, *qui præclarus eruditione, ingenio, eloquentia, abdita Thomæ arcana dicipulis patefecerit, ut ſe ipſum ſuperaſſe videatur*, imo qui *Hiſpaniam primus Theologizare docuerit.* Nolo recenſere omnia, quæ ille prolixe in laudem ejus adducit. Quibus etiam hoc accedere poteſt, quod primus in his libris Grotio viam aperuerit, *de pace & bello* Opus ſuum ſuſcipienti. Laudat præterea Dominicum de Soto, hujus Franciſci Victoriæ diſcipulum primarium, Melch. Canum, Epiſcopum Canarienſem, Soto majorem, Pennam, Mantium, qui multa quidem in Thomam

mam reliquerunt, ſed inedita. *Expoſitio* ejus *in tertiam D. Thomæ partem*, usque ad *quæſtionem LX.* complectens *tertium librum ſententiarum*, edita eſt Venet. anno 1582. *in fol.*

IOHANNES PAVLVS NAZARIVS, Cremonenſis, Ord. Prædicat. 19
itidem inter Commentatores eſt Thomæ. Ejus exſtant *Commentarii & controverſiæ in partem primam. D. Thomæ.* Fuit Theologiæ D. Bononiæ Collegiatus, & tum, cum *Commentaria* hæc ſcriberet, in Academia Bononienſi tertium Regens. Multa ſuper Thomam ſcripſit, ut teſtatur ejus præfatio. Non enim tantum Theologica, ſed & Philoſophica, prælegit. Diligens eſt in Autorem ſententiis citandis, pro Thoma facientibus, & in Thomaſticis defendendis. Prodiit Bononiæ, anno 1619. *in fol.*

DIDACVS NVGNO CABEZVDO, Hiſpanus, Ord. Prædicator. SS. 20
Theologiæ Magiſter, & in Collegio D. Gregorii Valliſolitano Regens primarius, *Commentaria ſcholaſtica* ſcripſit *in tertiam S. Thomæ de Sacramentis Eccleſiæ*, duobus Tomis comprehenſa, cum aliis 4. Tractatibus, primo *de auctoritate Pontificis & Conciliorum*, ſecundo *de indulgentiis*, tertio *de auxiliis divinæ gratiæ* (de quo argumento vetitum poſtea fuit aliquid ſcribere ab ipſis Pontificibus) quarto *de bullis Pontificiis, quas vocant Cruciatas.* Adjiciuntur 3. indices. Editus eſt lib. Colon. Agrippinæ, *in fol.* apud Petrum Cholinum, anno 1630.

DOMINICVS a Soto, Segovienſis, Prædicat. familiæ Theologus, cujus ſu- 21
pra §. 23. mentionem fecimus, & quem adeo in præfatione ſua commendabat Barthol. de Medina, vocans ejus commentarios *divinos*. Ejus extant multa, tam Philoſophica & Moralia, quam Theologica: *Commentarii in Porphyrii Iſagogen, Ariſtotelis Categorias, & libb. de demonſtratione, una cum quæſtionibus* editi ſunt Venet. ex officina Dominici Guerrei, & Joh. Baptiſtæ, fratrum, anno 1587. *in 4to.* Scripſit præterea *Commentarium in libb. 4. ſententiarum, cum quæſt.* editum Venetiis, anno 1569. *in 4to*, & Lovan. anno 1573. item *quæſtiones in Ariſtotelis libb. phyſicorum*, Venetiis, anno 1582. *in 4to, Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Romanos, & libb. 3. de natura & gratia*, editos Venetiis, anno 1547. *in 4to*, & Lugduni *in fol.* anno 1581. nec non *libb. X. Commentariorum de juſtitia & jure*, omnibus notiſſimos, quibus acceſſerunt *libri de juratione & adjuratione.* Prodierunt Venet. anno 1600. *in fol.*

JACOBVS GRANADVS, Gaditanus, e Societate Jeſu, Theologiæ Prof. 22
ſcripſit *Commentarios in ſummam S. Thomæ*, multum æſtimatos. *In primam* ejus *partem*, exſtant 3. Tomi, editi a Cramoiſio Muſſipontì *in 4to*, anno 1624. & Hiſpali, apud Franc. a Lyra, anno 1623. *in fol.* (*bbb*)

COLLEGIVM COMPLUTENSE. Celeberrima illius *Commentaria in Thomæ* 23
doctri-

(*bbb*) Jac. Granadi in *Summam* Thomæ *Tomi Quartus & Quintus, Primam Secundæ* abſolventes, & *Sextus ad Secundam Secundæ de Virtutibus Theologicis*, Hiſpali an. 1631 *in fol.* prodierunt. Secuti ſunt hos Septimus & Octavus in *Partem Tertiam.* V. Nathan. Sothwelli *Biblioth. Jeſuitica p. 367. 368.*

doctrinam Philoſophicam prodierunt ſub. Tit. *Diſputationum in Ariſtotelis Dialecticam, Philoſophiam naturalem, 3. libb. de anima & Metaphyſica. Diſputationes in Dialecticam & Philoſophiam naturalem* prodierunt Lugduni anno 1650. *in fol. Metaphyſica* quaſi in ſupplementum totius Curſus Philoſophici addita videntur. Autor præfigitur Blaſius a S. Conceptione, Carmelita Excalceatus, Lugd. anno 1651. *in fol.*

29 FRANC. MVRCIAS DE LA LIANA. Franc. Murcias de Liana ſcripſit *Curſum Philoſophicum, ſive Diſputationes circa curſum Ariſtotelis Philoſophicum, ſelectas ex ſubtiliore doctrina Academiæ Complutenſis.* In partes 3. illum diſpeſcuit Curſum, ut plerique, epitomator majoris iſtius Operis, quanquam ipſe non pauca adjecerit. Prodiit Colon. Agripp. *in 4to*, A. 1641 apud Wilhelmum Frieſen.

30 PAVLVS VALLIVS. Romanus ille fuit, & e Soc. Jeſu. Scripſit *Philoſophiam ſecundum Ariſtotelem & Scholaſticos, Thomam præcipue, in X. diſtinctam Tomos.* Logica prodiit duobus Tomis, Lugd. ap. Ludovicum Proſt. A. 1622. *in fol.* Vaſtiſſimum eſt Opus, in quod conjecit omnia pene Scholaſticorum dogmata; diligentiſſime enim conferuntur & congeruntur. Ceteri Tomi in univerſam Philoſophiam, an & quando prodierunt, nunc equidem dicere non poſſum. (*ccc*)

31 EVSTACHIVS a S. PAVLO. Ex Congregatione Fulienſi Ordinis Ciſtertienſis. Scripſit *Summam Philoſophiæ quadripartitam*, quæ agit de Dialecticis, Phyſicis, Moralibus & Metaphyſicis. Singulis partibus ſingulos Tomos tribuit. Eſt hæc quaſi Breviarium & Epitome Philoſophiæ Scholaſticæ. Editus liber eſt Pariſ. apud Carolum Caſtellanum, anno 1614. *in 8vo.* Joh. Ad. Scherzerus in compendium redegit, *in Breviario Euſtachiano Philoſophico*, Lipſiæ A. 1663. in 12. excuſo.

32 BERNHARDVS MORISANVS, Derenſis Hibernus, ſcripſit *in Ariſtotelis Phyſicam, Logicam, & Ethicam Apoteleſma*, quo Controverſiæ, tam veteres, quam novæ, ex mente Ariſtotelis & Scholaſticorum, deciduntur. Editus liber ille eſt Francofurti, apud Petrum Mareſchallum, A. 1625. *in 4to.*

33 PAVLVS SONCINAS, Ordinis Prædicatorum, *Quæſtiones Metaphyſicas* acutiſſimas ſcripſit, quibus Thomæ diluuntur Scotique pleraque dubia. Editæ ſunt Urſellis, in Archi-Epiſcopatu Moguntino, ap. Antonium Hieratum, A. 1622. *in 4to.*

34 ROBERTVS de SORBONA. Ejus mentionem *h. l.* facio, non, quod ipſe quicquam ſcripſerit, (*ddd*) ſed quod inſtituerit pro Scholaſticis, qui Theologiæ vacarent,

(*ccc*) Pauli Vallii *Tomos VIII.* reliquos in univerſam Philoſophiam, mors illius, Peruſii eodem, quo priores duo prodierunt, an. 1622. defuncti, intervertit. V. Nathan. Sothwelli *Biblioth. Jeſuit p. 654. 655.*

(*ddd*) Rob. de Sorbona, Canonicus Svesſionenſis & Pariſienſis, Ludovicoque IX. R. Gall. a Confeſſionibus, Sorbonæ Pariſienſis medio Sec. XIII. fundator, ipſe etiam nonnulla (quæ Autorem noſtrum latuiſſe videntur) ſcripſit, *Opuſcula* ſc. duo de *Conſcientia & Confeſſione*, nec non *Iter ad Paradiſum, Bibliothecæ Patrum Pariſienſis*, a Marg. Bignæo anno 1589. denuo publicatæ, *Tom. V.* noviſſimæ autem *Lugdunenſis Tomo XXV.* obvia.

carent, Pariſiis Collegium, quod hodie vocatur Collegium Sorbonæ. Iſta enim ejus liberalitas etiam cauſa fuit, ut Theologia Scholaſtica propagata fuerit præ ceteris. Vide ejus elogium apud *Gaddium p. 329.*

SYLVESTER PERIERIAS, Pedemontanus fuit, & ibidem docuit, ſcri- 35
pſitque multa, tam Theologica, quam Philoſophica, nonnulla quoque Juridica. Scoto inprimis infenſus, *Malleum Scotiſtarum* ſcripſit, & *Defenſionem doctrinæ* D. Thomæ. Fuit Antagoniſta Luthero, una cum Cajetano. Idem Profeſſor Patavinus, & poſtea Romanus eſt factus.

BALTHASAR TELLEZ, Luſitanus Ulyſſipponenſis, e Societate Jeſu, 36
primarius Ulyſſippone Theologiæ Profeſſor. Ejus exſtat *ſumma Philoſophiæ univerſæ*, Cancellario Franciæ, Petro Seguierio, inſcripta ab Antonio Bertierio, qui librum illum in lucem edidit. Docuerat olim in Conimbricenſi Academia. Commendari is liber debet, quod præcipue ſpectat ad uſum Philoſophiæ in Theologia. Immiſcet enim quæſtiones Theologicas, quæ & illo tempore inter Philoſophos agitabantur. In omnibus Thomam ſequens, ſed ita tamen, ut Scholaſticorum quoque jungat ſententias, & aliquid ex elegantiore etiam literatura. In doctrina enim Phyſica, quicquid e veteribus Poëtis, Virgilio & Lucretio, ad ſuum pertrahere argumentum potuit, non omiſit. Partes ejus *Summæ* 4. ſunt, editaque eſt Pariſiis anno 1664. *in 8vo.*

FRANCISCVS MAYRO, Natione Gallus, Scoti diſcipulus, e Franciſca- 37
norum familia ſuo tempore celebris. Joh. Picus enim in Apologia ſua, judicat illum *Magiſtri ſui, Scoti, famam & ingenium æmulari.* Trithemius quoque appellat *doctiſſimum*, & majori ornat elogio, quam ipſum Occamum. Peculiare cognomen *Doctoris illuminati* accepit. Vixit anno 1320. *De primo principio* ſcripſit, & *de Univocatione, formalitate ac Quodlibeta.* Vide de eo Gadd. *p. 38. de Scriptoribus.*

FRANCISCVS SYLVESTER, Ferrarienſis, Ord. Prædicat. Generalis, 38
Theologus ac Philoſophus, inter alia *quæſtiones* ſcripſit *in 3. libb. Ariſtotelis de anima*, quas *additionibus* ſuis, aliisque *quæſtionibus philoſophicis*, illuſtravit Matthæus Aquarius, in Neapolitano Gymnaſio Prof. cujus ſupra §. 5. mentionem fecimus. Editus eſt liber Venet. A. 1629. ap. Scotum.

MATTHIAS BORRVL, Valentinus, e Societate Jeſu, *de divina ſcientia* 39
futurorum contingentium, præcipue media, ſcripſit, quod Opus prodiit Lugd. A. 1656. *in 4to.* Reſpondet hic aliorum dubitationibus & controverſiis; eſt enim hoc argumentum præcipue difficultatibus plurimis implexum. De conſilio hujus Operis vid. præfatio ejus ad lectorem. Jungi illi poteſt Pauli Leonhardi ſcriptum *de Scientia Media*, qui Hibernus fuit, in quo reſpondet explicationibus recentt. Theologorum, contra ſcientiam mediam. Qui liber prodiit Lugduni, an. 1644. *in 4to.* Scientiam ejus litis dabit præfatio ad Lectorem, & pars prima ipſius Operis.

PETRVS HVRTADVS DE MENDOZA, e Societate Jeſu, magni 40
nominis Scholaſticus e Recentt. ſcripſit *Curſum Philoſophicum*, qui rarior eſt, de quo

nunc

nunc dicere non poſſum, quando editus ſit. *(eee)* Ejus ſententiæ & opiniones citantur paſſim ab aliis. In Theologicis exſtant ejus *Diſputationes de Deo-Homine, ſive de Incarnatione Filii Dei*, magna diligentia conſcriptæ, in quibus omnes illæ controverſiæ, a Scholaſticis agitatæ, vel ab hæreticis motæ, operoſe excutiuntur. Opus illud eſt excuſum Antwerpiæ, apud Martinum Nothium, *in fol.* A. 1634. Fuit ille Salmanticenſis Academiæ Profeſſor Theologus primarius.

41 FRANCISCVS a VICTORIA. Ejus ſupra §. 23. mentionem fecimus. Fuit Hiſpanus, Ordinis S. Dominici, cujus exſtant multa, tam Theologica, quam Philoſophica ſcripta. In Theologicis ſcripſit *Summam Sacrorum Eccleſiæ*, quæ edita eſt Antwerpiæ, an. 1562. *in 12mo*, nec non Venetiis, additis multis quæſtionibus & Conciliorum Decretis, præſertim Tridentini, ſtudio Thomæ Choves, & Antwerpiæ, apud Petrum Bellutum, an. 1558. *in 12mo.* Scripſit & *Prælectionum Tomos duos*, qui prodierunt Antwerpiæ *in 8vo*, Ingolſtadiæ A. 1580 *in 8vo*, & Lugduni A. 1557. & 1586, *in 8vo.* Illi rariſſimi ſunt, & magno, quod ſcio, pretio venditi. Magna illi elogia tribuuntur a Medina. Sunt, qui eo uſum fuiſſe Grotium in multis autumant, quanquam raro ille allegetur. Niſi me fallit memoria, ejus mentio eſt facta *in prolegomenis librorum de Jure Belli ac Pacis*, editionis noviſſimæ, quæ cum Gronovii notis nuperrime in lucem prodiit.

42 GABRIEL VASQVEZ, Bellomontanus, præcipui inter Theologos Scholaſticos nominis, ſcripſit *in Summam Thomæ*, & quidem, ſi recte memini, in plerasque ejus partes. Niſi me fallit memoria, deficit *ſecunda ſecundæ. (fff)* Quatuor vaſta ſunt hæc Volumina, in fol. compacta, plures autem Tomi. Edita ſunt Antwerp. an. 1621. ſed priores editiones imperfectæ prodierunt Colon. *in fol.* ap. Anton. Hieratum, an. 1599. & 1600. Scripſit item *de cultu adorationis libb. 3.* qui editi ſunt Moguntiæ, apud Ant. Albinum, an. 1660. *in 8vo.* Exſtant quoque ejuſdem *Diſputat. Metaphyſicæ, deſumptæ ex variis locis Operum ejus*, quæ prodierunt Antwerpiæ, A. 1618. *in 8vo.* Continentur illo libro pleræque Diſpp. Metaphyſicæ, quæ uſum ſuum habent in Theologia, ſed quæ tamen argumenta ex Philoſophicis ducunt, quales ſunt Controverſiæ de Communicatione Idiomatum, de unione naturarum humanæ & divinæ, de Perſonarum diſtinctione, de Dei exiſtentia adverſus Atheos, & demonſtratione exiſtentiæ ejus adverſus ipſos nonnullos Scholaſticos, ſimiliaque alia, cujus Operis nullam facit mentionem Valerius Andreæ Taxander *in Catalogo Clarorum Hiſp. Scriptorum*, uti nec ceterorum ejus Operum. Collegit enim tantum ex *Catalogis nundinarum Francof.* Scriptores ſuos, quorum illic parca ſeges

(eee) Pet. Hurtadi de Mendoza *Commentarios in univerſam Philoſophiam*, ſexto minimum recuſos, poſterioribus editionibus, ab an. 1624. auctiores & correctiores prodiiſſe, Sothwellus *in Bibliotb. Jeſuit. p. 677.*

(fff) Inter *Opera* Gabr. Vasquezii, *Tomis X.* Lugd. an. 1620. *in fol.* alibique junctim edita, VII. etiam occurrunt *Opuſcula Moralia, ad Secundam Secundæ D. Thomæ ſpectantia.* V. Sothwelli *Bibliotb. Jeſuit. p. 272.*

ſeges eſt. Accuratior de Hiſpanicis illis Scholaſticis notitia habetur in accuratiſſimo Opere *Hiſpanicæ Bibliothecæ*, quam Romæ publicavit Nicolaus Antonius.

FRANCISCVS SVAREZ, Magnus Doctor, & Sacra anchora Pontificio- 43
rum, qui & noſtræ religionis hominibus magno ului eſſe poteſt in omni Theologia controverſa, cujus ille quaſi quidam Oceanus eſt. Vaſta ab illo ſcripta ſunt Opera, quæ Tomis XVI. conſtant. De quibus hoc notandum, poſteriores Tomos anticipare annos editionis priorum, quod hanc ob cauſam factum eſt. Cum cenſuræ rigidæ tales libri apud Pontificios committuntur, incidunt nonnunquam dubia, de quibus ipſis inter ſe diutius aliquando eſt diſputandum. Hinc factum eſt, ut poſteriores libri interdum citius ex ipſorum cenſura lucem aſpexerint. Scripſit autem in omnes pene libros Thomæ Theologicos, certe in Summæ partes omnes. Prodierunt Mogunt. *in fol.* ab anno 1619. usque ad 1629. Ordo autem Tomorum, ut dixi, plane interverſus eſt. Tertius an. 1619. primus an. 1622. prodiit. *Metaphyſicæ* ejus *Diſputationes* editæ ſunt Tomis duobus, Mogunt. A. 1614. *in fol.* Fuit Granatenſis, & Theologiæ Profeſſor in Academia Conimbric. Magna illi elogia ſuſpendunt ejus Ordinis homines. Jam enim vocant *Oculum populi Catholici*, jam *univerſi orbis Magiſtrum*. Præter hæc *in Thomam Commentaria*, ſcripſit & alios libros egregios, inter quos eſt *liber de legibus & legislatione*, JCtis utilis, *in fol.* ſcripſit & *de auxiliis divinæ gratiæ*, & *Defenſionem fidei Catholicæ adverſus Jacobum, Angliæ Regem, & adverſus Anglicanæ Sectæ errores, cum Reſponſione ad Apologiam pro juramento fidelitatis*; quod Opus prodiit *in fol.* Col. A. 1614. Plura de ejus libris videantur apud Alegambium *in Bibliotheca Patrum Soc. Jeſu*, ubi Scholaſticorum Jeſuitarum familia Opera ſatis accurate recenſentur.

ANTONIVS RVBIVS, vel RVBIO, Rhodenſis, Theologiæ D. e Soc. 44
Jeſ. docuit in Mexicana Indiæ Occidentalis Academia, tam Philoſophiam, quam Theologiam, annos amplius XX. unde novus Orbis veterem beavit aliqua *Logica*, quæ *Mexicana* dicitur. Complutique eſt edita, & dehinc Colon. Agripp. recuſa, apud Arnoldum Mylium, A. 1605. *in 4to.* Satis ille prolixus Commentarius in Logicam eſt, ubi coacervat pene omnium Doctorum ſententias, tum quæ pro ſua faciunt, tum quas prolixis Diſpp. refutat. Editi ſunt poſtea alii ab illo libri, in omnes Philoſophiæ partes, ſed modo quodam compendiario. Nam Dialectica in quæſtiones breves contracta, ad quas breviter reſpondetur, omiſſis prolixis illis Diſpp. quæ in *Logica* illa *Mexicana* apparent, *ſive Commentarii in Univerſam Ariſtotelis Dialecticam* (Ita enim titulus habet, editi ſunt Colon. Agripp. A. 1624. apud Johannis Critii hæredes, *in 4to. Commentarii in 8. libb. Ariſtotelis de Phyſico auditu una cum dubiis, & quæſtionibus*, Col. Agripp. apud eosd. anno 1624. *in 4. Commentarii in lib. Ariſtotelis de cœlo & mundo*, itidem *cum quæſtionibus & dubiis*, Coloniæ A. 1626. *in 4to. Commentarii in lib. Ariſtotelis de ortu & interitu*, ead. methodo ſcripti, ibidem A. 1634. *in 4to. Commentarii in lib. Ariſtotelis de anima*, Colon. 1644. *in 4to.* apud Johannem Critium. Sequitur autem in omnibus ſententiam Thomæ. Alius eſt ab hoc Antonius Rubio,

ſeu Antonius Ruvius, Legionenſis, Ordinis S Franciſci, qui ſcripſit *Aſſertiones Catholicas, adverſus Eraſmi in operibus paſſim occurrentes errores, libris IX.* editas Salmanticæ, apud Canovam. A. 1568. *in fol.*

45 GREGORIVS DE VALENTIA. Etiam ille inter Heroës Scholaſticos eſt, cujus celebratiſſimum nomen tum apud Pontificios, tum apud noſtros, eſt Fuit Jeſuita Hiſpanus, ſcripſitque vaſtos *Commentarios in Thomæ ſummam*, qui Tomis conſtant 4. & primo quidem Ingolſtadii prodierunt, ſed poſtea Lugduni, A. 1619. Scripſit & *controverſiarum Libb. adverſus Lutheranos & Calvinianos*, magno junctim Volumine editos, & alia minuta quædam Opera, quæ Lugduni junctim ſunt excuſa; ſcripſit *Analyſin fidei Catholicæ* (ubi agit de Eccleſia Pontificia, traditionibus &c.) *de vera Majeſtate Chriſti, de S. Trinitate, & aliquos libros de Idololatria*, optimum ſane ſcriptum. De illo amplius videri poteſt Alegambius, *in Scriptoribus Societat. Jeſu.*

46 FRANCISCVS DE OVIEDO, Madritanus, e Societate Jeſu, *Curſum Philoſophicum* conſcripſit, qui aliquoties editus eſt. Prima editio prodiit Lugduni anno 1651. *in fol.* altera ibidem, A. 1663. quæ & melior eſt, & auctior. Nam reſpondet in illa ad nonnullas Roderici Arriagæ vellicationes, inter quem & ipſum perpetua videtur eſſe æmulatio. Sed ſunt tamen illi Scholaſticorum optimi habendi, quippe qui non auctoritatibus veterum unice nituntur, ſed recentt. quoque Auctorum doctrinam, & experientiam, ſuis principiis accommodant. Scripſit Oviedus tamen *in ſummam D. Thomæ, in primam* ſc. ejus *partem, primam ſecundæ, & ſecundam ſecundæ*, quæ Tomis tribus prodierunt. *Commentarius in primam ſecundæ* editus eſt Lugduni A. 1646. *in fol. Comment. in ſecundam ſecundæ* Lugd. 1651. *in fol.* Fuit Theologiæ Prof. in Collegio Complutenſi, vir certe laude ſua digniſſimus, & qui Compendium pene eſſe poſſit omnium ante ſe Scholaſticorum.

47 RODERICVS DE ARRIAGA, Hiſpanus Lucronienſis, e Soc. Jeſu, Prof. in Pragenſi Univerſitate, cujus viri Laudes a multis & merito quidem celebrantur, arguitque eas ipſa Operum Philoſophicorum editio, quæ quater prodierunt, ſcripſit *Curſum Philoſophicum*, cujus 5ta editio prodiit Lugd. A 1653. apud Claudium Proſt, *in fol.* Hoc ejus Opus curioſius elegantiusque videtur ſcriptum eſſe, quam ceterorum in hoc genere, præſertim, cum ad obſervata recentt. ſæpe reſpiciat, quod & ipſe ſe facturum *in præfat.* pollicetur, exemplo Franc. Svarezii, quem *hujus ſeculi Gigantem inter Scholaſticos* appellat. Sequitur & ſuas quasdem ſententias, a reliquis Scholaſticis diſcrepantes, ſed magis in Compendium ſua trahit, quam Oviedus, qui prolixior eſt. Ejus exſtant *Diſputationes Theologicæ in ſummam Thomæ*, 8. Tomis, quæ prodierunt Antwerpiæ, ab anno 1643. ad annum 1655. quo ultimus *in folio* eſt editus.

48 ANTONIVS POLVS, Venetus, ſcripſit, ut tit. habet, *novum veritatis lumen in libb. Ariſtotelis de anima, a nullo unquam Peripatetico ita perfecte cognitum*, quod prodiit Venet. apud Sim. Galignanum de Carera, anno 1588. *in 4to*, & toti

toti Cardinalium Collegio inscriptum est. Videtur hic esse Novator, & quidem satis argutus, qui ubique Aristotelem, ejusque Interpretes, cum Scholasticis confert, & singulis pene paginis. jam in Thoma, jam in Interpretationibus; aliisque Scholasticis, aliquid reprehendit, ac quasi interdum eos contemptui habet. Scripsit item *Abbreviationem veritatis animæ rationalis, 7. libris explicatam*, quæ prodiit apud eundem, Venet. anno 1588. inscriptaque est Gregorio XIII, Pontifici, ubi multæ ventilantur controversiæ de origine animæ, ejusque immortalitate, & similes, in quibus profunda opus est speculatione. Scripsit *Dilucidationem veritatis, in Proœmium Physicorum Aristotelis, a nullo unquam peripatetico* (ut titulus habet) *explicatum*, in qua habentur nonnulla de methodo & cognoscendi principiis. Scripsit etiam *Digressionem de Circulo lacteo, in defensionem Aristotelis, adversus omnes Peripateticos.* Quo certe, nescio, quid sibi velit ille, qui Aristotelem hac quidem in parte defendit, qua maxime falsus est. Quis enim unquam Mathematicorum concedet, illi in meteoris locum esse? Qui ab Aristotele hic dissentiunt, vel Scholastici, vel Interpretes, vera dicunt, quique adversus illos pro Aristotele pugnant, hac quidem in parte delirant. Frustra itaque ab illo respondetur Scholasticorum opinionibus, cum omnes cœci sint, qui Aristotelis sententiæ suppetias ferre argutiunculis suis volunt.

PHILIPPVS a Sanctissima Trinitate, Carmelitarum Discalceatorum Provin- 49
ciæ sanctæ Theresiæ in Gallia Provincialis scripsit *Summam Philosophicam ex mera Aristotelis & Thomæ doctrina, juxta legitimam Scholæ Thomisticæ intelligentiam*, quæ edita est Colon. Agripp. apud Wilhelmum Friesen, anno 1665. *in 8vo.* Et ille quidem ita sequitur Thomæ vestigia, ut & *Philosophicam* suam *summam*, ad methodum & rationem *summæ Theologicæ* Thomisticæ dividere voluerit. Uti enim ille *summam Theologicam* in 3. partes, ita hic Philosophicam in totidem divisit. Quomodo etiam Thomas secundum partem, ob prolixitatem, divisit in *primam*, & *secundam secundæ*, ita hic quoque secutus est ordinem Thomæ in proponendis quæstionibus & Articulis, a quo se ne latum quidem unguem discessurum pollicetur.

CHRYSOSTOMVS JAVELLVS, Canapitius, Ordinis Prædicatorum, 50
varios libb. scripsit in Philosophiam Aristotelis quam pene totam suis illustravit commentariis. Frequens ejus apud Scholasticos nomen est. Scripsit *Commentarios in Logicam Aristotelis*, qui prodierunr Venet. anno 1650. *in fol.* Comm. *in libb. Aristotelis Physicos ac Metaphysicos*, Venet. anno 1555. *in 8vo; in libros Aristotelis de anima quæstiones*, ibidem *in 8vo;* nec non *in Aristotelis libros physicos quæstiones*, in quibus resolvuntur dubia Aristotelis, & Commentatoris ejus, Averrois, ac deciduntur juxta Thomisticum dogma, Venet. anno 1555. *in 8vo.* Scripsit & *Institutiones divinas & Christianas moralis Philosophiæ*, in partes 8. divisas, Venet. 1566. *in 8vo.* Omnium illorum librorum, si recte memini, Collectio instituta est, ac uno Volumine edita, *in folio.* Sed non succurrit jam, ubi prodierit. Vidi in Bibliotheca Academiæ Rostochiensis.

JACOBVS FOVRNENC, Presbyter Congregationis Oratoriæ Dni Jesu, 51

Doct. Theologus, ſcripſit *Univerſæ Philoſophiæ Synopſin accuratiſſimam*, ut titulus habet, *in qua ſinceriorem Ariſtotelis doctrinam, cum mente Platonis, paſſim explicat & illuſtrat, & cum Orthodoxis Doctorum ſententiis concinnat.* Edita eſt Pariſiis, Anno 1655. *in 4to*, continetque *Logicam, Phyſicam* & *libb. de anima.* Jungit ille veteribus Scholaſticis recentt. atque ex horum doctrina non pauca aſſumit ad Operis ſui complementum. In doctrina de animæ origine diligenter recenſet, atque examinat omnium ſententias, ac ſuam quoque timide ſubindicat, quæ nova eſt, vel ſaltem innovata. Nam *cap.* §. 3. ubi refutat doctrinam illorum, qui animas propagari ſtatuunt, aliquam ſententiam proponit, quæ in eo conſiſtit, quod putet eſſe etiam quandam materialitatem ſpirituum, ſecundum quam dici poſſint principium aliquod ſeminale habere, propter quod in illis requiri poſſit multiplicatio individuorum ſub eadem ſpecie. Terminis rem involvit, ſed illud vult dicere, ſpiritus ſua quadam ratione ex ſe producere poſſe ſpiritus, atque ita animam humanam producere poſſe aliam. Quare addit; *qui ſic ſentiunt, haud ſcio, an efficaciter a quoquam refelli poſſint; quia tamen ſingularis ſententia eſt, paucosque patronos habet, nolo illam, tanquam certam, aſſerere, ſua cuique ſententia ſedeat.* Hæc ille, qui plures ibi coacervat profundæ ſpeculationis quæſtiones de anima, in quibus, præ ceteris, audiri Scholaſtici debent. Cum enim res illa conſiſtat in meris ſpeculationibus, in quo regno illi triumphant, illorum judiciis aliquid eſt tribuendum. Non eſt ulla homine dignior meditatio, cujus quantum ſciri poteſt, perquirendum nobis merito eſt, tum quoad dogmaticam partem, tum quoad Hiſtoricam. Hanc omnium optime tradidit Cl. Salmaſius *in Commentario in Epictetum, & Simplicium*, ubi magna cum induſtria veterum Philoſophorum, Ariſtotelis, Pythagoræ, Platonis, Epicuri, ſententias de anima, ejus partibus, potentiis, origine, *μετεμψυχώσει*, immortalitate, congeſſit, prætereaque, ut hoc obiter moneam, de differentia Exotericorum & Acroamaticorum Ariſtotelis librorum diſſeruit, *a pag. 226. usque ad p. 244.* multa monens de libris & Interpret. præcipuis Ariſtotelis, aliis non animadverſa.

§2 PETRVS a SANCTO IOSEPHO, Fulienſis, Compendiator eſt Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ, non contemnendus. Quantum in ſe fuit, in ſuccinctam & perſpicuam brevitatem conferre laboravit omnem illam doctrinam, cui tamen ex ingenio ſuo nova quædam ſubtilia cogitata addidit. Ejus libelli Pariſiis primum prodierunt, poſtea recuſi ſunt in Germania aliquot Tomis, *in 12mo.* Scripſit *Ideam Logicæ & Metaphyſicæ*, quæ prodiit Colon. Agripp. anno 1655. *in 12mo; Ideam Philoſophiæ naturalis, ſive Phyſicam*, Coloniæ itidem editam, anno eodem. *Idea Philoſophiæ Moralis* prodiit ibidem eodem anno. De anima ſeparata, ejus cognitione, modo exiſtendi, communicatione cum Angelis, aliisque animabus, quæ ſcripſit, arguta ſane ſunt, & lectu digna. In Ethicis, ad propria actionum, quæ pertinent, ad bonitatem vel malitiam actionum humanarum, & ſuccincte & eleganter, e Scholaſticis ſunt diſputata, Thoma præprimis, quem ſequi præ ceteris videtur. Nam & exſtat ab illo ſcripta *Defenſio S. Thomæ, adverſus recentiores quosd. Scholaſticos, qui prædeter-*

determinationem phyſicam ad actus liberos illi falſo affingunt, edita Lugduni, anno 1633. *in 8vo.*

DIDACVS MASIVS, Ordinis Prædicatorum, Philoſophiæ & Theologiæ D. ejusdemque Profeſſor ac D. Thomæ Interpres (his enim titulis ſe ipſum inſignit,) edidit *Commentarios in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam, una cum quæſtionibus, quæ a Philoſophis agitantur.* Sed in illo libro, cui generalem iſtum fecerat titulum, nihil aliud, præter Phyſicam, duobus Tomis tractat, Ariſtotelem, ejusque Interpretes, Græcos & Latinos, diligenter ſe legiſſe oſtendit, illorum diſſidia accurate recenſens, quibus addidit Thomam, & recentt. Ariſtotelis Commentatores, ac Paraphraſtos. Methodi ſuæ rationes uberius in præfatione ad Lectorem exponit. Editus ille liber eſt Col. Agripp. A. 1628. *in 4to.* 53

MELCHIOR CORNAEVS, Theologiæ Prof. in Univerſitate Herbipolenſi, e Societate Jeſu, ſcripſit *Curriculum Philoſophiæ Peripateticæ, uti hoc tempore in Scholis decurri ſolet, multis figuris & curioſitatibus, e Matheſi petitis, & ad Phyſicam reductis, illuſtratum;* ſic enim titulus libri habet. Eſt vero illud quaſi aliquid miſtum e Philoſophia Scholaſtica & Matheſi, non corpus, ſed σχέλετον; vere enim etiam in iſto ſuo *Curriculo* omnia percurrit. Quæ enim ſpectant ad Logicam & Metaphyſicam, in brevia quædam Axiomata ac quæſtiones redegit. Non multum ſcilicet ipſis rebus, quas tractat, ſe immergens, ſed velut littus tantum legens, novitatem operi conciliare voluit, additis quibusdam e Matheſi demonſtrationibus, ſed levibus illis, & vulgo obviis. Nam pene omnes Matheſeos partes percurrit, & ad Phyſicam trahit, quantum ex illis, vel applicare, vel capere poteſt. Cum enim ad Planetas pervenit in Curriculo illo ſuo Phyſico, ubicunque poteſt, excurrit, & fere extra oleas vagatur, in ipſo ſuo curriculo in viam & ordinem redigendus. Quam enim inconcinne tota Horologiorum Sciatericorum doctrina ad materiam de elementis, & de aſtris, refertur? Cetera, ex Matheſeos ſundo in Phyſices agrum translata, non aptam illic coloniam inveniunt. Quicquid tamen ſit, ſi non alia re, certe nova quidem Operis forma ſe commendare voluit, ut ſolent nova veſte induti, qui aliorum oculos in ſe convertere volunt. Prodiit Herbipoli, A. 1657. *in 4to.* 54

IOHANNES SCHVLLERVS. An hunc Scholaſticis accenſeam, ignoro. Se ipſum inter Scholaſticos reponit, ac fuit Anti-Peripateticus, & quidem Carteſianus. Quoniam vero more tractandi ſingulari uſus eſt, & ubique Scholaſticos, in quibus illi a Carteſio non diſſentiunt, ſequitur, quaſi Semi-Scholaſticus nobis ſit Carteſianus. Fuit ille Philoſophiæ Prof. in Gymnaſio Bredano, ibidemque Paſtor Eccleſiæ. Scripſit *Philoſophiam nova Methodo explicatam*, cujus pars prior continet libris ſex Metaphyſicam, Theologiam naturalem, Angelographiam, Pſychologiam, Logicam, Ethicam; pars poſterior, continet Phyſicam. Uti in parte prima Scholaſticos quosdam Autores in medium adducit, ſuæ ſententiæ ſuffragantes, ita in Phyſicis quoque omni ſæpe conatu hoc agit, ut inveniat in illis ſententias ſibi adſtipulantes. Uti- 55

lis iſte liber erit illis, qui utramque, tam Ariſtotelicam, quam Carteſianam Philoſophiam, jungere volunt, & cognoſcere. Ubique etiam uſum in Theologia oſtendere laborat. Editus eſt liber Hagæ Com. apud Adrianum Vlacquium, anno 1663.

56 DIDACVS ALVAREZ, Medinenſis, Archiepiſcopus Tranenſis & Salpenſis; ex Ordine Prædicatorum. Scripſit *de Auxiliis divinæ gratiæ, & humani arbitrii viribus & libertate, ac legitima ejus cum efficacia eorundem auxiliorum concordia.* Editus eſt liber Lugduni, ap. Horatium Cardonum, anno 1611, *in 4to.* Argumentum hujus libri eſt difficile & intricatiſſimum, dubiisque plenum. Ex D. Auguſtino, & Thoma, præcipua ſolent afferri ad has Controverſias, in quibus timide tamen, & magna cum cautione, procedendum. Inhibita eſt illa diſputandi libertas ab ipſo Pontifice, nec ſcil. illæ Diſpp. in hæreſin aliquam erumperent. Paulus Leonhardus quem ſupra §. 39. citavimus, in ejusd. argumenti ſcripto, doctrinam controverſiarum illarum recenſuit diligenter.

57 GREGORIVS SAYRVS, Anglus, Ordinis D. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, Cœnobiique S. Juſtinæ de Padua Monachus, ſcripſit librum, cui titulus: *Clavis Regia Sacerdotum, Caſuum Conſcientiæ, S. Theologiæ Moralis Theſauri, locos omnes aperiens, in quibus præcipue Canoniſtarum & Summiſtarum difficultates, & communem praxin pertinentes, deciduntur & explicantur.* Operoſus ille eſt in præceptis ac regulis ponendis, ſecundum quas conſcientiæ caſus examinari debeant, quo in argumento diligenter ſatis verſatur. Prima ejus libri pars illa potiſſimum tractat, quæ ad Theologicam disquiſitionem pertinent, quanquam & de homicidio, & autocheiria, quædam ventilentur, quæ ad forum pertinent, & in illo uſum habent. Altera ejus pars potiſſimum ad Jurisprudentiæ uſum facit. Agit enim ibi de dominio, poſſeſſione, furto, rapina, reſtitutione in genere & in particulari, de Judicibus, Advocatis & Notariis. Circa quæ multa argumenta profert, quæ ad circumſtantias fori pertinent, poteſtque velut Indicis loco in multis haberi. Diligentiſſimus enim eſt in Autorum locis cumulandis. Adjecit porro Indicem quintuplicem, quo commode uti poſſumus. Liber prodiit *in fol.* Venetiis, A. 1605. ap. Baretium.

58 LVDOVICVS MOLINA. Qui eſt dictus Hylas? Is eſt, qui omnes JCtorum paginas complet, & velut Oraculum a multis conſulitur. Fuit quondam primarius in Academia Eborenſi Profeſſ. Theologiæ, e Soc. Jeſu. Scripſit *de juſtitia & jure Tomos VI.* qui prodierunt noviſſime Moguntiæ, ap. Schönwetterum, A. 1659. Ediderat olim etiam *in partem primam D. Thomæ Commentarios.* Complexus eſt his libris *de juſtitia* pene omnia, quæ ſpectant ad jurisprudentiam, ex Thoma, & Scholaſticis, plena manu adducens, quæ ad Illuſtrationem jurium ex principiis moralibus pertinent. Nemo eſt, qui horum librorum utilitatem ignorat.

59 IOHANNES de LVGO, Hiſpalenſis, e Societate Jeſu, in Collegio Rom. olim Theologiæ Profeſſ. & idem Cardinalis, *de juſtitia & jure* operoſos quoque Commentarios ſcripſit. Initium fecit ille Commentationum ſuarum a *Tertia ſummæ Theologicæ Thomiſticæ parte,* ac proceſſit ad *Secundam ſecundæ,* ex qua parte, qua Tho-

Thomas virtutes pertractat, unicam tantum, juſtitiam, ſibi pertractandam aſſumpſit. Procedit per omnia jurisprudentiæ capita, &, poſt Molinam & Leſſium, ſcripſit, ſed ita tamen rem ſuam inſtituit, ut magis e Theologorum & Scholaſticorum fontibus ſua hauriat, quam e Jurisprudentiæ fundo, ac tamen ad Conciliorum Canones & Capitula Juris Canonici, ſe referat. Ubi occaſio fert, ex Jure Civili Romanorum quædam aſſumpſit, ſed ita tamen, ut magis Interpretes ejus audiat, quam leges ipſas e fontibus ſuis interpretetur. Prodiit editio noviſſima Lugduni, A. 1652. *in fol.* Idem ſcripſit *de Incarnatione Domini Diſpp. Scholaſticas*, quæ prodierunt Lugduni, A. 1623. *in fol.*

LEONHARDVS LESSIVS, e Soc. Jeſu, Theologiæ in Academia Lova- 60
nienſi Prof. ſcripſit *de juſtitia & jure, cæterisque Virtutibus Cardinalibus libb. quatuor, ad ſecundam ſecundæ D. Thomæ, a quæſtione 47. usque ad 171.* Prior vero prodiit ſeparatus Tractatus *de juſtitia & jure*, cui etiam accuratiorem operam impendiſſe videtur. Ultima editio prodiit Lugduni, A. 1653. *in fol.* Acceſſere Tractationes duæ ad defenſionem hujus Operis; una, *de monte pietatis*, quæ ab ipſo Leſſio ſcripta, defendit quandam ſuam ſententiam, occurrentem in libris de *juſtitia*, de monte pietatis; cujus occaſionem peperit Controverſia, a Moraliſtis inſtituta. Altera tractatio militat pro defenſione quarundam theſium Leſſii, quæ *libro 2. cap. XI. dubio 20. & cap. 49. dubio 9.* occurrunt, de licito uſu æquivocationum, & mentalium reſtrictionum, quæ a Johanne Barneſio impugnatæ, propugnantur a Theophilo Raynaudo. Titulus Diſſertationis eſt: *Splendor Veritatis moralis, collatus cum tenebris mendacii, ac nubilo æquivocationis ac mentalis reſtrictionis.* Multa in illa Diſſertatione utilia occurrunt, ad illuſtrandam hanc doctrinam, quam Jeſuitarum, ſi Diis placet, ſolertia nobis perperit, de qua alibi pluribus dicemus.

IOHANNES AZORIVS. Etiam ille inter principes moralis doctrinæ 61
eſt recenſendus, cujus exſtant *Inſtitutionum Moralium partes 3.* in quibus univerſæ quæſtiones, ad conſcientiam recte aut prave factorum pertinentes, tractantur. Fuit Lorcitanus e Soc. Jeſu, & hoc Opus magna diligentia conſcripſit, non e principiis Ariſtotelicis & Thomiſticis tantum (Thomæ enim, ut omnes, methodum ſequitur,) ſed adhibitis in conſilium Juris Canonici ac Civilis Interpretibus, & Scriptura ipſa. Prodiit liber ille Brixiæ, A. 1617. ap. Franciſcum Thebaldinum, *in fol.* Altera pars autem Mediolani, eod. anno, ap. hæredes Pacifici Pontii & Johannem Baptiſtam Picalium. Tertia denique eod. anno, ap. Thebaldinum.

SVMMA ANGELICA de CASIBVS CONSCIENTIAE. Ange- 62
lus de Clavaſio, Ordinis Minorum Vicarius Generalis, compilavit ex Operibus Thomæ Indicem aliquem generalem Caſuum, qui occurrunt, & deciſi ſunt, in Thomæ Operibus, ſub titulis *Locorum CC.* Utiliſſimus ſane liber eſt, ac operæ pretium profecto faceret, quod his adjiceret omnes Thomæ Commentatores, atque ex illis Locos Univerſales Caſuales efficeret. Prodeſſe hic liber & Theologis & JCtis poteſt. Quod ſi in Jure tales LL. CC. Practicos Caſuum civilium haberemus, magni profecto

uſus

uſus res eſſet. Sed tanta eſt Objecti illius vaſtitas, ut facile deterreat eum, qui hunc laborem ſuſcipere velit. Editus eſt liber ille Argentinæ, A. 1502. *in 4to*, majori charactere Gothico.

63 IACOBVS ZABARELLA, Patavinus, nemini ignotus Autor, de quo prolixe verba facere opus non eſt. Scripſit in Logicis & Phyſicis, de anima, multa, omnibus celebrata Peripateticis. Edidit illius Opera integra Johannes Ludov. Havenreuterus, Medicus & Philoſophus in Academia Argentorat. Francof. ap. hæredes Lazari Reſneri, A. 1623. *in 4to.* Adverſus illum Joach. Jungius, Rector Hamburg. Gymnaſii, in Phyſicis aliquot Diſpp. ſcripſit, in quibus doctrinam ejus, & ſub ejus nomine omnem Peripateticam, exagitat. Aggreſſus autem eſt ille, quæ de principiis corporis naturalis, & de miſtionis natura, apud illum habentur. Cum ingenium Jungius haberet mechanicum, & Mathematicum, accuratius phyſicas illas res eſt contemplatus, quam fecerunt Homines Scholaſtici.

64 FRANCISCVS TITELMANNVS, Ordinis Fratr. Minorum, Theologiæ apud Lovanienſes Profeſſor, ſcripſit *Summam Ariſtotelici Organi cum Scholaſticis collati*, editam Lugd. A. 1480. ſub titulo *Dialecticarum conſiderationum.*

65 ANTONIVS SCAYNVS. Autor ille non eſt ex Scholaſticis, ſed ex Ariſtotelis Interpret. optimis, cujus ſupra obiter *Cap. XI. §. 27.* mentionem fecimus. Subjungo tamen hic, & miſceo Scholaſticis, cum aliis nonnullis, ob argumenti affinitatem, cum ſupra omiſerim. Edidit is *Paraphraſin in XIV. Libb. Metaphyſ. Ariſtotelis*, Romæ, apud Barthol. Gaſſum, A. 1581. *in fol.* Præmiſit Operi luculentam præfationem, in qua multa continentur, quæ pertinent ad doctrinam *Libb.* Ariſtotelis *Metaphyſ.* Inter alia capite VII. occurrit ejus Obſervatio de Alexandri Aphrodiſienſis *Commentario in libb. Metaphyſ. Ariſtotelis*, quem ait perperam ipſi adſcribi, atque hanc ſuam ſententiam adſtruit adverſus Sepulvedam. Cenſet itaque alterius cujusdam Alexandri, aut forte Mich. Epheſii, librum eſſe.

66 IOH. BAPTISTA MONLORIVS, Valentinus Bokayrentanus, Canonicus Oriolanus, non ignobilis Ariſtotelis Interpres Latinus, ſcripſit in Ariſtotelis *Analytica priora*, quæ latinitate donavit, ac *paraphraſin* & *Scholia* addidit. Quibus Coronidis loco adjecti ſunt ejusd. Autoris Libri duo, unus de Ἐντελεχείᾳ, alter de *Univerſis*, vel, ut alii vocant, *Univerſalibus*, in quo præcipue docet, univerſalia eſſe in rebus, ſine mentis operatione, adverſus Nominales. Alioquin perſpicue, eleganterque, pro argumenti conditione, ſcribit. Prodiit Francof. *in 4to*, A. 1593. ap. Joh. Wechelium.

67 ROBERTVS BALFOVREVS. Præclarus ille Ariſtotelis Interpres eſt cujus exſtant *Commentarii in libb. Ariſtotelis Philoſophicos*, e quibus notiores ſunt illi, quos in *libb. Ethicorum* ſcripſit. Scotus eſt natione, planamque viam inſiſtit, & Ariſtotelem ex ſeipſo explicat, non pauca elegantioris literaturæ adſpergens. Scripſit & *Commentarium in Organum Logicum.* *Commentarius in Ethica Ariſtotelis* editus eſt Burdigalæ, A. 1620. *in 4to.*

IOHAN-

IOHANNES COTTVNIVS in Patavina Academia Philoſophus, ſcri- 68
pſit varia, interque illa *Commentar.* luculentiſſimum *in Ariſtotelis libb. Phyſicorum.* Præmiſit *quæſtiones Proœmiales* utiliſſimas huic Operi ſuo, quarum primaria eſt Hiſtoria de Ariſtotele, ex ipſo illo libro. Omnia hic adducit in Ariſtotelis laudem argumenta, additis etiam iis, quæ in contrarium afferuntur, & quidem non pauca Franciſci Patricii refutat, quæ ipſe Ariſtoteli objecerat. Sane diligens adeo fuit in deſcribendo a capite ad calcem Ariſtotele, ut ne quidem crura ejus omiſerit. Certe diligentiſſimus ille Autor eſt in omnibus Ariſtotelicis examinandis, & cum Ariſtotelicis, præcipue Græcis Interprett. conferendis. Nam Græcæ linguæ peritiſſimus fuit, ut teſtantur ejus *Epigrammata, Græca lingua conſcripta*, quæ Patavii edita ſunt in lucem *in 4to*, A. 1653. Inter quæ exſtant varia encomiaſtica in viros Europæ eruditos, unumque in laudes Herm. Conringii. Ceterum & *de Ariſtotele univerſa Epigrammatica* integrum ſcripſit librum, quem aliquoties a viris doctis laudatum inveni, & in Catalogis Bibliothecarum nominatum. *Commentarius in libb. Ariſtotelis phyſicos* prodiit Patavii, apud Paulum Frambottum, *in fol.* A. 1648.

IVLIVS PACIVS. Ille inter JCtos Philoſophus, nec e vulgo, quod rarum 69
in illis eſt. Scripſit in libb. Ariſtotelis nonnullos, eosque e Græco in Latinam vertit linguam, elegantioribusque Notis illuſtravit. Scripſit in Ariſtotelis *libb. Logicos* omnes, quos e libris MStis emendavit, ac vertit, ac perpetuis notis, tabulisque Synopticis illuſtravit. Inſigniter fuit Dialecticæ peritus, quod ſatis eruditis illis in jure ſcriptis oſtendit. Scripſit quoque Notas in *libb. Phyſicorum* Ariſtotelis, quæ ſi recte memini, Francof. editæ ſunt. *Commentarius in Logicos libb.* prodiit Francof. ap. hæredes Wechelii, *in 4to*, A. 1597.

HVBERTVS GIFANIVS. Jungimus Pacio Giſanium, in Philoſophia 70
Practica parem, in Philologia, Criticisque, ſuperiorem. Par certe nobile JCtorum, qui accuratiora ad Jurisprudentiam ſtudia attulerunt, quam nunc vulgo fit, cum plane illotis ad illum accedituꝛ manibus. Scripſit elegantiſſimos *Commentarios in Ethica & Politica* Ariſtotelis, *in 8vo* editos, In quibus textum Ariſtotelis emendat, paraphraſi illuſtrat, & ſimul Diſpp. ad argumentum accommodatis, e Philoſophorum veterum recentiorumque Scholis.

ANTONIVS ROCCVS. Etiam hic inter interpretes Ariſtotelis ſupra 71
omiſſus, merito ſibi hunc locum vindicat, in primis numerandus, quanquam poſtremo hic loco ponitur. Pauca ejus cognita ſunt, ac rariora, quæ ſcripſit. *In libros Phyſicorum Ariſtotelis* Commentarium edidit, quem nondum vidi, ſed ſi ex altero quodam ejus Tractatu *de immortalitate animæ* eſt æſtimandus, nihil illi deeſſe credo acuminis, ad rem illam, quam tractat. Pro ratione tamen, & genio iſtius Philoſophiæ. Tractatus ille ultimus, quem nominavi, hoc titulo prodiit: *Animæ Rationalis Immortalitas, ſimul cum ipſius vera propagatione ex ſemine, via quadam ſublimi peripatetica, non hactenus per Ariſtotelem ſignata veſtigiis.* Hæc enim elogia ipſe Operi ſuo ſuſpendit, & in præfatione ad Lectorem, regiam hanc viam unicamque recte circa

animæ rationalis immortalitatem philoſophandi vocat. Ipſe hæc de ſuo Opere prædicat, ſpondetque, lectorem non diſceſſurum, quin in partes ſuas pertrahatur. Equidem fateor, nihil deeſſe ipſi argutarum ratiocinationum, e principiis peripateticis deductarum, ſed, quantum mihi videtur, preſſius urget, & ſubminiſtrat argumenta, quæ materialitatem quandam animæ inferre poſſint, dum ſua quadam ratione illam e materia productionem aſſerit. Quæ vero concluſiones hæc præſuppoſita ſequantur, facile per ſe quivis intelligit; nam quæ ad ſpiritualitatem animæ probandam vulgo habentur argumenta, tum ex revelatione, tum ex natura, petita, frigide ab ipſo tractantur. Hypotheſes autem ipſius omnes paradoxologiam & a communi peripateticorum ac Philoſophorum ſententia heterodoxiam, ſapiunt. Liber prodiit Francof. apud Fridericum Hertz, an. 1644. Petro Mauroceno, Senatori Veneto, ab Aut. inſcriptus. Qui ſi extra Germaniam non prodiit, videtur ob cenſuræ rigorem imprimi non potuiſſe; nec tamen ejus quicquam refertur in illa editione.

72 CHRISTOPHORVS BINDERVS. Subjungimus hunc omnibus noſtris Scholaſticis Scriptoribus. Nam de *Scholaſtica Theologia* in univerſum ſcripſit, egitque de ejus cauſis, origine, progreſſu, ac methodo legendi ſcholaſticos, deque corruptelis Theologiæ, ab illis inſtitutis. Fuit Theologiæ D. & Eccleſiaſtes Aulæ Würtembergicæ. Prodiit liber Tübingæ, an. 1614. *in 4to.*

Atque hæc de Scholaſticis DD. dixiſſe ſufficiat, quorum plurimi fuerunt Hiſpani & Angli, exceptis Alberto & Thoma, aliisque nonnullis Sed numero tamen hæ nationes videntur vincere. Certe magnam Gentis Anglicæ gloriam hanc judicat patriæ ſuæ Panegyriſtes, Guilielmus Cambdenus, qui in libro rariſſimo, Anglicaque lingua ſcripto, cui titulus: *Remaines concerning Britain*, edito Londini, anno 1657. *in 4to, p. 14.* enarrat omnes illos terræ ſuæ filios, & invidiam Gallorum monſtrat, jam ab omni ævo Anglos fuiſſe Gallorum pædagogos. Cum tamen hi ſe pene totius Orbis magiſtros venditent. Nam Joh. Piccartus, *in Celtopædia* ſua, data opera ad egit, ut omnium artium ſcientiam, ipſasque literas, a Gallis in univerſum genus humanum profectas, oſtendat. Nimirum omnes gentes *πατριδομανίᾳ* laborant, ut difficile ſit inter illas ſedere arbitrum.

CAP. XV.

DE NOVATORIBVS IN PHILOSOPHIA.

§. 1. *Plerique illorum Ariſtotelicæ ſe oppoſuere Tyrannidi, & in Phyſicis præcipue fuere occupati, diverſo licet ſcopo atque genio.* 2. *Celebriores aliis ſunt Bernh. Teleſius, & , qui hujus nonnulla ſua fecit, Franc. Patricius. Illius ſcripta & dogmata Phyſica recenſentur: hujus autem ineptiæ explodiuntur.* 3. *Hier. Cardanus, de cujus*

πολυ-

πελυγραφία, ingenio ob ſtultitiæ cum ſapientia mixturam vario, certamine cum Jul. Cæſ. Scaligero, Scriptis Phyſicis, opinionibusque illorum Paradoxis, Phyſiognomia ei ſuppoſita, genio familiari, Arcanis Prudentiæ Civilis, *avaritia, & Atheiſmo ei imputato, diſſeritur.* 4. *Carpentarius Anglus,* Philoſophiæ Liberæ *Scriptor.* 5. *Renatus Carteſius, cujus Vitæ Sectæque Hiſtoriam, ſed haud plene ſatis, Joban. Tepelius & Joban. Chriſtoph. Sturmius ſunt perſecuti.* 6. *Epicurum in nonnullis ſequitur, Atheiſmi tamen immerito accuſatur, licet Ben. Spinoſa, aliique Athei, Dogmatis ejus ſint abuſi. Lites ei a Gisb. Voetio, aliisque Theologis motæ. Sam. Mareſii Scriptum de abuſu Philoſophiæ ejus.* 7. *Fundamentum Philoſophiæ ejus, cujus vitia, illorumque cauſæ, e Joh. Bapt. Hamelio & Henr. Moro, notantur.* 8. *Scripta quædam Carteſii potiora commendantur,* Dioptrica, *ſc.* Lib. de Paſſionibus Animæ, Epiſtolæ, Tr. de Homine, Mechanica, & Chorea *in Natalem Chriſtinæ Auguſtæ Poëtica.* 9. *Epitomatores Philoſophiæ Carteſii, Henr. Regius, Tattinghoſius, Franc. Bayle, Ant. le Grand (de cujus Scriptis plura afferuntur) ac Jac. Rohault.* 10. *Commentatores in eum Joh. de Raey, Dan. Lipſtorpius (doctrinam de motu, una cum Joh. Alph. Borello & Chriſt. Hugenio, accuratius perſecutis) & Dn. de Cordemoy.* 11. *Carteſii principia cum Ariſtotelicis miſcuerunt & conciliarunt Honor. Faber & Adr. Heereboord, cum Moſaicis autem, labore vano ac inutili, Joh. Amerpoel & Dn. des Fourneilles, bruta ſenſu carere, Gomezius Pereira ante eum docuit.* 12. *Franc. Wilh. Lib. Baro de Nüland, Novator in Phyſica Anti-Carteſianus.* 13. *Thom. Hobbeſius, Novator in omni Philoſophia, ac Epicureiſmi inſtaurator, doctus quidem, ſed in Literas pariter atque Religionem injurius. A Joh. Walliſio errorum in Matheſi puerilium eſt convictus. Phyſicam ſuam Epicuream (de qua Honor. Fabri additur judicium) e doctrina de Motu, nec tamen primus, derivat.* 14. Elementorum ejus Philoſophiæ *ac* Leviathanis, *Tyrannidi ac Atheiſmo viam ſternentium, Hiſtoria & Recenſus.* 15. Problemata *ipſius* Phyſica *e Rob. Boylio confutata. Indoles ejus moroſa & contentioſa. Politica ejus a Gallis avide excepta. Adverſarii Angli & Belgæ. Vitæ ipſius Hiſtoria* ἀδέσποτος. *Ex ipſo Atheiſmi ſui principia hauſit Bened. Spinoſa. Thomæ nomen plerisque Novatoribus proprium.* 16. *Theophraſtus Paracelſus, homo illiteratus, ſed ingenioſus, Philoſophiæ, Medicinæ, ipſiusque Theologiæ, Reformator, Magiæ ſuſpectus, Enthuſiaſtarum Recc. parens,* Comm. *ejus MSS.* in IV. Evangelia. *Sam. Siderocratis LL. CC. Sententia ejus.* 17. *Joh. Eſpagnetus, Chymicus ingenioſus, de cujus* κρύψει *Nominis Anagrammatica, Scriptis Chymicis, Paradoxisque illorum Phyſicis, & in his pluralitate mundorum, breviter agitur.* 18. *Joh. Amoſius Comenius, Novator in univerſa Panſophia, Enthuſiaſmo affinis, cujus* Janua L. Lat. *aliaque Scripta Didactica, tanquam Barbara & minus Latina rejiciuntur.* 19. Phyſicæ *ipſius* ad Lumen Divinum ex Gen. c. I. reformatæ, *nova Principia & Dogmata, una cum* Libello de frigore *frigido, itidem explodumtur. Recolla illa ſunt a Joh. Bayero, Comenio paulo accuratiore.*

POſt abſolutos Scholaſticos, hos in medium adducimus, veteris Scholæ novaturientes diſcipulos. Horum aliquam partem jam ſupra Cap. XII. adduximus, ubi agebamus de Scriptoribus Antiperipateticis. Plerique enim, occaſione affectatæ Tyrannidis Peripateticæ, rebellionem in hoc regno tentarunt, ut ſolent in republ. res novas moliri, qui faſtidioſo premuntur imperio. Ceterum Novatorum illorum non eſt unus idemque genius; aliqui illorum cum ratione inſaniunt, quidam toti ſunt inepti, nec quicquam novi, præter terminorum varietates, in Philoſophiam intulerunt, qui rectius feciſſent, ſi domi compreſſis ſediſſent manibus, aut pinxiſſent cucurbitas, quam ut tam inficetas turbas excitarent. Gloriolæ venatio multos abripuit, paucos veritatis ſtudium inſtigavit. Factum vero fuit a rebus naturalibus initium. Nam, cum illæ in ſenſus incurrerent, ac in notionibus plerique & ſpeculationibus ſubſiſterent Scholaſticorum, ad ſenſus viam reducere demonſtrationes ſuas laborarunt, & in ſingularibus exercere ingenium, ut expeditior eſſet Univerſalium doctrina.

2 Primus itaque, qui laudem aliquam hoc conatu quæſivit, eſt BERNHARDINVS TELESIVS. Conſentinus is fuit ex Oppido Calabriæ, ſcripſitque Opus *de Rer. natura*, juxta propria principia, quod in *libb. IX.* diſpeſcuit, editos Neapoli, apud Horatium Sardianum, anno 1587. *in fol.* Thuanus tradit, eum a Patruo ſuo, Antonio, Philoſophiæ ſuæ dogmata accepiſſe, qui, ſi recte memini, Opuſculum aliquod ſcripſit *de Coronis*, aliaque nonnulla Phyſici argumenti. Scripſit & idem Bernhardinus Teleſius alia quædam Opuſcula, librum ſc. unicum *de his, quæ in aëre fiunt, de terræ motibus*, qui prodiit Neapoli, anno 1570. *in 4to*, item *de Colorum* (quos omnes e principiis caloris & frigoris deducit) *generatione*, qui eodem anno Neapoli editus eſt *in 4to*, tum *de natura maris librum unicum*, (falſum illud eſſe natura contra Ariſtotelem diſputantem, aquam vero elementorum numero ejicientem) ibidem anno 1570. *in 4to*, Autor hic, ut præ ſe fert, in *proœmio libri de natura rerum*, ad ſenſum reducere vult dogmata ſua. Primo libro demonſtrat, ſolem a calore, terram a frigore conſtitutam, omnemque operandi facultatem illis inde provenire. Calorem, frigus, & materiam, tria principia eſſe ait, in quibus omnia conſiſtant, variasque fieri diverſasque operationes ratione locorum, in quibus illæ fiunt, ac temperie & moderatione frigoris. Hinc ſiccitatem, & humiditatem, deducit, & mare ſolis calore e terra produci oſtendit. Lib. 2. contra Ariſtotelem diſputat de communi materia, de cœlo, an igneæ ſit naturæ, an calor & frigus ſint ſubſtantiæ. Tertio libro impugnat qualitates elementares, ſiccitatem a calore provenire negat, quia calor liquefacit, humiditatem a frigore, quia frigus exſiccat. Rationibus etiam oſtendere vult, omnem aquam ſua natura eſſe calidam, ignem ſumme humidum; 4. humores in corporibus negat, ignem etiam & aërem a miſtione corporum excludit. Quarto libro multa de calore ſolis diſputat. multa de motu cœlorum, & primo motore. Quinto Ariſtotelis de anima humana ſententiam impugnat, ejusque potentias & facultates ſcrutatur. In ſexto de generationibus animalium & plantarum agit,

in quo non adeo multa reperiuntur, a communibus ſententiis diſſentientia. In octavo de ſenſibus interioribus, paſſionibus animi, virtutibus & vitiis, multa adverſus Ariſtotelem philoſophatur. Hæc fere ſunt præcipua ejus Philoſophiæ capp. in quibus cum ſtudio novaturire quis non videt? Hujus quædam principia ſua fecit Franc. Patricius. Calorem enim & frigus operandi principia retinet, addidit vero ſpatium, lucem & fluorem. Sed is magis intricavit ſua dogmata, quam ipſe Teleſius, & pro rerum veritate nebulas aliquas Platonicas captat, quibus & ſibi, & Lectoribus, tenebras offundit. Nullam enim veræ methodi, & artis Analyticæ, lucem illic deprehendes. Vid. quæ de Patricio *Cap. VIII. §. 3. & 4.* fuſius ſunt expoſita.

HIERONYMVS CARDANVS, Mediolanenſis, portentum ingenii inſigne, intuitu miſtæ cum ſapientia ſtultitiæ. Novator in multis & Polygraphus, ſi quis alius. Tot enim libb. ſcripſit, ut & de *ſuis libris* ipſe librum conſcripſerit, quo recenſet tempora & occaſiones librorum, a ſe ſcriptorum. Tria ſtatuit elementa, aërem, aquam & terram: ignem ſublunarem videt, aſtra calida magis & minus ſtatuit; quæ in libris ſuis *de ſubtilitate & varietate* fuſe deduxit. In quibus multa continentur egregia, multa imminiſcentur ridicula, ut fuit ejus hominis ingenium per dilucida intervalla ſumme ſtultum, ſummeque intelligens. Scripſit præterea vaſtos libb. in omni philoſophiæ genere, Philologicos, Logicos, Morales, Phyſicos, Politicos, Aſtrologicos, quos X. Voluminibus *in fol.* collectos, atque hactenus magnam partem ineditos, edidit Carolus Sponius, moderante Gabr. Naudæo, Lugdun. anno 1663. Phyſici ſunt ejus libri, quos modo nominavimus, quibus eſt addenda *Actio prima in Calumniatorem librorum de ſubtilitate.* Hos Julius Cæſar Scaliger, vir alioquin ſummus, impugnaverat contradicendi pruritu magis, & vana gloria, ductus, quam rei ipſius veritate. In multis enim potius ſophiſtam & cavillatorem egit, quam Philoſophum, ac defendit Cardanum in non paucis Joh. Sperlingius *in Meditatt, in Scalig. de ſubtilitate*, quæ prodierunt Wittebergæ, anno 1656. *in 8vo.* Sunt porro inter Opera ejus Phyſica *libris de ſecretis, de gemmis*, & *de coloribus, de vitali aqua ſive æthere, de fulgure, de natura liber*, hactenus ineditus, *de immortalitate animarum, Θεογνώσων liber primus, ſive de tranquillitate*, itidem hactenus ineditus, *Θεογνώσων liber ſecundus, ſive dialogus de vita producenda; Θεογνώσων lib. 5. ſive de animæ immortalitate, Θεογνώσων lib. 4. ſeu de Contemplatione, Θεογνώσων lib. 5. hyperboreorum*, de quibus multas illic ſpeculationes habet. Magna enim paſſim prædicatio eſt apud vett. hyperboreorum, per quos Svecos eſſe intelligendos, nuper nos docere voluit Olaus Rudbeckius in *Atlantica* ſua. Ceterum & tres illi Θεογνώσων libri tum primum ſunt editi. Scripſit porro *de aceti natura, Problematum ſectiones VII. Diſcorſo di Vacuo*, Italica lingua, *Diſcorſo, Si la qualita puo trapaſſade, de ſubjecto in ſubjecto*, qui quatuor tantum hactenus fuerant MSSti. Prodiit ejus *Phyſiognomia* ſeorſim Gallico ſermone, in quam ex Italico eſt converſa. Sed vix mihi videtur genuinum eſſe Opus, quanquam ejus nomen mentiatur; nam lucri potius cauſa Bibliopolis id

fictum crediderim. Valde enim adſtrictus & brevis, præter morem ſuum, in illo eſt, neque omiſiſſent, credo, hoc Opus inter cetera ejus edere, ſi pro genuino habuiſſent. Sed miror tamen, nullam ejus mentionem fieri in *Vita Cardani*, a Naudæo ſcripta, ubi diligenter omnia recenſet, quæ ad Operum ejus Hiſtoriam pertinent. Multa in illo ibi excuſat, multa etiam reprehendit. Quæ de genio ſuo, in *Phyſiogn.* iſta alibique paſſim, recenſet Cardanus, pro confictis habet Naudæus, & ad inanem oſtentationem comparatis. Putavit enim hoc figmento ſe gratiam plebis aucupaturum, vel doctrinæ ſuæ autoritatem conciliaturum, ut videretur quaſi per Enthuſiasmum ſcripſiſſe, quæ ſcripſit. Fuit, ſicut miri ac variabilis ingenii, ita miræ quoque fortunæ. Multas cum Medicis conflictationes habuit, ipſe Medicus, quorum fraudibus, artibus, calumniis pleni ſunt ejusdem libb. omnes. Habuit etiam non contemnendam rerum civilium ſapientiam, quod mireris in homine perpetuis ſpeculationibus, & Scholaſticis rebus, addicto, tum in plerisque actionibus ſuis infelice, nec rerum ſuarum provido. Scilicet cum tempus ſibi non ſumeret de rebus ſuis cogitandi, majus aliena curandi otium habuit; ac ſunt ſæpe homines, qui, cum ſibi non ſapiant, aliis tamen ſapiunt. Edidit *lib. de Arcanis prudentiæ civilis*, Lugd. anno 1635. *in 12mo*, excuſum, & Helmſtadii recuſum, cui *Proxonetæ* dedit titulum, qui ſane in ſocietate civili verſantibus eſt utiliſſimus, & nihil pene non habet fraudium, artium, technarum, quibus uti vulgo inter homines ſolemus, & ob quas adeo commendatur ab hominibus profanis. *Homo* ille *Politicus*, a quodam Pacifico a Lapide, & poſtea a Chriſtoph. Pellero ſub *Politici ſcelerati* titulo, editus. Laudatur Cardanus ab his, culpatur ab illis. Sunt, qui Atheiſmi illum crimine onerant, quod quidem non adeo e ſcriptis ejus elucet, quorum indicio quis interdum illum Fanaticum, & Enthuſiaſtam, habuerit, quanquam & Enthuſiaſticus quidam Atheiſmus ſit. Immitius item de illo judicium tulit Franciſcus Sanchez in *Commentario ad Ariſtotelem de divinatione per ſomnium, p. 139. & 257.* Ridicula quoque de illo habetur Hiſtoria. Cum Bilib. Pirkhaimerus honoris cauſa illum in Italia inviſeret, hunc ille excipiens ſtatim rogavit, an ſecum ferret pecuniam, cum vero is, miratus quæſiti abſurditatem, nihil præter neceſſaria ſibi itineris eſſe ſubſidia reſponderet, regeſſit ipſi Cardanus, ſe non curare Transalpinos, niſi pecuniam ſibi adferrent. Et, *ex illo tempore*, inquit Pirkheimerus, *non Cardanum, ſed κερδαῖνον, appellabam. De vita ſua libriſque propriis* ipſe ſcripſit.

4 CARPENTARIVS, Anglus, ille fuit, ſcripſitque librum, cui tit. *Philoſophia libera*, qua ſingulares & paradoxas ſententias proponit, qualia e. g. illa ſunt: Non dari naturales notitias, locum eſſe nihil, omnes res ex nihilo fieri, ſenſus non poſſe errare, ignem eſſe humidum, omnia elementa eſſe gravia, & ſimilia. Non memini, ubi & quando editus ille liber. *(ggg)*

RENA-

(ggg) Nathanaëlis Carpentarii *Philoſophia Libera, triplici Exercitationum Decade propoſita, in qua, adverſus hujus temporis Philoſophos, Dogmata quædam nova diſcutiuntur*, prodiit Londini an. 1672. *in 8vo.*

RENATVS de CARTES, ſeu CARTESIVS, ſi quis alius, præci- 5.
puum inter Novatores nomen meretur. Neque enim ipſe ſibi tantum ſapere voluit, ſed & Sectam ſui nominis condidit, quæ per totum Belgium, Angliam, Galliamque, & multas Germaniæ partes, ſe propagavit. Qui hujus viri vitam (*bbb*) deſcripſerit, ſecundum omnes circumſtantias, non eſt. Exigua tamen hinc illinc habentur ejusd. monumenta. Neque omnes pari conſilio de ipſo ſcripſere. Quidam enim ejus hoſtes multa de ipſo perperam retulerunt, inprimis, quod ſpectat dogmata ejus. Philoſophia ſimul & Vita illius aliquo modo adumbrata eſt a M. Joh. Tepelio, cujus exſtat ſuper hoc argumento libellus, Noribergæ *in 12mo* editus, an. 1674. Agit vero in illo Opuſculo primum de Aut. ipſo, & occaſione, qua inductus ad Philoſophiam ſe applicuerit. Agit deinde de ſcriptis Carteſii, tum & de principiis Philoſophiæ Carteſianæ. Hinc de adjunctis ejus Philoſophiæ, poſtea de oppugnatoribus, & propugnatoribus ejus, item de judiciis virorum doctorum ſuper Secta Carteſiana. Exſtat quoque Joh. Chriſtophori Sturmii, Profeſſ. Altorfini, brevis *Diſſertatio de Carteſianis & Carteſianiſmo*, Altorfii an. 1677. *in 4to* excuſa. Sed & in illa de Aut. & Hiſtoria ejus vitæ, parum habetur, ſed potius quædam de ejus doctrina tractantur.

Longa eſſet mihi enarranda Hiſtoria, ſi omnia, quæ huc ſpectant, in medium 6
proferre velim. Ex Epicuri & Jordani Bruni Dogmatibus quædam reaſſumpſiſſe videtur, quæ tamen ita perpoliit meditationibus ſuis, ut nova eſſe videantur. Primam illi litem movere cœperunt Theologi, *(iii)* quibus nova plerumque hæreſeos ſuſpi-

(*bbb*) Deſideriis Morhofii, de vitæ Carteſii Hiſtoria fuſius atque accuratius exponenda, ſatisfactum jam eſt ab Adr. Baileto, Biblioth. Lamoignianæ Pariſienſis præfecto, cujus Opus de iſta Gallicum prolixum, ſub Tit. *La Vie de Mr. des Cartes*. Lutetiæ, anno 1691. *in 4.* Tomis duobus prodiit. Συναγωγὴν ejus Encomiaſticam, præter alios Ephemeridum Anni 1692. Literariarum Scriptores Lipſienſes, *in Actis Erud. A. 1692. M. Jun. p. 281-291.* exhibuerunt. Publicata eſt, biennio poſt, ab eodem Autore, Pariſiis an. 1693. *in 12.* operis hujus ſui majoris Epitome, Compendiariam Vitæ Carteſii ſiſtens Hiſtoriam, & hoc inſignita Titulo: *La Vie de Mr. des Cartes, contenant l'Hiſtoire de ſa Philoſophie, & de ſes autres Ouvrages, & auſſi ce qui luy eſt arrivé de plus remarquable, pendant le cours de ſa Vie.*

(*iii*) Præter Theologos Reformatos, quorum plurimi, contra Carteſium & Carteſianos, ſuos ſtrinxere calamos, e Lutheranis eos impugnarunt Valent. Alberti, Theologus Lipſienſis, *in Diſp. Inaugural. de Carteſianiſmo & Coccejaniſmo, Belgio moleſtis, quæ* Διπλᾶν Κάνναν inſcribitur, Lipſiæ an. 1678. *in 4to* edita, & Joh. Ad. Oſiander, Acad. Tubing. Cancellarius, *in conſiderationum in Dogmata Carteſianorum Theologica Collegio*, Tubingæ anno 1684. *in 4to* publicato. E Pontificiis autem contra eosdem inſurrexit Pet. Dan. Huetius, Epiſc. Abrincenſis in Gallia, *in Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ*, Pariſiis an. 1689 *in 12mo* publicata, & an. ſequ. 1690. Helmſtadii *in 4to* curante Henr. Meibomio Jun. recuſa. Cui tamen, e Carteſianis modernis, D. Andr. Petermannus, Med. Prof Lipſ. *Vindicationem Philoſophiæ Carteſianæ*, & Joh. Eberh. Schwelingius, Prof. Bremenſis, *Exercitationes Cathedrarias*, an. 1690. Joh. Schotanus autem Philoſophus

ſuſpicione laborare videntur: ac ſunt in Belgio, qui Atheum, & pene ipſi Vanino ſimilem, faciunt. Doceri certe illic Philoſophia ejus primum prohibita, ac Ariſtotelica prælegi juſſa. Sed ita Carteſiani Ariſtotelem prælegerunt, ut totum ad Carteſii mentem reformarent. Reſuſcitata illa lis nupperrime fuit, & magna in Academia Leidenſi diſſidia etiam inter ipſos Theologos inde enata, quod, Carteſianiſmi prætextu, ipſe Atheiſmus novam ſpeciem ſumpſiſſet. Prodierunt infames illi Ben. Spinoſæ, aliorumque libri; qui omnes impingebant Carteſio ſuas ſententias. Hinc ille in invidiam incurrit, qua facile, ut puto, ſe vivus expediviſſet. Nam, poſt mortem ejus, quidvis in illum rejicere poterant ejus diſcipuli. Habemus, qui ex Ariſtotele, & Peripatetica Philoſophia, neſanda dogmata produxerunt; neque tamen ob eam cauſam everſa eſt Peripatetica Philoſophia. Facillimum enim eſt, alio detorquere ſententias, & e principiis, male applicatis, educere concluſiones, Autori iſtorum inficiandas. In arenam cum ipſo primus deſcendit Gisb. Voëtius, huic impar aggreſſor Achilli, adverſus quem Philoſophiam ſuam maſcule defendit. Irrepſerunt tamen in hanc Philoſophiam, ut dixi, abuſus, de quibus peculiari libro Samuel Mareſius monuit Theol. ac Philoſophiæ ſtudioſus. Titulus ejus eſt: *De abuſu Philoſophiæ Carteſianæ ſubrepente, & evitando in rebus Theologicis, ac fidei.*

7 Primus, quem in lucem edidit, Liber *de Methodo* fuit, quo viam ſternebat dogmatibus ſuis, quem poſtea ſubſecuti ſunt libri Phyſici. Tota illa Doctrina fundata eſt ſuper figuris corporum, & motu, in quibus admirabilis ejus ſolertia eſt. Omnes illas recenſere hypotheſes, res eſt ab inſtituto noſtro aliena. Vid. Joh Bapt. du Hamel *lib. 1. de conſenſu Vet. & Novæ Philoſophiæ, nono capite*, ubi prolixe recenſet, quæ pro veris ipſe habet, & quæ videantur aliena, ac principia Carteſii ita ait cum rebus ipſis cohærere, corporumque omnium vires, tum occultas, tum magis obvias, ita explicare, alia non eſſe naturæ primordia, vel doctiſſimus quisque facile dejeraret. Henricvs Moor, Anglus, vir ingenioſus, aliquantulum ad Platoniſmum inclinans, cuique frequens fuit cum Carteſio Epiſtolarum commercium (quæ adhuc leguntur inter *Opera* ejus *Philoſophica*, ſingularem quandam Epiſtolam inter illas habet, quæ quam diligentiſſime hypotheſes, Carteſianas recenſet, ſimulque ea, in quibus ingenio ſuo nimis indulſiſſe Carteſium credidit. Quos ejus Errores ille ad 3. capita reducit, nimirum (1) ad ſimplicem, nudamque inadvertentiam, (2) ad nimium, ſeu prudentiæ, ſeu honeſtæ aſtutiæ, ſtudium, & denique (3) ad enormem quandam Mathematicæ certitudinis, ac neceſſitatis, in ſingulis ſuis concluſionibus, affectationem. Ad 2dum caput refert illud de brutis animantibus, quæ inanimatas machinas, & inſenſata Automata fingit Carteſius; quod comminiſci debuit, ne brutorum animas, partter ac noſtras, e ſua philoſophandi ratione, concluderet immortales. Carteſianam hanc ſententiam nuper ſingulari libro propugnavit Anton. de Grand, *in lib. de Carentia ſenſus*

phus Franequeranus, *Exetaſin Cenſuræ Huetianæ*, an. 1691. editam, repoſuerunt. V. *Acta Erud. Lipſ. M. Jan. an. 1690. p. 8-17. & M. Sept. an. 1691. p. 431-435.* Gallico eidem Scripto reſpondit Pet. Silvanus Regis Pariſ. an. 1691. *in 12mo.*

ſenſus brutorum. Pertinet & huc illud, de non inveſtigandis finibus earum rerum, quas in naturæ complexu videmus, quo præcavit ſpinoſas quasdam quæſtiones, quæ circa eam rem ſolent formari. Ad 3. caput refert, quod rarefactionem, & condenſationem, fieri ad modum ſpongiæ crederet, nempe diſtantiam, ſive ſpatium, & corpus idem eſſe realiter, nec ullam ullibi fingi poſſe extenſionem, quæ non ſit realis alicujus corporis affectio. Cui fundamento totam doctrinam de immenſis, numero & magnitudine, vorticibus, deque particulis primi elementi in infinitum diviſis, ſuperſtruit. Refert & huc commentum illud de formatione particularum ſtriatarum, earumque motu, qui non ſit plus minusve motus in natura uno tempore, quam alio. Sed illa, cum refutatione operoſa, apud Morum legi poſſunt, qui quidem Vacuum illud, Carteſio negatum, ideo impugnat, quod in hypotheſibus ſuis extenſionem ne quidem a natura ſpiritualia excludat, ut videre eſt in libris ejus *de immortalitate animæ*, ubi ſpiritui finito, & animæ ſeparatæ, figuram ovalem adſcribit, & *in libris Metaphyſicis*, ubi omne illud, quod arte ſolet fieri, Vacuum, aëre non repletum, quod materiam tamen ſubtilem eſſe vult Carteſius, pro immateriali principio agnoſcit, & pene ipſum Deum facit.

Carteſii Opera prodierunt aliquoties junctim & ſeorſim in Belgio, ut omnibus 8
notum eſt. *Dioptrice* ejus accuratiſſimum eſt Opus, & magno ingenio conſcriptum, ubi doctrina de meteoris ſolidiſſime explicatur. Libellus ejus *de paſſionibus animæ*, qui, & junctim, & ſeorſim, prodiit, in affectuum doctrina egregia multa docet, quatenus moralia principia cum Phyſicis conveniunt. Poſt mortem prodierunt quoque nonnulla ejus, *(kkk)* ut *Epiſtolæ*, in quibus multa ſpecialia principiorum ſuorum explicat, & alia multa occurrunt, quæ ad Hiſtoriam Philoſophiæ ipſius ſpectant. Editus eſt quoque *lib. de Homine* a quodam Florentio Schylio, ex Gallico in Latinum converſus. Sed hunc librum poſtea pleniorem edidit, & accuratius converſum, Dn. de Clerſilier. Voluit huic libro Carteſius addere *Tractatum de mente humana*, verum non eo pervenit. Quare hanc operam in ſe ſuſcepit Ludov. de la Forge, cujus liber Bremæ prodiit *in 4to*. Ceterum de tota ſumma Philoſophiæ Carteſianæ multa habentur cognitu digna, in præfatione libri iſtius *de homine*, editus Clerſilerianæ. Reliquit & *Tractatum de Mechanica*, Gallica lingua ſcriptum, quem in linguam Latinam convertit D. Joh. Dan. Major. Ceterum nec Poëticæ artis rudis fuit. Habeo enim, inter Schediaſmata mea, Choream, Gallice *Ballet* dictam ſuper Natalem Reginæ Chriſtinæ, *La Naiſſance de la paix*, quam in Germanicam linguam convertit Joh. Freishemius.

(kkk) Quæ noviſſime Amſtelod. an. 1701. *in 4to* prodiit. Collectio *Opuſculorum* Carteſii *Poſthumorum*, Phyſicorum & Mathematicorum, partim Gallice, partim Latine, ſcriptorum, præter *Diſſ. de Lumine, & aliis Objectis ſenſuum primariis* (Fragmentum *Tractatus de Mundo*, ab Autore ſuppreſſi) & *Explicationem Machinarum Mechanicam*, jam ante editas, *Regulas ad directionem Ingenii*, *Inquiſitionem Veritatis per Lumen Naturale*, *Primas cogitationes circa generationem Animalium*, & *de Saporibus*, *Excerptaque e MSS. Algebraicis*, hactenus *ἀνέκδοτα*, uno faſce complectitur. De ſingulis V. Recenſum hujus Sylloges, *in Actis Erud. Lipſ. M. Dec. an. 1701. p. 532-543.*

9 Fuere multi, qui ejus doctrinam, vel in compendium redegerunt, vel Commentariis illuſtrarunt, vel ſuis dogmatibus miſcuerunt. E primo genere eſt HENRICVS REGIVS, cujus exſtant *Fundamenta Phyſices*, in quibus doctrinam Carteſianam propoſuit, ſed non ſatis recte perceptam, & Additionibus quibusdam, quas Carteſio ſublegerat, auctum. Queritur de illo paſſim Carteſius *in Epiſtolis*. Edita ſunt Amſtel. A. 1646. *in 4to*. Eſt & quidam IOH. TATTINVS SOFIVS, qui *Clavem Philoſophiæ Carteſianæ* ſcripſit. FRANC. BAYLE Gallica lingua complexus eſt ejus doctrinam, libro, qui inſcribitur; *le Syſteme general de la Philoſophie, (lll)* edito A. 1669. Toloſæ *in fol.* XI. Capitibus pertractat Metaphyſicam, Logicam, Principia naturalis Philoſophiæ, doctrinam productorum in viſceribus terræ, Meteororum, ſenſibilium qualitatum, plantarum, animalium, hominum, humanarum paſſionum, & denique Ethicam. ANTONIVS LE GRAND *Philoſophiam Veterum e mente Renati des Cartes, more Scholaſtico, breviter digeſtam*, ſcripſit, quæ Londini edita eſt A. 1671. *in 12mo*. Scripſit idem Autor *Inſtitutionem Philoſophicam* uberiorem, qua omnes partes Philoſophiæ ex mente Carteſii explicat, & methodo Dialectica tradit, & ſtylo perſpicuo. Liber ille ante annos X *in 8vo* prodiit Londini, A. 1672. & nuperrime anno elapſo auctior ibidem *in 4to*, poſtquam Norimbergæ recudi cœperat A. 1679. *in 8vo*. Ejus quoque exſtat *Hiſtoria Naturalis*, quæ quaſi pars ſpecialis eſt *Inſtitutionum Phyſicarum*, in qua experimentis agit, & ratiociniis. Prodiit illa Lond. A. 1673. *in 8vo*, & Norimbergæ recuſa eſt. Credo illam auctiorem aliquando prodituram. Nam argumentum illud infinitis modis augeri poteſt. Scripſit & *Vindicationem pro Philoſophia Carteſiana contra Sam. Parkerum*, quæ hoc A 1682. prodiit Londini, *in 8vo*, & tangit præcipuas ejus cum Theologis & Philoſophis controverſias. Ante non fuit Carteſianæ Philoſophiæ addictus Autor ille; ſcripſit enim Gallica lingua librum, cui titulus: *L' Homme ſans paſſion*, quo veterem illum Stoiciſmum defendit, & ſerio quidem. Quam ſuam doctrinam ipſe poſtea refutavit, poſtquam Carteſianæ Philoſophiæ addictus eſſe cœpit. Carteſius enim hanc doctrinam accuratius, quam ullus Vett. Philoſophorum, e principiis ſuis eruit, uti liber ejus *de Paſſionibus animæ* oſtendit. Scripſit & IACOBVS ROHAVLT *Tractatum Phyſicum*, Gallica lingua Pariſ. 1671. excuſum, Amſtelodami v. A. 1672. recuſum. *in 12*. Autor ille, poſtea in linguam Latinam e Theophilo Boneto converſus, prodiit, adjectis Antonii le Grand Animadverſionibus in eum, Londin. *in 8vo*, A. 1682.

10 Qui Commentariis Carteſium ſuis illuſtrarunt, non pauci fuere apud Batavos. Eſt illic IOH. DE RAEY, Prof Phyſicæ, primum Leydenſis, nunc Amſtelodamenſis, qui perpetuas in illum *Diſpp.* edidit. Seorſim, ſub ejus nomine, prodiit *Clavis Philoſophiæ Naturalis Ariſtoteliæ Carteſiana*, liber ad intelligentiam principiorum Carteſianorum neceſ-

(lll) Præter *Syſtema Philoſophicum Generale* Gallicum, Franc. Bayle, Med. D. & Prof. Toloſanus, Latine, triennio abhinc, Toloſæ an. 1700. *in 4.* Tomis Tribus, *Inſtitutiones Phyſicas, ad Uſum Scholarum*, publicavit, de quarum Methodo, Hypotheſibus & Dogmatis, tum alii Ephemeridum Literariarum Scriptores moderni, tum Lipſienſes, *in Actis Erud. an. 1702. M. Sept. p. 387-391. & M. Oct. p. 452-457. poſſunt conſuli.*

neceſſarius, Lugd. Batav. 1677. editus altera vice auctior, *in 4to.* Ceteris omnibus illum ego prætulerim. Fuit enim Diſcipulus Carteſii aſſiduus, & præterea ſingularis ingenii & judicii. DANIEL LIPSTORPIVS edidit quoque *Specimina Philoſophiæ Carteſianæ*, (Lugd. Batav. A. 1653. *in 4to,*) in quibus præcipue doctrinam de motu enucleatam proponit, & ad certas regulas reducere laborat. Quod argumentum multorum jam ingenia ſollicita habet, inprimis JOH. ALPHONSVM BORELLVM, Italum, virum ſingularis & acutiſſimi ingenii, qui *de motu, & vi percuſſionis, librum* edidit, & noviſſime alios *de motu animali*, in quibus omnium motuum in animalibus cauſas oſtendit, & quidem e principiis Mathematicis & Mechanicis. Sunt, qui Carteſii iſtas Regulas de motu non parum ſollicitant, easque maximam partem falſas pronunciant, quod Carteſius potius hic Mathematicas rationes motus abſtracti ſpectavit, quam motum ipſum corporibus concretum. Ideoque hoc negotium præ ceteris magna diligentia excoluit CHRISTIANVS HVGENIVS, qui, globis e varia materia confectis. atque inter ſe colliſis, motus & impulſus doctrinam novis Axiomatibus propoſuit, uti *in Actis Anglicis Societ. Regiæ* legitur. Aliqua etiam hujus argumenti habet FRANC. WILH. BARO DE NÜLAND, in *Phyſicæ ſuæ Elementis.* Eſt quidam CORDEMOY, qui Gallica lingua libros ſcripſit, alterum *de Diſcrimine Corporis & animæ, Le Diſcernement du Corps & de l' Ame* V. Oldenb. *Tranſact. p. 306. & T. II. Ephem. Gall. p. 258.*) in quo corporis & animæ proprietates & operationes, quatenus inter ſe communicant, oſtendere laborat; alterum *de l'verbo*, in quo de natura omnis loquelæ prolixe agit. Uterque libellus, converſus in Latinam linguam, prodiit Genevæ, *in 12mo.*

Qui Carteſiana tandem principia ſuis miſcuerunt, multi ſunt, præcipue in An- 11
glia. HONORATVS FABER, qui noſtro tempore e Soc. Jeſu Philoſophiæ Curſum ſcripſit, in Phyſicis omnia, quæ poteſt, novorum dogmatum confert cum veteribus. Ariſtotelem certe, nova aliqua, & inuſitata inter ſuos methodo, ſecutus eſt, quam ob cauſam etiam male audivit ſuis, quaſi Carteſianiſmum ſectaretur. A quo tamen crimine ſe defendit in *tribus de hypotheſi ſua Philoſophica Epiſtolis*, Moguntiæ *in 12mo*, editis, anno 1674. Per omnia enim Phyſicæ capp. procedens, oſtendit, in quibus a Carteſio differat, & in quibus conſentiat. Certe in doctrina de formis non adeo ab ipſo diverſus eſt, ut qui oſtendat. jam tum Ariſtotelem in eadem fuiſſe ſententia. Nusquam enim Ariſtoteles formas dixit ſubſtantias, quanquam *ουσιώδεις* appellet i. e. ſubſtantiales, quæ ſubſtantiam perficiant. Parallelismum, & diſſenſum Ariſtotelicæ & Carteſianæ Philoſophiæ oſtendit ADRIANVS HEERBORD in *Philoſophia* ſua *naturali*, quæ edita eſt Lugd. Bat. anno 1643. *in 8vo*, cujus & plures exſtant libri. Sed hoc potiſſimum Philoſophiam naturalem propoſuit. Fuit quidam JOH. AB AMERPOEL, qui Carteſiana principia cum Moſaicis contulit, in *Carteſio* ſuo *Moſaizante*, Leovardiæ edito, anno 1669. *in 12mo*, Similis argumenti liber Gallica eſt lingua ſcriptus a quodam DES FOVRNEILLES, quo Syſtematis Carteſiani cum Moſaico convenientiam, ejusque opinionem de anima brutorum nihil periculoſi habere, oſtendit. Sed ſolent interdum homines ſuo ſenſu ita abundare, ut de illo aliis etiam largiantur,

quod & hic factum eſſe crediderim. Neque enim puto, Carteſium, cum primum in meditationes principiorum ſuorum incideret, Moſen antea evolviſſe atque ex eo concluſiones formaſſe. Poſtquam ſemel illæ formatæ erant, ingenio facile erat viam comminiſci, qua utraque jungeretur. Perpetuus autem ille, qui inter res ipſas Analogiſmus eſt, in opinionibus etiam conciliandis valere poteſt. Quod attinet Carteſii doctrinam de Anima brutorum, quod ipſa plane non ſentiant, fuit jam dudum ante ipſum GOMEZIVS PEREIRA, Philoſophus ac Medicus Hiſpanus, qui librum edidit, cui titulus: *Antoniana Margarita*, quem ipſe ſic vocavit a nominibus Parentum ſuorum. In illo eadem doctrina proponitur de carentia ſenſus brutorum. Plura de ipſo videri poſſunt apud Nicolaum Antonium *in Bibliotheca Hiſpanica*, & apud Voſſium *libro Tertio de Idololatria Gentili, c. 41. p. 939. 940. Ed. Francof.*

12 Carteſianas hypotheſes, non pauci ſunt, qui ventilant, e quibus tamen illi, qui doctrinæ ejus fundum non attingunt, infeliciter verſantur. Niſi enim quis omnis rei Mathematicæ gnarus ſit, & mentem Carteſii ex ipſius ſcriptis aſſecutus fuerit, nihil plane agit. Eſt quidam FRANC. WILHELMVS, LIBER BARO DE NÜLAND, qui *Elementa Phyſica* ſcripſit, ſive *nova Philoſophiæ principia, in quibus*, ut titulus habet: *Carteſianorum principiorum falſitas oſtenditur, ipſiusque errores, ac paralogismi ad oculum demonſtrantur.* Lib. editus eſt *in 12mo*, Hagæ Com. anno 1669. Promittit plura adverſus Carteſium, etiam Metaphyſica, quæ an ex illo tempore prodierint, mihi non liquet. Exiguus libellus eſt, quo Carteſium refutat, vix 4. foliorum. Is non a corpore, Carteſianæ Phyſicæ principio, ſed ipſo adeo nihilo, incipit, ac oſtendere vult demonſtrationes, quibus evinci poſſit, mundum eſſe e nihilo creatum, atque hoc ſuum nihilum ille infinito æquivalere contendit. Finitum ens medium proportionale inter nihil & infinitum ipſi eſt, cujus ille Mathematicas demonſtrationes vult reddere. Vacuum contra Carteſium admittit in natura, corporis Phyſici rationem formalem, non in extenſione, aut doctrinali dimenſione, ſed in denſitate, ac ratitate, conſtituit. Hinc ad motum unicum Dei, Supremi Entis, in productione corporum inſtrumentum, procedit, cujus regulas etiam a Carteſio diverſas habet.

13 THOM. HOBBESIVS, Malmesburienſis Anglus, Regis Britanniæ hodierni quondam Præceptor, magnus in Philoſophia omni Novator, tantoque pejor, quo propius fidem & religionem affigit. Nullus hoc ſeculo exſtitit craſſior crudiorque Epicureiſmi propagator, doctus quidem, & rei Mathematicæ intelligens, unde pleraque principiis ſuis accommodavit. Scholaſticam doctrinam omnem contempſit: paſſim enim traducit DD. Academicos. Omnium ſcientiarum reformator videri voluit, ſed infeliciter in multis eſt verſatus. Quod enim Mathematica attinet, in quibus ille ſibi triumphare aliisque viſus eſt, in hoc ſuo velut fundo, adortus eſt ipſum JOH. WALLISIVS, Profeſſor Mathem. Oxonienſis, vir celeberrimus, ac pueriles errores ipſi oſtendit. Honoratus Fabri, in *ſecunda Epiſtolarum*, quas modo laudavimus, *n. 16.* de ejus Philoſophia ita judicat, eum vix quicquam addidiſſe de ſuo rei phyſicæ, niſi quantum ex Epicureiſmo deſumpſerit, nihil, niſi corpus, & corporis modum, con-

concipi a nobis poſſe, credens, uno motu, poſitu, figura, ac mole, omnia perfici. Inane, dixit, eſſe incorporeum, & ipſam cognitionem merum eſſe motum, animamque corpoream. Hæc tam bella principia, quam infamibus paradoxis feneſtram pandant, dici non poteſt. Quod Phyſica attinet, e doctrina de motu omnia demonſtrare allaborat, atque, *in Epiſtola ad Sorbierium, libro de natura aëris præfixa*, primum ſe jactat, qui ita in phyſicis philoſophari docuerit. De quo vereor, ne litem illi Carteſius, aliique, moveant, ne quid de veteribus dicam, Epicuro & Ariſtotele. Uterque certe in motu rationem operationum naturalium poſuit. Ariſtoteli natura ipſa principium motus definitur. Hobbeſii Opera omnia prodierunt Amſtelod. anno 1668.

Elementa Philoſophiæ ſcripſit, atque in III. Sectiones diviſit, *primam de corpore, ſecundam de homine, tertiam de cive.* PRIORIS SECTIONIS partes ille facit IV. Prima illi dicitur *Computatio*, ſeu *Logica*, ubi de Philoſophia in genere agit & de nominibus. Pars ſecunda eſt ipſi Philoſophia prima, ubi agit de loco & tempore, corpore & accidente, cauſa & effectu, potentia & actu. Pars tertia agit de rationibus magnitudinum & motuum, ubi integra Geometria & Statica tractatur. Pars quarta agit de naturæ Phœnomenis, (1.) de ſenſu & animali motu, (2.) de univerſo & de ſideribus, (3.) de luce, calore, & coloribus (4) de frigore, vento, glacie, &c. (5.) de ſono. ſapore & tactu (6.) de gravitate. SECTIONE SECVNDA de homine, pauca admodum affert de ejus conſtitutione & natura; in argumentum enim de natura viſionis incidens totam pene Opticam proponit, quæ doctrina bene ab ipſo eſt exculta. In TERTIA SECTIONE de Cive, novam ſibi viam inveniſſe viſus eſt, qua demonſtraret Monarchiam. Liber ille paradoxis ſententiis eſt pleniſſimus, & velut quidam earum promicondus. Alter ille, qui ipſi ſubjunctus eſt, ſub *Leviathanis* nomine prodiit, ipſoque titulo arguente monſtri aliquid alere videtur. Continentur in illis libb. principia Tyrannidis, & Atheiſmi. Ex ejus ſchola certe BENED. SPINOSA prodiit, & quicunque ejus in Batavia partes ſequuntur. Editus etiam fuit *Leviathan* ejus Belgica lingua, & ex Anglica in illam converſus eſt ab Abr. Berkelio, viro docto, & editis in aliquot Autt. Græcos Commentariis celebri, qua in editione aliqua habentur, quæ non ſunt in Latina. Belgica editio prodiit Amſtelodami, anno 1667. *in 8vo.* 14

Scripſit præterea *Problemata* quædam *Phyſica*, per modum Dialogi, in quibus pleraque ſuarum hypotheſium Phyſicarum proponit: ſed ita quidem exceptus eſt in nonnullis a ROBERTO BOYLIO, ut gloriari amplius de his hypotheſibus ſuis non poſſit. Fuit illi continua cum Philoſophis ceteris contentio. Vivebat, ſapiebatque ſibi quaſi extra ſocietatem conſtitutus, moroſus homo, omnia carpens & reprehendens. in exilium aliquando miſſus, urgente Clero, poſtea tamen revocatus. Conatus Regiæ Societatis contempſit, ideoque adverſus illum ſæpe conclamatum eſt. Boylius certe & Walliſius ipſi oſtenderunt, ſatis *modice* apud illum *habitare philoſophiam*, quod ille lemmatis inſtar imagini ſuæ adſcribi curaverat: *En quam modice habitat Philoſophia!* Acerbiores in ipſum popularium, quam ceterorum, cenſuræ fuerunt. In Gallia ejus Philoſophia Civilis magno cum applauſu eſt excepta, ac libri, illuc ſpectantes, 15

in linguam Gallicam converſi, curante Sam. Sorbierio, Hiſtoriographo Regio. Vernacula lingua multi ſunt, qui adverſus ipſum ſcripſerunt integra Volumina. E Latinis cogniti nobis ſunt SETHVS WARDVS, qui *Exercitationem in Thomæ Hobbeſii Philoſophiam* ſcripſit quæ ſtrictim ejus Paradoxa recenſet, & refutat. Prodiit Liber Oxonii A. 1656. *in 8vo;* ſcripſit adverſus ipſum RICH. CVMBERLAND, in argumento de jure naturæ, librum ſatis operoſe, & cum diligentia, conſcriptum. Deinde JOH. TEMPLERVS Theologica ejus dogmata præcipue exagitavit, Theſes & Antitheſes diſtincta methodo ſibi ſubordinans, ex quo vel uno ſummaria dogmatum ejus cognitio haberi poteſt. Eſt & quidam GISBERTVS COCQVIVS, qui librum ſcripſit cui titulus: *Hobbes Elenchomenus, ſeu Vindiciæ pro lege, imperio, & religione*, excuſum Ultrajecti, A. 1668. *in 12mo.* (*mmm*) *Vita* Hobbeſii nuper prodiit, qua continentur pleraque, quæ ad hiſtoriam ejus ſpectant. Recenſentur ejus libri; additur Carmen aliquod elumbe, cujus ipſe Autor eſt, quo Vitam ſuam deſcribit variis fortunæ viciſſitudinibus fluctuantem. Ex Hobbeſii fontibus BENED. SPINOSA hauſit, cujus *Ethica* aliique libelli, ab ipſo ſcripti, veſtigia ejus Philoſophiæ fuerunt, ita tamen diſcrepant, quod, quæ Hobbeſius in arcanis habuit, ille profiteatur palam, atque ita plane non tegat Atheiſmum. Exſtat *Epiſtola* apud Spinoſam, qua ipſe exponit differentiam ſuorum Hobbeſianorum dogmatum. Atque hæc de Thoma Hobbeſio dicta ſunto, de quo etiam hoc, quod ridiculum eſſe poſſit, obſervo, plerisque illis Novatoribus Thomæ nomen eſſe.

16 PHIL. AVREOLVS THEOPHRASTVS PARACELSVS von Hohenheim. Mirabile huic homini, ut nomen, ita ingenium fuit, novus quaſi literati Orbis Cometa, Novator in Theologia, & Philoſophia, ipſe pene illiteratus, i. e. nulla Scholaſtica doctrina imbutus. Mira huic animi, ſed plane ſylveſtris, fertilitas, tot nova peperit dogmata perpetua Theologorum & Philoſophorum, offendicula. Magna tamen in ipſo mentis vis fuit, magna Arcanorum naturæ cognitio, quo factum eſt, ut Medicinam in novam aliquam ſpeciem transfunderet. Gloriari tamen Germani hoc nomine poſſunt. Hujus enim artibus pene tota Schola Medicorum Galenica de ſua dejecta eſt dignitate. Quod ſi viro illi contigiſſet in juventute literarum cultura, quibus ornaſſet ſuam doctrinam, non majus habuiſſet Germania Nomen. Quanquam nec *αὐτοδίδακτος* fuit Paracelſus, ſed præcipua doctrinæ ſuæ Iſaaci Hollandi ſcriptis ineditis, unde multa eum deſcripſiſſe quidam volunt, & Doctoris cujusdam Chymici informationi, debuit. Nunc ſordes illæ monſtroſorum terminorum, quorum eſt ipſe Autor, infamant ejus doctrinam, & magiæ etiam ſuſpectam reddunt. Nam Magorum ſacra delibaſſe ipſum apparet, a qua ſuſpicione bona tamen fide illum liberat Gabr. Naudæus. Æquius quoque de illo judicabunt, qui, ſcripta ejus omnia eſſe poſthuma, nec a vivo quicquam literis

(*mmm*) *Vita Thomæ Hobbeſii ἀνωνύμως* prodiit *Carolopoli, apud Eleutherium Anglicum, ſub ſigno Veritatis*, an. 1681. *in 12mo.* Autorem, qui nominis ſui literas initiales R. B. præfationi ſubjecit, non alium eſſe credo, quam Radulphum Bathurſt, Collegii Trinit. Oxonienſis Socium, cujus in laudem Hobbeſii, ac Libelli ejus *de Natura Hominis*, Jambi elegantes, una cum Abrah. Cowleii carmine ſimili Anglico, *Vitæ* huic ſunt præfixi.

literis comprehenſum, conſideraverint. Quod ſi manus a Theologia abſtinuiſſet, minus in ſe derivaſſet invidiæ. Nam exſtant non ſolum inter Opera ejus edita, multa Theologica, ſed inter inedita etiam. Et adhuc ſuperſunt *in IV. Evangeliſtas Commentaria*, quæ lingua Germanica ſcripta, in Bibliotheca Iſaaci Voſſii latitant, in qua ipſe ego vidi. Eſt quaſi pater Enthuſiaſtarum Recentt. qui e Theologia & Philoſophia quaſi mixtum aliquod chaos confecerunt, unde VAL. WEIGELIVS multa hauſit, & qui ex ejus Schola prodierunt. Quo nomine ipſe quoque IOH. ARNDIVS in ſuſpicionem eſt tractus, qui alicubi in libris ſuis vom Wahren Chriſtenthum, honorificam Paracelſi mentionem facit, ſed defenſus eſt peculiari ſcripto ab Henr. Varenio, Auguſti parente. De Paracelſi Operibus, omnique Chymicorum illa doctrina, prolixius ago in *Epiſtola de Transmutatione Metallorum*, ubi tota hiſtoria Autt. Chymicorum proponitur. Exſtat libellus quidam Germanicus, cui titulus: *Cyclopædia Paracelſica Chriſtiana*, a quodam SAMVELE SIDEROCRATE collectus, qui ſub titulis Locorum collocat ſententias Paracelſi, easque cum dictis S. Scripturæ conjungit. Impreſſus eſt liber ille Nirgendshemi, anno 1583. *in 4to.*

IOHANNES ESPAGNET. Autor hic totus quantus Chymicus eſt, ſed ex illis, qui ſubtilitatem aliquam & ingenium attulerunt ad hanc doctrinam. Fuit Præſes Parlamenti Burdigalenſis. Nomen ſuum non præfigit, niſi Anagrammate involutum: *ſpes mea eſt in Agno;* & item alio: *Penes nos unda Tagi.* Libros ſcripſit duos, quorum alter titulum habet: *Enchiridion Phyſices reſtitutæ;* alter: *Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ.* Primus liber per theſes conſcriptus eſt, proponitque dogmata magni momenti & ponderis. Ignem & aërem, e numero Elementorum excludit. Mundos innumerabiles agnoſcere quoque videtur, quod fecerunt ante ipſum Jordanus Brunus, & Thom. Campanella, eamque ſententiam cum Scriptura S. conciliare nititur. Ceterum plana eſt ſcribendi ejus ratio, inque dogmatibus admodum perſpicua, & in hoc primo libro quaſi viam ſternit, & principia ordinat ad Opus *Arcani Hermetici.* Altero Lib. Chymicorum doctrinam, quantum per ipſa artis myſteria licet, diſtincte, enucleateque proponit, ſine tricis, ut ante ipſum multi. Liber prodiit aliquoties recuſus, nunc autem rarior; nihil vero in omnibus exemplaribus illius mutatur. Unum ex illis prodiit Rhotomagi, anno 1647. *in 16mo.* 17

IOHANNES AMOS COMENIVS. Notiſſimus ille eſt vel pueris, qui nondum ære lavantur. Nam variis ſuis ſcriptis aliquam oſtendit novaturiendi pruriginem. Inſtituit novum philoſophandi genus, atque omnem doctrinam & Philoſophiam, a capite ad calcem, reformare voluit. *Panſophiam* enim molitus eſt, ac pene ad umbilicum perduxerat, cum ipſi, in patriæ ſuæ everſione, ſcriptum illud periret. Prodromum tamen ejus in lucem edidit, quem ſecuta ſunt nonnulla alia Philoſophici argumenti, quæ Amſtelodami edita ſunt, *in fol.* In Theologia ad Enthuſiaſmum accedere eſt viſus, ac lites cum Calvinianis habuit in argumento Viſionum Propheticarum, & millenarii Apocalyptici. In re Scholaſtica varias excogitavit methodos, diverſus a ſe ipſo interdum, & conſiliis ſuis diſtractus, quæ ego neque damnaverim, neque probaverim penitus. In aliqui- 18

aliquibus ipſe errores ſuos deprehendit. Quod Grammatica præcepta attinet, & Grammaticam Latinæ linguæ culturam, ejus aliqua ratio habetur, puræ & ſolidæ latinitatis nulla. Scatet barbariſmis ipſius *Janua*, fruſtra ab ipſo defenſa. Nam ipſa *Apologia* ejus, altera Apologia indigeret. *Grammatica* ejus *elegans* adeo non meretur illud nomen, ut plus turbet puram latinitatem. *Janua* ejus, utut compendium linguæ haberi poſſit, & nominum ac verborum ſimul junctorum, ſanæ tamen ſtructuræ, quæ conſiſtit in connexione verborum, uſu particularum, & forma periodorum, nulla illic haberi poteſt Idea. Quare jejunum ac macilentum ſermonem pueris, a prima ætate, inſtillavit, cum ſucciplenus magis, & nervoſus, ſermo hauriri poſſit ex integro aliquo ſermone, juſtis ſuis membris & commatibus concinnato, qui typus plus imprimit animo, quam illa rerum multitudo, quanquam diſtinctiſſima.

19 Exſtat ejus *Phyſica ad lumen divinum reformata*, in qua Philoſophiæ naturalis principia e *cap. Gen. Imo* deducit. Laudo pietatem Viri, quæ tamen una non conficiet rem omnem. Neque enim ex illis principiis deducere omnia poſſumus, ac fuere forte alia principia totius ſyſtematis, cum crearetur, ac e quibusdam creatis producerentur nova, quam nunc, cum per viam generationis philoſophandum eſt. Lucem primævam, materiam, & ſpiritum, tria ſtatuit mundi principia, ſecutus autoritatem Sacri Codicis, ſed nunc de principiis alia dicenda erant: quanquam, quod lucem attinet, audiendum ego illum eſſe exiſtimem. Nihil enim illa mirabilius, ac dedit illa forte certis quibusdam corporibus ſua principia, an omnibus, incertum. An itaque ſtatui poſſit principium, non facile Comenius evincet. His ſuis principiis confiſus, ſecuro pede procedit, & ex motu & qualitatibus quibusdam rerum affectiones deducit. Sub quibus tamen omnibus nil adeo ſolidi eſt, ut pectus ſaturare vera aliqua demonſtratione poſſit. Refert etiam huc doctrinam de Angelis, quæ ad Phyſicam proprie non ſpectat. Nam ipſi tres tribuit partes, corpus, ſpiritum & animam, auctoritate Apoſt. *1. ad Theſſ. V, 23.* Spiritum illum autem in homine habet, quaſi colonum aliquem ex illo mundi ſpiritu, quem e Sacris agnoſcit, pro quo etiam Apologiam ſcripſit ſingularem. Scripſit & *Tractatum de frigore*, ſed ſatis quidem frigide; nihil enim accuratioris demonſtrationis illi ineſt, quam apud Boylium invenias, qui de eodem argumento lingua Anglica ſcripſit. Ejus hypotheſes ſecutus eſt magna ex parte Ioh. Bayervs, in *lib.* illo, quem inſcribit *Oſtium & Atrium naturæ*, editum Caſſoviæ in Hungaria, A. 1662. *in 8vo.* Ille quidem operoſior eſt ipſo Comenio, & magna cum diligentia maſſas & formas diſtinxit ſuas, ſed ſi rem recte perpenderis, nihil præter terminos, & nomina, ſed plane nova, inveneris, quibus nihil ſubeſt demonſtrationis. Poterant hic plures adduci Novatores, ſed conſultius viſum eſt, illos ad Autores Phyſicos remitti. Illam enim Philoſophiæ partem præcipue aggreſſi ſunt. Autores vero, qui Encyclopædias ſcripſerunt, & veterem Philoſophiam nova methodo propoſuerunt, *Tomi I. Lib 2. c. 5. & 7.* jam enumeravimus, nec iſtic allata huc denuo tranſcribemus.

D. G. MOR-

D. G. MORHOFI
POLYHISTORIS
TOMVS II.
PHILOSOPHICI
LIB. II.
SIVE
POLYHISTOR PHYSICVS,
IN PARTES II. DIVISVS.

PARTIS PRIMAE
CAP. I.
QVOMODO HISTORIA NATVRALIS SIT INSTITVENDA, E MENTE FRANC. BACONIS VERVLAMII, ET EIVS SEQVENTIVM VESTIGIA.

§. 1. *In naturæ ſcrutinio duplici potiſſimum ratione peccatur, vel ſenſibus nimium tribuendo, vel nimiam argumentandi ſubtilitatem ſectando. Hac ratione peccatum eſt ab Ariſtotele, a Democrito autem corpora in atomos ſcindendo, & his*

ſolis inhærendo. 2. *Franc. Baconis Verulamii, cui tanquam hodego, magnam partem debetur, quicquid ab anglis, aliisque, in philoſophia experimentali hactenus eſt præſtitum, diviſio hiſtoriæ naturalis in narrativam, quæ ſola hactenus eſt exculta, & inductivam, ab omnibus ferme neglectam, deque iſta diligentius excolenda conſilium.* 3. *Conſilium hoc ſecuta ſocietas regia anglicana ſtudium hiſtoriæ illius inductivæ non infeliciter cæpit excolere.* 4. *Partitio Verulamiana Hiſtoriæ Nat. inductivæ in hiſtoriam:* 1. *Generationum,* 2. *Prætergenerationum, ſive monſtrorum (quibus etiam veneficia, divinationesque, poſſunt adjungi,)* 3. *Immutationem per Artem, qua occaſione prolixe de Artibus Mechanicis, cognitione illarum accuratiori Philoſopho neceſſaria, hujusque parandæ modis, & Scriptis eo facientibus (inter quæ Thevenatii Opus affectuum eminet,) diſſeritur, & quanto Artes vel ſordidiſſimæ Philoſopho poſſint eſſe uſui, exemplo* Libri de Fermentatione, *a Thoma Williſio ſcripti, oſtenditur.* 5. *Hiſtoriæ Immutationum Mechanicæ pars etiam eſt Hiſtoria falſationum.* 6. *Artium Mechanicarum ſummus in Phyſica uſus exemplis & experimentis variis demonſtratur. Transmutatio ferri in cuprum poſſibilis. Cupri cum ferro, ſtanni cum argento, aquæ frigidæ & glaciei cum ſtanno uſo, inſociabilitas. Aurum admodum exzenſibile. Frumentum ſiliginis pro ſundi diverſitate nobilius, vel ignobilius. Panes igne, ſeu lentiori, ſeu fortiori, cocti, majus, & idem quidem ſemper, pondus acquirunt. Sebaldi Mülleri* de Fraudibus Piſtorum *Libellus. Baſ. Valentinus curioſus Coctiuræ Salium obſervator.* 7. *Hiſtoria Naturalis, ex Inductiva & Narrativa mixta, commendatur. Quanti uſus ſint aliorum in converſatione erudita relationes, exemplo Rob. Boylii, plus juſto licet creduli, oſtenditur.* 8. *Appendices Hiſtoriæ Naturalis ſunt Problemata Phyſica (qualia Ariſtoteles & Alex. Taſſonus ſcripſere,) & Placita Philoſophorum, quorum cognitionis utilitas extollitur, & veterum inventa, operaque naturalia, hodiernis præferenda, ſuffragio Merici Caſauboni confirmatur.* 9. *Inquirendum etiam in errores vulgares eorumque cauſas, de quibus Thom. Browne, Jac. Primerofius & Mericus Caſaubonus ſcripſere.* 10. *Notanda ſunt inventa atque experimenta certa, res item deperditæ, & pro impoſſibilibus, hisque proximis, vulgo habitæ.* 11. *Utilitas Muſæorum Naturalium & Hiſtoriæ illorum, a quorum Collectoribus, in herbariis vivis conficiendis, aliisque minutiis congerendis, Vizio aliarum etiam ſcientiarum cultoribus familiari, ſæpe peccatur.* 12. *Joh. Dan. Majoris Opus de Muſæis hiſce Hiſtoricum affectum. Conſilium Autoris de Hiſtoriæ Muſæorum Univerſali, accurate obſervato rerum naturalium, in iis latentium, ordine, conſcribenda. Laus Muſæi metallici Ulyſſis Aldrovandi. Conſilium Verulamii Crypticum de Gazophylaciis rerum naturalium diſtinctis adornandis, & per homines idoneos augendis & dirigendis,* ex Atlantide Nova *prolixe repetitum.* 13. *Secuta eſt iſtud magna ex parte Societas Regia Anglicana, cujus Hiſtoriam edidit Thom. Spraat, in Verulamium, Gentes alias, quibus Anglos, & tempora antiquiora, quibus noſtram ætatem, palmam in Studio Phyſico excolendo præripuiſſe jactat, iniquior. Ambitio Anglorum Literaria inanis, in*

Joſ.

Joſ. Glanvilio quoque, Soc. Regiæ Encomiaſte, notata. Opponuntur utrique Mer. Caſaubonus & Henr. Stubbe, Angli, antiquorum contra Societatem hanc, quam plagii etiam accuſant, vindices. 14. *Ars a nativitate ſurdos ac mutos informandi, quam Angli, tanquam a Joh. Walliſio & Wilh. Holdero inventam, ſibi vindicant, jam ante a Joh. Paulo Bonetto, Rud. Agricola, aliisque, eſt propoſita.* 15. *Societatis Regiæ Anglicanæ ortus, progreſſus, conſtitutio. & methodus in res naturales inquirendi. Abr. Cowteji Poëma, quo ei prælusit.* 16. *Alibi etiam Gentium Collegia iſtiusmodi Phyſica inſtituta, a quibus Relationes de Rebus Naturalibus Medicisve quotannis eluntur. Tales ſunt Romanæ, Florentinæ, Gallicæ J. Bapt. Dionyſii (Gentibus aliis pleraque debentes.) Anglicæ Henr. Oldenburgii, Hafniënſes, & Germanicæ tandem (de quibus durius fertur judicium) Academiæ Naturæ Curioſorum. Germaniæ Chymici alios omnes ſuperant, ac proinde, ut ſuas edant Obſerv. optatur. Germanorum indoles inquiſitiva a Th. Spraato celebrata.* 17. *Commendatur Magni Pegelii* Theſaurus Rerum Selectarum, *A. 1604. editus, in quo multa noſtræ ætatis inventa jam propoſuit, & ad ſtudium Philoſophiæ Experimentalis alios excitare eſt conatus.* 18. *Proceditur ad methodum experimenta indagandi, ingensque in iſta Artis Analyticæ, & Locorum Dialecticorum, uſus, contra Thom. Spraatium aſſeritur. Sed Analytica iſta, cum propagine ſua, Arte Inventiva, inter deſiderata refertur. Commendantur Scriptores ei inſervientes, Verulamius, Autor* Artis cogitandi, *& Rob. Boylius.* 19. *Verulamii partitio Artis Experimentalis, & ſeptem modi experimenta capiendi, cum variis illorum exemplis.* 20. *Reducuntur iſti ad Locos Dialecticos Generales, & in alios vicisſim Locos Specialiores ſubdividuntur.* 21. *Quibus inveniendis & ordinandis mire inſervit Index Categoricus.* 22. *Modus inartificialis experimenta capiendi, ex ſolo caſu pendens, & Chymicis familiaris. Huc perperam a Verulamio refertur ignis in corpora operatio. Cujus occaſione complura adduntur de præſtantia ſtupendisque effectibus Deſtillationis Clauſæ, qua natura etiam ipſa utitur in Generatione Animalium & Metallorum. Hanc, ſecretiori Chymiæ propriam, a nemine adhuc tentatam eſſe, falſo credit Verulamius.* 23. *Verulamii partitio Philoſophiæ Naturalis.* 24. *Doctrina de Fabrica Univerſi parum hactenus eſt exculta, & humano ingenio vix comprehenſibilis. Ad eam ſpectat Rob. Boylii* Lib. de Coſmicis Rerum Affectionibus. *Ob hujus ignorantiam cauſæ latent multorum Φαινομένων naturalium, qualia Aſtrologia divinatrix haud parce ſuppeditat.* 25. *Phyſicæ Sparſæ, ſive Specialis, Subdiviſio Verulamiana, cujus occaſione, quam inſufficientes ſint Hypotheſes Modernorum, ex materia ſive corpuſculorum ſchematiſmis, vel motu etiam, omnia deducentium, inculcatur.* 26. Metaphyſica Phyſica *Verulamii cauſas rerum formales (de quarum cognoſcendarum ratione Autor diſſerit, addito nivis exemplo, & finales ſcrutatur.* 27. *Phyſicæ Operativæ partes illi ſunt Mechanica & Magia Naturalis.* 28. *Appendix autem & miniſtra Philoſophiæ Naturalis, Matheſis, cui dum Moderni, præeuntibus Democrito & Pythagora, imperium in iſtam vindicant, non minus peccant, quam Peripatetici, Logicæ idem aſſerentes.* 29. *Elogium Verulamii, & Scriptorum ejus Phyſicorum,*

1 CUm nihil ſit inter omnia Objecta inquiſitione dignius, quam univerſa hæc rerum natura, omni ope laborandum eſt, ut ejus cognitionem habeamus, quam fieri poteſt, perfectiſſimam. In illa a tot jam ſeculis laboratum eſt, laborant etiam nunc viri Eruditi & Illuſtres. Quandoquidem vero varia hominum præjudicia varietatem ſententiarum induxerunt, ideoque in tot ſententiarum fluctuationibus incerti ſumus, quid ſequamur, quid fugiamus, inque omnibus illis pene, quod capita, tot ſenſus, habemus. Senſus quidem, quo maxime duci debebamus, deſerit ſæpe nos & fallit. Deſerit, nam ſenſus interdum ſtupent in apprehenſione rerum, quæ, vel exilitate ſua, vel vaſtitate, captum excedunt. Fallit ſæpe ſenſus in ipſa illa apprehenſione: unde obſervatio indiligens & inæqualis eſt, ſiſtiturque intellectui materia aliqua vitioſa, cui, tanquam fundamento, ſuperſtruuntur falſa Axiomata & principia. Altera parte peccat argumentandi nimia ſubtilitas, quæ potius perplexiora reddet omnia, quam expediet. Natura enim ferimur ad aſſenſum, ut tædia inquiſitionum circa individua ſubterfugiamus: hinc ex qualicunque apprehenſione argumentari ſtatim incipimus a particularibus, qui communis eſt Elenchus, quo vulgo peccatur. Oriuntur hinc meræ notiones, & aliquod in Phyſica Sophiſticum philoſophandi genus, dum cupimus potius conceptus noſtros in naturam inferre, quam illos ipſos ex natura formare. Suo vitio laborat Ariſtotelis Phyſica, qui e principiis Logicis Phyſicam potius nobis dedit, quam ex ipſis principiis Phyſicis. Intellectus humanus per naturam ſuam fertur ad abſtracta, atque ea, quæ fluxa ſunt, fingit eſſe conſtantia, Sed abſtractio tamen illa, dum figit animum in iſta contemplatione, quam ſibi ex natura imperfecta formavit, ſimul ab ipſis principiis naturæ abducit. Quo modo laudandus præ Ariſtotele eſt Democritus, qui, ut in materia maneret, maluit ſecare naturam, quam inde abſtrahere. Ariſtoteles vero ad generaliores formarum conceptus quosdam dilabitur, dimiſſa e manibus materia. Sed & ipſe Democritus non minus peccavit, dum in Atomos ſcindebat materiam: non enim reſpiciebat ad maſſas corporum naturalium, & ad fabricam illorum mutuam, unde tot oriuntur in natura φαινόμενα, per ſimplices iſtos particularum conceptus non explicabilia.

2 Hos aliosque defectus ſentimus in indagatione cauſarum naturalium, quos ſub nomine Idolorum, in *Novo* ſuo *Organo*, proponit BACO VERVLAMINVS, & prolixe explicat, quam ob cauſam de remedio his hominum morbis quærendo, quoad ejus fieri potuit, fuerit ſollicitiſſimus. Ac commentus eſt viam aliquam maxime planam & naturalem, qua per Inductiones, ſibi ſubordinatas, ad principia deveniret. Hanc ille Hiſtoriam naturalem Inductivam vocat, cujus ille rudimenta aliquot exemplis, in *Hiſtoria Ventorum*, & in *Hiſtoria vitæ & mortis*, magna cum cura, proponit. Ubi non ſatis mirari poſſumus profunditatem iſtius ingenii, in methodo indagandæ veritatis, ac experimentorum inveniendorum. Unde certe, qui hodie tot libros implent, quam plurimum hauſere ſuarum cogitationum. Id enim facile expeditum dabo, nihil nunc præclari ab Anglis iſto in argumento ſcribi, & pro ſingularibus cogitationibus vendi-

venditari, cujus veſtigia non inveniantur apud Verulamium, paſſim in ſcriptis ejus. Ille enim, aliis negotiis impeditus, digito quaſi oſtendit vias, quas agmine facto jam occupant multi, ac ſibi inventionis gloriam tribuunt. Longe certe vaſtius ingenium hujus viri eſt, quam eorum, qui in leviculo experimento tot triumphos canunt. Hic enim promptuaria ſunt & fodinæ, ut ita dicam, præclararum cogitationum, illi ab uno quodam & exiguo experimento ſtatim plerumque univerſam rerum naturam ſuſpendunt, quod jam præviderat ante Baconus futurum *lib. 1. novi Organi, Aphoriſmo 64.* Ex mente itaque Baconis Hiſtoria Naturæ, reſpectu uſus & intentionis, dividitur in *Narrativam* & *Inductivam*. *Narrativam* illam vocant, quæ non certis fundamentis ſuperſtructa eſt, ſed hinc inde vagatur, omnia conſignans, quacunque ratione accepta & tradita, ſaltem ut aliquid ſciatur, quo animus oblectetur & ſuaves offuciæ menti illinantur. Quo etiam argumento pene omnes, quotquot nunc Hiſtorias naturales ſcribunt, verſantur. Nulla enim in illis vera eſt inductio, aut Topica aliqua ſpecialis inquiſitio, ſed omnia ſine diſcrimine, vera, falſa, ficta, in cenſum & ordinem referunt. Sed hi longe abſunt a Philoſophiæ naturalis penetralibus, niſi quod Chaos aliquod forment, cui lumen mentis infuſum ordinatius aliquod Syſtema conficere poteſt, rejectis illis, quæ falſa ſunt & inania. De his *cap. 2.* plura dicemus. *Inductiva hiſtoria* merito inter deſiderata Verulamio ponitur. Nullus enim ante illum fuit, cui vel in mentem venit tale quid comminiſci, & revera tamen absque iſta via, utut laborioſa, vix quicquam præclari præſtatur in doctrina Phyſica. Et quanquam ante Verulamium fuerint viri ſolertiſſimi, qui novis quibusdam rationibus explicare tentarunt naturam; illis tamen vel naturæ ductus hanc viam inveſtigationis aperuit, vel ipſi, in imperfectione ſua ſubſiſtentes, Theatricam Philoſophiam, more majorum, nobis conſtruxerunt, ceu talem, quæ ad autoritatem opinionibus faciendam, & ſectas inſtituendas, fuit adornata. Quanquam etiam ipſe Baconus ad optatum finem cogitata ſua perducere non potuerit, immenſitate argumenti victus. Nam unius illud opus eſſe ipſe pernegat; ſed multorum tantum eſſe, qui uno conſilio ducuntur, & qui ſumtus, tanto operi pares, ſufficere poſſunt. Fruſtra itaque dicit tentari, niſi Regiis auſpiciis res procedat. Fatendum tamen eſt, lineamenta, ab illo ducta, anſam dediſſe poſteris, ut colores illis adderent. Colores dico: nam ſane non parum mihi videtur a via iſta regia deflecti, quam præſcripſerat Verulamius.

Conſilio hujus viri debemus tamen, quicquid hactenus præſtitum eſt in Societate Anglica. Ideam enim iſtam ſibi propoſuerunt, quam in libris duxerat Verulamius. Hinc videmus, in *Hiſtoria Societatis Regiæ*, primum in inſtitutione ipſa Verulamianam iſtam methodum indagandi experimenta luculentius propoſitam. Adduntur certi quidam inquiſitionum Articuli, circa Subjecta quædam naturalia, more Baconiano concepti, quales ſunt Inquiſitiones circa gemmas Orientales (quæ tamen non ex natura ipſa, ſed ex relationibus artificum petitæ,) Inquiſitiones circa variationes tempeſtatum, Inquiſitiones circa confectionem vinorum, circa ponderum diverſitatem, circa coctiuram nitri, circa confectionem pulveris pyrii, circa praxin artis tinctoriæ, 3

ſtoriæ, circa generationem oſtreorum, quomodo apud Verulamium Inquiſitiones de ventis, de duratione rerum, vita & morte, de natura gravis & levis, duri & mollis, ſonorum, corporum metallicorum, &c. reperiuntur. Quod ſi hac ratione a viris iſtis circa omnia naturæ Subjecta laboretur, poſſet aliquando univerſaliſſimum Opus Hiſtoriæ naturalis confici, ut ab initio ſibi propoſuerunt, niſi in illa obſtacula inciderint, quæ vel a communi ingenii humani labe oriuntur, aut in particularitate experimentorum, quæ præjudicare ſolet axiomatibus univerſalibus, ſubſtiterint, omnia ad unius vel alterius Subjecti normam redigentes, quæ ſedulo caveri jubebat Verulamius.

4 Hiſtoriam ſuam Inductivam ita partitur Verulamius. Primum Hiſtoriam generationum Hiſtoriæ ſuæ primam partem conſtituit, cui partes ſubordinatas ſubjungit: 1. Hiſtoriam cœleſtium, quorſum Cœli *φαινόμενα* pertinent, 2. Meteororum, 3. Terræ & maris, quæ ſunt univerſi partes integrales, 4. Maſſarum materiæ communium, ſive Collegiorum majorum, ut vocat, quæ vulgo Elementa dicuntur, ratione ſuæ totalitatis, ut ita loquar, communiumque earum affectionum, ſeu ſpecierum minorum. Speciales titulos, ſingulis capitibus generalibus ſubordinatos, ipſe dedit in *Paraſceve ad hiſtoriam naturalem*, quæ ſubjungitur *Novo* ejus *Organo*. Huic generationum hiſtoriæ addit alteram prætergenerationum; nam tripliciter naturam conſiderat, ſecundum quam conſiderationem hiſtoriam etiam partitur. *Imo* in Libertate ſua, quo pertinet hiſtoria generationum, *IIdo* in Erroribus ſuis, quo ſpectat hiſtoria prætergenerationum, ſive monſtrorum, qualem hactenus nos habere negat: nam qui hac de re libri conſcripti ſunt, multa fabuloſa continent, & ſine ordine ac methodo res ſuas proponunt. Oportebat vero omnes prætergenerationum modos generationibus conjungi, ut inde melius innoteſceret naturæ operatio, ejusque vel uniformitas, vel diverſitas. Non referendæ tamen ad hanc claſſem ſunt ſuperſtitioſarum narrationum hiſtoriæ, quæ ſine fide vulgo circumferuntur. Si quæ tamen certo conſtent de maleficiis, faſcinationibus, incantationibus, ſomniis, divinationibus, non plane ab hoc ordine excludit, in quantum a cauſis naturalibus errantibus propagata videntur. *IIItio* in immutatione ſua, quæ fit per artem. Facit itaque tertiam partem Hiſtoriæ naturalis, Hiſtoriam Artium Mechanicarum, optimo profecto & præclaro conſilio. Peſſimus enim illorum error eſt, qui indignam Philoſopho putant artium mechanicarum conſiderationem, tum quod ſecundum eorum opinionem, magna diverſitas inter opera naturæ & artis ſit, quæ tamen nulla eſt, cum nihil fieri poſſit per artem, quod non mediante natura fiat, tum quod Philoſopho circa ſubjecta ſpecialia verſari indecorum putant. Hinc vero omnis fundi philoſophici calamitas eſt, dum de rerum natura ſecuri, ſecundum rationis perverſæ *εἴδωλα* philoſophamur, ac nihil in communem utilitatem afferre poſſumus ex inanibus ingenii ſpeculationibus. Ea parte ſolidari debet naturæ cognitio ac ſtabiliri; quicquid enim experimentis quotidianis diſci poterit, in lucro deputandum eſt. Unde fit ſæpe, ut ruſtici, nautæ, metallifoſſores ac Mechanici artifices, promtius rerum cauſas ſubminiſtrent, quas ſubminiſtrare nequeunt theatrici & cathedrarii Philoſophi. Indi-

Indignum vero eſt Philoſopho, ea parte ſuperari a viliſſimis hominibus. Quare omni ope nitendum eſt, ut habeamus, quam fieri poteſt, accuratiſſimam artium mechanicarum cognitionem, quæ nihil aliud ſunt, quam Phyſica vel Matheſis operativa, & in praxin deducta. Bene hoc intelligebat Ariſtoteles, qui ad hiſtoriam ſuam naturalem artifices conſulebat. Sed ſolæ relationes nondum rem omnem abſolvunt: multa enim aliter accipimus interdum, quam ſunt res ipſæ, ideoque penitior quædam ſcientia eſt habenda, non tantum nuda hiſtoria. Nec in hiſtoria naturali tantum, ſed in perfectione intellectus ad omnia etiam vitæ genera iſta prodeſt notitia. Quare ſemper ſuadere ego ſoleo, ut pueris, quamdiu uti ratione diſcunt, exhibeantur artium mechanicarum artificia, ut modos operandi videant, & inſtrumentorum nomina diſcant. Incredibile dictu eſt, quam perficiat hoc intellectum in apprehenſione rerum. Omnium enim rerum quaſi præſentes ſe ſiſtunt ideæ, eoque ingenium paulatim præparatur ad analogiam aut concluſiones ex univerſali illa notitia faciendas: unde & ſtabiliuntur axiomata generalia, & via ſternitur ad inventiones rerum maximarum, quæ magno eſſe commodo in vita humana poſſunt. Nam illa plerumque tenuibus orta ſunt principiis. Hic vero nolim ſuperficiariam aliquam & leviſſimam ſcientiam, qualem nobis proponit Alſtedius in ſua *Encyclopædia*. Illa enim vulgarior tantum & ſuperficietenus doctos faciet. Seligendi illi, ſi qui haberi poſſunt, qui artes mechanicas libris integris perſecuti ſunt, ut habemus nonnullos, qui inferius data occaſione recenſebuntur: ipſi, quod præcipuum eſt, artifices conſulendi ſunt; etiam eorum ſecretiora inquirenda, quæ diligentiſſime notanda ſunt. E veteribus ſcriptis nihil horum habemus, vel certe admodum jejuna, cujus cauſa veteri illi morbo imputanda eſt, quod ſcil. Philoſophi infra dignationem ſuam poſita hæc crediderint. Habemus aliqua de agricultura, horticultura, piſcatione: de metallicis operationibus nihil, quæ tamen circa nobiliſſima ſubjecta, corpora ſcil. perfecte mixta, & globi hujus terraquei medullas, verſantur. Hodie non pauci ſunt, qui in iſto argumento ſollicitiores ſunt. Ne quid enim dicam de Societatis Anglicæ conatibus, cujus induſtria effectum eſt, ut permulta prodierint, ſcripta ſermone Anglico, ad artes Mechanicas ſpectantia. Unice hunc fundum occupaturus eſt, quod ex relationibus amicorum ſcio, vir illuſtris, THEVENOTIVS, Gallus, qui hiſtoriam aliquam univerſalem Mechanicam molitur, & præterea, ſi recte memini, Corpus aliquod ſcriptorum mechanicorum veterum & recentiorum edituris eſt. Inter artes vero mechanicas præferendæ ſunt illæ, quæ corpora naturalia & rerum materialia exhibent, alterant & præparant, ut agricultura, coquinaria, Chymica, tinctoria, vitrificatoria, confectoria, ſacchari, pulveris pyrii, Ignium artificialium, papyri, &c. Illæ vero tenuioris ſunt uſus, quæ in ſubtili uſu manuum & inſtrumentorum conſiſtunt, ut Ars textoria, Architectura, &c. Sed ne ſordida quidem artificia hic ſunt excipienda, & maxime vulgaria, unde ſæpe plus diſcitur, quod ad rem Phyſices facit, quam ex ſubtiliſſimis artibus Mathematicis. Cum pulcherrimum ſuum *de fermentatione* Tractatum ſcriberet THOM. WILLISIVS, plus didicit e cellis vinariis & cereviſiariis, quam e ſcriptis Philoſophorum Vulgare enim opus fermentationis

tationis eſt, & tamen tanti uſus, ut hoc principio corpora naturæ fingere & refingere pro lubitu poſſimus, & hac in re experimenta mulierc ularum ac coquorum, magno nobis uſui erunt. Nemo enim inter illos eſt, qui non ſingulare aliquid obſervaverit circa artem ſuam, vel caſu, vel alia etiam ratione. Unde ſagacior Philoſophus depromere poteſt, quæ ſunt in rem ſuam, univerſalia ſcil. axiomata formare, e quibus deducat ſimilia experimenta.

5 Ad Hiſtoriam Artium Mechanicarum ego etiam retulerim, quod omiſit Verulamius, *hiſtoriam falſationum*, quibus uti ſolent, tum artifices, tum mercatores. Si quis enim curioſius eas inquirere velit, facili negotio, magnum aliquod volumen conſcripturus ſit, quarum rerum cognitio, præterquam, quod acuat intellectum, & experientiam phyſicam locupletet, œconomicam etiam prudentiam magna ex parte perficit. Quod ſi enim noverimus falſationes rerum, eo dilucidiorem habebimus notitiam artium ipſarum. Oppoſita vero inter ſe illuſtrantur. Utrumque cognitionem naturalem juvat.

6 Si exemplis probare ſententiam noſtram velimus, integrum volumen facile conficeremus de uſu artium mechanicarum in Philoſophia naturali. Sed pauca tamen tangemus hoc loco, inque medium afferemus. Disquiritur inter Phyſicos, an transmutatio ferri in cuprum fieri poſſit? ajunt multi, multi negant. Et videmus tamen in Hungaria, aliisque locis, per aquas vitriolicas ferri ſubſtantiam in ſubſtantiam cupri tranſire. Ferrum ſcilicet rubiginoſum, & uſu jam tritum, imponunt aquæ vitriolicæ; illud certo aliquo temporis ſpatio in pulverem rubiginoſum convertitur. Pulvis illé, igne fuſorio vexatus, in optimum cuprum funditur, quod jam ante confuſionem erat, remanentibus tantum paucis quibusdam fæcibus metallicæ naturæ & ductibilitatis expertibus. Quantum enim partium Mercurialium in ferro latet, tantum ſulphuris cuprei recipit, atque ita revera mutatio in cuprum accidit. Kircherus vero aliique transmutationum metallicarum impugnatores, ajunt, e vitriolo præcipitari latens cuprum. Quod falſum eſſe, paucitas ſcoriarum remanentium evincit. Quo enim tantum ferri pondus receſſit? Refutat tandem experientia fabrilis. Notum enim eſt omnibus fabris ferrariis, minimam cupri portionem, maſſæ ferreæ inſertam, ubi illa candet ab igne & cuditur, id efficere, ut ferrum undique diſſiliat, & hinc illinc ſpargatur, non ſine adſtantium periculo. Quod ſi itaque per præcipitationem cuprum paratum eſt, quomodo a fabro tractabitur? Jam diſquirant Philoſophi naturales de transmutatione ipſa, & de ratione difficilis ſociationis cupri & ferri. Mirabile enim eſt, ab exigua particula cupri tantam ferro candenti fragilitatem communicari. Similiter, ſi multæ argenti libræ fundantur, iisque exiguam quantitatem ſtanni injiciant, impoſſibile eſt argentum naturalem retinere ductibilitatem; fingat, refingat faber, ut volet, nunquam obſequetur malleo. Quare ſedulo cavent aurifabri, ne illud miſceatur argento, cum cetera metalla miſceri facile poſſint. Hic jam labor eſt Philoſophi, ut inquirat de natura ſtanni, diffuſione ſcilicet exiguæ particulæ per

tantum

tantam argenti molem, & fragilitate ſtanni argento communicata. Similiter ſtanno liquato aqua frigida, vel minima particula glaciei, non eſt immittenda, niſi velimus ſtannum fuſum hinc illinc ſpargi. Huic ſi pinguia & oleoſa immittas, ferrumque madidum inſeras, non diſſipabitur ſtannum, ſed cum ipſo ferro unietur. Ex hoc artificio diſcimus, quæ ſit convenientia oleoſi cum ſtanno fuſo, aquæ vero diſconvenientia. Videndum itaque eſt, qua in re diverſitas illa conſiſtat. Bracteatores artificia multa docebunt Philoſophum naturalem de auri & argenti natura Aurum dupla proportione excedit pene naturam argenti. Qua ex diſtenſione (nam incredibile pene eſt, in quot folia unus aureus poſſit extendi) probari etiam poteſt poſſibilitas transmutationis metalli ignobilioris in aurum. Piſtoriæ artes vulgares ſunt, & cuique obviæ: interim, ſi omnia animadvertas, fermentationis naturam præcipue, multa ex vulgari illo artificio diſces. Frumenta, ſiligo præcipue, ratione fundi, in quo creſcat, ſingulares habent virtutes. Præcipuum & ponderoſiſſimum frumentum ſiliginis eſt, quod in fundo arenoſo creſcit. Secundum locum obtinet, quod in fundo lutoſo, Tertium locum, quod in fundo humido. Primum illud nobiliſſimum eſt, adeo, ut modius menſuræ Pruſſicæ C. libras ponderet. Quod frumentum, ubi mola bis comminutum eſt, XV. libræ furfuris remanent. V. libræ farinæ puræ, ſi coquantur igne, poſt fermentationem debitam panem efficiunt VII. librarum: duas enim libras addit portio aquæ, maſſæ iſti quaſi incorporata. Quæ maſſa V. librarum, ſive lentiori, ſive fortiori igne, coquatur, idem tamen pondus retinet, quæ res inquiſitione Philoſophi digna eſt. Nam certe videretur fortiori igne plus aquæ expulſum. Deprehendere ergo vel in illo exemplo libet naturam fixionis, qua per ignem majus pondus corpora acquirunt. Præterea hoc in artificio, ſi quis illud recte exploratum habeat, detegere facile technas & fraudes piſtorum poteſt, ut detexit aliquis SEBALDVS Müller, ipſe piſtor, in Opuſculo Germanico, cui titulus: Becker- und Müller-Ordnung. Qui ſales coquunt, multa ſubminiſtrare poſſunt, ad arcanam & interiorem Phyſicam ſpectantia. Nam, pene quot genera ſalium ſunt (quorum magna, tum ratione naturæ, tum ratione fundi, eſt diverſitas,) tot ſunt præparandi modi. Nemo autem curioſius inveſtigavit, quam BASILIVS VALENTINVS, ſive verum illud Autoris nomen, ſive fictum ſit, in ſua *Haligraphia*, quam edidit Joh. Toldenius. Sed pauca iſta nobis ſufficiant. Nam ſi ſingula diſcutere velimus, magni voluminis illa res eſſet. Titulos ſpeciales artium Mechanicarum, quorum ſingularis in Philoſophia naturali uſus eſt, vide concinnatos apud Verulamium *in Paraſceve ad Hiſtoriam naturalem.*

Hoc itaque modo, ſecundum mentem Baconis inſtrui debet Hiſtoria Natura- 7
lis Inductiva. Cum vero Opus illud non unius hominis ſit, aditus tamen tentandus eſt, &, quatenus noſtra opera res produci poteſt, producenda. Quod ſi itaque Hiſtoriam ex omni parte Inductivam habere non poſſumus, conficiamus aliquam ex Inductiva & Narrativa quaſi mixtam, ita ut ſub ordine corporum naturalium colligamus, quicquid vel experientia noſtra inquiſivimus, vel relatione fide digna accepimus, vel cogitatione noſtra ſuſpicamur; proderunt tamen iſta omnia,

quanquam imperfecta. Quam rationem tenent viri eruditi, qui præclari aliquid conantur in Operibus naturæ. Ex omnibus ROBERTI BOYLII libris patet, diligentiſſimum illum eſſe conquiſitorem Hiſtoriæ Naturalis, tum ex experimentis propriis, tum alienis, tum ex amicorum relationibus. Qua in parte credulus nimis videtur vir alioquin ſagaciſſimus. Si quis librum ejus legat, quem Anglica lingua ſcripſit *de Uſu Philoſophiæ naturalis*, mera hic inveniet experimenta, per hiſtoriam quandam, ſed confuſam, congeſta, ſuper quibus, ut habet fœcundum ingenium, philoſophemata ſua inſtituit. Magna illorum pars in relationibus conſiſtit, quarum fides, ſi non ſit dubia, multum commodi afferre poteſt in re naturali. Si quis accuratius agere velit, relationes de rebus naturalibus ſingulari libro ſeponere poſſit, & ad ulteriorem dijudicationem reſervare. Boylio certe converſatio illa cum tot viris eruditis, popularibus & peregrinis, magnam rerum naturalium lucem accendit, ac ſolemus interdum expeditiore via duci per relationes, quam per lectiones. Boylii domus commune quaſi Oraculum eſt Gallorum, Belgarum, Germanorum, Italorum, qui ejus nominis fama moti adeunt illum, ac ſermones ſuos miſcent, cogitata & experimenta ſæpe promunt. Ex variis illis relationibus, meditationibus, cogitationibus, ſi inter ſe ab ingenio profundo conferantur, multa analogiſmo quodam deprehendi poſſunt, etiam arcaniſſima, de quibus fortaſſe non cogitaſſemus, niſi hæc ſubminiſtrata fuiſſet occaſio.

8 Adjungit Baco Verulamius ipſi Doctrinæ phyſicæ Appendiculas aliquas, quæ potius ad ipſam Hiſtoriam Naturalem referendæ videntur. Suntque *primo* Problemata Naturalia, quibus de effectibus naturæ inquiritur & cauſæ multiplices aſſignantur. Quale Problematum Specimen, Comm. Lud. Septalic. illuſtratum abſoluto, inter Ariſtotelis ſcripta habemus. Suntque non pauci etiam inter recentiores, qui problematice de multis Naturalis Philoſophiæ capitibus egerunt, inter quos nunc ſuccurrunt *Alexander Taſſonus*, qui librum ſub Titulo *Cogitationum diverſarum*, lingua Italica edidit. Et ARN. SENGVERDIVS, cujus *Exercc. Phyſicæ* de Miſcellaneis quibusdam Phyſicæ Specialis, Amſt. A. 1658. *in 8vo* editæ, non contemnendæ ſunt, ac multa habent alicujus frugis. *Secundo* Placita Philoſophorum, quibus complectitur Dubitationes generales circa principia & fabricam hujus univerſi, quæ res magni uſus eſt. Quanquam enim ſcientiam per ſe non pariat, tamen a præjudiciis abſtinet, at libertatem nobis quidvis ſentiendi relinquit. Dubitatio, quæ principium eſt ſcientiæ, intellectum ad ſtatum inquiſitionis reducit, neque enim in dubitationibus ſubſiſtendum eſt, ſed eum ob finem dubitationes ſciendæ, ut in ipſam ſcientiam ducamur. Perducimur autem ſæpe, ſi collatis tot ſententiis, natura duce, tandem in aliquam dilabamur, quæ vero ſit conſentanea. Antequam vero dubitatio ſcientiam pariat, ſedulo cavendum eſt, ne dubitationem ipſam in ſcientiam convertamus, quæ deinde, accedente authoritate, ſectas parit. Quare nos recte feciſſe arbitramur, quod Hiſtoriæ noſtræ Naturalis primam partem conſtituerimus Hiſtoriam illam placitorum, quam inter deſiderata refert Baco Verulamius. Eo enim fine id fecimus, ut tum ipſi Hiſtoriæ Naturali ſatisfaciamus, cujus maxima pars in ea re conſiſtit, tum ut

ex

ex collatione mutua aliquam veritatem eliciamus. Id enim deprehendere licet, in tot ſententiarum divortiis, aliqua eſſe, quæ teſtentur, notiones Philoſophorum generaliſſimas aliquam inter ſe convenientiam habere, ut ſtudio naturali idem pene accidere videatur, quod accidit Aſtronomiæ, quæ ex diverſis hypotheſibus & Syſtematibus eadem effecta producit. Ac mirum certe eſt, olim, cum regnaret Notionalis illa Phyſica, non defuiſſe tamen naturæ Artifices, qui, iſtis principiis nixi, ſtupenda tamen opera perfecerint, de quibus fruſtra laborant ſubtiles iſti & lyncei Atomorum ſpectatores, qui adeo in numerato ſe habere omnes naturæ poteſtates exiſtimant, ſi quippiam ex habitu corporum exteriore deducant. Memorabilis illam in rem eſt Epiſtola Merici Caſauboni, Iſaaci filii, quam ad Petrum Molinæum de Studio Societatis Regiæ in Anglia Anglico ſermone ſcripſit, in qua veterum inventa & artificia cum hodiernis conferens, antiqua iſta adeo præfert novis, ut omnes novorum conatus in iis indagandis per ſua principia ſunt fruſtranei. Ad Hiſtoriam illam placitorum pertinent, non antiquorum tantum Philoſophorum ſententiæ, quæ ex Hiſtoriis philoſophicis deprómi poſſunt, aut ex iis, qui ſparſim earum mentionem faciunt, ut faſciculo illo Plutarchi *de placitis Philoſophorum*, ex citationibus Platonicis, ex confutationibus Ariſtotelis, aliis item, qui incidenter talia tractant, & rebus ſuis immiſcent, ſed nec excludendi hic ſunt recentiores, qui vel antiquorum Philoſophorum dogmata reſuſcitarunt, novisque argumentis confirmarunt, vel quorundam Philoſophorum principia confuderunt. Vix enim hodie quis principia comminiſcatur, a Philoſophorum veterum Scholis plane diſcrepantia.

Quarto addenda eſt Hiſtoriæ Naturali Hiſtoria Errorum popularium. Quemadmodum enim per errores ſapere vulgo ſolemus, ita & in re naturali magnum ſcientiæ promovendæ præſidium eſt, noſſe illa, quæ falſa ſunt, & ſub ſpecie veri intellectui imponunt. Hoc in argumento nemo plenius inter recentiores verſatus eſt, quam THOMAS BROWNE, Anglus, Autor illius libri, qui inſcribitur: *Religio Medici*. Is patria lingua librum ſcripſit hoc Titulo: *Pſeudodoxia Epidemica;* doctum ſane & elegantem, quem in linguam Belgicam notiorem convertit aliquis Johannes Gründahl, Amſtelodami, anno 1668. *in 8vo*, editum, & poſtea etiam alius in Germanicam. Hic primo libro docte disquirit de cauſis errorum in rebus naturalibus & particularibus. Neque enim ſolum errores in Philoſophia naturali oſtendit, ſed & in ſententiis quibusdam Hiſtoricis, Theologicis, ac in Artibus quoque Mechanicis, quin & in Medicis; quanquam de hoc argumento peculiarem librum ſcripſerit IAC. PRIMEROSIVS. Legi etiam in illam rem, & conferri cum hoc inſtituto poteſt MERICVS CASAVBONIVS, Iſaaci filius, in doctiſſimo libro *de fide rebus naturalibus, civilibus & divinis, habenda, vel non habenda*, quo, Anglica lingua conſcripto, ex omni Hiſtoria diligenter inquirit in operationes naturæ prodigioſas & ſingulares; qui liber prodeſſe magnopere poteſt hoc negotium tractaturo. Diligenter quoque hac in parte inquirendum eſt in ipſam errorum cauſam & originem, ubi enim illa innotuerit, ſtatim ceſſabit admiratio, & monſtra illa opinionum evertentur, quæ ficto alicui prodigio 9

ſuperſtruuntur. Eorum maximus eſt in re naturali numerus. Si quis enim ſecretorum naturalium Scriptores, qui de occultis Qualitatibus, Sympathia, Antipathia, Faſcinis, Magnetiſmo, tractarunt, diligenter perſpexerit, infinitam talium rerum ſylvam invenit. Quorum errores facile detegentur, ſi in cauſas eorum inquiratur, quia vel ſuper ſignatura aliqua externa, vel influxu aliquo aſtrorum, aut aliqua alia nugaci Sympathia, ſunt fundati.

10 Quemadmodum Errorum & Dubitationum ſylva ad ſcientiam confert, ita earum rerum, quæ jam tum inventæ ſunt, & certorum experimentorum, ſingularis ratio habenda eſt. Nolim enim hæc miſceri cum ceteris. Baco Verulamius Appendicem facit Phyſices operativæ, ad quam pertinet hæc doctrina, cum conſideratur in ordine ad operandum. Referri tamen etiam poteſt ad Hiſtoriam Naturalem, ſive partem aliquam ſeorſim conſtituat, ſive addatur ipſi Hiſtoriæ Naturali generali. Baco vocat Inventarium opum humanarum, quo enumerentur omnium hominum bona & fortunæ, ſive ſint ex fructibus naturæ, ſive proventibus artis, quæ jam habentur, & quibus homines fruuntur, adjectis illis, quæ olim fuiſſe conſtat, nunc autem perierunt. De quibus integri libri conſcripti ſunt, a Gvid. Pancirollo, *de Rebus Inventis & Perditis* commentato, aliisque. Addi etiam huic Inventario jubet illa, quæ communi hominum opinione judicantur impoſſibilia. Illis jubet jungere impoſſibilibus proxima, ut alterum humanam inventionem acuat, alterum quadantenus dirigat, ut ex his optativis & potentialibus activa promtius deducantur. Jubet quoque ſeorſim poni exempla experimentorum, quæ maxime πρλύχρησα ſunt, ad aliorum inventionem manuducunt. Sed de hoc experimentorum genere plura dicemus, ubi de indagatione experimentorum per certa quædam Dialectices principia diſſeremus.

11 Vidimus hactenus de ſubſidiis Hiſtoriæ Naturalis e Bacone Verulamio, quibus ſi uſi fuerimus, deveniemus tandem in accuratiorem Scientiæ naturalis cognitionem. Cujus Objectum eſt univerſum illud Syſtema mundanum, proximum vero, quod ſenſibus noſtris ſubjicitur, globus terraqueus, & e globo terraqueo producta. unde peti Hiſtoria illa debet. Objectum autem hoc proximum etiam adeo eſt diffuſum, ut perluſtrari unius ingenii oculo nequeat. Compendium cognitionis habebimus, ſi, quæ in majore hoc mundo diſperſa reperiuntur, ſubjecta rariora in unum aliquem locum congeramus. Quare ad Hiſtoriam Naturalem officina aliqua vel theſaurus rerum naturalium requiritur, qui promtuarii inſtar eſſe poſſit, unde Subjecta naturalia depromamus, & in examen deducamus. Sed ex parte tantum prodeſt ille labor. Cum enim hæc tantum ſint quaſi fragmenta naturæ, & a matrice ſua avulſa, perfectam ex illis cognitionem habere non poſſumus, quanquam iis juvari conatus noſtri poſſint. Quemadmodum in ſcientiis addiſcendis libris opus habemus, ita in ſcientia naturali experimentali uno hoc Volumine opus habemus, cujus Epitomen exhibere nobis poteſt inſtructum aliquod rerum naturalium Muſeum. In iis adornandis, tam viri docti, quam integra Collegia ſollicita fuerunt, ac exſtant non pauca in variis locis, quæ non exiguo labore congeſta ſunt. Horum Deſcriptiones aliquot habemus, inte-

integris Voluminibus traditas, Muſeum ſc. Calceolarianum, Muſeum Wormianum, Aldrovandinum, &c. quibus Icones rerum naturalium exhibentur, & Diſſertationes ſuper rebus naturalibus inſtituuntur. Hi libri Indicum inſtar eſſe poſſunt, a Muſea ipſa ſunt quaſi Loci quidam Communes naturæ, ſi bene ordinata ſint, & in Claſſes ſuas diſtincta. Sed & in illis ſuperſtitioſior quorundam diligentia eſſe ſolet, in quibusdam naturæ inanibus nimis occupatorum. Tales enim reduvias potius & ungues, ut proverbio dicitur, quam caput, curant. Quid enim prodeſt ad rerum naturam cognoſcendam, adeo accurate depictas habere omnes plantarum ſpecies, ut ſunt multi, qui Herbaria viva magno ſumtu adornant, nullo alio fine, quam ut ſpeculentur varios materiæ ſchematiſmos, quos natura in ejus ſuperficie duxit. Parum enim adjumenti ad rem Phyſicam ex minuta illa cura confertur, tempus autem inutiliter conſumitur, quod poterat utilius impendi aliis laboribus. Nimirum omnibus diſciplinis accidit, aliqua in parte nugari, ac minutiæ quædam in ſingulis occurrunt, quibus ſæpe nos ac alios, maximo temporis & ſententiæ ipſius damno, detinemus. Qualis ingenii noſtri abuſus tot ſuperflua peperit in omni ſcientiarum genere, de quibus eliminandis, ne dum augendis, ſollicitiſſimos nos eſſe oportet.

Muſeorum Hiſtoriam generalem magna diligentia per Compendium dedit 12
Clariſſimus Collega noſter, J. Dan. Maior, in ſcripto illo Germanico, cui titulus: Seefahrt nach der neuen Welt, *num. 49.* Integrum autem de iis Opus jam præ manibus habet. (*a*) Deſiderarem vero alium quendam laborem circa Muſea, nim. ut

(*a*) Operis de Muſeorum Naturalium Hiſtoria Germanica a D. Joh. Dan. Majore promiſſi, & Tractatus plures, quam 30 complexuri, Tractatus quatuor tantum priores Kilonii an. 1674. & 75. *in fol.* prodierunt. Primus ſc. Generalis (Unvorgreifflicher Bedencken von Kunſt- und Naturalien-Kammern ingemein) Mich. Bernh. Valentini *Muſeo Muſeorum*, mox laudando, nuper etiam adjectus, & tres ſpeciales de Muſeis, 3. Americanis & Aſiaticis, 2. Africanis, Conſtantinopolitanis, Melitenſibus ac Siculis, 3. Neapolitanis, & Antiquioribus Romanis. Reliquos, a Gumth. Chr. Schelhammero (*in Addit. ad Conringii Introduct. in Art. Med. p. 294*), aliisque, publice, ſed fruſtra hactenus, efflagitatos, an Autor abſolverit, dubito. Extant & ejusdem *Bibliotheca ſine Libris*, Schediaſma aliquot quaternionum exiguum, ἀνώνυμον, ſine Loci Temporisque mentione, editum, in quo itidem de Rerum Naturalium Muſeis, eorumque uſu multiplici, diſſerit, nec non Poëma ejusdem argumenti vernaculum, Kilonii an. 1679. *in fol.* ſub Tit. Groſſer Reichthum, zuſammen gebracht aus den meiſten Theilen der Welt, oder Poëtiſcher Interims-Diſcurs von Kunſt- und Naturalien-Kammern) editum, & Dav. Schelhammero, Biblioth. poſtea Hamburgenſis Præfecto, inſcriptum. Moliebatur Schelhammerus illi Opus, quale a Morhofio *h. l.* deſideratur, de Subjectis Naturæ rarioribus, in Muſeis, alibique, obviis, Phyſico-Hiſtoricum Germanicum, cujus ὕλην MStam, e variis Muſeorum Deſcriptionibus & Itinerariis congeſtam, J. Dan. Major, modo allegatus, multis quidem & Hyperbolicis, *in Præfat.* ſua extollit laudibus, Amico forte, a quo Muſeum ſuum haud parum eſſe locupletatum fatetur, hoc pacto gratiam relaturus, ego autem, qui eandem ſæpius inſpexi, curioſo hujus Seculi genio ſatisfactu-

ex jam editis Muſeorum Deſcriptionibus unum aliquod conficiamus, ut ſub uno intuitu ſiſti poſſint ſubjecta naturæ, hinc illinc congeſta, eorumque diverſitates & convenientiæ notari. Sed oporteret exquiſitum obſervari ordinem, qualis labor prodeſſe maximopere poſſet in inquiſitione rerum naturalium. Si e. g. ſolum Regnum minerale per Claſſes ita diſtributum, ſecundum ſpecies illas, quæ in Muſeis ſervantur, haberemus; magnæ certe utilitatis res eſſet. Nam perreptare omnes terræ ſinus unius hominis opus non eſt, ac ea eſt, rerum mineralium infinitas, ut vel multi homines tanto operi pares non ſint. Quare in lucro deputare poſſemus, ſi quæ jam ab aliis ſunt congeſta, conferantur & expendantur. In hoc argumento præire nobis poterit ULYSSIS ALDROVANDI *Muſeum Metallicum*, quod poſt mortem ejus editum eſt. Longe inſtructiora haberemus naturæ gazophylacia, vel potius ipſum naturæ & mundi ſimulachrum, ſi rerum naturalium ſubjecta per certas domos haberemus diſpoſita, & vivas quasdam operationum naturalium imitationes. Cujus gazophylacii inſtruendi rationem dedit Baco Verulamius in elegantiſſima illa fabula *Novæ Atlantidis*. Ubi, quemadmodum Thom. Morus *Utopiam* ſuam, ita ille civitatem aliquam ſapientum deſcribit, ubi ſit & regimen Politicum perfectiſſimum, & omnium ſcientiarum ſumma perfectio. Eo certe fine fabulam hanc ſcripſit, ut doceret nos, quemadmodum inſtitui illa omnia poſſint. Fingit hic certa conclavia, certasque domos, certis naturæ operationibus adaptatas: (1) Cavernas amplas & profundas diverſæ profunditatis, quibus utantur novi illi cives ad mineras naturales imitandas, & ad prolongandam vitam, pro Eremitis, qui illic habitare cupiunt; (2) Sepulturas corporum naturalium, ubi Cæmenta conduntur, quemadmodum Chinenſes condunt procellanam ſuam: alias item cavernas pro variis ſtercorationibus & fimis; (3) Turres præltas diverſæ altitudinis pro ſpeculatione Meteororum & habitationibus Eremitarum, qui vitam producere cupiunt; (4) Lacus magnos & ſalſos, in quibus piſces varii generis generentur, ac opera quædam maritima peragantur; (5) Puteos artificiales, ad imitationem naturalium, vitriolo, ſulphure, nitro, aliisque mineralibus tinctos; (6) Ædificia pro imitamentis & repræſentationibus variorum Meteororum; (7) Cubicula vario aëre impleta, qui ad libitum ſtringitur & temperatur, pro curationibus morborum; (8) Balnea varia, ex diverſis tincturis præparata; (9) Pomaria & hortos, qui arbores & fructus ferant, artificiis certis variatos; (10) Septa & vivaria pro beſtiis & avibus, in quibus novæ animalium ſpecies per mutuas admiſſiones producantur; (11) Loca generationi inſectorum deſtinata; (12) Domos pro conficiendis variis potionum generibus, ex variis vegetabilium ſpeciebus, certo temporis ſpacio & modo fermentatis; Potibus etiam Medicatis inveniendis ex variis vegetabilium infuſionibus; Panibus quoque ex variis

ram eſſe, præſertim cum Autor ejus judicio haud admodum valeret, perſuadere mihi vix potui. Noviſſime, hoc ipſo Anno 1704. ſimile Opus, Lingua Germanica, Francofurti *in fol.* a Mich. Bernh. Valentino, Prof. Acad. Gieſſenſis Medico, eſt publicatum, ſub Tit. *Muſei Muſeorum* ſive der vollſtändigen Schaubühne aller *Materialien* und *Specereyen*. Cujus, mihi donum viſi, recenſum exhibent *Acta Eruditorum Lipſienſia, Mſ. Aug.* an. 1704. *p. 363. 364.*

variis granis, radicibus, nucibus, glandibus, carnibus & piſcibus, conficiendis; (13) Diſpenſatoria & officinas pharmacorum; (14) Officinas varias artium Mechanicarum; (15) Fornaces varias, quibus opera generationis & vegetationis perficiantur, & pulli excludantur; (16) Domus perſpectivas, ubi exhibeantur varia artificia optica, demonſtrationes umbrarum & imaginum, irides artificiales, &c. (17) Domos ſonorum, ubi omnis generis Inſtrumenta Muſica recondantur, ſoni varii repercutiantur, augeantur, deferantur; (18) Domos ſuffituum & odorum ac ſaporum, ubi odores naturales imitatione ex rebus variis exprimuntur, ſaporum quoque artificiales miſturæ parantur; (19) Domus Machinarum, pro motuum variis operibus in natura imitandis, ut ſunt motus animalium, ratione volatus, ratione actionum naturalium, ac denique omnes alii motus, quibus commoditati & neceſſitati ſubvenitur; (20) Domum Mathematicam, pro inſtrumentis Mathematicis & Aſtronomicis; (21) Domum præſtigiarum, ubi exhibentur variæ eluſiones & fallaciæ ſenſuum. Hæc ille prolixe illic enumerat, ſvaviterque pro ingenio ſuo expendit, non, quod eo modo putet a privato quopiam inſtrui poſſe naturæ opes, ſed, quod a Magnatibus aut Regibus, (quanquam nec unus Rex, nec unum regnum ſuffecerit,) tam vaſtum naturæ gazophylacium inſtitui poſſe putet, quo in effectum dentur, quæ ille jucundiſſima hac idea præſcripſit. Subjungit porro varias functiones & munera Sociorum, qui in Collegio hoc naturæ operationes exercent. Aliqui illi nominantur, qui ad exteros navigent, qui quæcunque rariora importent, qui illi vocantur Mercatores lucis. Tres facit Deprædatores, qui experimenta, quæ in libris inveniuntur, colligant. Tres, qui nova experimenta inveniant, quos vocat foſſores Tres, qui experimenta in ordinem redigant, ut inde eliciantur Obſervationes & Axiomata, quos Diviſores vocat. Tres, qui ex experimentis ſociorum nova Inventa comminiſcantur, ad uſum vitæ ſpectantia, ac naturales divinationes eliciant; hos Evergetas vocat. Tres alios, qui ex experimentis novis naturam quandam altiorem indagent; hos Lampades vocat. Tres, qui experimenta perſequantur, ac eorum ſucceſſus referant; hos Inſitores vocat. Tres, qui ex experimentis Obſervationes & Axiomata, prævia conſultatione, forment, hos Interpretes naturæ appellat Multa præterea affert de Ornamentis iſtius Societatis, moribus atque legibus, quæ illic prolixe legi poſſunt.

Ex hac imaginaria ſapientum civitate, quam ille ex ingenio ſuo finxit, ortum 13
tamen poſtmodum eſt conſilium iſtud apud Anglos, inſtituendi Societatem aliquam, certis quibusdam Legibus, Regiisque auſpiciis, ad inquirendum in opera naturæ, & certitudinem Hiſtoriæ Naturalis in ſolido locandam. De ejus ortu ac progreſſu aliquid nobis dicendum, ac repetenda quædam breviter ſunt ex *Hiſtoria* iſtius Societatis, quam peculiari libro, Anglica lingua, deſcripſit Lond. A. 1667. *in 4to*, Thomas Spraat, *(b)* poſtea

(*b*) Thomæ Sprathii, Epiſcopi jam ab A. 1684. Roffenſis, *Hiſtoriæ Societatis Regiæ*, ante biennium, Anglice, ſed nulla ſui parte auctior, Londini an. 1702. *in 4.* eſt recuſa. Συναγωγὴν ejus etiam invenies in Henr. Oldenburgii *Transact. Philoſ. M. Jul. A. 1667. p. 407 - 411. Edit. Lipſ.* Actis

poſtea in linguam Gallicam converſo, ac Genevæ A. 1669. in 8vo, recuſo. Agit primum is prolixe de veterum defectibus in Philoſophia Naturali, cum quibus hodierni ſeculi felicitatem confert, initium faciens a Bacone Verulamio, quem laudibus maximis, ut decebat, ornat, aliqua tamen in illo deſiderat, quod ſcil. ipſam Hiſtoriam Naturalem attinet. De quo tamen ita ego exiſtimo, nullum inter hodiernos eſſe, qui ad tanti viri ingenium accedat. Primos Anglos eſſe jactat, qui in Studio naturali tale quid tentarint, qua in re tamen nimium genti ſuæ indulget. Nam & in Italia ante ea tempora, Collegia fuerunt, quorum inter alia etiam hoc inſtitutum fuit, ut excolerent naturam. Qua de re plenius aliquando nos docebit liber, quem de *Phyſicis Italis* ſub manu habet MARTINVS FOGELIVS, Profeſſor Gymnaſii Hamburgenſis, ipſe Hiſtoriæ Naturalis indagator acerrimus. In eo vero nimius ille Autor eſt, & non ferendus, quod ſuorum temporum ſtudia præferat aliis gentibus antiquioribus. Quot enim ſunt, & quam magna, veterum inventa, tum in Natura, tum in artibus Mechanicis, de quibus vix per nebulam, nobis conſtat? Quare merito virgula critica notantur ſocii iſti a Merico Caſaubono, qui in *Epiſtola* ſupra citata modeſte illis objicit veterum ſolertiam, totque inventa alia, quibus illi ſimilia nondum dederint. Sed familiare hoc in illa gente eſt, invidere alienæ gloriæ, ſibi omnia tribuere, aliarum gentium, præcipue Germanorum, ſtudia elevare & contemnere, unde tamen ſæpe illi multa depromunt, quibus libri illorum turgent, quod facile vel integro Volumine demonſtrari poſſit. Ac aliqua ex parte demonſtravit HENRICVS STVBBE, ipſe Anglus, qui libros contra Societatem Anglicam ſcripſit, in quibus, multa aliis ſubrepta, multa jam tum ab antiquis tradita, oſtendit, quorum illi Authores ſe gerunt. Scripſit vero is, motus Thraſoniſmo cujusdam Joſephi Glanvil, qui Tractatum ſcripſerat, cui titulus; *Plus ultra*, quo omnem antiquitatem præ novis illis Philoſophis deſpectui habuit. Huic Stubbius oppoſuit alium Tractatum, cui titulus: *The plus ultra reduced to non plus;* ubi multa novorum inventorum examinat, eaque cum veterum doctrinis confert. Negari tamen nequit, illum in quibusdam affectibus indulgere & præjudiciis, quanquam multa etiam ſint, quæ ille jure perſtringit.

14 Exemplum evidens nos etiam daturi ſumus. (c) Vindicarunt Angli ſibi inventionem

Actis Erud. Lipſ. M. Mart. A. 1703. p. 104-109. & Chr. Junckeri *Tr, de Diariis Erud. p. 17. 18.* Oppoſuit ille Henr. Stubbe *Specimen of ſome Animadverſions upon the Hiſtory of the Royal Society*, editum Lond. a. 1670. *in 4to.*

(c) De Arte hac ſurdos informandi, ejusque Scriptoribus, fuſius diſſeruit Morhofius *in Diſſ. de Paradoxis Senſuum, c. 3. p. 19. 20.* & *L. 2. Polyhiſt. Lit. c. 3. §. 13. ſeqq.* Addendus eſt iſtis Scriptoribus Joh. Conr. Ammannus, Schafshuſia Helvetius, Med. D. qui non ſolum *Surdum Loquentem, ſeu Methodum, qua, qui ſurdus natus eſt, loqui diſcere poſſit*, Amſtelod. 1692. *in 12.* Latine, ac Harlemi Belgice, edidit, in Chr. Thomaſii *Hiſtoria Sapientiæ & Stultitiæ, M. Nov. An. 1693. p. 150-224.* Latine recuſam, ſed & in Eſtera Kolartia, Pet. Kolarti, Mercatoris Harlemenſis (cui Opuſculum ejus eſt inſcriptum,) filia a nativitate ſurda, legere pariter atque loqui a ſe edocta, Methodum illam in praxin feliciter deduxit. V. Pet. Rabi *Biblioth. Europæam*, Belgice editam, *M. Sept. & Octob. A. 1691.* & Wilh. Ern. Tenzelii *Dialogos Menſtruos, M. Jan. A. 1693. p. 37-56.*

tionem cujusdam artis, qua aliqua a nativitate ſurdus, & per conſequens mutus, informari poſſit per viſum, ut ſic ſatis expedite loqui diſcat, & ex motu labiorum ipſum vocum ſonum intelligat. Scripſit ſuper hac re prolixam Epiſtolam Ioh. WALLISIVS, quæ in *Tranſactionibus Anglicis* extat. Scripſit & aliquis WILH. HOLDERIVS Anglico ſermone librum, cui Titulus: *Elementa Sermonis*, quo idem argumentum tractat. Illi in cœlum extolluntur in *Tranſactionibus*, & editor illarum libellum Walliſii *de ratione ſermonis & pronunciationis, quem Grammaticæ Anglicæ* ſuæ addidit, quique fundamentum ſternit huic arti, vehementer laudat, quaſi ante illum nemo exſtiterit, qui naturam & poteſtatem literarum deſcripſerit, Cum tamen Hieronymus Fabricius ab Aquapendente id ſingulari libro longe curioſius exſequutus fuerit, & PETRVS MONTANVS, Sacerdos Batavus, in libro, cui titulus, de Spreke-Kunſt. De arte vero ipſa informandi mutos liber ſatis prolixus conſcriptus eſt, lingua Hiſpanica, a IOHANNE PAVLO BONETTO, quo omnis illa methodus perſpicue proponitur, & in rem ipſam ab illo deducta eſt. Imo antiquior illa ars eſſe videtur, ſi conferas, quæ habet Rudolphus Agricola *lib. 3. de inventione, cap. ultimo.* Hujus tamen hominis ille ne unico quidem verbo mentionem facit. Sed hæc quaſi obiter hic dicta ſunto. Plura fortaſſis dabimus, ubi ad ipſam Tractationem veniemus.

Origo Societatis Regiæ Anglicæ primum ex eo extitit, quod in Academia 15
Oxonienſi viri quidam ingenioſi privatum tale aliquod Experimentale Studium inſtituerint, inter quos fuere *Seth. Wardus*, *Rob. Boylius*, *Joh. Wilkius*, *Thom. Willis*, *Johan. Walliſius*, *Chriſtophorus & Matthæus Wrenii*, ingenio & ſcriptis omnes celebres. Illorum fama cum perveniret ad Gallos, ipſi Academiam Pariſienſem, quæ in linguæ Gallicæ culturam inſtituta erat, ad ſtudium rerum naturalium transtulerunt; ut refert Thomas Spraat. Oxonio Londinum ſtudium rerum naturalium deductum eſt cum viris iſtis, Londinum abeuntibus, ad quorum numerum acceſſio facta a multis Londinenſibus, tam Proceribus, quam Philoſophis, usque dum Regiis auſpiciis An. 1660 illa Societas inſtituta eſt, teſte Diplomate illo, quod inſerit *Hiſtoriæ* ſuæ THOMAS SPRAATVS, quod privilegia Collegii, inſignia, ſceptra, ſigillum, illis tribuit. Antequam illa omnia adornabantur, prodierat ſcriptum ab ABRAHAMO COWLEIO, Poëta inſigni & in ceteris Medicinæ & Philoſophiæ partibus inſigniter erudito, quod ſuppeditabat conſilia pro Studio Experimentali propagando. (Reperitur inter *Poëmata* ejus *Anglica*, Lond. A. 1669. *in fol.* publicata, p. 43.) Bene hic quidem omnia diſpoſita, ſecundum officia Præſidis, Præfectorum ſeu Profeſſorum, Artificum &c. Munia quoque ſingulorum certis legibus eleganter definita, unde poſtea, teſte Thoma Spraato, Societatis Regiæ membra aliqua in rem Collegii ſui verterunt. Sed quoniam is ſumptus nimios impendi volebat in ſingulos Officiales, eorumque numerum nimium auxerat, inconvehiens illi putabant, & quadantenus etiam impoſſibile, ejus conſilium ſequi. Neque enim certos reditus habet illa Societas, nili aliqua donaria, ex liberalitate Procerum, & quæ a ſingulis Sociis, cum primum admittuntur, & deinde in ſingulas hebdomadas, contribuuntur.

Qui fundus quoniam in incerto locatus eſt, mihi quidem non adeo diuturnus videtur, nec ſuffecturus omnibus impenſis, præſertim, ſi ſtudia ab initio fervida, pro more hominum, paulatim refrixerint. Quod enim hic Thomas Spraatus philoſophatur de experimentis in natura, per modica etiam ſubſidia capiendis, mihi credibile non videtur. Admittuntur ad iſtam ſocietatem cujusque profeſſionis, nationis, religionis homines, vel Mercatores etiam & Mechanici, ſi curioſiores ſint, & rem naturalem juvare experimentis poſſint. Conſilium eorum eſt, his experimentis Hiſtoriæ Naturalis certitudinem in ſolido locare. Methodus inquirendi iſta eſt, ut non multis, ſed uni, hoc ſubjectum, aliis aliud, examinandum proponatur, quæ poſtea in medium conferuntur. Inquiſitio in remotiora ſubjecta naturæ inſtituitur per Commercium Epiſtolare cum hominibus, qui illis in locis vivunt, vel Reſidentibus Anglicis, qui & ipſi pene omnes in Membris Societatis ſunt, vel aliis viris eruditis. Semel in hebdomade conveniunt, cujus Conventus Præſes aliquis temporarius eſt conſtitutus. Aſſeſſores illi ſunt viginti & unus, qui ex numero Sociorum per ſortem eliguntur. Sociorum indefinitus numerus, Secretarii duo ſunt, qui literas prælegant, aut exponant exponenda, aut proponant certa deliberationis capita, de quibus ſinguli ſententias ſuas pronunciant, dirigente ita Præſide. Nulla certa principia Philoſophica illis præſcribuntur. De principiis enim omnibus ſecuri inveſtigari tantum naturam ipſam jubent. Experientia enim ſimplex eſt & una, quæ, ut in facto conſiſtit, ita refertur ab Inquiſitoribus & Curatoribus experimentorum, ad id ſpeciatim conſtitutis. De principiis differtur omnis contemplatio, usque dum ita ſit exculta Hiſtoria experimentalis, ut certi rerum ſuarum eſſe poſſint. Commercia literaria circa negotia naturalia perpetua habent cum Gallis, cum Italis & Florentinis. Nam & apud illos, auſpiciis magni Ducis Hetruriæ, inſtitutum eſt tale aliquod Collegium Naturale, unde liber etiam, *Ducalium Experimentorum* Titulo, prodiit. Artes Mechanicas adeo in ſocietatem hujus ſtudii receperunt, ut & Profeſſorem artium Mechanicarum conſtituerit Rex, qui ſtatis temporibus publicas lectiones de iis haberet, quod conſilium vehementer laudat Thomas Spraat. Cetera hujus Societatis Statuta legi apud illum Autorem poſſunt, cum Exemplis variorum capitum, quæ in conſilium deducta ſunt, & ſuper quibus inquiſitiones ſuas formarunt hujus Collegii Aſſeſſores. Enarrantur illic etiam varia inſtrumenta, quæ in uſum hujus Studii comparata ſunt vel, eo tempore, cum ſcriberet, inventa conſiliis & ope Sociorum. (*d*)

Poſt-

(*d*) Cum iis, quæ *h. l.* & *ſeq. §. 16.* de Societatibus Eruditorum afferuntur, in Naturæ occupatis ſcrutinio, conferri poſſunt, quæ *T. I. Polyhiſt. L. I. c. 14.* de iisdem jam ſunt obſervata, de Actis & Obſervationibus illarum, quæ ejusdem Libri *c. 16. §. 34. ſeqq.* breviter ſunt monita, & Supplementum longe uberrimum, cui capiendo Hypomnemata noſtra non ſufficiunt, e Chr. Junkeri *Schediaſmate de Ephemeridibus, ſive Diariis Eruditorum Hiſtorico*, Lipſiæ A. 1692. *in 12mo* publicato, aliisque Scriptoribus nuperis, deſiderant. Fallitur vero Autor, dum *h. l.* Thomæ Spraatii ſecutus autoritatem, Academiam Francicam, ad Gallicæ linguæ culturam, Card. Richelii auſpiciis erectam, ad ſtudium rerum naturalium, a Gallis, Anglos æmulan-

Poſtquam ab Anglis conſilia Naturalis Hiſtoriæ reſtaurandæ ſuſcepta, & primo 16
ſtatim tempore res non infeliciter cederet, viam patefecerunt ceteris etiam nationibus ſimilia facilitandi. Quanquam jam tum apud Italos, antequam Angli id cogitarent, talia conſilia ſuſcepta. Longe tamen acrius in id incubuerunt, poſtquam viam hanc tentarunt Angli, qui commercio iſto literario eorum induſtriam primum excitarunt. Prodeunt Romæ ſingulis menſibus Relationes de rebus naturalibus, ut fit in Anglia. Sed rarius eæ ad nos exportantur. Quæ Florentiæ, circa naturam præſertim aëris & vacui, Magni Ducis auſpiciis, ingenioſa experimenta tentata ſunt, ſingulari libro illic prodierunt Anno 1668. (*in fol.*) cui Titulus: *Diſcorſus Saggi Academici, di Naturali Experienze fatti nell' Academia del Cimento.* In Gallia ſimiliter talia Collegia ſunt inſtituta Poſtquam enim *Ephemerides Eruditorum*, quas ediderant, in deſvetudinem abiere, loco earum meræ Relationes Phyſicæ, quæ conſtant experimentis, tam in Gallia, quam extra Galliam, inventis, itidem ſtatis temporibus prodeunt, ſcribente illas *J. Bapt. Dionyſio*, Regio Medico, quibus Titulus *Memoires concernant les Arts & les Sciences.* Sed pleraque in illis ſunt peregrina; niſi enim haberent, quod ab Italis vel Anglis transſcriberent, vix momenti alicujus eſſet, quod in lucem proferunt. Anglicæ Relationes ſingulis menſibus éduntur, in quibus multa etiam peregrina, ſed plura tamen, quam in Gallicis, domeſtica. Addi etiam illis ſolent Recenſiones librorum, qui circa argumenta naturalia ſcribuntur. Sed in iis tamen non ille delectus adhibetur, qui adhiberi debebat. Multa enim omittunt, quæ affectu aliquo ducti, credo, omittunt adverſus Germanos, multa referunt in cenſum illum, quæ nullius pretii ſunt. Editor illarum Relationum non tamen vult contineri illis Acta Societatis Regiæ, ſed Opus aliquod privatum, a ſua tamen induſtria profectum vocari cupit. Quam ob cauſam ſuccenſet illis, qui in Latinam linguam transferentes Titulum libro dedere: *Acta Societatis Regiæ.* Societas enim Regia, quæ in Collegio ipſo obſervata ſunt, hactenus celat. Verſiones harum *Tranſactionum* plane non ſunt accuratæ, inprimis, quæ a Joh. Sterpino editæ ſunt. Melior aliquantulum illa eſt, quæ a Chriſtophoro Sandio nuper continuata eſt; utriusque Defectus & Errores monſtravit ipſe Autor Anglicarum Relationum, Henr. Oldenburgius, verſionem novam Latinam Operis proprii, ſi diutius vixiſſet, daturus. *Hafnienſes Medici*, ad imitationem Germanorum & Anglorum, ſingulis annis *Acta* quædam edunt, quibus Rerum Medicarum & Phyſicarum Hiſtoriæ ſingulares continentur. In Germania *Collegium Naturæ Curioſorum* ſingulis annis magnam Obſervationum ſylvam edit, quæ hinc illinc corroduntur, quibus tamen molitionibus ſcopus iſte non obtinetur, qui quærebatur, accurata ſcil. aliqua Hiſtoria Naturalis. Subleſtum enim Relationum & Obſervationum

 fun-

æmulantibus, translatam, eſſe perhibet. Francica enim iſta, etiamnum ſuperſtes, nunquam alia, quam Linguæ Gallicæ & Literarum elegantiorum ſtudia, excoluit. Quæ vero circa res Naturales occupatur, Academica Scientiarum & Artium Regia, a Ludov. XIV. Rege a. 1666. excitata, ab iſta plane eſt diverſa. De Scriptoribus Hiſtoriæ illius, Joh. Baptiſt. Hamelio & Fontenellio, ad *T. I. L. I. c. 14.* ad §. 42. jam nonnulla attulimus.

fundamentum eſt, quod ab aliena manu habemus. Quemadmodum enim in Grammaticis prurigo quædam eſt, Regulas conficiendi, & in Dialecticis diſtinctiones inveniendi & terminos; ita in Phyſicis etiam morbus quidam invaluit, novas ſemper Obſervationes cudendi, quæ non raro prodeunt ex libidine aliqua paradoxologiæ, & novaturiendi ſtudio magis, quam veritatis, a quibus niſi temperetur, veteris morbi recidivam patiemur, ut pro hiſtoriis fabulas habeamus. Neque dicam de Obſervationibus ipſis, quæ ſic ſparſim comparatæ ſunt, e quibus nulla certitudo Axiomatum formari poteſt. In Germanis vero deſidero præprimis temperantiam aliquam in Commentariis & in opinionum Locis Communibus, quibus illi Annales ſuos inſpiſſant, quibus potius lumini officitur, quam lux aliqua accenditur. Id ego ſerio optarem, ut uno ſenſu aliquo ducerentur omnes in experimentorum methodo. Latitant enim certe in Germania apud Operarios Chymicos, qui vere ſunt inſignes, & quibus ſimiles in nulla gente reperiuntur, experimenta, quæ ſi in lucem protraherentur, multis modis ſuperare poſſent aliarum Gentium conatus. Ac ſolent tales homines ſolertiores eſſe, quam qui ſcholas nimis ſapiunt, præjudiciisque aſſueti, intentatam experimentorum viam habent. Quod ſi quis ſagacior Philoſophus eorum arcana perreptaverit, mirum in modum poſſet locupletare doctrinam Phyſicam. Candidus ſane ea parte videtur Scriptor *Hiſtoriæ Societatis Anglicæ*, Thomas Spraat, qui indolem illam inquiſitivam Germanorum præ ceteris gentibus laudat, ut gloriæ ducat genti ſuæ ex Germanica natione eſſe propagatam, atque ex illius origine illam indolem transfuſam; ob quod ingenuum certe teſtimonium ceteris popularibus ſuis anteferendus eſt.

17 Atque hæc hactenus de Inſtitutione certorum Collegiorum, ad Philoſophiam Experimentalem propagandam. De quo conſilio ſero nunc demum, ante hos quindecim annos, (utinam ſerio!) cogitatum eſt. Quanquam non defuerint, etiam ſub initium hujus Seculi, qui iſta conſilia animo agitarint, ſed tamen, ut ſunt homines ſuæ ſalutis ſæpe negligentiſſimi, non auditi fuerunt. *Magnus Pegelius*, *Profeſſor Roſtochienſis*, Anno 1604. libellum in lucem edidit, cui Titulum fecit: *Theſaurum rerum ſelectarum, magnarum, dignarum, utilium, ſuavium, pro generis humani ſalute oblatum.* Quo in libello Autor ille varia, tam in ſtudio naturali, quam in ceteris diſciplinis & omnibus artibus mechanicis, inventa proponit, a ſe excogitata, & cum iis communicanda, qui ſumtus in illa impendere, & labori ſuo mercedem ſtatuere, non detrectaverint. Multa in his invenio, de quibus vir ille cogitavit, jam tum ſuo tempore, de quibus hodie nunc disquiritur, ac inventa magno triumpho a nonnullis ducuntur. Hic inter cetera pollicitus eſt, conſilia ſe ſubminiſtraturum, quomodo a Magiſtratu, Magnatibus, Communitatibus, Urbibus, deputandi & ſuſtentandi nonnulli, qui utiliſſimas res inveniant, & inventa præclare ulterius experiantur; quod ſic fieri poſſit, ut etiam homo unus, & diebus paucis, & domi quidem, longe utiliora experiatur & exequatur, quam Alexander M. dum animalibus indagandis pro arte impendiſſe ſcribitur 400000. Coronatorum, & ablegaſſe per terra-

rum

rum orbem ter mille homines. De quo labore recte judicat idem Autor; non mereri iſtam laudem, quæ vulgo illi tribuitur, & tanto ſumptu plane indignum eſſe, quo longe perfectior haberi hiſtoria poterat. Atque ita, vel in mediis tenebris ſæpe inveniuntur ingenia, quæ nonnunquam lucem per nebulam videant, ipſa vero a caligine invidiæ, paupertatis & avaritiæ opprimantur.

Hactenus de Hiſtoriæ Naturalis propagatione, ex mente Baconis Verulamii, 18
fuſius dicimus; reliquum jam eſt, ut de Methodo inveniendi experimenta, adeoque nova aliqua Dialectica Phyſica, quædam in medium afferamus, tam ex Baconis, quam aliorum recentiorum Philoſophorum, ſententia.

Quemadmodum rerum inventio conſiſtit in conjunctione rerum ſimilium, & ſeparatione diſſimilium, quæ certos quosdam Locos habet in Logicis, Generales ſc. Titulos, quorum indicio mens dirigatur in combinationibus rerum; ita ſimiliter procedere in omni negotio poſſumus. Quomodo in Logicis Loci iſti ad Argumentorum inventionem ducunt, ita deducere etiam nos poſſunt ad inventionem rerum. Atque in eo præcipue uſus Logices conſiſtit, vulgo ignoratus, cujus miniſterio non in argumentis tantum, ſed etiam in quibuscunque negotiis, uti poſſumus, modo rem non intra generales illos terminos concludamus, ſed ad ſpecialiora nos diffundamus. Quod negotium noſtrum attinet, Artem ſc. Experimenta indagandi, illa certe fundamentum in Locis iſtis habet, quanquam Thomas Spraat, *Hiſtoriæ Societatis Anglicæ* Scriptor *pag. 89.* impoſſibile exiſtimet, ad Artis regulas revocare Experientiam, propter infinitas, quæ rem variant, circumſtantias. Quem tamen ego audiendum eſſe non exiſtimo. Utut enim verum ſit, multis modis variari rerum circumſtantias poſſe, dari tamen certi quidam conceptus poſſunt, ſecundum quos mentis operationes dirigantur. Si ſingularia & infinita illa velimus reſpicere, eadem in ceteris quoque ſcientiis deprehendemus, in quibus tamen a generalioribus principiis & Axiomatibus formandis ab iſta rerum multitudine non deterremur. Magnus certe artis Analyticæ, ſive Combinatoriæ, ut quidam vocant, per omnes diſciplinas, omniaque negotia humana, uſus eſt, ſi modo illam certa methodo definitam ac præceptionibus deſcriptam haberemus. Sed hactenus inter deſiderata illa referri debet, optandumque eſſet, ut de ea diſpicerent eruditi. Hujus certe propago Ars inventiva eſt, quam deſiderari queritur Verulamius; vel potius illa ipſa eſt. Sub hac Arte inventiva multo maxima comprehenduntur. Et Verulamius quidem, *lib. 5. de ſcientiarum augmentis, cap. 2.* primo loco ponit Artem inventivam ipſarum artium, ſeu mechanicarum, ſeu liberalium: quæcunque enim de artibus habemus, caſu potius & neceſſitate, quam conſilio, inventa ſint. Et erat tamen in Arte illa rationis fundata methodus, qua Artes ipſas invenire poteramus, ut prolixe demonſtrat Verulamius. Qui hic vero mentis errores evitandi ſunt, prolixe diſquirunt idem Verulamius in ſuo *Novo Organo*, & Autor ille Gallus Anonymus, qui lingua vernacula novam aliquam Logicam, quam *artem cogitandi* vocat, ſcripſit, *part. I. cap. 8. 9. 10. 11.* Ubi de idearum claritate & diſtinctione, ac earundem obſcuritate

ritate & confuſione, ejusque confuſionis remediis, agit. (Liber ille in Latinam verſus linguam prodiit Lugdun. Batav anno 1674. *in Svo.*) Legi etiam in illam rem poteſt, animusque eo præmuniri contra errores, libellus doctiſſimus Roberti Boyii *de infido Experimentorum ſucceſſu*, ubi in cauſas errorum inquirit, ac, propoſita multorum exemplorum farragine, oſtendit, quam ſæpe minima circumſtantia, ac vix interdum vel ſagaciſſimo animadverſa, experimenti eventum vel dubium fecerit, vel plane nullum.

19 Ars iſta experimenta indagandi Verulamio vocatur ars judicii & directionis, cujus ille duas partes conſtituit. Nam vel procedere dicit ab experimentis ad experimenta, vel ab experimentis ad Axiomata, quæ & ipſa nova experimenta deſignent. Priorem harum partium experientiam literatam nominat. Poſteriorem vero interpretationem naturæ, quam ille Hermeneuticam Phyſicam, ut peculiarem aliquam diſciplinam, libello, cui titulus *Novum Organum*, proponit, quæ in univerſalibus formandis ſollicita eſt, cum prior illa circa ſingularia occupetur, non minori etiam artificio, quanquam poſteriorem priori huic præferat Verulamius. Modos ipſe præſcribit experimenta capiendi, non quidem ſecundum ordinem Dialecticæ inſtructos, ſed qui facile ad illum reduci poſſunt; ſpecialiores enim locos oſtendit, omiſſis generalibus illis, quibus tamen hi ſubſternuntur. Primus modus experimenta indagandi illi eſt experimenti variatio. Illam inſtituit (1) in materia, ſi ſc. in materia ſimili idem experimentum ſuſcipiatur. E. g. Confectio papyri ex linteo uſitata eſt, idem in ſerico tentandum, uti papyrum conficiunt Chinenſes. Inſitio in arboribus fructiferis in uſu eſt, quid ſi idem tentetur in arboribus ſylveſtribus, in floribus? Huc etiam pertinet, quando in ſubjecto variatio inſtituitur, ut ſi, ad exemplum ſurculi, trunco arboris inſiti, ſemen cepæ capiti alterius cepæ viridi indatur. (2) Variatio experimenti fit ratione cauſæ efficientis, E. g. Radii ſolares, per vitrum miſſi, calorem augent, an idem præſtent radii lunares, tentandum? Item an fumus calefactus? quod tentarunt nonnulli, & ſimilem eventum ſenſerunt, teſte Honorato Fabri. Variatio experimenti fit (3) in quanto: multiplicata enim quantitate creditur augeri virtus. E. g. Globus plumbeus unius libræ decem pulſuum ſpatio ad terram deſcendit, quot pulſuum ſpatio globus centum librarum? Secundus modus ipſi eſt productio experimenti, quæ duplex eſt, ratione quantitatis continuæ, vel diſcretæ. Ratione hujus eſt repetitio, ratione illius extenſio. E. g. Spiritus vini, unica diſtillatione vires acquirit, annon majores acquirat pluribus diſtillationibus? Magnes ferrum integrum trahit; num etiam fruſtum Magnetis in diſſolutione ferri immerſum ferrum ad ſe alliciat? Tertius modus eſt illi translatio experimenti, uberrimus ſane & pene princeps. Eſt vero ille triplex: aut a natura vel caſu in artem, aut ab arte vel practica alia in aliam; aut a parte alicujus artis in partem diverſam ejusdem. Primæ translationi pleræque artes mechanicæ originem debent. Exemplum eſſe poteſt Iridum artificioſarum ad exemplum naturalis imitatio, modus diſtillandi ad imbrium imitationem inſtitutus, tonitrua & fulgura ad imitationem naturalium inſtituta, per miniſterium ſingularis illius caſus, qui Monacho Cimbro, Barth. Schwartzio, acciderat.

Plura

Plura artificialium imitationum in natura exempla vide apud Sorellum *in Scientia Univerſali*, libro Gallice ſcripto, *variis Capitibus*. Secundæ translationis exempla hæc: Specillis ſenſus viſus juvari poteſt, an & ſenſus auditus inſtrumento aliquo ἀκουστικῷ, quale experimentum hodie detectum eſt, ac deſcripſit Kitcherus in ſua *Phonurgia*, qui ſe autorem inventionis contra Anglos aſſerit. Cadavera per balſamationes conſervantur, annon & corpora viva? Sigillorum impreſſio arti Typographicæ viam oſtendit. Tertiæ translationis, quæ parum a ſecunda differt, exempla multa in Medicina dari poſſunt. E. g. Si experimenta partis Medicinæ de curationibus morborum ad partes de tuenda ſanitate & prolongatione vitæ, transferantur. Quartus modus illi eſt inverſio experimenti, cum ſc. contrarium ejus, quod experimento conſtat, probatur. E. g. calidum per ſpecula intenditur, num etiam frigidum? Per ignem diſtillationes inſtitui poſſunt, num etiam per res frigidas, nivem, glaciem, &c.? quale experimentum Magni Ducis Hetruriæ refert *du Hamel in libro de affectionibus*. Quintus modus illi eſt compulſio experimenti, quam vocat, ubi urgetur & producitur experimentum ad annihilationem, vel privationem virtutis. Quomodo nihil novi indagatur, ſed natura rei per negationem & contrarium deprehenditur. E. g. Magnes ferrum trahit. Vexentur jam ferrum & magnes, ut amplius non fiat attractio, unde quodammodo deprehendetur, in quo natura magnetiſmi conſiſtat. Ac deprehenderunt ſane, qui de magnete inquiſitiones inſtituerunt. Sextus illi modus eſt applicatio experimenti, quæ illi eſt ingenioſa experimenti traductio ad experimentum aliud quoddam utile. E. g Aurum plus ponderis, & minus dimenſionis habet, quam argentum, aqua, quam vinum; ab hoc traducatur experimentum Archimedis, ut ex menſura impleta, & pondere excepto, poſſis dignoſcere, quantum argenti auro fuerit admixtum, quantum aquæ vino. Thermometra pro menſura aëris calidi vel frigidi inventa ſunt, an etiam pro menſura liquorum talia inveniri poſſunt? Septimus illi modus eſt copulatio experimenti, quæ eſt experimentorum, applicationum potius experimenti, nexus & catena, ut cum ſingula profutura non fuiſſent, ad aliquem uſum connexa valeant. E. g. Si roſas aut fructus ſerotinos habere cupis, fiet hoc, ſi gemmas præcociores avellas. Idem fiet, ſi radices usque ad ver adultum denudes, & aëri exponas: at multo magis, ſi jungas utrumque. Refrigerant glacies & nitrum, juncta magis refrigerant. Spiritus vini vegetabilia facile recludit; idem Spiritus ſalis Tartari facit, ſi jungas utrumque, fortius habebis vegetabilium ſolutivum.

Hos Baco Verulamius modos proponit, quos ſi recte conſideraverimus, omnes e generalibus illis locis Dialecticis petitos inveniemus. Ex loco cauſarum procedit variatio experimenti, ratione materiæ & efficientis. Ex loco effectuum productio expetimenti. E loco ſimilium translatio experimenti. E loco contrariorum compulſio experimenti, ejusque inverſio. Ex loco cognatorum eſt applicatio experimenti & copula. Ex his ille fontibus modos particulares producit, qui generales tamen dicendi ſunt, ſi reſpiciamus Topica ejus particularia, quæ nihil aliud ſunt, quam loca quædam inventionis & inquiſitionis particularibus ſubjectis appropriata, ſive

ſive miſturæ quædam e Logica & materia ipſa. Illa autem omnia eſſe disjunctiſſima certum eſt. Particulares enim loci iſti ratione ſubjecti valde variant, nec ſimul & ſemel excogitari poſſunt. Quemadmodum enim cum ipſis inventis comparatum eſt, ut cum ætate creſcant, ac dies diem doceat, ita etiam cum inveniendi arte; ſemper enim aliqua cogitata incidunt, quæ prima vel illuſtrant, vel interdum etiam tollunt. Quæ omnia quidem generales quosdam locos habere poſſunt. Sed quoniam ſubjectorum, ut ita dicam, quædam infinitas eſt, multis modis particulares iſti conceptus, generalibus ſubordinati, variari poſſunt.

21 Atque hic ego præter vulgares iſtos Locos Dialecticos, Indicem quendam categoricum commendarem, de cujus infinitate in inveniendis argutiis plura alibi dixi. *Cum enim inventio rerum requirat magnam rerum ſylvam & farraginem, optime nobis cognitam, iſta vero confuſiſſima ſit, niſi quodam filo Ariadnæo ducamur, ejus inſtar eſſe poſſe* puto Locos iſtos decem, ut vocant, Prædicamentorum, non, quod illam rerum omnium partitionem habeam omnium accuratiſſimam, ſed quod tamen melius ſit, aliquas habere rerum claſſes & ſeries, quæ indicis loco fungantur, ſecundum quem cogitata noſtra dirigamus. Index itaque categoricus ὕλην aliquam ſive ſylvam rerum nobis ſuggerit, Dialectica argumentandi modum præſcribit, ut ſit utriusque miniſterio in cognitionem rerum deveniamus, quæ facilitari, ſupra quam credat aliquis, hac methodo poteſt. Quanquam enim Index ille Categoricus inveniendis Enthymematibus argutis propoſitus ſit, adeoque ad artem dicendi ſpectet, tamen nihil prohibet, eundem etiam ad artem meditandi referre. Nam & in ipſis Interrogationibus & Inquiſitionibus, quæ ſunt meditationum noſtrarum conſectaria, elucet iſta vis animi & rerum combinatio. Nam, ut Plato ait, qui aliquid quærit, id ipſum, quod quærit, generali quadam notione comprehendit. Exempli hic inſtar eſſe poſſunt *Topica* illa *particularia*, ſive articuli inquiſitionis, quos de variis naturæ ſubjectis propoſuit Baco Verulamius, ut de gravi & levi, *lib. de ſcientiarum augmentis 5. cap. 3.* de ventis, peculiari libro, cui titulus: *Hiſtoria Ventorum*, de vita & morte, libro, cui titulus: *Hiſtoria Vitæ & Mortis*, de denſo & raro, de Sympathia & Antipathia rerum. de Sale, Sulphure & Mercurio: ſuper quibus ſubjectis generalia quædam meditata ac imperfecta reliquit, quæ addunt *Hiſtoriæ* ejus *ventorum*. Illorum Topicorum particularium inventio e Categoriis mihi quidem deſumi poſſe videtur, ut facile demonſtrari poſſet, ſi ulterius huic rei inſiſtere vellemus. De Indice vero illo Categorico legi poſſunt, quæ in Lectionibus ſupra citatis, *de Arguta Dictione cap. 6. p. 108.* diximus, unde facilius patebit, qui ejus uſus in præſenti negotio conſtitui debeat. Cujus ſubſidio ſi inſtructi ſumus, non opus erit ad artem Lullianam, aut Combinatoriam, de quibus magnifica adeo promittunt nonnulli, recurrere. Omnia enim faciliori negotio, per notiores illas vias, expediri poſſunt.

22 Eſt etiam alius quidam modus experimenta capiendi inartificialis, vel irrationalis, quem ſortes experimenti vocat Verulamius, cum aliquid experiri velle animum ſubit, non, quia aut ratio, aut aliud experimentum te ad illud deducat, ſed quia ſimilis res nondum tentata fuit. Qui modus, quanquam abſurdus videatur, tamen etiam hic

hic, ut in practicis fieri ſolet, etiam audaces fortuna juvat, & ſæpe occaſio datur novis rebus inveniendis. Hunc in ordinem referas illos, qui circa Chryſopœiam laborant: illi, quando nullis principiis fulti ſunt, neque artem per traditionem acceperunt, cum ex ingenio ſuo aliquid tentare audent, caſu nonnunquam in aliqua experimenta incidunt, quæ fruſtra omni ſtudio & opera indagaſſent. Exemplum hujus ponit Verulamius in operatione ignis ſuper aliquod corpus naturale, in quâ alterum horum ſemper evenit, ut aut aliquid evolet, aut ſaltem fiat ſeparatio partium localis, & ad nonnullam diſtantiam, ut in diſtillatione, ubi fæces ſubſident, vapores in receptacula congregantur. Huic opponit diſtillationem clauſam, quam neminem mortalium adhuc tentaſſe ait. Sed & exemplum hoc non quadrat, nam certe inter maxime rationales modos ille poni debet, & ipſa illa diſtillatio clauſa jamdudum ab hominibus tentata eſt. Id autem verum eſt, minime eſſe vulgarem hanc operationem, & omnium artificioſiſſimam, atque unice ſecretam Chymicam, qua perpetrari in re naturali ſtupenda opera poſſunt, ad ipſius naturæ imitationem, quæ i. m. in generationibus rerum omnium operatur. Nec certe fallitur Verulamius, quando ait, vim caloris, ſi intra clauſtra corporis ſua in alterando facinora edat, cum nec fiat jactura corporis, nec liberatio, tunc demum hunc materiæ Proteum, velut manicis detentum, ad complures transformationes adacturam, ſi modo calor ita temperetur & alternetur, ut non fiat vaſorum confractio. Recte etiam Verulamius hanc rem matrici naturali aſſimilat, ubi calor operatur. Has operationes inſtituit natura in generationibus omnium rerum. In generationibus animalium diſtillatio clauſa eſt, vel in utero, vel in ovo, quo poſteriori exemplo ad oculum demonſtrari poteſt, & demonſtrata eſt a nonnullis. In generationibus Metallicis idem proceſſus eſt: in carceribus enim terræ ſurſum deorſum moventur Spiritus metallici, ſi vapores Mercuriales & ſulphurei, quos Witterung coruſcationum nomine appellant Metallici. Eorum continuo aſcenſu & deſcenſu fit illa metallica miſtio, & metallorum generatio, vel puriorum, vel impuriorum, prout vel munditia, vel immunditia loci genitalis, vel ſolis abſentia & propinquitas, vel concurrerunt ad operationes naturæ, vel eas deſeruerunt. Receptacula illa venarum, quæ vitrorum inſtar ſunt, montibus ſuperinjectis hermetice, ut ita loquar, ſigillata ſunt. Qui Metallorum imitationem intendunt Chymici, ac productionem eorum per artem, ſimilem diſtillationem clauſam principiorum metallicorum præſcribunt ut videre eſt in ſcriptis illis, quæ genuina eſſe, vel ex hiſtoria, vel ex collatione mutua, deprehendimus. Illic omnes operationes occluſo vaſe inſtituuntur, vaporibus diverſorum principiorum metallicorum continuo aſcenſu deſcenſuque operationes mutuas edentibus. Similes operationes in rebus vegetabilibus inſtitui poſſunt, & qui plantarum reſuſcitationes in vitro exhibere volunt, clauſo vitro prius operationes illas inſtituerunt. Neque dicam de diuturnis digeſtionibus, quæ itidem clauſo vaſo fiunt, quibus magnæ parantur medicinæ. Quare immerito Verulamius, ut rem inſolitam inducit, & intentatam diſtillationem hanc clauſam, quæ certe eſt Chymia illa ſecretior, a vulgari iſta diſtans, quantum cœlum a terra. Vulgaris enim illa ad deſtruendas res, aut depravandas, inventa eſt, hæc vero ad generandas, melioran-

das & transformandas res conducit. Prior illa violento igne, vel exterminat ſubtiles ſpiritus, vel empyreumate inficit, & peregrinitatem quandam ſulphuris impuri admiſcet, qua plus nocetur, quam commodum infertur Medicinæ; hæc vero blando igne & diuturno intima miſti corporis invadit, vincula unionis miſtionis ſolvit, ac reformare & refingere apta nata eſt. His experimenta indagandi modis Baconianis jungenda ſunt, quæ ab eodem Autore proponuntur in *Novo Organo*, quod id agit, ut ex naturæ experimentis formare doceat Axiomata Univerſalia, per aliquam artem Hermenevticam, cujus principia, a Dialecticis quidem deſumta, ſuam autem quandam formam & limites ſortiuntur, e ſubjectis, circa quæ verſantur. De qua naturæ interpretatione, ut vocat, legi poteſt liber ille, neque enim noſtrum eſt, omnia iſta huc adducere.

23 Præmiſſis igitur jam omnibus illis, quæ aditum parare ad Phyſicam Univerſalem poſſunt, videamus, qua ratione ſcientiam Phyſices partiatur Verulamius, quaque Methodo, in illa docenda diſcendaque uti nos velit. Primum Naturalem Philoſophiam dividit in Speculativam & Practicam, quas geminas ejus partes conſtituit. In prima docet inquiſitionem cauſarum, in altera productionem effectuum; altera naturæ viſcera ſcrutatur; altera naturam veluti ſuper incudem efformat. Ulterius partem ſpeculativam de natura dividit in Phyſicam Specialem & Metaphyſicam. Ubi illud notandum, Metaphyſicæ acceptionem illi alio ſenſu venire, quam vulgo nos capimus. Per Metaphyſica enim in Phyſicis intelligit, quæ abſtracta magis & conſtantia ſunt. Per Phyſica, quæ materiæ immerſæ ſunt & mobilia. Phyſica illi ſupponunt exiſtentiam tantum & motum, & naturalem neceſſitatem: Metaphyſica etiam mentem & ideam. Phyſica eſt illi, quæ inquirit de efficiente & materia: Metaphyſica, quæ de forma & fine. Phyſicam iterum partitur in doctrinas tres, in naturam, in unum collectam, aut fuſam, aut ſparſam. Colligitur vero in unum natura, aut propter communia rerum omnium principia, aut propter unicam integralem univerſi fabricam, quæ naturæ unio duas parit Phyſicæ partes, unam de principiis rerum, alteram de fabrica univerſi, ſive de mundo. Tres itaque partes hæ ſunt (1) de principiis rerum, (2) de mundo, ſive de fabrica rerum, (3) de Natura multiplici ſive ſparſa.

24 De ſingulis quædam tractantur communiter apud Phyſicos, ſed quanta accuratione, judicare facile omnes poſſunt. Certe doctrina illa de fabrica rerum parum fuit exculta, quæ tamen noſtri eſt uſus in doctrina phyſica: quanquam & obſiſtat imbecillitas ſenſuum humanorum, qui ideas ejus diſtinctas & accuratas animo ſiſtere non poſſunt, ob vaſtitatem objecti, ejusque occultationem. Suſpicione tamen aliqua attingere poſſumus, & dedit hæc Verulamii ſpeculatio (quanquam ipſe diſſimulet) Roberto Boylio occaſionem ſcribendi *de Coſmicis rerum qualitatibus*, ſeu de iis affectionibus naturalibus, quæ corporibus ratione Syſtematis mundani, & nexus competunt, ſive in Globo hoc terraqueo ſolo eæ affectiones fundentur, in maſſis ſc. illis majoribus, ut vocat Verulamius, aqua, aëre &c. ſive ad Globum hunc Terrenum,

vel

vel ejus partes, pertineant, ex operationibus ceterorum corporum mundanorum in hunc terræ Globum perductæ. Quæ pars Phyſicæ cum pateat latiſſime, cum ſit a ſenſibus remotiſſima, niſi forte ex effectu quædam divinemus, mirum non eſt, a nobis non poſſe apprehendi effectus ex his cauſis propagatas, ut fortaſſis plurimi ſunt in natura. Et videmus quodammodo in influxibus corporum Planetariorum in hunc globum terraqueum, quorum effectus paſſim deprehendunt illi opifices, quorum operationes vel circa maſſam aqueam, vel circa maſſam terræ verſantur, e. g, Nautæ, Agricolæ, metallifoſſores, quibus obſervationes interdum aliquæ e re ipſa naſcuntur, quarum tamen adeo determinata veritas non eſt, ut nec falli interdum poſſint. Referenda etiam huc eſt Aſtrologia illa divinatoria Naturalis, quæ adeo incerta & fallax eſt; & eſſe tamen aliquam, in natura fundatam, tam ratio ipſa dictitat, quam eventus confirmat. Accedit etiam huic naturalis quædam hominum circa univerſalia ſocordia. Plurimi enim, in minutiis & particulis rerum occupati, non adeo ſimul reſpiciunt ad hujus univerſi machinam, cujus intuitu, ſi cogitationes extolleremus, aliam interdum naturæ faciem videremus, & quædam in certiora e conſiderationibus illis formaremus, quam nunc quidem novimus. Hinc poſſemus certiores tempeſtatum regulas formare, cometas prædicere, frigidam vel calidam aëris temperiem prænoſcere, ſi ad habitudinem aëris, aquarum, terræ, ſemper reſpiceremus, & collationibus mutuis, ac obſervationibus, in locis diverſis habitis a plurimis, anguſtiæ unius ingenii ſubveniremus. Quod quidem inſtituerunt ſocii Angli, ſed an effectum daturi ſint, dies docebit. Ratione Aſtrologiæ cogitationes quasdam proponit Verulamius, *de augmentis Scientiarum lib. 3. cap. 4.* quæ legi illic poſſunt.

Phyſicam Sparſam, ſive de varietate rerum, rurſus in duas partes dividit, Phy- 25
ſicam ſc. de concretis, & Phyſicam de naturis. Altera inquirit de ſubſtantiis, cum omni varietate ſuorum accidentium; altera de accidentium; altera de accidentibus per omnem varietatem ſubſtantiarum. E. g. Si inquiratur de leone, quercu, &c. illa plura & diverſa accidentia ſuffulciunt. Contra ſi inquiratur de calore & gravitate, illa plurimis diſtinctis ſubſtantiis inſunt. Quandoquidem vero omnis Phyſica quaſi media eſt inter Hiſtoriam Naturalem & Metaphyſicam, prior pars Hiſtoriæ Naturali proprior eſt, poſterior Metaphyſicæ. Phyſica autem concreta eandem ſubit diviſionem, quam Hiſtoria Naturalis; ut enim Hiſtoria Naturalis factum ipſum perſcrutatur; ita Phyſica concreta cauſas inquirit, adeoque circa omnes illas rerum claſſes verſatur, circa quas verſari Hiſtoriam Naturalem jam tum ſupra diximus. Phyſica vero de Naturis, ſive abſtracta, in duas partes dividitur, in doctrinam de Schematiſmis materiæ, & in doctrinam de motibus. Schematiſmi materiæ ſunt denſum, rarum, grave, leve &c. Motuum vero genera multa ſunt; ſunt enim vel ſimplices, vel compoſiti, & ratione ſchematiſmorum materiæ varii. De quorum ſpeciebus ſingulis nolumus repetere, quæ prolixe Verulamius loco habet, jam ſupra citato. Id vero mirabile eſt, Verulamium ea jam animo complexum eſſe, quorum particulas excolendas ſibi ſumſerunt recentiores, & his, velut principiis & fundamentis, doctrinam Phyſicam inædi-

 ficarunt.

ficarunt. Sunt hodie, qui in Schematiſmis materiæ omnia ponunt Phyſices principia, omnesque ex iis rerum formas educunt. Sunt, qui in motu ſimiliter univerſam Philoſophiæ Naturalis doctrinam fundant, atque ex illo omnium *φαινομένων* naturalium rationes reddere laborant. Quo in argumento verſantur illi, qui corpuſcularem Phyſicam profitentur, omniaque e particulis deducunt, G. G. Leibnitzius, in *novæ* Motus *Theoria*, & J. Alph. Borellus in *lib. de vi percuſſionis*, & in alio, quem promiſit *de motu animali*. Hi, quanquam eleganter, ac plane Mathematice demonſtrare velint effecta naturæ, quo quidem nomine laudandi ſunt, mihi tamen partem tantum aliquam Philoſophiæ Naturalis comprehendere videntur, nec univerſalia aliqua ſtatuere principia. Externa illi naturalium operationum veſtigia legunt, regulis Mathematicis adjuti; ſed interiora rerum illis modis demonſtrari, a vero valde alienum eſt. Rectius itaque Verulamius hanc tantum partem conſtituit magnæ & univerſalis iſtius ſcientiæ Phyſicæ, qua tamen nondum omnis naturæ fundus exhauſtus eſt, eritque, ubi non minus illi Lyncei laborabunt particularum & motuum ſuorum determinationibus, quam Peripatetici formis ſuis & qualitatibus, de quibus in progreſſu noſtri Operi plura dicenda erunt. Interim videmus Verulamium jamdudum præcepiſſe animo illa, in quibus novi illi Scriptores triumphant.

26 Metaphyſicæ aſſignavit Baco inquiſitionem cauſarum formalium & finalium. Cauſas formales quod attinet, de iis vulgo invaluit opinio, nulla eas humana diligentia inveniri poſſe. Plato eas a materia abſtractas ſpeculabatur, non in materia determinatas. Unde factum, quod ad ſpeculationes Theologicas diverteret, quibus Naturalem ſuam Philoſophiam corrupit. Subſtantiarum quoque formæ perplexæ ſunt & intricatæ, quas ad tempus ſeponi jubet Baco, explicatis prius ſimplicioris naturæ formis. Ita formæ Schematiſmorum materiæ & motuum, quas primæ Claſſis appellat Baco, citius inveniri poſſunt, quod, velut literæ Alphabeti, eſſentias & formas omnium Subſtantiarum conficiant. Inquiratur itaque de forma hujus vel illius ſoni, de forma denſi, rari, calidi, frigidi, &c. & deprehendemus ea ratione ſubſtantiarum ipſarum formas. E. g. Si inquiratur in cauſam albedinis in nive, redditur illa, quod ſit ſubtilis intermiſtio aëris cum aqua; hæc autem non eſt forma albedinis, cum aër etiam pulveri, vitro aut cryſtallo, intermixtus albedinem ſimiliter procreet, non minus, quam ſi admiſceatur aquæ. Verum cauſa illa efficiens tantum eſt. At vero forma illa, corpora duo diaphora intermixta, portionibus eorum opticis ſimplici ordine, ſive æqualiter, collocatis, conſtituere albedinem. Pars ſecunda Metaphyſicæ Verulamio (cujus hanc diſtinctionem immerito ridet H. Conringius *Diſp. Phyſ. 1. Th. 3.*) eſt finalium cauſarum inquiſitio, quæ interdum in Phyſicis pro cauſis Phyſicis a nonnullis venditantur. In quem lapidem Plato, Ariſtoteles & Galenus ſæpe offendunt.

27 Doctrina Operativa naturalis in Mechanicam & Magiam dividitur; quæ reſpondent partibus Speculativæ, Phyſicæ Mechanica, Metaphyſicæ Magia. Mechanices uſus eſt quam latiſſimus; ſed ars illa non ita tradita, ut tradi quidem poterat & deberet.

De

De ea ſuperius quædam diximus. Magia vero naturalis eſt, quæ cognitionem formarum abditarum ad opera admiranda deducit. Quæ pars itidem non eſt pro dignitate exculta, niſi velimus ſuperſtitioſas aliquas traditiones & obſervationes eo nomine ſalutare.

Utrique, tam Speculativæ, quam Operativæ Phyſicæ, magnam Appendicem Ma- 28
thematicam ſtatuit Verulamius, eamque inter Appendices potius poni debere putat, quam inter ſcientias ſubſtantivas, magis tamen Metaphyſicæ Philoſophiæ Naturali ſubordinat, quam Phyſicæ. Quantitas enim, quæ ſubjectum eſt Mathematicæ, materiæ applicata, velut doſis naturæ eſt, & plurimorum effectuum in rebus naturalibus productrix. Ideoque inter formas eſſentiales eam ponit Verulamius, quarum doctrinam ille ad Phyſicam Metaphyſicam rejecit. Appendicem autem facit eam, hanc ob cauſam, ut delitiæ & faſtus Mathematicorum retundantur, qui Matheſin Phyſicæ fere imperare cupiunt. Quo morbo, ſi verum fateri velimus, laborant hodie recentiorum illa dogmata Phyſica: hodie enim pene omnis Phyſices ſcientia Mathematica eſt, ſubtilis quidem in iis affectionibus demonſtrandis, quæ ad Matheſeos miniſterium referri præ ceteris poſſunt. At in cauſis internis indagandis æque laborant, ut Peripatetici, quorum contrarius quidem morbus eſt. Nam ut hi Mathematicam Phyſicæ Dominam conſtituunt, ita illi Logicam: hi naturam externe conſiderant, ratione ſolius quanti, unius tantum formæ; illi conceptibus notionalibus omnia metiuntur. Media hic via tenenda eſt, &, quid natura ipſa velit, diſpiciendum potius. Propriorem tamen ad naturæ clauſtra aditum habent, qui Mathematica, velut Indice aliquo, utuntur, in qua tamen iis non ſubſiſtendum eſt, & ipſa penetralia perreptanda. Veteres iſti, qui vixerunt ante Platonis & Ariſtotelis tempora, eadem principia ſecuti ſunt. Nam de Democrito notum eſt, in figuris Atomorum illum principia varietatis rerum collocaſſe. Pythagoras naturam rerum ex numeris conſtitui aſſerebat Non itaque novus ille modus philoſophandi eſt, ſed jamdudum ab antiquis traditus.

Hæc Franc. Baconis Verulami, Viri Illuſtris & maximi ingenii, de amplianda co- 29
gnitione Philoſophiæ Naturalis, ſunt meditationes. Qui, ſicut in *Libris de Argumentis Scientiarum, Novo Organo & Atlantide retecta*, methodum illam primus detexit, ita in *Hiſtoria Ventorum, Hiſtoria Vitæ & Mortis, Hiſtoria denſi & rari, Hiſtoria de ſono & auditu, Articulis Quæſtionum circa Mineralia*, & *Topica Inquiſitione de Magnete*, ipſa praxi viam oſtendit, methodique iſtius dedit ſpecimina. *Hiſtoria Gravitatis & Levitatis* periit. *Sylva Sylvarum* farrago eſt Experimentorum Naturalium, quæ, tam ipſe, quam alii, inſtituerunt, quibus tamen in omnibus fides haberi nequit. Nulla enim in illis ἀκρίβεια eſt, & poſt mortem ejus, ſi recte memini, Anglice primum prodierunt: hujus viri ingenium magnæ mihi ſemper admirationi fuit. Profundum enim, expeditum & diffuſum eſt per omnia. Ariſtotelis ſententias in multis ſequitur. Neque enim novaturit, niſi cum neceſſitas, demonſtrationis ratio, & experientia, illud poſtulant. Neque tamen in autoritatibus inſanit. Plura de illo vid. in *Ephemeridibus Gallicis A. 1666. p. 225-228. Ed. Lat.*

CAP. II.

DE LOCORVM COMMVNIVM IN PHILOSOPHIA NATVRALI SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Pleni Autores hi sunt narrationibus falsis atque incertis, & a tyronibus proinde non legendi.* 2. *Pertinent ad hanc Classem C. Plinius Major, qui ob diligentiam commendatur, & contra recentiorum criminationes defenditur.* 3. *Solinus, in quem Cl. Salmasii exstant* Exercitationes *Eruditissimæ, sed festinanter nimis, ac sine delectu, scriptæ. Similes in Plinium ab eodem sunt promissæ.* 4. *Vinc. Bellovacensis & Gerh. Joh. Vossius, ille exigui, hic summi pretii Scriptor.* 5. *Ferrantes Imperatus, cui Nic. Anton. Stelliola laberes suos 100. Scutatis vendidit ac transcripsit; Georg. Hornius, Scriptor proletarius. J. E. Nierembergius fabulosus.* 6. *Epistolographi Physici, Paulus Sarpius, Nic. Fabricius Peirescius, Fort. Licetus, Thom. Bartholinus & Sam. Sorbierius.* 7. *Dialogorum Physicorum, & Itinerariorum quorundam, Scriptores, præsertim Cl. Berirgardus, Joh. Bodinus, Monconisius & Thevenotius.* 8. *Observationum (in quibus opus esse delectu monetur) Scriptores, Pet. Bellonius (Pet. Gyllio, Domino suo, eas suffuratus) Joh. Rud. Camerarius, aliique.* 9. *Observationes integrarum Societatum Physicarum, imprimis Collegii Naturæ Curiosorum Germanici, de quibus denuo sequius fertur judicium. Inspergiuntur nonnulla de Acad. Lynceorum Romana, & fundatore ejus, Aug. Cæsio.* 10. *Polygraphi Physici, Hier. Cardanus, Ul. Aldrovandus, Athan. Kircherus, Fort. Licetus, P. Gassendus &c.* 11. *Scriptores Physici Miscellanei variorum generum, Hier. Cardani & J. C. Scaligeri Scripta contraria.*

1 AD LOCORVM COMMVNIVM *Scriptores* accedimus, seu Autores illos, qui farragines aliquas rerum naturalium congesserunt, quorum notitia aliqua habenda, non quod ex iis multum profecturi simus (plaustra enim mendaciorum, superstitionum, falsarum relationum, ac animalium fabularum, illic reperimus, sed quoniam argumenta naturæ tractaverunt, & varietate sua occasionem aliis cogitationibus submministrare possunt. Nam hic primum esto principium; dubitare, si non de omnibus, saltem de plurimis. Et prodesse tamen nonnunquam ipsa dubitatio potest, qua in veram rei naturam sæpe deducimur, casu aliquo, vel errore, vel sorte: nolim tamen admittatur ad illorum Autorum lectionem tyro, cui nulla adhuc via strata est ad Philosophiam Naturalem, miris enim modis dementabit ingenium ac falsis implebit præjudiciis. Verum, si jam Mathematices sit peritior, & notitiam habeat Physicorum principiorum, tam veterum, quam recentiorum, cautius in illis versabitur. Quanquam enim nondum exactam habeat Philosophiæ Naturalis scientiam, & fortassis nunquam, ob rei vastitatem, habiturus sit, aliquod tamen illi apparebit veritatis crepusculum, ut melius certiusque mentis oculos ad varias

varias illas narratiunculas reflectet, & accuratius de rerum veritate judicium formet.

2 Inter veteres habemus, poſt Ariſtotelem, cujus exſtat *Hiſtoria Animalium*, & *liber mirabilium Auſcultationum*, PLINII *Hiſtoriam Naturalem*, qui mirabili brevitate, ac *ſtylo* ad ſumma rerum capita recenſenda *facto*, res vaſtas, & pene infinitas, complexus eſt. Quam ob cauſam Rol. Mareſius *Lib. 2. Ep. 26*, Plinii paucos de Animalibus libros pluris facit, quam Geſneri & Aldrovandi de iis infinitos, quod Plinius omnia egregio ordine complexus ſit, & ſingula in ſuas claſſes apte diſtribuerit, quæ vero ex aliis decerpſit, digeſta, & ſtylo quaſi concocta, ſua quodammodo fecerit. Ei licentius nonnulli e recentioribus inſultant, quam æquum eſt. Nam certa magna illi gratia habenda eſt, quod conſervaverit nobis memoriam multarum rerum, quæ alias intercidiſſent. Apud illum enim conſignata invenimus multa veterum Philoſophorum, tum placita, tum inventa, de quibus profundum apud alios ſilentium eſt. Nec eſt, quod de fabuloſis quibusdam traditionibus nonnulli conquerantur, nam certe ego puto, in illis hodiernis Obſervationum Scriptoribus plus fabularum eſſe, quam in Plinio. Ex ingenio autem iſte nihil finxit, ſed, fidem veterum ſcriptorum ſecutus, ad poſteros propagavit ea fide, qua a majoribus acceperat. At hodierni illi noſtri Obſervatores ſæpe mentiuntur, ut novam aliquam obſervationem cudant, ſæpe rerum circumſtantias non recte penſitant, &, ut mancum de rebus formant judicium, ita incertum nobis gignunt experimentum. Sed & multa fabuloſa habentur in Plinio, quæ non ſunt. Sæpe enim ipſi, laborantes ignorantia, alios incuſamus malæ fidei, cum nos ipſi potius culpandi eramus; quod probari in Plinio non paucis in locis poterat, ſi noſtri res eſſet inſtituti. Utinam nobis fata *non invidiſſent Claudii Salmaſii Exercitationem de ſcriptis Plinianis*, quam editurus fuiſſet, niſi morte immatura ſubreptus fuiſſet, cujusque mentio extat in Catalogo Operum ejus, quem nobis reliquit *Laurentius Craſſus Tomo 2. Elogiorum.*

3 Plinii epitomator SOLINVS *eſt*, cujus extat *Polyhiſtor*, quem *Salmaſius* uberrimis vaſtiſſimisque Commentariis explicavit, qui liber Locorum Communium inſtar eſſe poteſt. Omnia enim vir ille doctiſſimus, quæ apud veteres de ſimilibus argumentis tradita erant, collegit, ſuo ubique interſperſo judicio. Sed, quoniam ille feſtinanter plerumque ſcribebat, ut uberrimo ingenio nulla ſufficeret manus, nec vel verborum, vel rerum, modum noſſet, multa illi exciderunt, quæ & ipſe noverat melius, & rectius alio die tradebat, quæque facile evitaſſet, ſi paululum modo attendiſſet animum. Quod Gronovii judicium de hoc viro, *lib. 1. de pecunia Veteri, c. 41.* ut in Philologicis, ita etiam in his verum eſt. Nam multa etiam hic miſcuit, quæ poterat opportunius alio tempore & loco dixiſſe. Sed quoniam hic vaſtitatem & multitudinem habeat objectorum, ſponte ingenium ejus in tam varia excurrit. *Exercitationes* ejus *Plinianæ*, quas paſſim in hoc Commentario promittit, lucem non conſpexerunt, mors enim iſtas molientem prævenit. Multa in illis de herbis & plantis dicturus fuiſſet, & aliquanto plenius accuratiusque, quam fecerant ante illum Scriptores illarum rerum, ac ipſe Jul. Cæſ. Scaliger *in Comment. de Plantis* eruditiſſimo.

E re-

CAP. II.

DE LOCORVM COMMVNIVM IN PHILOSOPHIA NATVRALI SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Pleni Autores hi ſunt narrationibus falſis atque incertis, & a tyronibus proinde non legendi.* 2. *Pertinent ad hanc Claſſem C. Plinius Major, qui ob diligentiam commendatur, & contra recentiorum criminationes defenditur.* 3. *Solinus, in quem Cl. Salmaſii exſtant* Exercitationes *Eruditiſſimæ, ſed feſtinanter nimis, ac ſine delectu, ſcriptæ. Similes in Plinium ab eodem ſunt promiſſæ.* 4. *Vinc. Bellovacenſis & Gerh. Joh. Voſſius, ille exigui, hic ſummi pretii Scriptor.* 5. *Ferrantes Imperatus, cui Nic. Anton. Stelliola labores ſuos 100. Scutatis vendidit ac tranſcripſit; Georg. Hornius, Scriptor proletarius. J. E. Nierembergius fabuloſus.* 6. *Epiſtolographi Phyſici, Paulus Sarpius, Nic. Fabricius Peireſcius, Fort. Licetus, Thom. Bartholinus & Sam. Sorbierius.* 7. *Dialogorum Phyſicorum, & Itinerariorum quorundam, Scriptores, præſertim Cl. Berirgardus, Joh. Bodinus, Monconiſius & Thevenotius.* 8. *Obſervationum (in quibus opus eſſe delectu monetur) Scriptores, Pet. Bellonius (Pet. Gyllio, Domino ſuo, eas ſuffuratus) Joh. Rud. Camerarius, aliique.* 9. *Obſervationes integrarum Societatum Phyſicarum, imprimis Collegii Naturæ Curioſorum Germanici, de quibus denuo ſequius fertur judicium. Inſpergunturnonnulla de Acad. Lynceorum Romana, & fundatore ejus, Aug. Cæſio.* 10. *Polygraphi Phyſici, Hier. Cardanus, Ul. Aldrovandus, Athan. Kircherus, Fort. Licetus, P. Gaſſendus &c.* 11. *Scriptores Phyſici Miſcellanei variorum generum, Hier. Cardani & J. C. Scaligeri Scripta contraria.*

1 AD LOCORVM COMMVNIVM *Scriptores* accedimus, ſeu Autores illos, qui farragines aliquas rerum naturalium congeſſerunt, quorum notitia aliqua habenda, non quod ex iis multum profecturi ſimus (plauſtra enim mendaciorum, ſuperſtitionum, falſarum relationum, ac animalium fabularum, illic reperimus, ſed quoniam argumenta naturæ tractaverunt, & varietate ſua occaſionem aliis cogitationibus ſubminiſtrare poſſunt. Nam hic primum eſto principium; dubitare, ſi non de omnibus, ſaltem de plurimis. Et prodeſſe tamen nonnunquam ipſa dubitatio poteſt, qua in veram rei naturam ſæpe deducimur, caſu aliquo, vel errore, vel ſorte: nolim tamen admittatur ad illorum Autorum lectionem tyro, cui nulla adhuc via ſtrata eſt ad Philoſophiam Naturalem, miris enim modis dementabit ingenium ac falſis implebit præjudiciis. Verum, ſi jam Mathematices ſit peritior, & notitiam habeat Phyſicorum principiorum, tam veterum, quam recentiorum, cautius in illis verſabitur. Quanquam enim nondum exactam habeat Philoſophiæ Naturalis ſcientiam, & fortaſſis nunquam, ob rei vaſtitatem, habiturus ſit, aliquod tamen illi apparebit veritatis crepuſculum, ut melius certiusque mentis oculos ad varias

varias illas narratiunculas reflectet, & accuratius de rerum veritate judicium formet.

Inter veteres habemus, poſt Ariſtotelem, cujus exſtat *Hiſtoria Animalium*, & *liber mirabilium Auſcultationum*, PLINII *Hiſtoriam Naturalem*, qui mirabili brevitate, ac *ſtylo* ad ſumma rerum capita recenſenda *facto*, res vaſtas, & pene infinitas, complexus eſt. Quam ob cauſam Rol. Mareſius *Lib. 2. Ep. 26*, Plinii paucos de Animalibus libros pluris facit, quam Geſneri & Aldrovandi de iis infinitos, quod Plinius omnia egregio ordine complexus ſit, & ſingula in ſuas claſſes apte diſtribuerit, quæ vero ex aliis decerpſit, digeſta, & ſtylo quaſi concocta, ſua quodammodo fecerit. Ei licentius nonnulli e recentioribus inſultant, quam æquum eſt. Nam certa magna illi gratia habenda eſt, quod conſervaverit nobis memoriam multarum rerum, quæ alias intercidiſſent. Apud illum enim conſignata invenimus multa veterum Philoſophorum, tum placita, tum inventa, de quibus profundum apud alios ſilentium eſt. Nec eſt, quod de fabuloſis quibusdam traditionibus nonnulli conquerantur, nam certe ego puto, in illis hodiernis Obſervationum Scriptoribus plus fabularum eſſe, quam in Plinio. Ex ingenio autem iſte nihil finxit, ſed, fidem veterum ſcriptorum ſecutus, ad poſteros propagavit ea fide, qua a majoribus acceperat. At hodierni illi noſtri Obſervatores ſæpe mentiuntur, ut novam aliquam obſervationem cudant, ſæpe rerum circumſtantias non recte penſitant, &, ut mancum de rebus formant judicium, ita incertum nobis gignunt experimentum. Sed & multa fabuloſa habentur in Plinio, quæ non ſunt. Sæpe enim ipſi, laborantes ignorantia, alios incuſamus malæ fidei, cum nos ipſi potius culpandi eramus; quod probari in Plinio non paucis in locis poterat, ſi noſtri res eſſet inſtituti. Utinam nobis fata *non invidiſſent Claudii Salmaſii Exercitationem de ſcriptis Plinianis*, quam editurus fuiſſet, niſi morte immatura ſubreptus fuiſſet, cujusque mentio extat in Catalogo Operum ejus, quem nobis reliquit *Laurentius Craſſus Tomo 2. Elogiorum.* 2

Plinii epitomator SOLINVS *eſt*, cujus extat *Polyhiſtor*, quem *Salmaſius* uberrimis vaſtiſſimisque Commentariis explicavit, qui liber Locorum Communium inſtar eſſe poteſt. Omnia enim vir ille doctiſſimus, quæ apud veteres de ſimilibus argumentis tradita erant, collegit, ſuo ubique interſperſo judicio. Sed, quoniam ille feſtinanter plerumque ſcribebat, ut uberrimo ingenio nulla ſufficeret manus, nec vel verborum, vel rerum, modum noſſet, multa illi exciderunt, quæ & ipſe noverat melius, & rectius alio die tradebat, quæque facile evitaſſet, ſi paululum modo attendiſſet animum. Quod Gronovii judicium de hoc viro, *lib. 1. de pecunia Veteri, c. 41.* ut in Philologicis, ita etiam in his verum eſt. Nam multa etiam hic miſcuit, quæ poterat opportunius alio tempore & loco dixiſſe. Sed quoniam hic vaſtitatem & multitudinem habeat objectorum, ſponte ingenium ejus in tam varia excurrit. *Exercitationes* ejus *Plinianæ*, quas paſſim in hoc Commentario promittit, lucem non conſpexerunt, mors enim iſtas molientem prævenit. Multa in illis de herbis & plantis dicturus fuiſſet, & aliquanto plenius accuratiusque, quam fecerant ante illum Scriptores illarum rerum, ac ipſe Jul. Cæſ. Scaliger *in Comment. de Plantis* eruditiſſimo. 3

E re-

4 E recentioribus naturalium rerum Collectoribus habemus VINCENTII BELLOVACENSIS *Speculum naturale*, partem Quadripartiti operis unam, quem in *Morali Speculo*, velut exſcriptorem Divi Thomæ, accuſat Jac. Thomaſius, *in libro de plagio literario §. 574.* In *Speculo* etiam *Naturali* totum fere Plinium exſcripſit, aliqua tamen e ſuorum temporum Scriptoribus addidit. Sed parum in illo Autore eſt doctrinæ elegantioris. Longe luculentius Opus eſt GERH. IOH. VOSSII, quod *Phyſiologiam Chriſtianam* inſcribit, ac addi ſolet ejus libris *de Idololatria*, quod ego quidem quam pleniſſimum habeo inter illa, quæ Hiſtoriam Naturalem Narrativam complectuntur. Omnes enim rerum claſſes perambulat, & quæ ad illas pertinent, diligenter ex Autoribus colligit.

5 Editus quoque Italica lingua Neapoli, A. 1599. *in fol.* liber eſt FERRANTIS IMPERATI, *Neapolitani*, cui titulus: *Hiſtoria Naturalis*, qui, antequam Venetiis, A. 1672. eſt recuſus, magno pretio ſæpe redemptus eſt ob raritatem. Liber eſt multa diligentia ſcriptus, ideoque præ cæteris commendandus, quod partem Operativam Phyſicæ plenius, quam ceteri, dederit; qua ratione prodeſſe plurimum poteſt. Quanquam tamen & ille, quod res metallicas inprimis attinet, e Germanis, Georg. Agricola præcipue, pleraque exſcripſerit. Adjutus fuit in Opere ſuo a præſtantiſſimis ſui temporis viris, Joh. Vincentio Pinello inprimis, maximi ingenii & multarum literarum viro, cujus in rebus naturalibus peritiam ex *Vita* ejus, a Paulo Gualdo ſcripta, diſcere poſſumus. Habuit & alios laboris ſocios, aut conſultores potius, Petrum Andream Matthiolum, Melchiorem Guilandinum, Bartholomæum Marantam, Jacobum Antonium Cortuſium, Ulyſſem Aldrovandum, Carolum Cluſium, Caſparum Bauhinum, Fabium Columnam & Nicolaum Antonium Stelliolam, quos ipſe Autores in præfatione libri ſui nominat, ut conſultores ſuos. Sed ſunt, qui hunc poſtremum ſcriptorem verum hujus libri Autorem vocant; is enim 100. ſcutatos accepit ab Imperato, ut nomen illi ſuum præfigere permitteret, quod prodidit typographus in libelli Stelliolæ, quem *de Teleſcopio* ſcripſerat, præfatione, vid. *Nicolaum Guibertum de murrhinis c. 1. in fine.* Plura de eo dicet MARTINVS VOGELIVS *in Hiſtoria Lynceorum*, quam typis paratam habet. Sed quicquid ſit de vero Autore, liber tamen ipſe bonus eſt, vehementer etiam commendatus *Antonio Nardo*, qui & ipſe multa ſcripſit in Hiſtoria Naturali, ac in quodam lib. Italico inedito, qui in Ducis Florentini Bibliotheca aſſervatur, cui titulus: *Scene Toſcene*, magnificum Ferranti Imperato elogium ſuſpendit, in eo laudans veritatem experimentorum. MICH. NEANDRI, Rect. Ilfeld. viri docti, *Phyſica* ſive *Sylloge Phyſicarum rerum eruditarum*, Lipſiæ A. 1591. *in 8vo* prodiit. Multa in ea habentur erudita Phyſica & Medica, ſed mera tantum Collectanea. IOH. EVSEB. NIEREMBERGII *Hiſt. Naturalis in fol.* edita, multa habet de variis rebus, imprimis orbis alterius Exoticis. Sed ſunt, qui Autorem in multis fabuloſam exiſtimant. GEORGII HORNII *Hiſtoria Naturalis* Leidæ A. 1670. *in 12mo* edita, magnifico iſto titulo jejunus admodum 17. foliorum liber eſt, qui facile ſomnianti alicui, & aliud agenti, excidere poſſit. Ne quid dicam de iis, quæ hic falſa recenſentur.

Scri-

Scripſerunt etiam non pauci ſub Epiſtolarum forma res varias naturales, qui primum locum inter Miſcellaneos ſcriptores obtinent. Priores enim, quos nominavi, Ordinem naturæ ſequuntur, & per ſingulas rerum Claſſes naturæ hiſtorica colligunt. Inter EPISTOLOGRAPHOS PHYSICOS primo loco recenſebo *Pauli Sarpii*, Autoris illius, qui *Hiſtoriam Concilii Tridentini* ſcripſit, *Epiſtolas* de rebus Phyſicis, quæ tamen lucem nunquam adſpexerunt, magno Philoſophorum malo. Non enim facile ingenium fuit, quod magis penetraret in arcana, tam Politica, quam naturalia. Primus certe circulationis ſanguinis Autor fuit, & experimenta iſta publice Venetiis oſtendit. Falſo proinde jactant Angli, ſe ejus eſſe inventores, quibus id Anglus ipſe, Henricus Stubbe, objicit, in libro illo, quem contra Societatem Regiam ſcripſit. Refert autem id *in Vita Patris Pauli* Fulgentius, in qua etiam de ſummo ejus ingenio in rebus Mathematicis, & de his ipſis Epiſtolis Phyſicis, *p. 232. & 233. verſ. Gallica* agit. Similiter EPISTOLAE PEYRESCIANAE (*c*) de variis rebus Phyſicis magnum nobis lumen in Hiſtoria Naturali accendere poſſent, ſi aliquando ederentur, quas in Bibliotheca ſua diligentiſſime ſervavit Petrus Puteanus, Conſiliarius Regis Galliæ, teſte Nicolao Rigaltio, *in vita ejus p. 500.* ubi de illis iſta habet: *Præterea ſervavit Nicolai Fabri Peyreſcii, Senatoris Aquenſis, Epiſtolarum ad ſe atque Jacobum fratrem volumina duo grandia, quibus continentur ad naturalis hiſtoriæ, totiusque literaturæ notitiam, obſervationes elegantiſſimæ.* Quis autem vir Peyreſcius fuerit, conſtat ex *Vita*, quam Petr. Gaſſendus ſcripſit. Ubi inter cetera Opera & ſtudia, multum eum rebus naturalibus impendiſſe & operæ & temporis, deprehendimus. Jungi his poſſunt FORTVNII LICETI *Quæſita per Epiſtolas*, vaſtiſſimo viri ingenio, cujus extant magna volumina, tam in Medicina, quam in Philoſophia Naturali, de rebus Philoſophicis ſcripta. Et quanquam ille Peripateticæ Philoſophiæ ſit addictus, adeo quidem, ut vel integrum librum *de pietate Ariſtotelis* ſcripſerit, ejusque ſententias, quanquam falſas, cum recentiorum hypotheſibus conciliare conatus fuerit, multa tamen apud illum reperiuntur curioſiſſima, & magno ſtudio conquiſita & elaborata. Noſtris temporibus diligentiſſimus fuit, in Epiſtolis Phyſicis & Medicis conſcribendis, THOMAS BARTHOLINVS, vir in augenda ſcientia naturali ſagaciſſimus, cujus prodierunt *IV. illarum Centuriæ*, Hafniæ *in 8vo*, duæ quidem priores A. 1663. totidem vero poſteriores A. 1667. Scripſit & Autor Gallus, SAM. DE SORBIERE *Epiſtolas Phyſicas*, quæ tamen non tantæ accurationis mihi videntur. Levius enim de rebus & Autoribus formal judicium. Quo nomine vapulat Anglis, qui *Itinerarium* ejus *Anglicum*, Gallica lingua ſcriptum, non ſatis benigne, ut æquum etiam erat, exceperunt, & paſſim illi ignorantiam & incogitantiam objecerunt. 6

Epiſtolographis accenſendi ſunt, qui DIALOGOS ſcripſere, quibus complexi ſunt *res naturales*, quorum aliqui ſunt inter Scriptores Exoticos, Italos, Gallos, Hiſpa- 7

(*c*) Nicol. Fabr. Peyreſcii *Epiſtolarum* editionem Galli propediem a ſe jubent expectari, uti e Novis Literariis, vel Jac. Bernhardi, vel Jeſuitarum Trevorienſium, haud ita pridem ſum edoctus.

Hiſpanos. Sic SIM. MAIOLI *Dies Caniculares* de variis naturæ ſubjectis, per modum Dialogi, agunt. Sic CLAVD. BERIRGARDVS, Philoſ. Patavinus doctiſſimus, profundiſſimi vir ingenii & judicii, in *Circulo Piſano*, qui Patavii A. 1661. *in 4to* prodiit, e Vett. & Recentt. Philoſophis, perpetuo Dialogo inter Charilæum, Philoſophiæ Peripat. defenſorem, & Ariſtæum, Anaximandri principia proponentem, omnis Philoſophiæ Naturalis penetralia rimatur. IOH. quoque BODINVS, ſicut in omnibus, ita & in Phyſicis, Novator, *in Theatro Univerſæ Naturæ*, Lugd. A. 1596. *in 8vo* edito, de variis naturæ argumentis ſub forma Dialogi differit, & hac ſtyli forma eo commodius paradoxas monſtroſasque opiniones ſuas, ope objectionum, proponit, in quibus plus ſæpe theſeos eſt, quam ubi veram Theſin ſuam oſtendit. Inter Hiſpanos habemus TORQVEMADAE *Dialogos*, qui poſtea in linguam Germanicam ſunt converſi. ITINERARIORVM SCRIPTORES nonnulli etiam non ſunt negligendi, inter quos excellit MONCONISIVS, *(f)* cujus extant Gallica lingua *Itineraria* per Orientem, totamque Europam: in quibus diligenter notavit, quicquid rerum naturalium apud omnes gentes obſervavit, quicquid mechanicarum rerum a peritis artificibus obtinere potuit, quos omnes in itinere ſuo compellavit, nec omiſit colloquia cum viris doctis & Philoſophis naturalibus inſtituta. Medica etiam multa & Chymica immiſcet, quorum tamen certa adeo non ſunt experimenta. Ipſe enim omnia, prout tradita ſunt, velut per lancem ſaturam, congeſſit, ſuis poſtea experimentis exploranda. Sed, quoniam morte præmatura præreptus eſt, omnia ſine diſcrimine, quæ in ſcriniis ejus reperta fuere, edita ſunt, quorum ſi ipſe vivus arbiter fuiſſet, majore fortaſſis cura ſcriptum haberemus opus. Interim laudanda vehementer eſt hujus viri induſtria, qui vel ſic prodeſſe non parum ſtudio naturali poteſt. Laudari etiam, ob diligentiam in naturalibus, merentur Pet. de la Valle *Itinerarium*, Anonymi *Hiſtoria Inſularum Antillenſium*, Guilh. Piſonis *de Indiæ utriusque Re Naturali & Medica Libri XIV.* de vaſtiſſima Er. Franciſci Volumina Germanica, Norib. *in fol.* edita, in quibus, labore utiliſſimo, ex Itinerariis variis, Sinenſibus inprimis & Indicis, omnia naturalia & artificialia collegit, ac ſub unum conſpectum produxit. *Thevenotius* in *Itinerariis* ſuis curioſior eſt. Ipſe enim ſua edidit obſervata, ac cum judicio omnia digeſſit, a quo, ut jam ſupra dixi, ſperanda nobis eſt aliquando accuratior rerum Mechanicarum Hiſtoria.

8 Tandem & OBSERVATIONVM *Scriptores* huc pertinent, qui præ ceteris magni faciendi ſunt, ſi fidem illam, quam debebant, adhibuerint rebus ſuis. Et hodiernum quidem ſeculum, quod in experimentis capiendis deliciari nunc quodammodo videtur, ſupra modum fœcundum eſt illis Scriptoribus, ſed in his oportet magno cum delectu verſari. Non enim temere admittenda eorum experimenta, aut Hiſtoricis eorum fides habenda, niſi natura etiam nos fecerit certiores. Habuimus & ſuperiori ſeculo, qui Obſervationes ſcripſerunt, inprimis in Medicinalibus, quibus naturalia nonnunquam ſunt miſta. Sed in illis non eſt ἀκρίβεια illa obſervata, quam obſervare

(f) Germanicam Hodœporicorum Monconyſii Verſionem dedit M. Chriſt. Junckerus, Gymn. Schleuſing. Conrector, excuſam Auguſtæ a. 1696. *in 4to*.

vare debent, qui talia ſcribunt. Idcoque, velut narratiunculæ quædam ſub certa fide traditæ, ſunt accipiendæ, in quorum enarratione nos tempus terere nolumus. Mihi præ omnibus aliis arrident GEORG. HIER. WELSCHII Scripta hujus generis, ob delectum pariter atque doctrinam accuratiſſimam. Quibus addi merentur, quæ ROB. BOYLIVS in Lib. Anglico: *The Uſu fulneſſe of the Natural Philoſophie* (Ox. 1664. *in 4to*), & altero *Occaſional Reflexions*, de variis Rebus Naturalibus obſervavit. Extant PETRI BELLONII *Obſervationes de rebus naturalibus Exoticis*, quas e Gallicis Latinas fecit Carolus Cluſius, ediditque Antwerpiæ, anno 1586. ſed quas ſubreptas ab illo Domino ſuo fuiſſe, cujus peregrinationum comes erat, fama eſt, de qua videri poſſunt Scævola Sammarthanus *Lib. I. Elogiorum pag.* 24. & Thuanus *lib. 16. Hiſt. fol.* 333. In quibus nonnulla ſunt fide digna, meræ enim ſunt Hiſtoriæ ab illo, vel Domino ejus, Petro Gyllio, congeſtæ. IOH. RVDOLPHVS CAMERARIVS *Centurias 17. Memorabilium Medicinæ, & mirabilium naturæ Arcanorum*, collegit, in quibus etiam occurrunt multa non ſpernenda. Longe tamen plurima ſunt e lacunis ſuperſtitionum & traditionum hauſta, aut ex trivio deprompta.

Hodie huic fini *tota* COLLEGIA inſtituta ſunt in Italia, Anglia & Germania, 9
in quibus in medium conſulitur de re naturali per experimenta augenda. Habuerunt priora etiam tempora, apud Italos, talia Collegia, in quibus laudari præ ceteris meretur *Academia Lynceorum*, *(g)* a Principe Angelo Cæſio, acerrimo rerum naturalium & Mathematicarum indagatore, inſtituta, in qua tamen potius ſcribendis libris, quam novis inventis, opera dabatur. Paſſim enim collegit homines doctos, inopia oppreſſos, ſumtusque iis liberaliter ſuppeditavit, ut aliquid ſcriberent. Ipſe Nardi Antonii Recchi librum *rerum novæ Hiſpaniæ*, ſuis ſumptibus, in lucem edidit, de quo videri poſſunt amplius Erythræus *Pinacotheca tertia*, *num. 23.* & Joh. Baptiſta Porta in præfatione *libri*, quem *de diſtillatione* conſcripſit De eodem Angelo Cæſio, ejusque Academia, liberalitate & ſcriptis vide Collegæ noſtri Clariſſ. D. J. Dan. Majoris *Annot. I. ad Fabii Columnæ Opuſculum de Purpura.* Qui Columna ipſe membrum hujus Collegii fuit. Scripſit ipſe Cæſius volumen ingens, quod *Naturæ Theatrum* inſcribit, & multa alia, de quibus eodem loco videri Erythræus poteſt. Sunt & hodie Romæ & Florentiæ Collegia quædam inſtituta, unde Obſervationes prodierunt libris ſingularibus. Et Florentini quidem aërem & vacuum variis tentaminibus explorarunt, nec legi facile quicquam curioſius poteſt circa hoc argumentum, quanquam & Angli, Robertus Boylius præprimis, multa in illa re præſtiterint. De Gallicis & Anglicis Collegiis, unde hodieque Obſervationes, vel menſtruæ, vel annuæ, prodeunt, jam ſupra dictum eſt. Germanorum Societas magna parit ſingulis annis Obſervationum volumi-

(g) De Academia Lynceorum, & Principe Cæſio, ejus fundatore, fuſius jam diſſeruit Noſter *T. I. Polybiſt. Lib. I. c. 14. §. 18. ſeqq.* Ubi recte monuit, incertum eſſe, an fundatio ejus Federico Cæſio Parenti, pro quo Aug. Favoritus & Joh. Dan. Major, an vero Angelo Filio, pro quo Erythræus, ipſeque & Henn. Wittenius, hunc ſecuti, militant, debeatur. Conferri quoque poſſunt, quæ nos hac de lite obſervavimus *in Homonymoſcopia, P. III. c. 7. §. 22. p. 657. 658. 659.*

na, e quibus ſi quis in compendium traxerit nova illa, & quorum illi ſe primos inventores, vel obſervatores venditare poſſunt, exiguum quis libellum ex iſta Scriptorum mole facile confecerit. Apud Danos quotannis quoque *Acta Hafnienſia* prodeunt, in quibus non pauca etiam curioſa, ſed & non immerito delectum aliquem deſideres. Et habet ſane illa Collectio, e locis tam diverſis, Autorum cujuscunque generis aliquid incerti. Inter eos enim ſæpe ſunt homines aliqua tantum prurigine famæ laborantes, qui, cum & ipſi Principum miſceri Archivis percupiant, aliquid corradunt Obſervatiuncularum, quibus interdum plus mendacii ſubeſſe deprehendas, quam veritatis.

10 Autores POLYGRAPHI in hunc etiam cenſum referendi ſunt, ſuntque illi, qui pene in omnibus Naturalis Philoſophiæ argumentis ſcripſerunt. Inter quos referendus eſt HIERONYMVS CARDANVS, magni ingenii Autor, in quo, mirabili viciſſitudine, ſummam ſapientiam dementiæ miſtam invenies. Nullum pene tam naturalis, quam moralis Philoſophiæ, caput eſt, nulla Medicinæ & Mathematicæ pars, quam ille non Commentariis ſuis attigerit, doctis utique & laborioſis. Sed mira eſt hominis illius ſæpe vanitas in ſomniis, oſtentis, prodigiis, præſagiis aſtrorum ac geniorum, fingendis: Ejus Opera omnia, decem *in folio* Voluminibus, edita ſunt a Gabr. Naudæo in Gallia. ULYSSES ALDROVANDVS quidam in ſcribendis libris Hercules fuit, nullum enim naturalis Philoſophiæ Caput eſt, quod non Commentario proſecutus fuerit. Vaſtum Operum ejus Catalogum vide apud Joh. Imperialem in *Muſeo* ſuo, & Laurentium Craſſum *in Elogiis Hominum literatorum*. ATHAN. KIRCHERVM etiam Herculem (qui unius noctis concubitu cum 50. fœminis totidem genuiſſe filios dicitur) inter Scriptores, ſi librorum numerum videas, vocaveris. Non tamen omnes, qua debebant, accuratione ſunt ſcripti. *Mundus Subterr.* non pauca habet Experimenta, non tamen accurate ſemper propoſita. Multa in illis falſa, multa ex aliis tranſcripta, denique multi ligna ſua in hanc ſylvam contulerunt. FORTVNIVS LICETVS referendus etiam inter illos eſt, cujus Operum Catalogum apud Craſſum habemus, *part. 1. pag. 294. & 295.* Similiter & PET. GASSENDVS multos ſcripſit in Philoſophia naturali libros, cujus Opera aliquot Voluminibus congeſta ſunt, quorum Titulos vide apud eundem Craſſum, *Part. I. pag. 300.* De Caroli Cluſii Operibus vero *Part. II. pag.* 40.

11 PROBLEMATVM PHYSICORVM *Scriptores* huc quoque pertinent, de quibus jam tum dictum *priori Capite.* Quibus nunc addo librum CASPARI DE REIES, quam ſcripſit ſub Titulo, *Campus Elyſius jucundarum quæſtionum.* Extant quoque Germanica lingua GOTHOFREDI VOGTII Problemata quædam Phyſica, non contemnenda. Legenda etiam eſt PET. MEXIAE *Sylva*, Hiſpanico quidem ſermone ſcripta, ſed nunc in Germanicum converſa. ERASMVS BARTHOLINVS, qui pauca quidem ſcripſit, ſed docta & ſelecta, nec vulgari modo tractata, ſed orationis flore veſtita, in *Librum Qq. XIII. Academicarum de Naturæ Mirabilibus*, Hafn. A. 1674. *in 4to* excuſum, congeſſit, quas ſeorſim ediderat, Diſſertatiunculas *de Figura & Poris Corporum, Figura Nivis, vi conſvetudinis*, aliasque lectu digniſſimas. E Placitorum Philoſophicorum Scri-

Scriptoribus ſpectat huc etiam *Doxoſcopia Phyſica* IOACH. IVNGII, varias Antiquorum & Recentiorum de rebus Naturalibus exhibens atque examinans ſententias, quam poſt Autoris mortem edidit Mart. Fogelius, Hamb. A. 1662. *in 4to.* MARCI FRID. WENDELINI, Viri diligentiſſimi, *Contemplationum Phyſicarum Libri*, Phyſicam generalem, &, ex ſpeciali, Tractationem de Mundo & Stellis, continentes, qui Francofurti, A. 1649. *in 8vo*, prodierunt, utiles itidem ſunt ad cognoſcendas variorum Autorum, & Scholaſticorum quoque, ſententias, quorum argumenta diligenter Autor collegit, & in ſe contulit. HENR. KIPPINGII *Inſtitutiones Phyſicæ* titulum iſtum non merentur, cum LL. CC. tantum coacervent. Uti tamen Libro illo cum fructu poſſumus, cum non pauca notatu digna ſubminiſtret, & ſententias aliorum diligenter colligat. GEORG. HORNII *Arca Moſis* generalem quandam rerum σκιαγραφίαν, ſub VII. dierum Operibus, delineat, additis nonnullis e Chymia, Phyſica, reliquisque Scientiis, inter ſe miſtis. Reperiuntur in illis quædam, verbotenus ex aliis Autoribus Compendiariis (qualis etiam Hornius in omnibus eſt) deſcripta. Qui Memorabilia & Magica naturalia ſcripſere, quoque huc referendi, uti Levinus Lemnius, J. Jac. Weckerus, Antonius Mizaldus, Wolfg. Hildebrandus, Mart. Schmuckius, J. Bapt. Porta, Caſp. Schottus, (Scriptorum Kircheri promus condus, & ex iſtis pleraque compilans,) *in Thaumaturgo Mathematico & Phyſico, Jocoſeriisque Artis & Naturæ*, Joh. Jonſtonus (Autor in Collectaneis Rer. Nat. non contemnendus,) *in* Θαυματογραφία *Naturali*, de quibus quid ſit ſentiendum, peti e ſuperiori poteſt capite. Spectant & huc, qui de varietatibus & ſubtilitatibus naturæ ſcripſerunt, Hier. Cardanus, & Jul. Cæſ. Scaliger, qui adverſus Cardanum inſurrexit, refutatus tamen poſtea a Cardano, in quem certe injurius in multis fuit. Vindicat Cardanum in nonnullis Joh. Sperlingius, *in Meditationibus ſuper Subtilitates Scaligeri.* Scaligerum multa hauſiſſe ex aliis, præcipue ex Joh. Leone, Autor eſt Voſſius *de origine Idololatriæ;* Vid. Thomaſium *de plagio literario* §. 536. De Muſeorum Scriptoribus ſuperiori cap. actum eſt, & de illis, qui errores vulgo refutarunt. Multa quoque ad Hiſtoriam Medicam & Phyſicam ſpectantia Manuſcripta Volumina recenſentur *lib. 6. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonenſi, Part. II.* a Pet. Lambecio, quæ huc referre nimis eſſet operoſum &c.

CAP. III.

DE PHYSICA MOSAICA, EIVSQVE INTERPRETIBVS, VETERIBVS ET RECENTIORIBVS.

§. 1. *Invectiva in pietatem ſcientiarum omnium principia in S. Scriptura veſtigantium ineptam, & hinc orta Fanaticorum ſomnia. 2. Hiſtoria Creationis Moſaica fabricam quidem univerſi illuſtrat, ſed certa ac adæquata Phyſicæ principia non proponit. Diverſæ Spiritus, qui aquis incubuit, interpretationes. 3.*

Veſtigia Hiſtoriæ Creationis in Philoſophis Gentilium, maxime Platonicis. 4. *Ex Philoſophis modernis, Moſis Narrationes Phyſicas Carteſianis applicarunt. Principiis Joh. Amerpoel. Lud. de Beauſort & Henr. Morus, ſuis Rob. Fluddius, Ariſtotelicis Phyſica Chriſtianæ Scriptores.* 5. *Novum autem ex iisdem Syſtema Phyſicum effinxerunt Johan. Amoſius Comenius & Joh. Bayerus, quorum tria principia* (Maſſa *ſc.* Moſaica, Spiritus & Lux) *reliquaque Philoſophemata παραδόξα, prolixe recenſentur ac confutantur.* 6. *Joh. Henr. Hottingeri, Bened. Pererii & Claud. Berirgardi in Hiſtoriam Creationis Commentationes, Johannisque Eſpagneti* Enchiridion Phyſicæ Reſtitutæ, *Moſaica legens veſtigia, commendantur.* 7. *Cabaliſtarum, Franc. Georgii, Henr. Mori, &c. Interpretationes Paradoxæ.* 8. *Enthuſiaſticæ Æg. Gutmanni, Jac. Böhmii (de quo, & Aſſecla ejus, Quir. Kühlmanno, fuſius diſſeritur,) Joh. Heydoni, Joh. Sophr. Kozackii.* 9. *Scriptores alii in Hiſtoriam Creationis Miſcellanei.*

ACcedimus nunc ad principia Philoſophiæ naturalis exhibenda, ex variis variarum gentium ſententiis. Quandoquidem vero inter illas primatum jure tenent Hebræi, & qui Theſaurum illum poſſident librorum divinitus inſpiratorum, libros Moſis præcipue, Scriptoris antiquiſſimi, unde ſua hauſiſſe videntur, qui propius abſunt ab ejus ætate, Philoſophi, merito jam primo loco diſſerimus *de* PHYSICA iſta MOSAICA, diſquiſituri, an in Hiſtoria illa Creationis, a Moſe ſcripta, tradantur principia adæquata & ſufficientia, quibus ſuperſtrui Philoſophia naturalis poſſit. Ac primo hic ſancta quorundam ſimplicitas notanda eſt, qui, inepta pietate, ac ſuperſtitione potius, quam ingenio, ducti, omnium ſcientiarum principia in ſacra Scriptura putant eſſe recondita, qua opinione quidam imbuti integras Encyclopædias Biblicas nobis pepererunt. Sed ſatis quidem patet, homines illos non diſtinctas habere rerum ideas, nec ingenium illis eſſe aptum natum ad conceptus de rebus formandos. Neque enim eum in finem tradita eſt Scriptura ſacra, ut ſcientias inde diſcamus. Quam enim ridiculum eſt, ex aliquot locis, ubi, data occaſione, mentio fit nonnullarum rerum ad ſcientias pertinentium, principia quædam Methodica educere. Cui viæ ſi quis inſiſtere velit, eadem ratione e Corpore Juris & Phyſicam, & Ethicam, & Politicam, & neſcio quid non, concinnabit: ut ſunt ſane, qui magno ac inepto conatu magnas iſtas nugas egerunt. Quidam enim in Jurisprudentia tradenda principia Grammatica, Rhetorica, Phyſica, Medica, Theologica, adeoque omnium diſciplinarum, indagarunt, quæ illi utcunque educunt e locis quibusdam, eorum argumentorum quædam forte attingentibus. Idem alii forte in Hippocrate, vel etiam aliis Autoribus, præſtiterunt. Multæ hinc certe ortæ ſunt ineptiæ, non Judæorum ac Rabbinorum tantum, quibus ſolenne eſt, in ſingulis apicibus myſteria quærere, ſed & Fanaticorum hominum, qui priori ſeculo mira ſomnia excogitarunt, quibus infecerunt Philoſophiam naturalem, vel e verbis Scripturæ Sacræ, male intellectis, vel ſenſibus quibusdam in ipſam Scripturam Sacram illatis. Ac ſunt plerique illorum hominum artis Analyticæ ignariſſimi, cumque deſtituantur vera interpretandi ſcientia, ea quæ interdum populari ſenſu, in libris ſacris dicuntur,

vel

vel etiam Metaphorico, illi alieno capiunt. Quare cavendum eſt ne, dum in ſacris literis quippiam rerum naturalium quærimus, ſomnia noſtra potius inferamus.

2 Quod jam attinet *Hiſtoriam Creationis*, pertinet illa quidem ad contemplationem Phyſicam, ita tamen, ut Theologicæ potius conſiderationis, quam Philoſophicæ ſit. Nam certe, qui hic vera, adæquata & ſufficientia Phyſices principia quærunt, fruſtra quidem laborare mihi videntur. Quoniam enim natura, nunc in iſtum ordinem redacta, alia, generationis ſcil. via incedit, ad quam principia naturalia dirigenda etiam ſunt, ex ſola Creationis hiſtoria rem omnem non conficiemus, quanquam negari id non poſſit, quoad *σύνταξιν* hujus univerſi inde deſumi multa poſſe. Specialia vero Corpora naturalia quomodo miſta vel compoſita ſint, nunquam inde diſcemus. Fueruntque alia certe principia mundi creandi, quam nunc ſunt Corporum naturalium creatorum. Deus enim ex nihilo creaverat univerſi hujus principia, unde poſtea producta eſſe omnia corpora apud Moſen quidem legimus, ſed quomodo, ac qua ratione, producta, illic non traditur. Præterea magna hic eſt in Interpretatione ambiguitas. Quando enim *Spiritum* dicit Moſes *incubuiſſe aquis*, aliqui Spiritum Sanctum, aliqui principium aliquod naturale activum & univerſi hujus conſtitutivum ſimul ac digeſtivum, aliqui ventum, intelligunt. Qui Phyſicam Moſaicam ſtricte ſequuntur, generale hoc Spiritus vel Animæ mundi principium, quaſi certum & *Θεόπνευστον*, admittunt, de quo nunc differendi locus non eſt.

3 Philoſophi Gentiles, Moſi viciniores, non obſcura habent Moſaicarum traditionum veſtigia, quorum loca Parallela diligentiſſime congeſſit in *Commentario* ad hæc loca doctiſſimo *Auguſtinus Steuchus*. Legi & Hvgo Grotivs poteſt in *libris de Veritate Religionis*, ac *Notis in eosdem*, ubi ex Scriptis aliorum Orientalium populorum Gentilium dogmata oſtendit, cum Moſe convenientia. Et videtur hinc Platonicorum & Pythagoreorum Schola exhauſta, qui ad cauſas externas in Phyſicis pleraque referunt, quemadmodum & Moſes facit, qui non tam internas rerum cauſas proponit, quam externas, earumque externum ordinem & diſpoſitionem. Hinc apud Platonicos tam multa eſt diſputatio de Deo, de Ideis, & ſimilibus rebus, quæ ad Theologiam potius naturalem, quam ad Phyſicam, pertinere videntur.

4 Fuerunt tamen nonnulli e recentioribus, qui ex Hiſtoria illa Creationis doctrinam Phyſicam fabricari conati ſunt, qui quidem principia aliqua generalia ex Hiſtoria Creationis aſſumunt, ſuo tamen modo quodam explicata, & ad ſuos ſenſus tracta. In ſpecialibus tantum abeſt, ut proponant ſententiam aut mentem priorum Capitum Geneſeos, ut novas etiam ſententias ſuas ad illa generalia principia reducere moliantur. Hinc pene omnes Phyſicorum ſectæ reducere principia ſua ad Moſaica illa, ſi id velint, poſſunt. *Carteſius* certe, quem ego Philoſophiam nunquam ad mentem Moſis inſtituiſſe credo, aut cum illam ſcriberet, illuc reſpexiſſe (requirit enim animum præjudiciis omnino liberum,) in eas tamen cogitationes devenit, ut Moſen ſecundum Philoſophiam ſuam explicare voluerit, quod patet ex Epiſtolis ejus,

ejus, *Tomo 2. Ep. 24. & 53. ad Merſennum.* Idem poſtea integro libro Leovard. 1669. *in 12.* tentavit IOHANNES AMERPOEL, Groninga-Friſius, quem inſcribit *Carteſium Moſaizantem*, quo in libello, velit, nolit, Carteſius moſaizat. LVDOVICVS etiam DE BEAVFORT, Pariſ. Med. D. in *Coſmopœia* ſua *divina*, ſive *fabrica mundi explicata*, Leidæ A. 1656. *in 12.* edita, Carteſium non inconcinne in multis conciliat cum iis, quæ apud Moyſen dicuntur. *Henr. Moor*, Anglus, Philoſophus Platonicorum Carteſianus, *in Defenſione ſuæ Cabalæ Philoſophicæ*, quam Anglica lingua ſcripſit, principia illa gemina, quæ ponuntur a Moſe, Cœlum & Terram, ad mentem Carteſii explicat: vocem enim שמים interpretatur ſecundum principium Carteſianum; *ætherem*, quia vox illa *Schamajim*, ſecundum Rabbinos, compoſita ex אש ignis & מים aqua, quæ Etymologia, vel alluſio vocis, occultiore quadem Cabala exprimere principium iſtud Carteſianum videtur. Terram ex Textu Hebraico Planetam facit, ab uſtione, vel extinctione, dictum, quod ſententiam Carteſii ſtabilire poſſit, terram noſtram aliquando fuiſſe ſolem, qui, igne extincto, degeneraverit in Planetam, de quo infra fortaſſis plura. Qui dogmatica methodo complexus fuerit principia Moſaica, neminem novi, quam Comenium, &, qui ejus principia ſecutus eſt, Johan. Baierum. Rob. enim Fluddius, in *Philoſophia Moſaica* ſua, confuſus eſt, & cœlum terræ miſcet, omnia pervagando. Lamb. Danæus, Conr. Aslacus, Joh. Henr. Alſtedius (*in Triumpho ſeu Encyclopædia Biblica*, ed. Francof. 1625. *in 8vo c. 9.* ac alii, qui *Phyſicam Chriſtianam* ſcripſerunt, nulla certa principia ſequuntur, ſed vel Interpretes ſunt priorum Capitum Geneſeos, vel Phyſicam Ariſtotelicam & vulgarem ad Moſaica illa reducunt.

5 IOHANNES AMOSVS COMENIVS,(*b*) quantum memini, primus eſt, qui *in Phyſica ad lumen divinum reformata*, Amſtelod. An. 1643. *in 12.* publicata, principia quædam diſtinxerit. Ad ſenſum enim Moyſis recte ſe ſtatuere putat tria principia, *Materiam*, *Spiritum* & *Lucem*, quorum fundamentum in primi capitis Geneſ. verbis quærit. Sed unde ille novit, primam mundi materiam, ſive Chaos, fuiſſe fumum vel vaporem? quidve opus eſt, peculiare aliquod principium ſtatuere lucem? Neque enim vel ullo apice indicatum eſt, Lucem principium eſſe Corporum naturalium. De Spiritu ſeu anima mundi, quanquam concedamus, quomodo omnium corporum formæ ex uno hoc Spiritu reſultant? Hominem non ad animalium, ſed ad Spirituum claſſem reducit, nulla quidem, ut ego capio, cauſa. Sed quæ in Comenio obſcura ſunt, aut non ſatis expedita, illa a IOH. BAYERO, in lib. quem inſcribit *Oſtium ſeu Atrium Naturæ*, Caſſoviæ in Hungaria, A. 1662. *in 8vo*, edito, prolixius explicantur. Primum principium, quod vocat maſſam Moſaicam, *Cap. 1.* exponit, cujus facit ſtatum duplicem, ſtatum Creationis primæ, reſpectu cujus univerſalis dicitur: alium Creationis ſecundæ, ſecundum quem particularis dicitur. Primus ille ſtatus diem primum duravit, hodieque nullus eſt; alter ille ſtatus eſt Conſtitutio Maſſæ ſub peculiaribus formarum diſtinctarum characteribus, poſterioribus Creationis diebus

(*b*) Confer cum *h. l.* quæ de Comenii & Bayeri Principiis & Dogmatis Phyſicis, *lib. præced. t. c. 15. §. 18. & 19.* jam ſunt allata.

diebus introductus, qui ſtatus hodieque durat, unde in maſſas illas particulares aquæ, terræ, mineralium, &c. diſtincta eſt. Ejus varietatem proponit ex varietate corporum principalium. Unde ſicut corpora vel primordialia ſunt, vel ſeminalia, ita maſſam corporum, vel primordialem, vel ſeminalem, facit; ratione corporis, cui competit, facit vel nativam, vel adventitiam, vel permanentem, vel fluxam. Pergit deinde Axiomata ſtatuendo, quibus demonſtrat, maſſam in unione Spiritus & Lucis conſtituere corpus. Maſſam illam informem fingit: ſed tamen inſtar fumi & vaporis discontinuam, cum Comenio, *Axiomate 14. cap. 1.* & tamen *Axiom. 16.* maſſam mundi partibus ſuis cohærentem undique facit, quam tamen ſtatim *Axiom. 6.* poroſam ſtatuit; quæ quomodo conſiſtere ſimul poſſint, ego quidem non video. Et illa cetera, quæ de maſſa proponit, potius ex ſuo ingenio finxit, quam ex verbis Moyſis accepit. Namque illa omnia & de materia ſua dicere poſſunt Peripatetici & Carteſiani, & quicunque alii Philoſophi, qui principium aliquod paſſivum, ut ſtatuere debent, ſtatuent, quod ſive maſſam Moſaicam voces, ſive naturam ſubjacentem, ut Bayerus, ſive Materiam, ut Peripatetici, ſive Atomos, ut Democritus, omnia in idem recidunt. Alterum Bayero principium eſt Natura fabricans, ſub qua comprehendit Deum, Spiritum vitalem, Moſaicum Plasmatorem, & extrinſecos patratores. Ita enim ſollicite illos diſtinguit, non Moyſis, ſed ſuis inſiſtens veſtigiis. Neque enim video, quæ ratio ſit diſtinguendi patratores extrinſecos ab ipſo Spiritu vitali. Ex illis enim facit alium patratorem extrinſecum cujusque Individui in ſpecie certa. Hunc facit, vel ſolitarium, vel totalem, qui ſine concurſu alterius concauſæ ſufficiens ſit ad ſemetipſum ſeminaliter per novorum individuorum generationem propagandum & multiplicandum, vel ſocium, vel partialem, qui ſine concurſu alterius cauſæ id præſtare non poteſt. Spiritum vitalem ex incubatione Spiritus S. ſuper materiam Moſaicam trahere originem, aſſerit, quod adeo novum eſt ipſius commentum. Nam de uno tantum Spiritu mentio fit in verbis Moyſis, ſive intelligendus ſit ille Spiritus Sanctus, ſive Spiritus mundi, qui, quod incubatione productus fuerit, cum revelatione non conſtet, neque nos capere poſſumus, nec Bayerus definire poteſt. Spiritus vitæ univerſalis conſtituitur agens creatum & finitum ab illo, quod naturas corporeas, ſecundum aſſignatas ideas, efformet. Tale vero agens in natura eſſe, multis adhuc diſputationibus obnoxium eſt. Quis vero ideas illas formet, ſecundum quas operetur illud agens, ſcire velim? An Deus id facit? Ita ad omnium rerum generationem ſpeciali Dei concurſu opus eſt, ac ipſius formæ vicem Deus ſubit. Si ab agente ipſo ideæ formantur, intelligentiam illud faciat neceſſe eſt. Quæ ſententia Arabum & Judæorum etiam fuit, quam inducere nobis religio eſt; maximis enim & periculoſis difficultatibus ſubjacet iſta doctrina, quique Magiam profitentur, perpetuum in illo dogmate patrocinium ſibi quærunt. Hanc naturam fabricantem particularem, quam Spiritum vitalem vocat, facit, vel internam & immediatam, vel externam & mediatam. Internam ac immediatam vocat Auram illam vitalem, ſeu Spiritum vitæ (quem Sapientem etiam appellat, unde intelligentiam illum hunc facere certum eſt) actuoſum ac penetrantem, quique omnia exequatur

in particularibus corporibus formandis, omnia penetret, ordinet, formet. Hunc Spiritum vitalem etiam Plaſticum vocat, quem ratione ſubjectorum varie dividit, ut itaque entia præter neceſſitatem multiplicare videatur, cum alios accerſat patratores Spiritus. Nam cum internus ille Spiritus ea jam tum poteſtate ſit præditus, & plaſticus diſertis verbis ab illo vocetur; quid opus eſt ad alias cauſas hic recurrere? Spiritus illi vitæ eſt vel univerſalis, vel particularis, ſpecificus ſcil. & individualis, alius Spiritus vitalis illi eſt nativus & perennis, qui cum corpore incipit & perdurat, alius adventitius & fluxus, qui extrinſecus advenit corpori, & nativo Spiritui ſeſe commiſcet, alius primordialis, qui eadem in ſtatu, quem in creatione acceperunt, conſervat. Alius eſt illi Spiritus vitæ ſupra-cœleſtis, aquarum ſcil. ſupra cœlos poſitarum, de quibus an certi quid ille definire poſſit, non video. Primum enim de ipſis aquis ſupra-cœleſtibus magna ſunt ſententiarum divortia, dum aliqui per illas nubes intelligunt, aliqui aquarum molem, ſupra omne cœlum ſidereum conſtitutam, ex verbis Moyſis arbitrantur; quæ tamen ſententia maximis urgetur difficultatibus, cum nec cœli, nec ſiderum, iſta ſit figura & vicinitas, ut putant forte illi, qui huic ſententiæ adſtipulantur. Alius illi Spiritus vitæ ſidereus eſt, per quem intelligit Spiritum aſtri cujusvis, per univerſam maſſam ſideream diffuſum; alius illi eſt Spiritus Elementaris ſubſtantificus, qui in Elementis habitat & agit; alius Spiritus Elementaris modificativus, qui in principiis Chymicis reſideat, & modificationem corporum faciat, cum adhuc tamen ipſa 4. Elementorum doctrina, & trium principiorum Chymicorum, non ſit adeo in tuto poſita, ut certiſſimæ ac æternæ veritatis ſit. Multa poſſunt contra quaternionem iſtum dici. Tria Chymicorum principia impugnavit integro libro *Robertus Boylius*, cui titulum fecit: *Chymiſta Scepticus*. Alius illi eſt Spiritus vitæ ſeminalis. Atque hinc per omnia naturæ ſubjecta Spiritum vitalem ſuum diſcerpſit, eaque omnia de hoc Spiritu affirmat; quæ de formis ſuis Peripatetici, quanquam contra illas diſputet, quæ tamen, excepto ſolo nomine, omnia habent communia. Nam quanquam ille, *cap. 2. Axiom. 21.* prolixe oſtendere laboret, in quibus doctrina Peripateticorum a ſua differat, pauca tamen illa ſunt, & vix attendenda, niſi quod ille Spiritus ſuos corpora eſſe negat, ſed vere Spiritus ait eſſe, ab Angelis & mente humana ſecundum gradus diſtinctos, qua in opinione nova quædam habet, & hactenus in Phyſicorum ſcholis inaudita. Reliquæ ejus differentiæ potius in opinionibus illis fundantur, quas ipſe in verba Moyſis induxit. Huic Spiritui porro omnes operationes in corporibus adſcribit, & inter eas fermentationem, de cujus efficacia, ſecundum principia ſua, pluribus agit. Tertium principium, Lucem ſcil. conſtituit naturam miniſtrantem, quam facit inter Maſſam & Spiritum mediam, inſtrumentum univerſale naturæ ad omnes ſpirituum functiones & maſſæ adoptationes. Hanc lucem, ratione ſtatus ſui, dividit in primogeniam ſive univerſalem, & ortam ſive characterizatam. Hujus munia & miniſterium conſtituit in motu, agitatione & vibratione, quam alii Spiritui potius adſcriberent, quippe cui tales ipſe operationes tribuit, quæ absque motu eſſe nequeunt. Lucem hanc facit, vel evibratricem,

tricem, ſeu quæ ex interioribus corporis ſeſe agitat verſus peripheriam, quam evibrationem colorem dicit, vel introvibraticem, ſive quæ corpus ingreſſa agat ſe verſus interiora, ſive centrum corporis, unde frigus in corporibus oriri aſſerit. Quæ diſtinctio vereor ne a multis impugnetur, inprimis recentioribus illis, qui Lucis naturam omnem in motu corporum certo conſtituunt, ac nihil illi ſubſtantiæ ſubeſſe exiſtimant. Eandem lucem iterum, ratione ſubjectorum, dividit pene eodem modo, quo maſſam & ſpiritum diviſerat; quæ omnia, an non Spiritui, naturam impellenti & moventi, tribui poſſint, diſpiciant alii. Nam certe inter principia corporum conſtitutiva ut numeremus, nulla nos neceſſitas cogit, atque omnes iſtas operationes ſpeciales jam tum tribuerat ſpiritui Bayerus. Nam *dixiom. ult. cap. 3.* a luce provenire dicit Diſpoſitionem & Ordinem totius mundi, quod ipſe jam de Spiritu vitali affirmaverat, in prioribus *capp. 4. 5. 6. 7. 8. 9.* Varia etiam ponit, quæ vel principiorum eſſe loco vult, vel inſtrumenti vice fungi. *Cap. 4.* naturam dirigentem proponit, ſeu Ideam, dotes naturarum fabricantem, quæ omnia præſupponere intelligentiam in Spiritu vitæ videntur, & Metaphyſicum potius quid ſapere, quam vere Phyſicum. Sunt enim quidam rerum modi aut affectiones univerſaliſſimæ, quæ potius in conceptu hominum fundantur, quam veræ affectiones Phyſicæ ſunt, quæ de corpore naturali, ut naturali, prædicari poſſunt. *Cap. 5.* proponit naturam ſigillatam, ſeu characterem corporum diſcretivum ac determinativum, ubi agit de ſchematiſmis materiæ, & de configurationibus corporum naturalium. Atque hæc neceſſario conſequuntur ipſam corporis naturalis conſtitutionem, quæ per formam ſupervenientem, ut ait ille, determinatur. Quod cum ait, aliud quoddam principium conſtituit, præter tria illa: Maſſam, Spiritum & Lucem, quibus, inter ſe operantibus, potius illa configuratio totius & partium tribuenda eſt, quam ulli alteri formæ. Video tamen formam illi eſſe potius configurationem ſive diſpoſitionem certæ portionis trium principiorum, nempe configurationem Maſſæ, concentrationem Spirituum, & temperamentum Lucis, in unione ac penetratione mutua. Quare nihil aliud eſt illi forma, quam notio quædam & conceptus de rebus, qui nihil realitatis involvit. Quorſum ergo opus eſt, tam anxie diſtinguere formas earumque proprietates, conſtituendo aliam genericam, aliam ſpecificam & individualem, aliam totalem, aliam partialem; quales conceptus tantum confundunt notitias rerum naturalium, ut in his, velut in cauſis, ſæpe acquieſcamus, nec interiora rerum perſcrutemur? Quid opus eſt, tot formas partiales ſubordinatas, graduales, accidentales, ſecundarias ac miniſtrantes diſtinguere, cum tamen omnes nihil aliud eſſe arbitretur, quam configurationem maſſæ, concentrationem Spirituum & temperamentum lucis? quæ cum explicare ipſe non queat, multo minus eorum varietates diſtinguere, quid opus eſt in his formis, nulli uſui futuris, tempus perdere? *Cap 6.* agit de dotibus, ſeu naturis ornantibus ac inſtruentibus, ſub quibus nominibus intelligit proprietates, & conſtitutiones, nec non facultates, tum receptivas, tum impreſſivas, corporum univerſales unitas. Unitas vocat, quia ab omnibus principiis, ſimul ſumtis, oriuntur, quo intelligimus, alias eſſe disjunctas, quæ ratione principio-

rum ſingulorum competunt. Dotes corporum, quæ a maſſa proveniunt, ſunt ipſi extenſio, exporrectio, terminus, figura, continuitas, contiguitas, ſitus; & hinc facultates receptivas totidem conſtituit, extenſibilitatem, exporrigibilitatem, terminabilitatem, figurabilitatem, continuabilitatem, contiguabilitatem, ſituabilitatem, quo quidem conatu magno magnæ mihi nugæ agi videntur. Cum enim Maſſa ſit natura ſubjacens ſecundum ipſum, habeatque ſe mere paſſive; quæ eſt hic ſubtilitas, invenire qualitates impreſſivas & receptivas, cum materia per ſe nihil agat, omnis vero actio ſit a Spiritu, ſive a luce, aut ab utrisque. Denique nihil reale involvunt iſtæ facultates receptivæ, ac mera tantum ſunt nomina, inerti quodam mentis conceptu progenerata. Cur etiam ſoli maſſæ tribuantur extenſio, terminus, figura, nec ſimul etiam luci, ego quidem non capere poſſum, cum & lux, ſecundum ipſum, ſit ſubſtantia, nec tamen Spiritus, ergo corpus, quoniam in ſenſus incurrere & ipſe concedit, & natura teſtatur; ideoque tribui etiam illi poſſunt iſtæ dotes vel qualitates, quas ille maſſæ tantum proprias facit. Proprietates ab altero principio, Spiritu, provenientes, facit vitam, cognitionem, cupiditatem, vim, nixum ſive conatum, operationem, de quibus ſingulis diſſerere prolixum nimis foret. Abſurditatem interim rei iſtius vel ex eo videmus, quod generalem hunc Canonem formet: *Omne Corpus gaudet vita, cognitione & ſapientia, appetitu, vi & nixu, & operatione.* Qui ſi verus eſt, omnia corpora naturalia intelligentiam habebunt, quod quam abſurdum ſit ſtatuere, quilibet videt, & longe quidem abſurdius, quam iſtam Campanellæ ſententiam, qui animam ſenſitivam omnibus tribuebat corporibus. Sed iſta conſectaria fluunt ex iſto principio Spiritus univerſalis, quem ſemel intelligentem fecerat Autor noſter. Ideoque, dato uno abſurdo, plura ſequi neceſſe erat. Per illum itaque bruta non tantum intelligunt, quod παραδόξον aliis ſtatuebatur, ſed & omnia corpora naturalia. De reliquis dotibus, ſcil. lucis, aliisque unitis affectionibus principiorum junctorum, quas facit Entitatem ac Subſiſtentiam, numerum, locum, &c. dicere nihil attinet, cum quilibet videat, illas potius ad Dialecticam & Metaphyſicam, quam ad Philoſophiam naturalem, pertinere. Dum *Cap. 8vo* de Naturis ſtimulantibus ac moventibus agit, nimirum amore & averſatione, cupiditatibus & fuga, illæ quoque præſupponere Spiritum ſuum intelligentem videntur. Hactenus enim locutionis iſtæ in Phyſicis, fuga vacui, Anthipathia & Sympathia, Magnetiſmus, nuda nomina ſanioribus habita ſunt, & potius quædam ignorantiæ velamenta, quam naturales cauſæ. Poëtis potius, qui fingere & Metaphoris uti gaudent, iſtæ locutionum formulæ ſunt transferibendæ. Longum eſſet, recenſere ſpeciales iſtas diſtinctiones amorum & averſationum, quæ dicis tantum cauſa omnes adductæ ſunt. Quando *Cap. 9.* de Naturis conſociatis, ſive conſpirationibus & hoſtilitatibus naturæ agit, in iis etiam ἀλληγορεῖν videtur Phyſicus noſter, quanquam in aliqua contemperatione corporum, ratione effluviorum, quædam fortaſſe ſint recondita, quorum nos accuratam adeo ſcientiam non habemus, quæ tamen omnia in motu aliquo ſingulari; nobis incognito, conſiſtunt, de quibus in ſequentibus forte plura dicemus.

6 Atque hæc ſunt pleraque illa Capita ſumma, quæ ex Bayero recenſuimus, de quibus

quibus judicium facile ferri poteſt. Si quis jam ulterius velit noſſe, quæ a Commentatoribus in Capita illa Geneſeos adferuntur, adeat eos ipſos, ut ſunt ſane eorum permulti, tam Judæi, quam Chriſtiani. Judæorum ſententias circa ſingula pene verba magna cura adduxit ſingulari libro *Hiſtoriæ Creationis* J. Henr. Hottingervs, qui uſui eſſe poteſt in ſententiis Judæorum, circa multa Philoſophiæ naturalis Capita, noſcendis. Adhiberi etiam Ben. Pererivs *in Geneſin* poteſt, doctus ſane liber, quique Phyſica plurima perſequitur. Legatur etiam Clavdii Berirgardi *Diſſertatio de Literarum Sacrarum autoritate circa mundi originem*, & altera *de Origine mundi ex Literis Sacris*, quæ habentur in *Circulo* ejus *Piſano*, libro eruditiſſimo, in quo perpetuo Dialogo veterum recentiorumque principia confert, atque expendit. Autor ille Anonymus, (Joh. Espagnetvs) qui *Enchiridion Phyſicæ reſtitutæ*, Rhotomag. A. 1647. *in 16to* editum, ſcripſit, libellum ſplendidi Tituli, Moſen in plerisque ſequitur ita, ut ubi commode fieri poteſt, quicquid ab illo traditum eſt, inter principia reponat, ita tamen moderetur, ut doctrinam Chymicam ex iisdem ſimul principiis deducat. Quo fine adjungit libellum, quem vocat *Arcanum Hermeticum*, quo confectionem magni Arcani Phyſici docet. Ac ratio quidem ejus ſcribendi diſtincta admodum & plana eſt, & longe explicatior, quam eorum, qui vulgo in hoc argumento verſantur.

Quod ſi etiam Enthuſiaſtas quæramus, certe nulla fertilior ſeges fuit, in qua 7
Enthuſiaſticas illas ſuas contemplationes figerent nonnulli, quam Caput I. Geneſeos. Fuerunt in noſtris, qui Rabbinorum nonnulla ſomnia reſuſcitarunt. Et ſunt integris libris congeſti Cabaliſtici Scriptores recentiores, qui mira hic circa Hexaëmeron comminiſcuntur, e quibus nomino nunc Franciscvm Georgivm, Venetum, qui *Harmoniam mundi* ſcripſit, mundumque in certos Tomos diſtinxit, veteres illas Pythagoreorum & Platonicorum fabulas de mundi Syſtemate repetens, & ſacris Scripturæ locis paſſim abutens. Pertinent etiam huc Pavli Ricci *Agricultura Cœleſtis*, & Joh. Pici Mirandulani nonnulla. Henricvs Moor, quem ſupra nominavimus, *Cabalam* Anglica lingua ſcripſit *literalem, Phyſicam & Moralem*, ubi pro lubitu ſuo explicat Scripturæ loca, varieque interpretatur. Quam rationem ſequi ſi velimus, nihil certe dici ſcribique poſſet, in quod non inferre poſſemus cogitata quædam noſtra. Ut enim perpetua quædam eſt rerum Analogia, ita nunquam deſunt occaſiones, quibus, reducere ad hæc vel illa cogitata certa verba ac rerum argumenta poſſimus.

Superiore Seculo fratres Roſcæ Crucis plurimos ejus farinæ libros pepererunt, 8
e quibus integram pene Bibliothecam quis confecerit. Unum nominabo Ægidivm Gvthmannvm, cujus exſtat liber, Germanica lingua ſcriptus, & A. 1619. *in 4to* primum editus, cui Titulus: Offenbahrung göttlicher Majeſtät. In illo, ex ſingulis verbis primi Capitis Geneſeos, ſingulos libros exſtruit, in quibus mirabilia formar problemata, ſed ad nullum pene directe reſpondit, ut neſcias, quid ſibi velit. Tanto ſane in pretio habitus olim fuit hic liber, ut centenis uncialibus venderetur. Con-

tra illum Autorem video ſcripſiſſe aliquem Chriſtianum Fabricium, ut ex *Catalogo nupero Francofurtenſi* obſervavi. Extat & alius quidam liber JACOBI Böhmen, hominis plebeji, ſed miro interdum Enthuſiaſmo rapti, ut ſcriberet libros, non omnino ſenſu omni deſtitutos, ſed tamen tenebricoſos, & qui vix intelligi poſſint ab aliquo. Is in Geneſin commentatus eſt lingua Germanica, ac librum iſtum cum Titulo *Myſterii Magni* edidit, quo miſcentur Theologica, Phyſica & Chymica, quæ inter ſe omnia mire componit, atque ex iis Enthuſiaſticam quandam Philoſophiam, velut Chaos quoddam, condidit. Principia tamen ejus farraginem quaſi quandam veterum hæreſium exhibent, quæ faſciculo quodam collecta recenſet Thom. Gatakerus, in *præfatione Miſcellaneorum ſuorum.* Judicium de hoc homine inſtituere difficile eſt. (*i*) Pium enim fuiſſe conſtat, & idiotam, & libri tamen, quos ſcribit, non omnino rudem illum eſſe, oſtendunt, quanquam pleni ſint fanaticorum ſenſuum. Unde ſuſpicio nonnullorum eſt, ſub ejus nomine ſcripta fuiſſe edita, ab aliis vero ſcripta, quod tamen probari ſatis non poteſt. Inſtinctu numinis ſe ſcripſiſſe, ipſe fatetur, ac fuerunt multi, qui ejus Philoſophiam & Theologiam, ut cœlo lapſam, venerarentur, Enthuſiaſtæ quorum hominum gregi nuper acceſſit QVIRINVS KÜHLMANNVS, ſingularis certe homo ingenii; nam quæ pene in ipſa pueritia ſcripſit, arguunt magnam ingenii ejus capacitatem. *Tum Prodromus iſte quinquennii ſui mirabilis*, ut vocat, quo recenſet libros, aliquando a ſe edendos, oſtendit illum omni literaturæ genere non mediocriter eſſe imbutum. Is tamen, cum incideret in ſcripta *Böhmii*, adeo iſtorum lectione fuit quaſi intoxicatus, ut continuo nomen Sectæ Enthuſiaſtarum *addiceret*, convitiis omnem Philoſophiam ac Theologiam noſtratium proſcindens. Quem tamen in errorem hunc inductum exiſtimo, quod cum juvenis eſſet, nec maturum haberet de rebus judicium, ſcientiam autem variam ac non contemnendam, faſtu aliquo iſtas opiniones, communi hominum judicio adverſas, defendendas ſibi ſumſerit. Contra Böhmium ſcripſiſſe video etiam Chriſtianum Fabricium. Ceterum Hiſtoriam ejus viri vellem quis accuratius conſignaret. Extat Anglica lingua cujusdam *Johannis Heydon Harmonia mundi*, ubi Moſaica principia ſuis fanaticis accommodat, homo, vel ſtultus, vel majus, ut facile ex ceteris ejus libris quis colligat, illo præſertim, quo, ex doctrina numerorum & characterum, tradere voluit infallibiles regulas cognoſcendi præterita, præſentia & futura. IOH. SOPHRONII KOZACKII *Micæ Philoſophicæ*, Bremæ A. 1662. *in 8vo*, excuſæ, vix micam aliquam ſalis habent; nam & illæ fanatica multa miſta habent. Germanica lingua ſcriptæ ſunt, & in Hiſtoria Geneſeos aliquid, more fanatico, argutantur.

9 Legi quoque poteſt Tractatus *de Cabala Hebræorum* Kircheri *in Oedipo Ægyptiaco, Tom. 2. Claſſe 4.* ubi omnia illa Phyſica, quæ ex mente Hebræorum, in libris eorum Cabaliſticis, inveniuntur, ex aliis Autoribus, compendio quodam congerit, ac cum Ægyptiorum Hieroglyphicis utcunque componit. Eſt & Anglus aliquis, qui vernacula lingua Hiſtoriam Creationis, ante aliquod annos deſcripſit, cujus ſcripti Argu-

(*i*) De Jac. Böhmio confer iudicium Autoris *T. I. L. I.* c. 10. §. 28. & ad locum iſtum annotata.

argumenta recenſentur in *Actis Societatis Regiæ.* Nomen ipſius Autoris jam non ſuccurrit, Scripſit & aliquis Ioh. de Meyen, Sacerdos Middelburgenſis, *Phyſicam divinam.* Qui tamen Autores locos Communes quosdam potius congerunt, ac nihil propemodum ſingulare habent, niſi quod ordinem illum Creationis, a Moyſe deſcriptum, ſequantur.

CAP. IV.

DE PHILOSOPHIA NATVRALI AEGYPTIORVM.

§. 1. *De Ægyptiorum Doctrina & Philoſophia ſcripſere Herm. Conringius* (in Libb. de Medicina Hermetica, *Chymiæ odio, plus juſto eam extenuans,*) *Athan. Kircherus* (*de cujus* Oedipo Ægyptiaco *ſequius fertur judicium, & Ol. Borrichius, Conringii Antagoniſta.* 2. *Principia eorum Phyſica latent, quod Sacerdotes Philoſophiam ſuam occultarent, & per ſola docerent Hieroglyphica. Multum tamen illis Græci debuerunt. Jamblichi* Lib. de Myſteriis Ægyptiorum. 3. *Variæ Hieroglyphicorum Interpretationes Laur. Pignorii (Tab. Iſiacæ illuſtratoris) Joh. Georg. Herwarti (ad magnetem, & pyxidem nauticam, omnia detorquentis) Athan. Kircheri.* 4. *Mich. Majeri, Pet. Joh. Fabri & Blaſii Vigenerii Chymica. Alii de Hieroglyphicis Scriptores.* 5. *De Hermete Trismegiſto, & Scriptis ejus ſuppoſititiis, nonnulla.* 6. *Nihil ex omnibus his certi de Ægyptiorum Philoſophia colligi poteſt. Franc. Patricius, Phyſicus Hermetico-Platonicus.*

POſt Judæos nulla gens eſt, quæ majorem Philoſophiæ, ac omni adeo ſtudio literarum, operam impenderit, quam AEGYPTII. Non certe iſto pretio ac loco habendi, quo habet illos Herm. Conringius in libris II. *de Hermetica Medicina*, (*k*) in quibus illos omnis Philoſophiæ rudes, aut valde mediocriter ea imbutos fuiſſe, contendit, nullo certe idoneo argumento niſus. Mihi quidem pleraque iſtius libri cum affectu ſcripſiſſe videtur, odioque Hermeticæ Medicinæ ductus, quam Ægyptiis vulgo deberi opinantur. Et poſteriori quidem editione agnoſcere illud ipſe videtur, cum Athan. Kircheri *Oedipum Ægyptiacum* ad manus ſibi tum non fuiſſe queritur, ex quo fortaſſis aliqua cepiſſet, inſtituto ſuo pro- 1

(*k*) Herm. Conringii *Libris II. de Medicina Hermetica*, Helmſtadii a. 1648. *in 4to* primum editis, quibus Chymicorum doctrina, rigidiori ſubjecta examini, una cum Ægyptiorum Medicina & ſapientia omni, tantum non explodebatur, Olaus Borrichius, Chymicorum noſtræ ætatis doctiſſimus, juſſu Frideric. III. Daniæ Regis, *Diſſ.* oppoſuit *de Ort. & Progreſſu Chymiæ*, Hafniæ anno 1668. *in 4to* excuſam. Ad quam cum Conringius *in Apologetico* brevi, iteratæ Operis ſui editioni, quæ Helmſtadii an. 1669. *in 4to* auctior pariter atque emendatior prodiit, adjecto, reſpondiſſet, Borrichius, quinquenio poſt, *Hermetis, Ægyptiorum & Chymicorum, Sapientiam, ab Herm. Conringii Animadverſionibus vindicatam*, prolixiori Opere, Hafniæ an. 1674. *in 4to* impreſſo, & in duos itidem libros diviſo, juris fecit publici.

profutura. Quanquam nec iſtius, vel fidem, vel judicium, hic magnopere quis exiſtimare poſſit, qui præter illa, qui ex veterum monumentis in omnium manibus ſunt, nihil magnopere adſert, niſi quod tamen diligenter ex omnibus Autoribus collegerit, quæ ad rem Ægyptiacam ſpectant. Ingenio tamen ipſe ſuo quin indulgeat in Hieroglyphicorum explicatione, nullus dubito. Facile enim, ex Analogia & Combinatione rerum, & perpetua Schematiſmorum comparatione, per conjecturam quædam explicari poſſunt; qui an revera ſenſus Ægyptiorum fuerint, non equidem temere dixerim. Ingenium tamen ejus σοφαστικὸν in figurarum illarum compoſitione & dijudicatione laudem ſuam meretur. Digreſſiones quoque plurimæ ejus ſunt, quibus molem libri auget, ſed quæ ad rem Literariam Ægyptiorum non niſi ex accidenti, aut aliqua ſimilitudine, reductæ videntur. Iis vero maxima libri pars occupatur. Ceterum in ſingulis ſcientiis, ſecundum quas partitus eſt libros ſuos, eos excelluiſſe oſtendit, locis non paucis, quæ plena manu ſerit. Legi, poſt Kircherum, Ol. Borrichii ſcripta poſſunt, quibus Conringii *Hermeticam Medicinam* impugnat, primum & alterum, ubi, ex omnibus veteribus Autoribus, loca, quæ pro Ægytiorum doctrina faciunt, adducit.

2 Ceterum ipſa illorum principia in obſcuro latent, quoniam nullos habemus libros, vel pauciſſimos, qui aliquid ejus rei tangant; niſi forte ex Iamblichii ſcriptis, cujus extat *de Myſteriis Ægyptiorum liber*, aliquid conjiciendo aſſequamur, aut ex fragmentis Philoſophiæ Pythagoricæ & Platonicæ quædam colligamus, de quibus ſingularibus capitibus agetur. Nec fieri etiam facile potuit, ut publicaretur eorum Philoſophia, cum ejus myſteria ſolis ſibi ſervarent Sacerdotes, æterna fide celanda, nec niſi literis ænigmaticis quicquam ejus proderent, quarum ſingularis & ipſa erat diſciplina, nec ab aliis, quam a Sacerdotibus, intelligebatur. Quare quicquam hic certi definire non poſſumus. Magno ſemper illam in pretio fuiſſe Ægyptiorum doctrinam, abunde teſtantur itinera Græcorum Philoſophorum, in Ægyptum ſuſcepta. Unde & plurimam ſuorum partem depromptam ipſi non diſſitentur Græci. Quos Ægyptius quidam Sacerdos, ut eſt apud Platonem, præ gente ſua ſemper pueros vocabat.

3 Imaginum illarum veterum reliquias habemus in figuris Menſæ Iſiacæ, quas expoſuit ſingulari *libro* Laurentius Pignorius, cujus Commentarii altera editio prodiit Amſtelodami, A. 1670. *in 4to*, curante Andrea Friſio Joh. Georg. Herwartvs, in libro ſuo *de admirandis Theologiæ Gentilis*, de pyxide nautica & magnete illas, (imagines) interpretatur; quæ, ut res ſacræ, tamdiu cuſtoditæ fuerint ab Ægyptiis. Sed nulla probabilis cauſa eſt, quare quis ita ſentiat; meritoque ille exploditur a Reineſio *in Var. Lect. & Hiſtorumenis Linguæ Punicæ.* Kircherus aliam eorum interpretationem adducit, quæ cum reliquis ſuis conſentiat, quas in obeliſcis ipſe indagaverat, quorum rudera adhuc in Ægypto ſuperſunt nonnulla, Romam magnis ſumptibus transportata.

4 Ceterum variæ eorum interpretationes ſunt, dum ſenſus ſuos fingunt, quicunque illos explicare intendunt. Sunt, qui doctrinam Chymicam illis occultari exiſti-

exiſtimant, inter quos *Mich. Majerus*, qui *Arcana Arcanorum* ſcripſit. *(l)* Talem enim Titulum libro dedit, quo omnia illa Myſtica Ægyptiaca ad Philoſophiam Chymicam, & ſingulares quosdam ſenſus judicioſe ſatis, nec more vulgarium Chymicorum, traducit. Qui etſi omnino videtur improbandus, in quibusdam tamen plura ingenio ſuo tribuit, quam revera invenias in illis Hieroglyphicis. Etiam PET. IOH. FABER *Panchymico* ſuo, Gentilium fabulas ſenſu chymico explicavit, qua in re abundare quemque ſuo ſenſu patiamur. BLASIVS VIGENERIVS quoque *in Commentario in Phyloſtrati tabulas*, diſerte ſatis & prolixe idem Argumentum tractat. De Hieroglyphicis Ægyptiacis Gallica lingua Diſcurſum ſcripſit PETRVS I'ANGLOIT DE BELESTAD. Prodeſſe etiam ad eorum cognitionem poteſt *Pyramidologia* IOH. GRAVII, quæ Anglica, Gallica & Italica lingua prodiit. Pene omiſeram, Horapollinem, Autorem vetuſtum, ſed brevem & obſcurum, nominare, cujus hodie quæ reliqua habemus de Hieroglyphicis agunt Ægyptiacis, edita, curante Dav. Hœſchelio.

Inter Philoſophos Ægyptiorum HERMES *(m)* nomine celebratiſſimo eſt, cujus 5
ſcripta doctrinam Ægyptiacam continere putantur. Sed, an illa genuina, & quænam inter illa genuina ſint, multum quæritur. Conringius pene in dubium vocat, vixiſſe aliquando Hermetem, quod tamen temere equidem non negarem; & evicit non contemnendis rationibus Olaus Borrichius in libro iſto, quem contra Herm. Conringium ſcripſit pro Medicina Hermetica. IOH. HENR. VRSINVS quoque in *Exercitationibus de Zoroaſtre & Hermete*, non multum abeſſe a ſententia Conringii videtur, ipſe quoque refutatus ab eodem Borrichio. Quæ ejus nomine circumferuntur, & quæ FRANCISCVS PATRICIVS *novæ* ſuæ *de Univerſis Philoſophiæ* adjecit, ab alio quodam videntur ſuppoſita, niſi forte fragmenta aliqua hinc inde illinc ſparſa lateant. Ejus *Pimander*, cum Commentario horribili & vaſto Hannib. Roſſelii Pariſiis *in fol.* prodiit, ſed nugatorio & inepto.

Legi etiam poteſt Plutarchus *in libro de Iſide & Oſiride*, in quo aliqua de Philo- 6
ſophia Ægyptiaca tangit. OTTO HEVRNIVS quoque *in libro de Philoſophiæ Barbaricæ Antiquitatibus*, fragmenta quædam hujus Philoſophiæ inter cetera collegit. Sed de iis omnibus nullum formari ſolidum judicium poteſt, quandoquidem certis principiis illa comprehendi non poſſunt, cum omnia fabularum tenebris ſint involuta,

(l) Mich. Majeri Holſati, Archiatri Cæſarei & Haſſici, *Arcana Arcanorum, h. e. Hieroglyphica Ægyptico-Græca, VI. Libris expoſita*, ſine loci & anni (quem tamen 1614. fuiſſe e *Nundinali* ejus didici *Catalogo*) mentione, *in 4to* prodierunt. Qui & idem Argumentum, diverſa licet Methodo, denuo pertractavit, *in Tr. de Theoſophia Ægyptiorum, ut antiquiſſima, ſic abdita Sacra*, cujus MStum συγγραφον in Biblioth. Acad. Lipſ. Paulina ſupereſſe, Actorum Orbis Eruditi Lipſienſium Collectores, plura de eodem referentes (*M. Jul. A. 1687. p. 393-394.* nos edocuerunt, editionem etiam, Morhofii hortatu, uti ipſemet mihi retulit, moliti.

(m) De Hermete complura jam olim a nobis ſunt monita, ſimulque index Autorum aliorum, de illo conſulendorum, exhibitus, *in Homonymoſcopia, P. II. cap. 2. §. 16. pag. 255-259.*

luta, & imagines illæ nullam nobis lucem per ſe affundant. Ideoque potius ad ſuperſtitiones Philoſophicas referam, quam ad veram rerum naturalium ſcientiam, quæ e certis principiis deducenda eſt, non fabulis, aut imaginum coloribus, delineanda. Inter recentiores FRANCISCVS PATRICIVS in *nova* ſua *de Univerſis Philoſophia*, aliqua ex parte Hermetica illa dogmata ſequitur, vel potius Phyſicam Hermetico-Platonicam ex vetuſtis fragmentorum ruderibus concinnat. Sed de his poſtea dicemus, ubi de Pythagora & Platone agetur, & de Novatoribus illis, qui Ariſtotelica dogmata ſingularibus libris infectantur.

CAP. V.

DE PHILOSOPHIA NATVRALI CHINENSIVM ET INDORVM.

§. 1. *Populi Chinenſis, aliis cultioris & antiquioris, doctrina Moſaicæ Hiſtoriæ veſtigia, & aliquid Pythagoricis dogmatibus ſimile, oſtendit.* 2. *Cognitio ejus e Mart. Martinio, Athan. Kirchero, aliisque rerum Sinenſium Scriptoribus, inprimis tamen e Theoph. Spizelio,* de re *illorum* Literaria *ſcripto, eſt hauriendа.* 3. *Summa Theologiæ illorum Naturalis & Phyſicæ Capita, ratioque per imagines & numeros philoſophandi, cum Pythagoræis ipſis communis.* 4. *In hujus originem inquiritur, addito de eadem judicio.* 5. *Doctrina Chinenſium de quinque elementis, ſeu rerum principiis (aqua, terra, igne, metallo & ligno,) cum commoda ejusdem explicatione.* 6. *Indorum dogmata Philoſophica (inter quæ μετεμψύχωσις eminet,) Pythagoricis affinia, e Palladio & Abr. Rogerio ſunt hauriendа.* 7. *Phœnicum & Perſarum doctrina Phyſica haud ſatis eſt cognita.*

1 NUlla inter reliquas gens adeo culta fuit, quam SINICA, cujus tamen monumenta non niſi ſero ad nos pervenerunt, & quidam a Jeſuitis, qui, hoc & priori ſeculo, peregrinationibus ſuis in hanc terræ partem factis, eorum inſtituta & doctrinas nobis aperuerunt. Quod ſi illorum relationibus credendum eſt, nulla gens antiquior eſt, aut ex annalibus ſuis & faſtis certiorem computum habet, quam iſta. Ceterum & peregrinitas opinionum, ac omnia alia facile oſtendunt, Gentem illam a ceteris fuiſſe ſejunctam, niſi quod Hiſtoriæ Moſaicæ obſcura quædam ſuperſunt veſtigia, & aliquid Pythagoricis ænigmatibus, numeris, ideis, ſimile, in eorum opinionibus poſſit deprehendi. Quanquam, dudum ante Pythagoræ tempora, iſtæ opiniones obtinuerunt apud Chinenſes.

Fuerunt ſuperiori ſeculo aliqui Scriptores, qui inſtituta illius Gentis Politica conſignarunt literis; ſed de Philoſophia eorum pauca ab illis fuerunt memorata, niſi quod MARTINVS MARTINIVS, in *Decade* ſua *prima Sinicæ Hiſtoriæ*, cujus continuationem fruſtra forte expectamus, quædam cœpit preſſius enarrare de Philoſophia eorum

eorum naturali, Matheſi, ac Scientia morali. Quæ tria doctrinæ genera unice illi æſtimant, ſpretis vel ignoratis aliis. Ex illo, ceterisque Scriptoribus, in compendium traxit omnem rem literariam & Philoſophiam Chinenſium THEOPH. SPIZELIVS libro ſingulari *de re literaria Chinenſium*, Lugd. Batav. A. 1660. in 12. edito. Poſt illum ſcripſere etiam alii, IOH. HEVHOFIVS *in Legatione ad Chinenſes*, IOH. ADAMVS SCHALLIVS, in *Relatione de Ortu & progreſſu fidei Orthodoxæ in Regno Sinenſi*, (Viennæ 1665. & Ratisb. 1672. *in 8.*) qui tamen Sacram Hiſtoriam potiſſimum tractat, & ATHAN. KIRCHERVS, qui *in China Illuſtrata* colligit paſſim, quæ ſecum communicata ſunt a ſui Ordinis Sociis.

De Deo & Angelis aliquam, quanquam ſubobſcuram, habent cognitionem. Spi- 3
ritus etiam tutelares agnoſcunt, iis urbes dedicant, templa extruunt. Diluvii aliqua apud illos mentio. Cauſa nulla additur. Primum aliquem hominem nominant, quem e Chao, tanquam ex ovo, natum dicunt, illiusque teſtam, ſive corticem in Cœlum, albumen in aërem, vitellum in terram abiiſſe. Qua cum Phœnicum doctrina quippiam ſimile habet, a quibus Ovum, ut imago mundi, religioſiſſime in Orgiis Bacchi colebatur. (*n*) De horis mira comminiſcuntur, & extat quidam liber Sinicus *de natura*, in quo plena atque perfecta dies, quam naturalem dicimus, diſtribuitur in horas duodecim, ex quibus Orbis univerſi ortum & interitum ita conficiunt, ut horis ſingulis aſſignentur anni decies mille & octingenti. Qua opinione ducti etiam mundo finem ſuum decernunt. De ſingulis horis ſingula habent ſomnia. Hora nona, quæ nobis a meridie ſexta, in Orbe univerſo magnam rerum atque ordinum omnium perturbationem, ingentia bella, regnorum ſeditiones, & hinc publicas calamitates, fore opinantur, donec tandem omnia ad ſuum Chaos, unde exierant, revertantur. Noſtrum hoc, quod agitamus, ævum, ajunt, horam poſt meridiem primam eſſe, vel paulo quid amplius. Ceterum Philoſophia illorum naturalis non usque adeo abſurda eſt. Chaos initium rerum omnium faciunt & principium. Ex quo materiæ expers, ſive ſpirituale ſummum, procreavit id, quod materia conſtat. Hoc ipſum adſtruunt in duas diviſum eſſe qualitates, quas *In* & *Yang* vocant. *In* occultum ſive imperfectum ſonat, *Yang* vero patens ſeu perfectum. Hæc duo quaſi illis principia ſunt. Ex his autem, in ſe ductis, imagines ſive ſigna quatuor, inde octo formas aut ſymbola, prodiiſſe. Per imagines illas quatuor Martinius quatuor elementa, vel quatuor principes qualitates, notari putat. Illi vero patens aliud perfectum, aliud imperfectum, occultum itidem aliud perfectum, imperfectum aliud, nominant. Ex octo formis quælibet peculiarem modum habet, quo pingitur, & generales quasdam res ſignificat, ex quibus omnium ſingularium generatio pendet atque corruptio. Earum picturam exhibet Martinius *lib. 1.* ſtatim ab initio. Ubi quatuor & ſexaginta ſymbola, ſive imagines, adducit, quarum ſingulæ nomen habent ſingulare, quæ tamen non recenſet. Multa myſteria Chinenſes venantur in his imaginibus, & memorat Martinius multos in eo libro ſermones eſſe de generatione & corruptione, de fato,

(*n*) Veterum *de Ovo Mundano* ſententias Diſſ. peculiari, Præſide Joh. Andr. Schmidio Jenæ a. 1693. habita, erudite expoſuit M. Gottfr. Tenzelius, Arnſtadienſis.

de Aſtrologia judiciaria, quæ tamen jejune diſputantur, absque cauſis atque definitione rerum. Transferunt etiam eosdem numeros & figuras ad divinationes & ſortilegia, item ad adminiſtrationem & morum diſciplinam. Imaginibus certe his & numeris Pythagoræis videntur, ante ipſum Pythagoram, qui in ideis & numeris, & figuris, fundamenta Philoſophiæ ſuæ ponebat. Sinenſes quoque easdem imagines per numeros explicant, & res ſignificatas ſuis numeris exprimunt, vel paribus, vel imparibus, quomodo Pythagoras etiam omnes rerum formas numeris certis exponebat.

4 Hæc quaſi myſtica fuit Chinenſium Philoſophia, &, ut ita dicam, Cabaliſtica, qualem ferc in omni gente obſerves, quando ſcil. rerum cauſas indagant. Indagatione autem illa ducuntur ad, neſcio quæ, abſtracta, quæ vel per figuras, vel per numeros, exprimunt utcunque. Cum enim videt mens humana, eſſe quædam illis corporalibus altiora, & poteſtates quasdam, hæc inferiora ſub ſe continentes, cum nihil in natura novit magis abſtractum a rebus, Spirituum vero nullam notionem habet, ad numeros & figuras delabitur, easque vel ut cauſas, vel ut ſigna quædam rerum archetypa, pro veris quibusdam cauſis venditat. In quibus omnibus non quidem adeo certi quid deprehendas, ut pectus ſaturare poſſis, aut aliqua ſuper hoc fundamento extruere, ſed arguunt tamen illud, ferri natura ſua omnes gentes ad generales quosdam conceptus, & naturas rerum ſpirituales ſive æternas, quas quanquam explicare conceptibus idoneis non poſſumus, ſufficit tamen eorum conceptuum quaſi umbras inhærere menti. Laudari certe ex eo etiam Chinenſium ingenia debent, qui, dudum ante Pythagoram & Platonem, neſcio quid illi Philoſophiæ ſimile animo ſpeculati ſunt. Pythagorici enim & Platonici, ab Ægyptiis, credo, edocti, e Græcis ad efficientem cauſam potiſſimum reſpiciunt, & Phyſicam quandam Metaphyſicam, ut Verulamius vocabat, profeſſi ſunt. Qua in re laudandi præ ceteris, Epicuro, Ariſtotele, qui quidem naturam rerum ratione materiæ potius, cauſarumque internarum, indagare laborarunt, cetera autem omnia, quaſi res nihili, & vana quædam ſomnia, eliminare. Unde pleraque orta eſt Ariſtotelis contra Platonem diſputatio, male certe inſtituta, cum alio reſpiceret Plato, alio Ariſtoteles, hic tamen, ut ſibi contrarium, refutaret, cum non eſſet. Qua in re profani aliquid Ariſtoteles, divinum aliquid ſapiebat Plato. Sed de his in Capite de Philoſophia Platonica agemus.

5 Jam, ut ad Sinenſes noſtros redeamus, alia etiam illi principia ſcientiæ naturalis habent, quæ elementa vocant, a noſtris quidem diſcrepantia, non vero usque adeo abſurda. Ii vero quinque elementa conſtituunt, metallum, lignum, aquam, terram & ignem. Rideat fortaſſis aliquis, Sinenſes metallum & lignum inter elementa numerare, ſed ejus rationes illi habent, quas recenſet Martinius. Aqua, dicunt, irrigat & deſcendit, ignis ſiccat & aſcendit, lignum erectum & diſtortum vocatur, metallum ductile levitatisque patiens, terra ſemina capit, affertque fructus. Irrigans illi & deſcendens, ajunt, dat ſalſum, ſiccum & aſcendens dat amarum, rectum & diſtortum facit acidum, ductile & potituræ idoneum mordax facit ſive acre, accipiens

ſemina

ſemina & fructus dans dulce gignit. Has illi faciunt quinque elementorum qualitates ſeu ſapores; in quibus principia rerum naturalium conſtituunt, atque illa principia denominant ex iis ſaltem ſubjectis, in quibus qualitates illæ dominantur. Quod an accurate factum ſit, nunc quidem non diſputo. Interim non magis illi ridendi ſunt, quam qui hodie magno apparatu omnis naturæ principia ſtatuunt acidum & alcali (falſum,) & integris libris hoc argumentum defendunt, quorum tamen principiorum inſufficientiam nuper Epiſtola quadam demonſtravit *Joh. Bohnius*, Profeſſor Lipſienſis. Ceterum ſi noſtrorum Phyſicorum opiniones excutias, invenias in illis, qui multo abſurdiora docuerunt. Id tamen videmus ex eo, Practicæ Phyſicæ fuiſſe ſcientiſſimos Chinenſes. Quod enim ajunt de natura ſalſi & amari, acidi & acris, illud ſane e Chymicis operationibus hauſiſſe videntur, neque dubito, illa, ſi quis in Sinenſium libris legerit, aliter proponi, quam recenſentur ab hominibus peregrinis, nec linguæ Chinenſes adeo gnaris, & Philoſophia tantum Scholaſtica imbutis, ut ſunt Jeſuitæ. Non vacat ſingula excutere, alioquin Lynceus aliquis etiam obſervare hic poſſet aliquam corpuſcularis Philoſophiæ apud Chinenſes notitiam. Si quis communi ſenſu interpretaretur hæc elementa, tria naturæ conſtituentia elementa hîc obſervet, aquam, ignem & terram, qualia etiam hodie tantum a quibusdam ſtatuuntur, excluſo aëre, quem illi vix inter corpora ſpecifica, nedum inter elementa numerant, ut qui tantum conſtet vaporibus terraqueis, & extrinſecus rei adſit, non inſit. Quod metallum & lignum attinet, ea quis dixerit elementa artificialia illis eſſe, tam late ſumtis vocabulis, ut ſub metalli nomine omnia mineralia capiantur, ſub vegetabilium nomine omnia excreta terræ. Unde certe omnia fiunt opera, quæ artifices moliuntur. Metallum itaque comprehendet omnia naturæ compoſita ſubterranea, lignum omnia compoſita naturæ ſupraterranea, e quibus certe omnia fiunt arte facta ad uſus humanos. Et, ſi quis ita explicuerit, nihil apud Chinenſes novi & abſurdi in iſta doctrina invenerit.

Chinenſibus adiungi poſſent *Veteres Indi*, *(o)* quorum peculiares quædam fuerunt circa ſcientiam naturalem ſententiæ; ſed de illis adeo confuſa omnia, ut nihil quippiam diſtincti colligi inde poſſit; niſi etiam quæ e quorundam Autorum laciniis colliguntur. Id tamen conſtat, quantum ex hodiernis Itinerariis patet, aliquid Pythagoricæ doctrinæ ſimile illas habere. Μετεμψύχωσιν enim ſtatuunt, eamque ſibi habent perſuaſiſſimam, adeo ut nulla ferme inter illos ſecta ſit (ſunt autem plurimæ) quæ non pro principio eam ponat. Eſt quidam Græcus Scriptor, *Palladius*, qui de gentibus Indiæ & Brachmanibus (ita Philoſophi apud illos vocantur) libellum aliquem ſcripſit, quem ex Regia Bibliotheca edidit *Eduardus Biſſæus*, Eques Auratus, *in 4to.* Londini, anno 1665. Cui additur S. Ambroſii Scriptum de moribus Brachmanum. Plura eorum dogmatum qui ſcire velit, legat ABRAHAMI ROGERII eröffnete Thür zum Heydenthum; qui liber primum Belgico ſermone ab eo conſcriptus, poſtea in Germanicum a CHRISTOPHORO ARNOLDO, Profeſſore Noribergenſi, converſus, Norimbergæ prodiit, A. 1663. in 8vo, cum Additamentis, ex aliis 6

(o) De Indorum Philoſophia, ejusque Scriptoribus, conferantur, quæ ab Autore *Lib. præced. I. c. I.* §. 10. 11. ſunt dicta, & a nobis ad locum iſtum monita.

Autoribus. Hoc libro continentur omnia iſta, quæ ſpectant, tam ad Theologiam, quam ad Philoſophiam Indorum; miræ ibi occurrunt fabulæ, hic non repetendæ. Ceterum liber eſt jucundus admodum lectu, quo quidem nullus adhuc accuratior prodiit in hoc argumento.

De PHOENICVM ſententiis, pene doctrinæ Moſaicæ affinibus, videri poteſt Grotius *in Notis ad Libb. ſuos de veritate Religionis Chriſtianæ;* De PERSARVM autem Dogmatis *Pet. de la Valle* in ſuo *Itinerario*, Italice edito, quod in Belgica J. H. Glaſemakeri editione eſt mutilatum, multaque, & optima fere, omiſſa. Habet & BARN. BRISSONIVS *in Lib. de regno Perſarum* nonnulla, ex aliis collecta. Sed liber iſte exiguo eſt ſcriptus judicio, ac multa falſa continet. Sed his, obſcuris admodum, ac vix notis, non immorabimur.

CAP. VI.

DE PHILOSOPHIA PYTHAGORICA, EIVSQVE PRINCIPIIS NATVRALIBVS.

§. 1. *Autores antiqui, e quibus Philoſophiæ Pythagoricæ notitia hauriendа, recenſentur, Johannisque Schefferi* de ejus Natura ac Conſtitutione libellus, *Scriptaque de eadem alia promiſſa & affecta, commendantur.* 2. *Mater illa eſt reliquarum omnium Sectarum, cognitioque illius, non ſummopere ſolum utilis, ſed & neceſſaria.* 3. *Scriptores de Dogmatibus Pythagoræis veteres, Philolaus, Didymus, Moderatus Gaditanus, Ariſtoteles, Jamblichus, aliique una cum Antiphane Comico, iſtorum deriſore, dudum deperditi.* 4. *Pythagoras Pherecydos & Miſchi fuit diſcipulus, dogmataque ſua variis, ad quas excurrit, gentibus, numerorum autem doctrinam Ægyptiis debuit.* 5. *Doctrina de numeris Pythagorica, ad Platonicos propagata, γενικῶς exponitur.* 6. *Pythagoræ Sententia de* Μετεμψυχώσει, *magiæque & artium divinandi peritia. Brutorum voces ſermoni humano ab Iſ. Voſſio prælatæ. Phyſiognomiæ Naturalis commendatio.* 7. *Philoſophiæ Pythagoricæ finis* (ſimilitudo Dei,) *duplexque diviſio.*

1 INter Philoſophos veteres, quorum nobis ſupereſt aliqua notitia, antiquitate ceteris facile ſuperior eſt PYTHAGORAS, (*p*) Cujus nihil habemus, niſi, quod longo poſt tempore per alios traditum eſt. Ideoque, quæ de ejus dogmatibus apud illos ſuperſunt, obſcura, ænigmatica, confuſa, omnia ſunt, quibus, non dubito, aliena multa acceſſiſſe, ab interpretatione eorum hominum, qui eorum dogmatum aliqua collegerunt, Peti autem debent laciniæ iſtæ e Jamblichi Operibus, qui *vitam Pythagoræ* ſcripſit, e Demophili, Democratis & Secundi opuſculis, editis a *Lu-*

(*p*) Conferendum eſt cum hoc Capite *Secundum Libri I. præcedentis*, de Philoſophia itidem agens Pythagorica.

a *Luca Holſtenio*, & *Ocelli Lucani libro de natura Univerſi* (quem Lat. vertit, emendavit, & cum Commentario edidit *Carolus Emanuel Vizanius*, Amſtelodami, an. 1661. *in 4to*,) e *Porphyrii libro de Abſtinentia*, Græce Latineque edito, cum notis a Luca Holſtenio. Habet & *Laërtius* aliqua. Laudabilem operam præſtitit Vir Clariſſimus IOHANNES SCHEFFERVS, in *libro* ſingulari, quem *de natura & conſtitutione Philoſophiæ Italicæ*, ſive *Pythagoricæ*, juſſu Chriſtinæ, Sveonum Reginæ, conſcripſit. Quo in libello, Upſaliæ A. 1664. *in 8vo* edito, ea, quæ ad hiſtoriam aliquam generalem hujus Philoſophiæ pertinent, docte proponuntur, & e veterum ſcriptis eliciuntur. Sed dogmata ipſa illic non continentur, quæ majoris laboris ſunt, *& ut Scheffervs in præfatione* ait, ejus, qui nullis aliis occupetur curis, & unum hoc agat, qui tamen ipſe negotii plus ſatis habiturus ſit. *Secernere enim a veris germanisque ejus Philoſophiæ dogmatibus, neque inſarcire aliena, diligentiæ*, inquit ille, *non eſt ſuperficiariæ, aut ſubitanei laboris.* Utinam ab ejus viri ſumma eruditione impetrare poſſimus eos, quos promiſit, libros, unum ſcil. *de vita Pythagoræ*, & alterum *de Claris Pythagoricis.* De dogmatibus vero ipſis, adeoque integra Pythagoræ Philoſophia, ab ipſo aliquando opus perfectum, vix eſt, ut ſperemus.

2 Recte vero is Pythagoricam ante omnes laudat, ut reliquæ Philoſophiæ omnis Gentilis matrem & fontem. *Sic perſuaſum habemus*, inquit ille, *non plus intereſſe publico, bonisque literis, ut, quid Plato, quid Ariſtoteles, quid Stoici, quid Epicuræi, cenſuerint de Philoſophia, ſit perſpectum, quam quid Pythagoras. Non modo, quia diligenter iſthæc reputanti apparebit, pleraque originem ſuam habere e Sacris literis, ſive bene, ſive perperam, intellectis, vel quod ipſe illas habuit Pythagoras, vel quod habuerunt ii, quorum diſciplina ipſe fuit imbutus ac doctrina: ſed & quia Plato, Ariſtotelesque, Capita & quaſi Coriphæi quidam omnis ſapientiæ inter Paganos atque eruditionis, ſua habuerunt a Pythagora, atque ita tandem ſcietur, quibus debeantnr initiis, quæ a gentibus bene, ſanctisque doctrinis convenienter, tradita, tantopere apud eas admiramur & extollimus.*

3 Extiterunt quidem in Philoſophia Pythagoræa non pauci Scriptores, qui dogmata iſta congeſſerunt, quorum tamen nihil ad nos pervenit. Et Euſebio quidem nominatur hujus Philoſophiæ Scriptor PHILOLAVS, Clementi Alexandrino DIDYMVS, de quo ille ait, quod *librum de Philoſophia Pythagorica* ſcripſerit. Qui Didymus tamen alius forte eſt, quam iſte, cujus Hieronymus mentionem facit, qui *περὶ αἱρέσεων* ſcripſit. Is enim Chriſtianus fuit. Philolaus ſcripſit *Diſſertationes Pythagoræ*, Euſebio teſte, qui Philoſophiam Pythagoricam forte eo modo tradidit, quo Arrianus in *Diſſertationibus Epicteti.* Quales Pythagoræ *Diſſertationes* ſcripſit quoque MODERATVS GADITANVS, & quidem *libris quinque*, quas *Scholas* vocat, teſte Stephano, *in voce γάδειρα.* Ariſtoteles quoque *libros de Pythagorica Philoſophia* ſcripſit, teſte Iamblicho, qui an Stagirita ille fuerit, dubitari adhuc poteſt. Quanquam Laërtius, inter libros Stagiritæ, memoret unum *πρὸς τὸς πυθαγορείους*, & alium *τῶν πυθαγορείων*, niſi

niſi quis poſteriorem librum eum eſſe putet, quem citarit Jamblichus. Prior enim ille fuit contra Pythagoræos ſcriptus. Theon Smyrnæus Ariſtotelem quoque citat ἐν τῷ πυθαγορικῷ. Stobæus etiam, *in Eclogis Phyſicis, cap. 22.* Ariſtotelis *primum de Philoſophia Pythagoræ librum* citat, ut, ſi non plures, duos ſaltem fuiſſe hinc perſpiciamus; cum ceteri unius tantum libri mentionem faciant. Quod tamen an ſufficiens ſit argumentum, ut alterum quendam Ariſtotelem hujus libri Autorem faciamus, quod facit Schefferus, merito dubium mihi videtur. Simplicius quoque *libro 1.* ἀκροαμάτων *Phyſicorum*, cujusdam Eudori meminit. Jamblichus *de Secta Pythagoræ* ſcripſiſſe *libros tres* dicitur Geſnero, ex quo hoc Simlerus *ſcripſit de Pythagorica Secta libros tres, qui, cum Simplicii Commentariis, Romæ, in Bibliotheca Vaticana, habentur.* Hos tamen libros aliqui eosdem eſſe putant, quos *de vita Pythagoræ* ſcripſit Jamblichus, & tamen Simlerus diſtinguere videtur. Voſſius *in libro de Philoſophorum Sectis*, præter illos, quos enumeravimus, Androcyden, Antiphanem & Alexandrum, nominat, quos tamen ad *Symbola* Pythagoræ tantum ſcripſiſſe, ex Jamblicho & Clemente diſcimus. Antiphanes vero Poëta fuit, & Comico ſale inſtituta ejus perfricuit, ut ex Athenæi *lib. 6. cap. 16.* apparet. Ut extant multa Comicorum veterum Græcorum ejus argumenti. Cronium, Numenium, Thraſyllum, quædam de hac Philoſophia ſcripſiſſe, ex Porphyrio diſcimus. Meminit quoque Laërtius cujusdam Zenonis, quod ſcripſerit *Pythagorica*; & Clemens cujusdam Hipparchi; qui tamen omnes Scriptores jamdudum perierunt. Fortaſſis aliqua habuiſſemus e Bibliotheca Vaticana, ſi ſupervixiſſet Lucas Holſtenius, qui aliqua Jamblichii inedita de Philoſophia Pythagorica editurus erat.

4 Doctrina hæc Pythagoræ ITALICA vocatur, quod Autor ejus, Pythagoras, illam in Italia docuerit. Cujus Autorem tamen Laërtius Pherecyden facit. Quem ſequuntur alii, & ad illum initia hæc referunt, quod is Pythagoræ Præceptor fuerit. Sed Laërtius tamen, ipſe ſibi contrarius, alibi Italicæ Philoſophiæ principem Pythagoram facit. Neque enim Pherecydis & Pythagoræ dogmata adeo conveniebant, quanquam ille Præceptor Pythagoræ fuerit. Ideo Pythagoras non receſſit ab ejus opinionibus, qui non unius hominis dogmata eſt ſecutus, ſed ab Ægyptiis, Chaldæis, Perſis, Indis, quæ hauſerat, poſtea in unum cinnum redegit, & pro ſuo ingenio interpolavit. Non pauca etiam ab ipſis Judæis, & ſorte plurima, habuit. Arabes quoque & Phœnices præceptores habuit, de quibus vide Schefferum *libro citato, cap. 4. & 5.* Quibus ſingulatim recenſet, quæ dogmata quibus gentibus debeat. Arithmetica & Phyſica nonnulla didicit a Phœnicibus, ſpeciatim vero a Moſcho aliquo, non Moſe, ut legi vult Arcerius, ſed vetuſto quodam Philoſopho, & in rebus naturalibus exercitato, qui primus doctrinam de atomis adinvenit, cujus mentionem faciet Strabo *lib. 16.* Meminit ejusdem & *Sextus in Opere adverſus Mathematicos.* Ab Ægyptiis accepit myſtica ſacra, & notitiam de Deo uno, & Geometriam, & arcana numerorum. Theodoretus Ægyptiis jungit Hebræos, quorum aliqui haud dubie tum erant apud Ægyptios. De numeris teſtis eſt Joſephus, &, præter illum, Apulejus *lib. II. Floridorum*, ubi

ubi ait, quod ab Ægyptiis acceperit *numerorum admirandas vices*. Schefferus legit *vires*, quanquam ego cauſam non video, cur aliquid mutari debeat. Intelliguntur enim per illas proportiones certæ. Ægyptii vero occultas quasdam numerorum facultates habebant, quæ ſecretiſſimam eorum continebant Philoſophiam. Quam philoſophandi rationem a Mercurio inventam Trismegiſto apud Ægyptios, ſcribit Stobæus in *Eclogis Phyſicis, cap. 2.* Adeoque certum jam eſt, ab nulla alia gente, quam Ægyptiis, myſticam illam numerorum doctrinam habuiſſe, quibus poſtea Philoſophiam ipſe ſuam ſuperſtruxit. Phœnicum enim Arithmetica longe fuit alia, vulgaris nempe iſta & mercatoria; Ægyptiorum vero Philoſophica & ad res naturales ac divinas accommodata. Quam, poſtquam jam alteram a Phœnicibus hauſiſſet, ab Ægyptiis didicit.

Hanc de numeris doctrinam poſtea ad ſucceſſores ſuos propagavit Pythagoras. Atque hinc Plato, ejusque Aſſeclæ, tam multa de numeris ſuis paſſim inculcant. Quorſum etiam referenda eſt doctrina de ideis. Socrates, cujus omnem Philoſophiam libris ſuis complexus eſt Plato, ex Pythagoræis hauſit illam, ut judicat recte Joh. Bapt. Hamelius *Lib. I. de Conſenſu vet. & novæ Philoſophiæ, c. 3.* Secundum enim Pythagoræos unitas & numerus prima rerum exordia ſtatuuntur. Neque numerorum verbo aliud quiddam ab iis diverſum intellexere, ex iis quippe ordo, ſpecies, modus, diſtinctio denique omnis repetitur. Per varios numerorum gradus, ab ipſa unitate, qua omnia continentur, usque ad formas rerum ſenſibiles, deſcendit. Quas itidem deinceps numeris quibusdam mutabilibus diſtinguit. Unde patet, Platonicos numeris ſuis uti, non aliter, quam vulgus Philoſophorum ſuis terminis & notionibus, quarum certe quædam eſſe debent, quæ vero inter illas rebus ipſis ſint adæquatæ, aut eſſentias earum exprimant, de eo tam acriter diſputatur. Porro Platonici, ut corporales res figuris deſignare ſolent, ita res ſpirituales numeris quoque deſignant. Quod autem, præter numeros intellectuales, vel ideas, alios in ipſo Bono vel Deo, numeros ſupereſſentiales plerique Platonici admittant, easque unitates, ut primi Boni effectus quosdam, cum a ſua cauſa, tum inter ſe, diſtinctos velint, & quaſi innumerabiles quosdam ut vocant, Deos ſubſiſtere, iſtud per ſe abſurdum eſt. Chambraevs, in opuſculo *de Philoſophia Platonica*, quod nondum publici juris fecit, laudat a. *citato loco* Hamelius: *Eſt*, inquit, *in Deo numerus quidam ex unitatibus divinis conſtans, cum cæteri numeri magis ex rebus, quæ unitatis ſunt participes, quam ex ipſis unitatibus ſint compoſiti. Sunt vero divini numeri non abſoluti, ſed relativi. Nam ad res, quæ fieri poſſunt, ſingulæ unitates, aut ideæ divinæ, habitudine quadam rationis referuntur, nec iſtæ unitates plus, quam ratione, ſive cogitatione, diſferunt. Non enim ex ipſa unitatis Summa, quæ Deus eſt, ſit ſtatim progreſſus ad numerum abſolutum, ſed prius neceſſe eſt mente concipere relativum quendam numerum, qui ſuo fonti, ut propior, ita ſimilior, eſt. Cujus velut partes non ſeorſim a ſuo principio disjunctæ, ſed in ipſo uno, aut Deo, ſubſiſtunt.* Hæc Chambræus ex mente Platonicorum diſſerit, ænigmata ænigmatibus cumulans, ut ſunt pleraque iſta Platonicorum, qui mira potius ſtudent dicere, quam vera. Et certe illi numeris ſuis & ideis eandem fabulam ludunt, quam

quam intricatiſſimis ſuis conceptibus & notionibus Scholaſtici, alia ſaltem ſcena inſtituta.

6 Ab iisdem Ægyptiis Pythagoras doctrinam illam de μετεμψυχάσει animarum habuit, de quibus Herodotus *lib. 2.* & Porphyrius; quam ſententiam etiam apud Indos aliasque Gentes Orientales, hodieque obtinere videmus. De ea animarum μετεμψυχώσει libellum ſingularem conſcripſit *Ambroſius Rhodius*, qui editus eſt Hafniæ an. 1638. *in 8vo;* quo in libello mentem Pythagoræ explicare laborat, & ad ſaniorem aliquam ſententiam reducere, fortaſſis magis ex ingenio ſuo, quam ex rei veritate. Ceterum, & alios quoque Philoſophos ab hac ſententia non abhorruiſſe videmus. Rerum Magicarum doctrinam, quæ in ſacrificiis, conſecrationibus, & ſimilibus, conſiſtebat, elegantiſſime & diligentiſſime præ ceteris excoluit Pythagoras, divinationum etiam varia genera a variis Gentibus accepit, ἐνεργειτικὰ ab Hebræis didicit, ſcientiam auguralem & divinationem ex thure ab Arabibus habuit. Arabes enim, & Phryges primi ſunt, qui excogitarunt aruſpicinam, ut Theodoretus teſtatur. Forte & intellectum ſermonum, quibus beſtiæ creduntur uti, atque aves. Apollonius enim, Pythagoræ ſimia, ab iis artem hanc ſe hauſiſſe gloriatur, ut teſtatur Philoſtratus *lib. 1. c. 14.* Quam artem, credo, hodie etiam callet Vir doctus, (Is. Vossivs) qui *de cantu Poëmatum, & viribus Rhythmi*, libellum nuper ſcripſit, in quo non veritus eſt aſſerere, animalibus plus ſolertiæ ineſſe, in exprimendis affectionibus vel deſideriis, quam ipſi homini; quod inter cetera ejus libri παράδοξα (ſunt enim non pauca) reponendum eſt. Ab Indis Pythagoras habuit Phyſiognomiam, cujus ſingularis propagator fuit, adeo ut diſcipulos ſuos, ad artis iſtius regulas, primum explorarit, an idonei eſſent ad diſciplinam, an minus. Videatur Philoſtratus *lib. 3. cap. 5. in Vita Apollonii.* Atque certe illa doctrina non eſt de nihilo, quatenus Phyſicis principiis ſuperſtructa eſt, non Planetariis, ac mirabilem plane uſum habet in vita civili, ſi quis ex converſatione crebra cum hominibus majorem ſibi acquiſivit ſolertiam. De ejus utilitate legantur, *præfatio* Conringii in opus Scipionis Claramontii *de conjectandis latentibus animi affectibus*, librum ejusdem argumenti inſignem ſane, & Chambraevs in libro Gallico *de arte cognoſcendi homines. Symbola* Pythagoræ, a Phil. Beroaldo, Ang. Politiano, aliisque explicata, non Moralia ſolum, ſed & Magica quædam, celare mihi videntur. Qualia ſunt de corde non edendo (quæ adhuc nefaria inter Orientales magiæ ſpecies eſt, a Pet. de la Vale, *P. V. Itinerar. c. 1.* deſcripta,) unguibus, ante aram non incidendis, ſpeculo, noctu non intuendo, igne, gladio non fodiendo, &c. quorum multa a Thom Berounio, in *Pſeudodoxia Epidemica*, exploduntur.

7 Finis Pythagoricæ Philoſophiæ omnis, quam eo etiam definiebat, erat ὁμοίωσις θεῷ, ſive ſimilitudo Dei, quæ divina ejus ſententia eſt, a Platone aſſumpta, & paſſim inculcata. Hanc Stoici, Cynici, Epicuræi, quoque arripuerunt; qui virum bonum & ſapientem definiebant Deo ſimilem. Ad hunc finem obtinendum media præſcribebat, noſſe ſemetipſum, & purgare ſe ac liberare a ſordibus corporis, ut animus ferretur

tur ad cœlestia & divina, atque tum vere Philosophum fieri. Quare & Philosophiæ partes duas faciebat, καθαρτικὴν, sive purgativam, τελικὴν, sive perfectivam. Dividebat etiam Philosophiam in ἐξωτερικὴν & ἐσωτερικὴν. In Exotericis tradebantur omnia, quæ ad communem vitam pertinebant, practica; In Esotericis, quod ad naturam & divina pertinebant, de quorum omnium ordine legatur Scheflerus *Cap. 10. integro;* ubi summa cum diligentia omnia illa illustrat, & de modo quoque docendi per Symbola, deque ipsis Symbolis Pythagoræorum, pluribus agit.

CAP. VII.

DE PRINCIPIIS PHYSICIS SECVNDVM GRAECOS, VARIOSQVE EIVS GENTIS PHILOSOPHOS:

AC PRIMVM DE PHILOSOPHIA NATVRALI DEMOCRITI ET EPICVRI.

§. 1. *Pythagoras omnium Græciæ Philosophorum parens fuit. Ab Apulejo tamen quidam illo antiquiores celebrantur. Diversa Græcorum in philosophando instituta.* 2. *Philosophia Græcorum nec præ Barbarica plane est contemnenda, nec, cum Conringio, in Ægyptios injurio, supra illam nimis extollenda. Methodica ejus Tractatio Græcis debetur, inprimis Aristoteli, cujus tamen in Philosophos se priores tyrannis, sophisticaque contra illos disputandi ratio, culpantur. Platonem contra longe fuisse modestiorem, allato utriusque de Parmenide judicio, ostenditur.* 3. *De Philosophia Poëtarum, Orphei (de qua Lib. promisit J. Franc. Grandis,) Homeri &c. quid sentiendum. Nulla hic certa Principia, omnia fabulis involuta, quas nec ipsi intellexere. Orpheo & Zoroastri supposita ad Platonis doctrinam proxime accedunt.* 4. *Democritus, more veterum, abstractionibus in Physica abstinuit, & ad ea, quæ sub sensum cadunt, omnia reduxit. Magni ejus Philosophia etiam apud Romanos fuit habita. Principia ejus Physica, Atomos & Vacuum, sua fecit Epicurus.* 5. *Utriusque Philosophiam Naturalem, in Poëmate* de Rerum Natura, *proposuit Lucretius, & nuper instauravunt Pet. Gassendus (in multis licet dissentiens) ac Gualth. Charletonus.* 6. *Democriti Scriptorum nihil supereſt, & proinde, quid vere senserit, incertum. De MSStorum, quæ sub ejus nomine supersunt, Chymicorum γνησιότητι in utramque partem disquiritur.* 7. *Doctrina de Atomis & Vacuo Epicurea, intermixtis subinde animadversionibus, proponitur.* 8. *Eadem, ex Joh. Franc. Grandis peculiari* Diss. *contra illam, refutatur, & Democrito ipsi (qui per Infinitum Inane Deum intellexit) adversa esse ostenditur.* 9. Παρέμβασις *ad Mediam Henr. Mori, Vacuum in Naturam spiritualem transformantis, eandemque Democrito ac Epicuro mentem affingentis, sententiam.* 10. *Doctrinæ Epicuri Physicæ, inprimis de motu Atomorum, confutatio ex J. Franc. Grandi, Ciceronе ipsoque Lucretio, continuatur.*

nuatur. 11. Ex hac Epicuri doctrina fatalitas rerum omnium, aliaque profana Atheorum dogmata, proſluunt. Falſo jactatur, eam eſſe evidentiſſimam ac ſenſibus ſuperſtructam, cum imaginaria potius ſit & abſurda. 12. Degeneravit a principiis Democriti. Methodus ejus philoſophandi corpuscularis utiliſſima quidem eſt in rerum naturalium ſcrutinio, ſed a dogmatis profanis, ab ipſo confutatis Gaſſendo, repurganda; nec tamen ſine principiis aliis ſufficit, cum & Atomi minutiſſimæ ex aliis coaluerint Elementis. 13. Methodo hac utuntur Carteſius, Rob. Boylius (inſigni hic ornatus elogio,) modernique Angliæ Philoſophi. Agnoſcendum tamen iis aliquod in Natura Θεῖον, ſibi incognitum, ob cujus in Philoſ. Epicurea neglectum Verulamius Ariſtotelica ſequi maluit Principia.

1 PRodierunt e PYTHAGORAE ſchola integræ Philoſophorum familiæ, atque adeo, quicquid GRAECIA ſapientiæ habuit, huic viro natales ſuos debet. Quanquam & ante ipſum fuerint nonnulli inter Græcos Philoſophi, iique etiam Præceptores Pythagoræ. Sed, quandoquidem etiam illi ex Oriente & ex Ægypto, doctrinam ſuam habuerunt, ac fama illorum obſcura eſt, hunc Autorem Philoſophiæ apud Græcos, præ ceteris, laudare poſſumus. *Apulejus* quidem, *in Floridis*, Pherecydem Syrum, Anaximandrum Mileſium, Epimenidem Cretenſem, Leodamantem, Creophili diſcipulum, memorat, quorum omnium admodum exigua eſt notitia apud veteres Scriptores; fortaſſis & ipſe non accuratam ejus rei notitiam dare potuit, tanto ab illis temporis intervallo disjunctus. Quod enim inter illos etiam Platonem numerat, vel ingens mendum eſt, vel magnus Anachroniſmus. Quanquam Lipſius huic textui ſubveniat, *in Philoſophia Stoica, lib. 1. Diſſertat. 6.* pro *Platone* legens *Piatorem;* quæ emendatio quo fundamento nitatur, non video, niſi ſolo ingenio Lipſiano. Quoniam vero Pythagoræ Philoſophia, ob numeros illos, eſt obſcurior, ac nulla certa habet principia, quod ipſe nihil ſcripſerit, a diſcipulis vero ejus omnia vel interpolata ſint, vel negligenter tradita; ſectabimur jam ceteros e Græca natione Philoſophos, quorum diſtinctiora ad poſteros principia pervenerunt, & quidem ita, ut non magnopere de ordine ſimus ſolliciti, ſed potius ipſum principiorum, ab ipſis poſitorum, ordinem ſequamur. In quibus tamen ipſis dijudicandis non parum difficultatis eſt; aliqui enim principia quædam cum aliis habent communia, alii, præter familiaria ſua, adhuc quædam prima ſupponunt, quidam ænigmaticis locutionibus iſta involvunt. Videbimus tamen, ut, quam fieri poteſt, diſtinctiſſime ea proponamus. Ac ſunt ſæpe inter illos, qui non re ipſa, ſed nominibus, ſeu terminis, tantum diſcrepant. Quidam ſecunda principia pro primis arripiunt, & vice verſa: quidam cauſas externas cum internis confundunt, de quibus omnibus diſpiciendum eſt.

2 Quod attinet in univerſum *Philoſophiam Græcam*, ut non probo, qui nimium illi tribuunt, ita nec audiendi ſunt, qui nihil, adeo ut Græcam illam Philoſophiam mancam, ſophiſticam & puerilem exiſtiment, præ occulta illa Orientalium Philoſophia

phia & Ægyptiorum; a quibus hauſiſſe Græcos doctrinam ſuam, certum eſt. Neque enim temere credo, quod vult clariſſimus vir, Conringius, Ægyptiorum iſtam fuiſſe ignorantiam in omni diſciplinarum genere, ut Græcis præ illis palma debeatur. Qua in re meliora docuit OLAVS BORRICHIVS, in nupero illo ſcripto, quod Conringio oppoſuit; ubi prolixe per partes examinat, quam fuerit Ægyptiorum in omni doctrina perfecta ſapientia. Apud Platonem certe ab Ægyptio Sacerdote Græcis objectum ſcimus, illos *in Philoſophia ſemper eſſe pueros*, ſive ſemper diſcere, nunquam perfectos eſſe. In eo tamen laudem ſummam merentur Græci, quod ordinem induxerint in Philoſophiam & methodum; ceterorum enim libri vel ad poſteros non pervenerunt, vel plane ſcripti non fuerunt, ac viva tantum voce præcepta Philoſophiæ tradita. Quemadmodum & in Græcia, ante Platonis & Ariſtotelis tempora, nihil quoque libris & præceptis diſtinctis comprehenſum fuit. Ariſtoteles vero primus methodum aliquam juſtam diſciplinis circumpoſuit, veterum libros, ſi qui fuerunt, deprædatus, ut gloriam ſibi ſoli pararet, aut ſæpe pugnans contra illos, cum tamen eorum ſenſus non recte intelligat. Hinc Verulamius Ariſtotelem comparat Ottomannis, qui, ut tranquillum habeant regnum, & ſoli, fratres ſuos trucidare ſolent. Quare veterum ſententiæ, non ex Ariſtotelis tantum verbis perpendendæ ſunt, qui, propriæ laudi velificans, illas impugnat, vel ex plebis opinione, quam tamen ab his ſacris arcebant veteres illi Philoſophiæ anteſignani, vel ſophiſtica quadam cavillatione. Sed tamen, inquiat aliquis, Ariſtoteli facile fuit, reconditos antiquorum ſenſus ſcrutari. Id ſuſpicari quidem licet, ſed is forte loquendi genere minime proprio offendebatur, quod multis errandi præbuit occaſionem, cumque autor novæ doctrinæ haberi vellet, ea ambiguitate ad cavillationes abuſus eſt, ſuamque potius ſententiam ſtabilire voluit, quam veterum obſcuritatem illuſtrare. Plato hoc longe modeſtior fuit, qui *in Theæteto* de Meliſſi ſententia & Parmenidis agens, tantum abeſt, ut exagitet, ut ignorantiam ſuam fateri malit, ac de obſcuritate illorum conqueri: *Parmenides*, inquit, *acer mihi videtur ac venerandus; olim peradoleſcens loquutus ſum cum illo Sene, & mihi viſus eſt ſapientia præditus profunda ac generoſa; itaque vereor, ut ſatis ejus verba capiamus. Quod autem ſub verbis tegitur, multo magis nos latet.* Unde videmus, ea, quæ Plato non intellexit, Ariſtotelem, ut cura ſua indigna, rejeciſſe. Eum Ariſtotelis animum circa Parmenidis doctrinam obſervavit *Bened. Pererius*, vir diligentiſſimus, *lib. 4. Phyſicorum cap. 16. Parmenidem*, inquit ille, *impugnavit, non ſecundum reconditum ſenſum, ſive iniquum erga eum ſe præbuerit, eum tamen ejus mentem calleret, ſive recte id fecerit, ut vulgo errandi occaſionem præcideret.* Sed de Parmenidis Philoſophia in ſequentibus plura dicemus.

Lipſius inter Germanicæ Philoſophiæ partes etiam recenſet *Poëticam*, quam 3
ille vetuſtiſſimam facit, in qua Muſæus, Linus, Orpheus, Heſiodus, Homerus, quos ſapientiæ ſtudia coluiſſe, certum ſit. De ORPHEI antiquiſſima Philoſophia & Theologia Johan. Franciſcus Grandis, vir eruditiſſimus Gallus, integrum Tractatum conſcripſit, quo, accuratiſſime veterum illam doctrinam complexum ſe eſſe, dicit.

dicit. Franciſcum Patricium & Auguſtinum Steuchum primoribus tantum labris deguſtaſſe, ait in *præfatione Diſſertationum ſuarum Philoſophicarum.* Sed vereor, ne liber ille non ſit editus. Hactenus enim nunquam videre licuit. De HOMERO Lipſius Democriti elogium laudat, qui tamen in illo, præter elegantiam Carminum, nil miratur, & Platonis teſtimonium *in Alcibiade*, ubi ait: *Non debere, qui initiati nondum ſapientia, incidere in Homerica Poëmata, ne fabellas cenſeant Heroëm illum ſcribere.* Sed ut mihi quidem videtur, non opus eſt, Sectam perculiarem hic conſtituere; quæcunque enim Poëtæ iſti prodiderunt literis de rebus Philoſophicis, ex accidenti tantum prodita ſunt. Nulla enim certa hic ſunt principia, nullus Sectæ Autor, ſed pleraque fabulis ſunt involuta, quas fortaſſis ipſi non ſatis intellexerunt Poëtæ, ſi quæ abſtruſiora ſub iis fuerunt recondita. Uti non intellexit Ovidius, qui tamen totam illam fabularum telam ordine pertexuit, Græcos imitatus; Græci vero ipſi etiam aliunde, non ex ingenio ſuo, depromſerunt. Quæ ſuperſunt ex Orphei carminibus, aut ex Zoroaſtris *Oraculis*, illa, ſi genuina ſunt, recondita quædam, fateor, habent, quæ tamen Theologica potius ſunt, & de Deo, divinis mentibus, animisque, Oracula potius aliqua, quam Philoſophiæ naturalis certa principia, loquuntur. Phyſica tamen quædam de mundo, ejusque ordine, illis inſperguntur, non admodum a principiis Platonicis aliena. Vid. Franciſcum Patricium in *nova de univerſis Philoſophia, Panaugias lib. 10.* Quibus in libris myſtica quoque Ægyptiorum ex Platone & Ariſtotele collegit. Legi etiam poſſunt ejus *Diſcuſſiones Peripateticæ*, in quibus paſſim de veteris illius Philoſophiæ, præ Ariſtotelica, præſtantia agit.

4 Nos primo loco, miſſis ambagibus illis & ænigmatibus, DEMOCRITI *Philoſophiam proponemus.* (*q*) Atque hic ſtatim initio notandum eſt, veteres illos Philoſophos non auſos eſſe ad materias & formas abſtractas rerum naturalium cauſas reducere, ſed ad talia principia, quæ ſub ſenſus cadunt. Maluerunt ſcil. illi manere intra carceres naturæ, nec evagari ingenio ad vanas notiones, quemadmodum fecerunt Plato & Ariſtoteles, qui poſterior diſputationibus ſuis veram iſtam & ſolidam ſcientiam naturalem corrupit. Ideoque vel ignem, vel aquam, vel aërem, vel particulas inter principia repoſuerunt, quod in ſenſus illa incidere viderent; quanquam etiam in modo & applicatione erratum ab illis fuit. Democriti nomen maximum fuit apud veteres, nam non ſuo tantum tempore ſummo in honore habebatur, ſed &, ipſius Ariſtotelis & Platonis ſchola vigente, apud ſapientiores Democriti Philoſophia obtinuit ac Romæ cum maximo plauſu exceptam fuiſſe, Cicero nos docet, qui ejus ubique ſumma cum laude mentionem facit. Quare exiſtimavit Verulamius, *in fabula de Cupidine*, non Ariſtotelem & Platonem, ſed Genſericum & Attilam, & barbaros, hanc Philoſophiam perdidiſſe. *Poſtquam enim*, inquit, *doctrina humana naufragium perpeſſa eſſet, tabulæ iſtæ Ariſtotelicæ & Platonicæ Philoſophiæ, tanquam materia cujusdam levioris & magis inflatæ, ſervatæ ſunt, & ad nos pervenerunt, dum magis*

(*q*) De Philoſophia Democriti & Epicuri dictum etiam jam eſt *Libri I. præced. Cap. Vto*, cum hoc præſenti conferendo.

magis ſolida mergerentur, & in oblivionem ſorte venirent. Hæc Verulamii ſententia eſt de Democrito. Quod jam Philoſophiam ipſius attinet, Democritus omnium principia pleno & vacuo, ſive Atomis & inani, contineri ſtatuit, cujus ſententiam ſuam poſtea fecit EPICVRVS, qui diligentius expendens motus & formas Atomorum, ex eorum complexione, connexione & occurſu mutuo, omnia formari credidit in hoc univerſo corpora, omnia φαινόμενα hinc oriri.

Eam doctrinam inter Latinos erudito carmine comprehendit *Lucretius*, Philo- 5
ſophus potius, quam Poëta, ſed qui, ob Latinitatis puritatem, magnopere æſtimandus eſt, quemque Virgilius in multis eſt imitatus. Eum a Phyſices Profeſſore in Academia Argentinenſi publicis Lectionibus prælegendum Statuta ejus Academiæ volunt, teſte *Bæclero in lib. de Scriptoribus Græcis & Latinis*; quod mirum tamen videri poſſit, cum ſic crude admiſſa illa principia Epicurea, quemadmodum ea Lucretius proponit, profanum aliquid ſapiant. Noſtro tempore Philoſophiam illam ſepultam pene reduxit *Pet. Gaſſendus* atque diffuſo *Commentario*, Lugd. A. 1649. *in fol.* edito, explicuit, cui addendus eſt alter ejus *liber de vita & moribus Epicuri*, qui hiſtoriam Epicuream complectitur. In ceteris vero dogmatica tractat ſub ſpecie *Commentarii in Diogenis Laertii librum decimum*, quo ille dogmata Epicurea complexus eſt, collatis ſemper verbis & rationibus, a Lucretio petitis. Scripſit & BAPTISTA GVARINVS *de Secta Epicurea*, teſte Gaddio in *libro* ſuo *de Scriptoribus, p. 219.* Sed eum nunquam videre memini, nec fortaſſis eum Gaſſendi ſcripto comparari poteſt, qui iſta diligentia omnia inquiſivit, ut nemini fortaſſis alteras curas reliquerit. Gaſſendus tamen non in omnibus amplectitur Epicuream doctrinam, aut probat, ſed in multis contra ipſam diſputat. Scripſit idem Gaſſendus libros Phyſicos, qui inter reliqua ejus Opera aliquot Tomis prodierunt, & iſtis principiis ſuperſtructi ſunt. Poſtea GVALTERVS CHARLETON Anglica lingua edidit librum, quem inſcribit *Phyſiologiam Epicuro-Gaſſendo-Charletonianam, ſive Fabricam ſcientiæ naturalis, ex hypotheſi Atomorum, fundata per Epicurum, reparatam per Gaſſendum, auctam per Charletonum*, quo in libro, Lond. 1654. *in fol.* excuſo totum Syſtema Phyſicum ad mentem Epicuri, adornat, cum Gaſſendus ordinem Diogenis ſequutus fuerit. Sed prima tantum ejus *Phyſicæ* pars Generalis, cui ſpecialia interdum nonnulla immiſcuit, in lucem prodiit; an altera prodierit, vel proditura ſit, equidem ignoro. Et forte non prodibit, cum, parte iſta generali ſufficienter explicata, in ſpecialibus rationes facile accommodari poſſint ſubjectis. *Democritum Reviviſcentem* edidit IOH. CHRISOST. MAGNENVS, Philoſophiam autem Epicuri cum Democritica & Theophraſtea contulit NIC. HILLIVS libro peculiari, Pariſiis edito.

De Democriti ſcriptis nihil hodie reliquum eſt, quamvis multa illum ſcripſiſſe, 6
ex Ariſtotele, Plinio, aliisque Scriptoribus, conſtet. Quare adeo ſecuri eſſe poſſumus de ejus principiis, nec determinare nobis licet, an illa cum Epicureis omni ex parte conveniant. Nos, ex aliorum tantum traditionibus, Democriti mentem & ſententiam colligimus, qui fortaſſis non recte ceperunt illam, aut non ſatis bona

fide interpretati ſunt. Uni certe Ariſtoteli, qui aliquoties contra ipſum diſputat, fidem habere nolim. Ejus enim fides, ut in ceteris Autorum antiquorum cenſuris, etiam hic ſuſpecta eſſe debet. Extant tamen in Bibliotheca Regis Galliæ, & aliis quoque, quædam MSS. quæ Democriti nomen in fronte ſcriptum habent, & de arte χρυσοποιητικῇ agunt. Quædam eorum, Latine a ſe verſa, Domin. Piziimentius Patavii *in 8vo* edidit. Quædam etiam Ant. Mizaldi *Centuriis Secretorum* ſunt adjecta. Sed illa ſuſpecta habent plerique, inprimis Salmaſius *ad Solinum*, in *Exercitationibus* ejus *Plinianis*, qui, data occaſione, aliquot ex illis loca deſcripſit. Titulus librorum recenſent PHIL. LABBAEVS *in Bibliotheca MSStorum Regis Galliæ*, & THOM. REINESIVS, aliquam iis fidem habens, in *variis* ſuis *Lectionibus*, tum & OL. BORRICHIVS in *Hermetica Ægyptiorum Sapientia*, libro, quem nuper adverſus Conringium ſcripſit, qui, genuinos eſſe Democriti libros, non veretur aſſerere *pag. 68.69.70.71.72.73.* Cujus argumenta illic legi poſſunt. Multa etiam ille collegit ex antiquis Scriptoribus de Democriti experimentis, quæ non obſcure innuunt, hujus argumenti Democritum nonnulla ſcripſiſſe. Operationibus Phyſicis illum incubuiſſe, ex multis Autorum locis patet. Sunt & mihi nonnulla Democriti, quæ inſcribuntur *Phyſica & Myſtica*, ſive *Arcana*, ex Codice Bibliothecæ Altenburgenſis deſcripta, ſed ea admodum mendoſa ſunt, ac multa omiſſa, præ ceteris illa Unionum artificialium præparatio, cujus meminit Salmaſius *in Exercitationibus ad Solinum*, quæ formula in iſto exemplari non reperitur.

7 Jam, ut ad principia Philoſophiæ Democriticæ redeamus, ea conſtat ATOMIS & INANI. *Atomi* autem ſunt Democrito & Epicuro corpora individua, quæ ita feruntur in infinito inani, ut concurſionibus inter ſe cohæreſcant & efficiant, quæ gignuntur, omnia. Sunt autem Atomi non ita inſectiles, ut omnis omnino extenſionis ſint expertes, non ſunt puncta Mathematica, ſed Phyſica, & tota illa Diſputatio inepta eſt & Sophiſtica, quæ ſolet a Peripateticis contra exiſtentiam Atomorum adduci. Illa enim diviſio in infinitum, quam illi concipiunt, & Atomis opponunt, cum rerum natura pugnat, quæ neceſſario in minimo aliquo ſubſiſtit. Quare & inepta eſt altera illa quæſtio: *Utrum Atomi ex punctis conſtent Mathematicis?* quam ſolide refutat Io. BAPT. DV HAMEL, *de conſenſu vet. & nov. Philoſophiæ, lib. I. c. 8.* Quicquid ſit, res tandem in inanes & Mathematicas ſpeculationes deducitur, quibus ſua illa relinquenda ſunt principia, ad demonſtrandas rerum quantitates, at illæ non pertinent ad minima Phyſica, quæ ſi tu minora adhuc animo concipere poſſis, ulteriusque dividere, nullâ ratione hoc ad Phyſicum pertinebit. Ut jam explicent, quomodo inter ſe vinciantur Atomi, varias earum figuras, ſitum, ordinem, magnitudinem, motus, comminiſcuntur. Carteſius autem plane depingit & delineat, quasdam enim rotundas, quasdam quadratas, quasdam alterius figuræ, facit, quod non omnino a rei veritate abhorret, & probare pene licet in minimis corpuſculis ſalium variorum. Ut jam demonſtrent, quibus vinculis connectantur, multa comminiſcuntur, quæ nulla adeo demonſtratione, ſed quibusdam conjecturis nituntur, leves Atomi aliarum angulis implicantur, ramoſæ particulæ firmius cohærent, quibus conſtare faciunt corpora ſolida

ſolida. In quibus ſingulis explicandis multa quidem ſubtilitas eſt, quæ tamen non usque videtur rem omnem conficere. Nam certe alia debent quædam latere, quæ non expediri poſſunt ſola iſta Atomorum compoſitione: generationes rerum fieri transpoſitionibus partium, additionibus & detractionibus, docent, quæ ex ſemine prodeunt. Sic plantas additione formari arbitrantur, cum parva ſeminis moles, quicquid invenit ſibi ſimile, ſibi conciliat, & fermentationis beneficio in ſuam commutat naturam. Quæ omnia dici quidem ita poſſunt, ſed profecto nondum ſatis explicari. Omnes porro qualitates non niſi Atomorum quædam effluvia ſunt Epicuro. Illud vero neſcio quomodo fatuum eſt & profanum, omnia illa corpora produci ex fortuito quodam Atomorum motu, cum ubivis neceſſitatem ſummam videamus. Alterum Democriti principium eſt *Inane*, vel Vacuum, idque eſt, vel patens illud infinitum, vel diſperſum, & quodammodo in rebus diſſeminatum. Vacuum admitti debere in natura exiſtimant hujus hypotheſeos aſſertores, quoniam motus corporum ceſſaret, ſi omnia plena corporibus eſſent. Probant iidem vacuum ex rarefactione & condenſatione, de quibus *in Cap. de Vacuo* pluribus agemus. Principia itaque hujus Philoſophiæ ſunt infinitæ Atomi, & infinitum Inane. Atomi, ſecundum Epicureorum ſententiam, compingi in unum corpus non poſſunt, niſi virtute illius Inanis infiniti.

Adverſus has Epicureæ Philoſophiæ hypotheſes pereruditam Diſſertationem 8
ſcripſit Iohannes Franciscvs Grandis, ipſique hujus Philoſophiæ propugnatori, Gaſſendo, inſcripſit, inter *varias* ejus *Diſſertat. Philoſoph. & Criticas*, Pariſ. A. 1658, *in 4to* editas, primo loco obviam. Atque primus is oſtendit, infinitatem Atomorum & vacuitatis a Lucretio, non citra inſignem paralogiſmum, conſtitui, & contra mentem Democriti, qui per infinitum illud ipſum Deum intellexerit, non vero, quemadmodum recentiores Epicurei, ſpatium aliquod inane, in quo moveri & compingi corpora naturalia poſſint, atque adeo majora corporum naturalium Syſtemata, ſive Mundi. Tale vero infinitum Inane per ipſam rationem & naturam dari non poſſe, ex intimiore Philoſophia illic diſputat, & concipi tale quid non poſſe ſtatuit, imo pugnare ejus conceptum cum mente oſtendit. Multo minus hæc infinitas locum habebit, ſi & Atomorum infinitas accedat. Nam illa infinitas quomodo adæquabit infinitatem ſpatii, cumque utrobique principia ſua ſint & fines, quæ repugnant infinito, quomodo iſta infinitas fingi aut concipi poteſt? Nullus itaque motus fieret, quoniam motus omnis terminos habet, tum a quo, tum ad quem. Principium vero hic ubi, vel in quo, ponendum eſt, ſi vacuum hoc & inane ſtatuatur. Namque in ipſo, ut plane nihilo, nulla cauſa eſſe poteſt, quæ moveat, atque ita illud Inane corpus eſſe deberet, in vacuo vero quies potius perpetua eſſet, quam motus. Nulla enim illic actio, nullus impulſus, atque ita iners & otioſa eſſet tota rerum natura. Inane enim, qua Inane, nec gravitatem habet, nec levitatem, neque ſurſum, neque deorſum importat, atque adeo ab omni locorum differentia alienum eſt: ac proinde motus, qui omnis localis eſt, cauſa exiſtere nequit. Quod vero exiſtimant illi, absque vacuo motum nullum eſſe, ejus plane contrarium verum eſt.

Nam, quando corpus loco movetur, illud proximum expellit; hoc rurſum aliud protrudit, donec motu quodam circulari locus, a primo corpore derelictus, ab altero occupetur. Rem illam eleganter demonſtrat Carteſius exemplis globorum, in orbem diſpoſitorum, & explicatius, ad mentem Carteſii, proponit DAN. LIPSTORPIVS in *Speciminibus* Philoſophiæ Carteſianæ. Quod attinet Vacuum, rebus interſperſum, ſuis etiam difficultatibus laborat. Nam ſolent afferri hic quædam ſpecimina, quibus ſuam ſententiam ſtabilitum eunt Vacui propugnatores; de quibus inferius pluribus agemus; nam hic iſta alieno loco proponentur; in ipſa autem Tractatione affectionum naturalium convenientius in medium adducentur. Ex rarefactione & condenſatione iidem Vacui experimenta ſumunt; quæ res majori difficultati ſubjacet. Oportet enim in rarefactione & condenſatione attingere ſe particulas propius & rurſus diſcedere; in iſta vero receſſione admittenda ſunt quædam ſpatia, quæ non ſint plena particulis iſtius corporis, quod dilatatur. Atque hodie machinam aliquam invenit ROBERTVS BOYLIVS, qua aërem pro lubitu rarefacere poteſt; atque adeo ad numerum, menſuram & proportionem, Sed de his inferius agemus. Quod infinitum illud inane attinet, hoc, uti diximus, impugnat Joh. Franciſcus Grandis, atque a Democrito ait longe aliud quid denotatum fuiſſe, ipſum ſcil. Deum; qua ratione mentem ætheream illam & Spiritum, de quo adeo multa Platonici, per hoc intelligendum, aſſerit. Id multis Philoſophorum teſtimoniis confirmat, ipſius præcipue Democriti, ex Clemente, juxta Euſebium *de præparatione Evangelica lib. 13.* Quocum eadem ſenſit Hippocrates, coætaneus Democriti. Ipſum Lucretium ſibi contrarium adducit, qui ultra Atomos & Inane, tandem tertiam aliquam naturam, ipſius veritatis neceſſitate coactus, ſtatuit, lib. 2. ſcribens:

Denique cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt, unde alma liquentes
Humorum guttas mater cum Terra recepit.
Fœta parit lætas ſegetes, arbuſtaque læta,
Et genus humanum, &c.

9 Atque ita Autor ille de hoc Inani Epicureo judicat; a quo tamen abire videtur HENRICVS MOHRVS, in *Enchiridio* ſuo *Metaphyſico, part. 1. c. 8. num. 3. ſive de rebus incorporeis ſuccincta & luculenta Diſſertatione*, qui quaſi mediam ſententiam amplectitur. Is ſcil. toto illo libro hoc agit, ut demonſtret experimentis naturalibus, e tota rerum natura petitis, eſſe aliquid Extenſum immobile, a mobili materia diſtinctum, non imaginarium quiddam, ſed reale ſaltem, quod ſcil. non ſit corpus, ſed tamen reale aliquid & extenſum, quod ille ſpiritualis naturæ vel divinæ etiam eſſe aſſerere non veretur, inque hunc ſuum ſenſum Democriti ſententiam rapit, qui principia duo vera ac realia ſtatuat, Atomos & Inane, reliqua vero omnia non res eſſe, ſed apparentias tantum in ſenſibus noſtris excitatas. Rurſum ex Diogene Laërtio adducit locum, ubi Epicurus vacuum & locum vocat naturam intangibilem, vel, ut ille interpreta-

pretatur, incorpoream; ideoque ſecundum Epicureorum ſenſum, per illud inane intelligit naturam aliquam ſpiritalem. Quæ tamen iſte ſecundum ſenſum interpretatur. Omnes enim principium illud alterum Epicureum non aliter, quam ſub ratione privationis alicujus, aut nihili, concipiunt, eſtque in eadem ſententia Lucretius, cujus manifeſta adduci poſſunt teſtimonia. Adducit quoque teſtimonium Pythagoræorum ex Ariſtotele, qui ſpatium tale vacuum deſcribunt, quod ex infinito eſt ſpiritu, totumque univerſum permeat, ſic, ut reſpirare mundus dicatur in hoc ſpatio. Verum, cum nec librum, nec caput, apud Ariſtotelem nominet, non habemus, quod de illo judicemus. Si ejus ſenſum ſequeremur, facile cum ceteris conciliare hanc doctrinam Epicuream poſſemus.

Pergit Joh. Franciſcus Grandis, atque, ultra tertiam hanc naturam, a Lucretio 10
conceſſam, quartam adhuc ab eodem concedi oſtendit contra Gaſſendum, qui iſta Lucretii loca, ſtudio, an caſu, in *Philoſophia* ſua *Epicurea* omiſit, *lib. 3.*

Quarta quoque his igitur quædam natura neceſſe eſt,
Attribuatur, ea eſt omnino nominis expers,
Quæ neque mobilius quicquam, neque tenuius, exſtat.
Inde calor, motus, & venti cæca poteſtas
Accipit inde aer, inde omnia mobilitantur.

Quibus ex verbis patet, absque natura aliqua impellente & movente nihil fieri in natura, quo tamen principio communis illa Epicurea Philoſophia deſtituitur, quæ præter Inane & Atomos nihil agnoſcit. Illos Atomos dicunt eſſe æternas & increatas, quas creatas tamen eſſe, ex conceſſa Atomorum figurâ probatum it Grandis. Harum Atomorum motus fortuitus eſſe ſtatuitur ab Epicureis, unde omnia proveniant corpora, eorumque viciſſitudines & alterationes. Sed nec fortuitus motus poteſt eſſe a ſe ipſo, aut ab Inani illo, ac, ſi eſſet, res ſtatas & definitas omnibus ſuis numeris perficere non poſſet. Atomos iſtas, non ſpecie, ſed figura duntaxat, poſitione, motu & pondere inter ſe differre ſtatuunt, quod rerum varietati & generationi explicandæ non ſufficere, recte ait Hamelius *de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ, lib. 1. c. 8.* Porro illa Atomorum ab Epicureis ſtatuta συμπάθεια, vel nihil dicit, vel aliquam Atomorum, ratione actionis & paſſionis, differentiam arguit, quod a diverſis eſſe principiis patet. Ioannes Alphonsvs Borellvs, in *libro ſuo de motu corporum*, cum in varias partes verſaſſet doctrinam de motu, ſuper particularum principiis fundatam, quo ſe vertat, neſcit, niſi ſtatuat, inter particulas inertes & materiales alias particulas vividas, ſpiritales, impellentes, & vi movendi præditas. Ideoque tandem omnibus iſtis, qui ex corpuſculari Philoſophia omnia ſe naturæ miracula explanata dare poſſe credunt, ad naturam aliquam ſuperiorem, principium ſpiritale, confugiendum eſt, ſine quo humano intellectui actiones naturæ concipere, impoſſibile plane eſt. Quod palmarium itidem argumentum eſt Johan-

nis Franciſci Grandis, qui toto illo libro ſuo demonſtrare laborat, illum ab Epicureis confictum Atomorum motum per rerum naturam nullum eſſe poſſe. Primo enim, propter infinitatem & ſoliditatem Atomorum, ab Epicureis ſtatutam, nullum poſſe eorum motum fieri aſſerit. Ex natura enim infinitatis & ſoliditatis Atomorum concurſionem nullam, nullum earum fluorem, nullum pondus, poſituram nullam, dari poſſe evincit, adeoque contra Epicureos non contemnendis rationibus, & quæ Mathematicam ſapiunt demonſtrationem, probat, ex ipſis eorum hypotheſibus ſequi immobilitatem potius Atomorum, quam mobilitatem. Ulterius illud, ex diſcuſſione ſpecierum motus, quas Atomis ſuis tribuunt Epicurei, elicitur. Alias deorſum moveri dicunt, & ad perpendiculum, alias per declinationem, alias ſurſum per motum impulſionis. Primus ille motus ratione ponderis eſt, alter per compulſum alterutrius Atomorum, & tertius quaſi inter illos medius. Ex iſtis motuum ſpeciebus varios iterum ſpecialiorum motuum modulos comminiſcuntur. Motui deorſum ſubjiciunt transpoſitionem, acceſſum, ablationem, inceſſum, detritionem. Atque iſta princeps motuum ſpecies eſt Epicuro, qua motum corporibus impertiri ſtatuit, & Lucretius hinc ait:

Quod vacuum per inane deorſum cuncta ferantur.

Motui ſurſum, qui a percuſſione fit, ſubjiciunt contrarium concurſum, receſſum, refluxum, ſive reflexionem, compulſionem, appoſitionem, permutationem, ſupra adjectionem. Ex utriusque hujus motus ſurſum & deorſum ſpeciebus fieri mundum autumant. Heraclitι apud Laërtium ſimilitudinem ducunt a corpuſculis illis minimis, quæ in ſole obſervamus, ſurſum deorſum motis, quod puerile admodum ad rem illam confirmandam argumentum eſt. Tertio motui mixto & obliquo ſubjiciunt concretionem, condenſationem, Synodon Atomorum, complexionem, affixionem, colliſionem, coacervationem, cum ſc. caſu Atomi ſunt compactæ in has, quas cernimus, formas. Cum vero plus aut minus ſpatiolorum intercipitur, oriuntur illæ qualitates Atomorum. Cum vero parum, & citra magnam inclinationem, coaleſcunt, hinc oritur poſitio & fixio; ſi major ſit inclinatio, tumores & configurationes oriuntur. Atque hunc declinationis motum omnium compoſitionum naturalium, ſive generationum, principium ſtatuit Epicurus. Lucretius perplexas atomos vocat. Contra totam hanc philoſophandi rationem elegantiſſime, &, ut puto, ſolidiſſime, diſputat Cic. *lib. 1. de finibus*, qui locus, quoniam prolixior eſt, illic legi poteſt. Recte Cicero rem totam pueriliter fictam judicat, &, ſi verum fateri velimus, multum illis dogmatibus forte ſubtilitatis ineſt, parum veritatis. Et, quanquam tales Atomorum motus, minimarumque particularum fluxus dentur in rerum natura, (ut ſecundum principia Epicurea dari non poſſunt, dari autem poſſe in natura, ſeu mundo, jam conſtituto, nihil repugnat,) ex iſtis tamen Atomorum fluxibus & repercuſſionibus univerſum hoc conſtituere ineptum eſt, & nulla veri ſpecie demonſtrabile. Velim enim concipiat mihi aliquis iſtud Inane Epicureum infinitum, ſeu longitudinum, altitudinum & latitudinum, infinitatem quandam, quanquam nec ita loqui liceat, cum illæ quantitatum finitarum affectiones ſint, quem in illo finget mihi motum ſpontaneum Atomorum primo deorſum, cum in infinito iſto ſpatio nihil ſit, quod ſurſum & deorſum dici

dici poſſit, ac termini iſti relativi ſint, ac modi rerum, ex ſitu, tantum reſpectu noſtri, rebus impoſiti. Quomodo reflectent ac reſilient, cum quælibet Atomus ex ipſa doctrina Epicurea vi propria *non poſſit ſurſum ferri, ſurſumque meare*, quæ verba ſunt Lucretii? Quomodo itaque impellet retro, ſi vis nulla eſt ſurſum meandi. Illa enim ſurſum-motio fieri debet per impulſum rei, ſe non ſurſum ferentis; quæ quomodo inter ſe conſtare poſſint, demonſtrari nullatenus poteſt. Vim hujus ratiocinii eleganter ob oculos ponit Cicero *in lib. de fato*, qui locus legi præ ceteris meretur.

Magis ridicula eſt, quæ ex ipſis principiis deducitur, feralis rerum aliqua neceſ- 11
ſitas & fatum, cujus cauſa omnis in Atomis Epicuro ponitur. Hinc animi etiam eſſentiam & virtutes omnes compingit, & artes in homine, qua inſania temere majorem eſſe non dixerim. Triumphant tamen apud multos pernicioſa hæc dogmata, vana ſubtilitatis ſpecie imponentia hominum animis, quæ lubentes accipiunt novaturientes, & qui in parte gloriæ ponunt, divina omnia ſpecioſe in dubium vocare, immortalitatem animæ impugnare, dæmones pro ludibriis ſenſuum habere, quales ſententiarum rivuli ex Epicurea hac Camarina promanant. Et hæc tamen Philoſophia, ut evidentiſſimam, ſe jactat, quia ſenſibus ſuperſtructa eſt; cum tamen, ſi rem perpendamus, ex ipſis illis Epicuri principiis pateat, non tam in ſenſu, quam in vanis & quibusdam imaginariis hypotheſibus, eam Philoſophiam poſitam eſſe. Quando enim de natura Atomorum diſſerunt, nullas Atomis ſuis qualitates aſſignant; neque enim ignis ſcintillis, neque aquæ guttis, neque auræ bullis, &c. ſimiles ſunt, neque calidæ aut frigidæ, aut denſæ vel raræ, ſed omnes ejusdem ſpeciei: quod certe, ſi imaginarium non eſt, non video, quid ita vocandum ſit; & magis certe eſt, quam materiæ & formæ reliquorum Philoſophorum. Res certe ipſa inexplicabilis & abſurda eſt, quod & Hamelius *ſæpe ſupra citato* ait.

Atque hæc pene ſunt iſtius Philoſophiæ dogmata, quæ tamen degeneraſſe a ve- 12
teri iſta Democritea, etiam ego dixerim. Non enim usque adeo tota illa abſurda eſt, quin magnam obtineat vim in demonſtrandis affectionibus quibusdam naturalibus, quarum ratio ad ſenſum manifeſtius patet ex doctrina corpuſculari. Retinere itaque corpuſcularem hanc Philoſophiam poſſumus, & cum utilitate maxima in explicandis rebus, modo abſcindamus ſtultas illas & profanas Epicuri ſententias. Quomodo tractavit eam Gaſſendus in *Phyſicis* ſuis, ubi proponit quidem Epicuri ſententiam; ac, quæ defendi poſſunt, defendit, ſed ita, ut refutet Epicuri profana dogmata: *primo*, quod non detur alia natura incorporea, præter inane, (*Phyſices Sect. 3. memb. 2. lib. 14. c. 3. & ſect. 1. lib. 4. c. 34.*) 2. quod infinitos mundos ſtatuat (*Sect. 1. lib. 1. c. 2.*) 3. quod mundus ſit æternus, (*ibid. lib. 4. c. 5. & 6.*) 4. quod Deum faciat naturæ corporeæ; nec curare res humanas ſtatuat, (*Sect. 1. phyſices, lib. 4. c. 2. 3. 4. 5. 6.*) 5. quod ex nihilo nihil fieri, vi etiam divina, neget, (*Sect. 1. lib. 3. c. 1. & lib. 4. c. 5.*) Si quis dogmata Epicuri in compendium contracta velit, legat *Syntagma Philoſophiæ Epicureæ*, a Gaſſendo ſcriptum. Nobis, ut dixi, utilis eſſe doctrina illa poteſt in explicationibus multis phœnomenorum naturalium; nec tamen in Atomis, velut in principiis,

conſiſtere poſſumus, cum & ipſa illa minima naturalia Elementa ſua habeant. Si enim e. g. in minutiſſimas partes aurum quis diſſolveret per artificium chymicum minutiſſima tamen ejus particula adhuc compoſita erit, ex diverſis quibusdam principiis combinata. Similiter in minutiſſima lactis particula ſerum erit & coagulum. Atque ita certe in omnibus corporibus naturalibus minutiſſimis diverſitas quædam principiorum adhuc dari poterit, ut in ſimplicibus iſtis particulis minime ſubſiſtere poſſimus, ac pro veris principiis illas agnoſcere. Illas vero fingere ad ingenium Epicuri, meræ notionis res eſt, non naturæ.

13 Aſſumunt hodie, qui philoſophantur circa res naturales, e Democriti & Epicuri ſchola, particularum principia. Accepit ea etiam Carteſius, non tamen, ut unice ſuper his Philoſophiam ſuam fundaret; quanquam & in multis conveniat. Nemo tamen hanc doctrinam ſubtilius & plenius executus eſt illo, de cujus principiis ſingulari capite infra videbimus. Angli in experimentis ſuis ubique iſtam Atomorum doctrinam profitentur, quanquam incertum adhuc ſit, quæ ſtatuant principia, neque unum omnes ſentiant; ſed obſervant tamen hanc ſenſus in rationibus naturæ methodum, & *φαινόμενα* naturæ, qua poſſunt, perſpicuitate ob oculos ponere, laborant. Sed ut hæc ſe belle habeant omnia, unico iſto deficiunt omnes, obſcuro iſto, incognito iſto, quorſum non penetrant Lyncei iſti oculi; ideale dico illud, formale illud *τὸ θεῖον*, quod in natura eſt, quod ſupponendum tamen neceſſario. Nam in nudis particulis omnium rerum cauſas ſufficientes nunquam daturi ſumus; quod bene perſpexit Verulamius, ſagaciſſimus rerum naturalium ſcrutator, qui in particulis illis Philoſophiæ naturalis principia non poſuit, & præ illis Peripatetica potius amplecti voluit. Satis intelligens, qua erat mentis perſpicacitate, animum tamen ſaturari non poſſe his rationum quaſi nebulis quibusdam; quanquam & in vulgaribus illis non diſtinctas etiam præcipuorum notiones habemus. Interim tamen ſubtiliſſima utiliſſimaque illa eſt de corpuſculis doctrina, cui, velut naturæ cortici, inhærere tantiſper poſſumus, donec interiora rerum doceamur. Præ ceteris, legi ſuper hoc argumento poſſunt, quæ ſingulari nuper libro propoſuit inſignis ille per *ἐμπειρίαν* Philoſophus ROBERTVS BOYLIVS, in *Exercitationibus* ſuis *de Athmo-Sphæris corporum conſiſtentium, deque mira ſubtilitate, determinata natura & inſigni vi effluviorum*, aliaque ejus viri ſcripta, quæ in manibus omnium verſantur. Is enim præ omnibus ita contemplationem experimentis junxit, illam ſuper his fundavit, hæc ex illa confirmavit, ut merito ſociorum ſuorum ANTESIGNANVS habeatur.

CAP. VIII.

DE PRINCIPIIS SECTAE STOICAE PHYSICIS.

§. 1. *Philoſophiæ Stoicorum Moralis Scriptores, Epictetus ejusque Commentatores, Arrianus & Simplicius, a Cl. Salmaſio, & M. Antoninus Imp. a Thoma Gatakero, inſigni-*

insigniter illustrati, Casp. Scioppius, Ant. le Grand, Universæ *autem illorum Philosophiæ, ac Naturalis inprimis, Justus Lipsius. 2. Philosophemata Stoicorum de rerum principiis (Deo ac Materia,) corporum mutationibus & motu, vacuo, mundo, ejusque ἐκπυρώσει. 3. De sole igneo, astris, igne, aëre, oceano, terra, ventis, mundo, ejusque interitu. 4. De homine Μικροκόσμῳ, meteoris, anima, intellectu tabulæ rasæ simili, sensibus, voce, discrimine inter animas stultorum & sapientum posthumo, animæ, quod ignea sit, in undis interitu (de quo Jac. Thomasius & Pet. Lasena scripsere,) sextoque sensu, titillatione scil. venerea (de qua idem Thomasius.) Pietas doctrinæ illorum de Deo commendatur.*

STOICAE *Philosophiæ (r)* nihil restat, nisi quæ ex Plutarcho, Stobæo, Seneca, Scriptoribus de vitis Philosophorum, ut lacera Hippolyti membra, in unum corpus colligimus. Plura tamen ejus Philosophiæ, quantum ad moralia spectant, restant, quæ supersunt in Epicteto, cujus *Enchiridion* optimis notis exposuit ARRIANVS, Græce Latineque editum Genevæ, A. 1594. *in octavo,* & Romæ a Luca Holstenio, nec non SIMPLICIVS, in quem, & Epictetum ipsum, extant uberrimi Commentarii Salmasiani. Idem Salmasius *Exercitationum de Philosophia Stoica, in Simplicium & Epictetum, partem alteram,* cum *Prolegomenis* uberrimis de manuductione ad eandem Philosophiam, affectam habuit, teste Crasso, in *Elogiis hominum literatorum, in Elogio Salmasii, Tomo 2. p. 211.* Extat & MARCI ANTONINI, Imperatoris, liber *de rebus suis, (τῶν εἰς ἑαυτὸν)* ad se ipsum Græce scriptus, plenus morali doctrina Stoicorum, scriptum plane aureum, inque eum aureus plane *Commentarius* THOMAE GATAKERI, Cantabr. A. 1652. in 4to excusus, quem ego promptuarium veteris doctrinæ moralis non immerito appellare possum, adeo diligenter sententias Antonini, e Stoicorum scriniis depromptas, cum ceteris Philosophis contulit, non quidem, ut longas de iis disputationes institueret, sed breviter tantum testimonia adduceret, quæ hunc fundum occupaturo mirifice prodesse possunt. Præmisit *Diss. de disciplina Stoica, cum ceteris Sectis collata,* & var. LL. in margine notavit. In eundem post Gatakerum & Mericum Casaubonum (cujus editio, cum Notis adjectis, *in 8vo* prodiit, Salmasius quoque *Commentarium* editurus erat, referente eodem Crasso, *loco citato.* Idem quoque, sub elogio Dan. Heinsii, *Tom. 2. p. 219.* eum de Stoica Philosophia scripsisse testatur, quem tamen librum non vidi. Scripsit & CASPARVS SCIOPPIVS *Elementa Philosophiæ Stoicæ Moralis,* exiguum libellum, qui editus est in 8vo A. 1606. Moguntiæ, de quo multa jactitaverat apud Patrem Paulum Servitam, ut habetur in *vita ejus,* a Fulgentio scripta *Editionis Gallicæ p. 193.* Sed is moralia tantum attingit, & Justi Lipsii est Epitomator. Legi etiam possunt, quæ circa doctrinam de affectibus scripsit, e mente Stoicorum, ANTONIVS LE GRAND, in libro Gallico: *l' Homme sans Passions (Homo absque affectibus.)* Sed ista, quoniam nostri

(r) Confer cum hoc præcedentis *Libri I. Caput IV. de Philosophia Stoica.*

noſtri ſori non ſunt, omittimus. Præ ceteris Philoſophiam omnem Stoicam, ac totam Phyſiologiam, duobus libris complexus eſt, *Manuductione* ſc. *ad Stoicam Philoſophiam*, & *Phyſiologia Stoica*, IVSTVS LIPSIVS, qui ordinata methodo ex Autoribus collegit omnia, atque in juſtum ſyſtema compegit. Qui labor valde utilis eſt ad hujus Sectæ dogmata, ortum eorum & progreſſum, & quicquid eo pertinet, intelligendum.

2 Conveniunt vero dogmata Phyſica Stoicorum in quibusdam cum Platonis ſententiis. *Duo* ſtatuunt *principia*, *Deum* & *materiam;* utrumque mundum vocant, illum intelligibilem & incorporeum, hunc corporeum, illum cauſam efficientem, hunc patientem. Illum naturam etiam vocant, & quidem potiſſimum, quæ continet mundum omnem, eumque tuetur ſumma ratione. Hunc Animam etiam mundi dicunt, mentem ſapientiamque divinam corporibus omnibus immerſam. Solet & ipſe mundus Deus Stoicis vocari. Breviter: id ſtatuerunt, Deum eſſe omnia, & in omnibus, unde & animam noſtram *divinæ auræ particulam* vocarunt, quaſi Dei, ſeu mundi intelligibilis, vel animæ hujus mundi (ea enim illis ſunt Synonyma) ἀπότομὴν; quam ob cauſam Voſſius monet, Chriſtianis non licere ea uti deſcriptione Animæ rationalis, ut quæ principia hæc Stoica præſupponat. Alterum principium ſtabuebant *materiam*, eamque æternam, quæ nec augeatur, nec minuatur, cujus ſectio in infinitum fit, nec tamen ipſa infinita, ſitque continua. Tertium quoque principium idearum eos agnoviſſe, Lipſius negat, contra eos, qui id exiſtimant. Cum enim Deum ponant, quid opus ideas ponere, quæ ſunt in Deo? Mutationes & alterationes corporum continuis converſionibus fieri exiſtimant; ita ut primum Elementa vulgaria illa inter ſe transmutentur; reliqua corpora miſta ajunt per generalem transmutationem Elementorum & corporum fieri. Converſio rerum vel æqualis eſt, vel inæqualis, vel perpetua. Quare diſtinctionem faciebant inter compoſitionem, miſturam, temperamentum & confuſionem, quas omnes ſpecies ſecundum certos gradus, ac materiarum naturas diſtinguebant. De motu corporum eadem pene ſentiebant, quæ Epicurei; primos motus faciebant, rectum & obliquum, unde reliqui generentur. Motus verſus centrum eſt, quem illi omnibus corporibus, inprimis ponderoſis, adſcribunt, levia etiam corpuſcula ad ſuum centrum properare ajebant: mundum in vacuo librari exiſtimabant, animal eſſe ſtatuebant, ſenſu & ratione præditum. Mundum ab univerſo diſtinguebant, univerſum enim eſſe cum vacuo infinitum putabant, totum ſine vacuo mundum. Unde eorum effatum hoc a Plutarcho exagitatum eſt, *univerſum corpus non eſſe.* Ideoque illi per univerſum intelligunt id, quod inane vocant Epicurei. Epicurei quidem laxe & ubique rebus mixtum aſſeruere; Stoici vero reſtrictius, in mundo nihil eſſe vacui, extra vero eum infinitum illud eſſe. Cauſa illa ſtatuendi hæc illis fuit, quod mundus in vacuum reſolveretur per ἐκπύρωσιν, ſive conflagrationem. Imo & Pythagoras ipſe, tantum vacui eſſe extra mundum ajebat, ut reſpirare cœlum poſſit, eſſe enim ipſum igneum. Sed hæ ſorte rationes a Plutarcho non recte intellectæ ſunt, ſunt enim abſurdæ. Quod vero ἐκπύρωσιν illam attinet, ſciendum eſt, Stoicos magnam mundi æſtatem & hyemem ſtatuere;

hanc

hanc fieri existimant per generale aliquod diluvium, illam per generalem aliquam mundi conflagrationem, quam causam Lipsius facit, quare universum illud infinitum vacuum extra mundum statuerent, ut scil. esset locus, quorsum concederent particulæ mundi, per conflagrationem resolutæ.

Solem faciunt præstantissimam ætheris partem, & mundanæ animæ ἡγεμονικὸν, 3
esse etiam igneum credunt, quoniam omnia, quæ ignis, præstat. Ignem autem duplicem statuunt: ignem artificialem, & inartificialem. Artificialem eum vocant, qui auget res & conservat, qualis in plantis est, & in animalibus, cujus generis solem esse existimant. Vide, quæ nos in *Dissertatione nostra de Sole igneo* diximus, ubi, ignem illum nihil, vel parum, differre ab ipso igne Elementari, probatum ivimus. Nec Stoicorum alia sententia videtur, quanquam aliqui eos ita interpretentur. Nam de astris ipsi fatentur, teste Laërtio, nutriri atque ali, solem quidem e magno mari, lunam ex aquis dulcibus. Sed ista somnia sunt, & judicia eorum, qui rerum Astronomicarum ignari sunt. Errorem hunc refutavimus in dicta Dissertatione. Aërem primo frigidum vocant Stoici, contra Aristotelem, qui calidum eum facit. Oceanum duplicem faciunt, priorem vocant ipsum rerum magnum originalem Oceanum, qui terram ab ortu ad occasum mediam dividit sub ipsa Zona torrida, sive æquatore: alterum, qui, ab illo ortus, eandem terræ partem mediam secat, ab Austro in Septentriones. Itaque, secundum illos, duplici hoc Oceano tota terra scinditur in partes quatuor, seu totidem insulas. Terram matrem vocant, inde generationem ajunt cœpisse, tanquam a centro, eam etiam animal faciunt. Seneca *quæstionum naturalium lib. 6. c. 14.* ventos animam terræ vocat. Hippocrates, *lib. de flatibus*, Spiritum lunæ fundamentum, & terræ vehiculum, vocat; an ad mentem Stoicorum, non facile patet. Suspicio etiam quædam est, alterum Orbem eis fuisse cognitum. Mundum, uti dixi, duplicem faciunt, quare aliquis æternus dicitur, aliquis corruptibilis; per alterum enim mundum, nihil aliud, quam ipsum Deum, intelligere videntur. Id vero notabile est, duplicem eos interitum corruptibilis mundi statuere, alterum per diluvium, alterum per ignem. Qua sententia sua convenire cum Oraculis Scripturæ videntur. Legi potest *Hier. Magii* liber, quem *de conflagratione mundi* conscripsit, quo omnes Gentilium sententias in hoc argumento collegit. Heraclitum quoque & Epicureos eandem fovere sententiam, demonstrat Lipsius *Physiologiæ Stoicæ, Dissertatione 23.*

Hominem μικρόκοσμον primi, quod sciam, fecerunt, quare non adeo exsibi- 4
landa est ista doctrina a nonnullis, qui illam comparationem, ut futilem, rident. De Meteoris Seneca prolixe admodum egit, secundum Stoicorum mentem, qui ipse potius ea de re legatur. Animæ sedem in corde, vel in præcordiis, statuunt; animæ principem partem, intellectum, tabulæ rasæ adsimilant, quæ omnium formarum & characterum sit capax. Animam non in facultates, sed in partes, dividunt, quinque que sensus principes quinque partes vocant. Visum vocant Spiritum, qui tendit a sede rationis ad oculos. Auditus est Spiritus, qui tendit ad aures; odoratus, qui ad nares;

nares; guſtus, qui ad linguam; tactus, qui ad ſuperficies ſenſibiles rerum tendit. Sextam partem animæ conſtituunt in ſemine, ſeptimam in voce, in qua etiam illi ideale & ſpiritale quid agnoſcunt, quod format accentus, depreſſiones & elevationes, ſimilesque figuras vocum, imo quod perſuadet. Nulla enim fit perſuaſio, niſi talis character animi & affectuum imprimatur omnibus ſermonis apicibus, mediante lingua, quæ eundum characterem ſibi ſimilem imprimat animo audientis, ſpiritusque animales eodem motu vellicet, qui fuit inſitus iſti, qui primum pronunciavit. Legi ſuper hoc argumento poteſt CORDEMOY in libro, Gallica lingua ſcripto, *de la parole (de verbo.)* Animarum diſparem conditionem faciunt. Quemadmodum enim Terentius: *Dii boni! homo homini quid præſtat?* ita illi, animam animæ præſtare, ſentiunt. Stultorum animas non eſſe perpetuas, credunt, & cum corpore interire, exiſtimant. Plutarchus tamen aliter interpretatur eorum mentem; ille enim dicit, animas ſtultorum & timidorum durare quidem aliquantum temporis, ſed vagari circa corpora, & ad occurſum præſtantium & fortium animarum paveſcere, ac metuere, ne ab illis abſorbeantur, vel in aërem evaneſcant, cum animæ hominum magnanimorum ſua vi ſubſiſtant. Atque iſto ſapientes præ ſtultis gaudent privilegio, quod animas habeant validas, poſt mortem ſuperſtites, non quidem æternum, ſed per magnas mundi ætates, & vel ad univerſi hujus usque interitum, ſi animæ ad iſtum ſublimitatis gradum fuerint evectæ. Easdem animas, ut ut maxime ſint ſublimes, quoniam igneæ, ſecundum illos, ſunt naturæ, aquis perire poſſe crediderunt. Unde nihil miſerabilius Heroibus habitum fuit, quam ſi naufragio ipſis perundum. Ideoque maluerunt, ſub inſtans naufragii periculum, gladio perire, ut ſcil. cum ſanguine exiret anima in auras, quam aquis ſuffocari. Qua de re integram vide *Diſputat.* Clariſſimi Viri, IACOBI THOMASII, *de morte in undis.* Sed ante illum ſcripſerat, quod fortaſſis non advertit, PETRVS LASENA, Jureconſultus Neapolitanus, *de iis, qui aquis pereunt*, integrum librum, quem laudat Craſſus *in Elogiis hominum literatorum, part. 1. p. 233.* Idem Thomaſius *de Senſu ſexto, Titillatione ſcil. venerea, integram Diſputationem*, ſcripſit, quem Stoicis etiam ſtatui, ſupra diximus. Quod doctrinam de Deo attinet, ſi abſtrahas inde iſtam eorum ſententiam, qua materiæ immerſum illum ſtatuunt, inter Gentiles nemo pie magis de Deo ſenſit, quod teſtari multa loca apud Senecam poſſunt. Mortalitas & interitus animarum hodieque a Socinianis ſtatuitur, qua parte ſi rectiora ſcripſiſſent, nulla inter gentiles Philoſophiæ Secta ſpecioſior futura fuiſſet.

CAP. IX.

DE PRINCIPIIS PYRRHONIORVM ET SCEPTICORVM PHYSICIS.

§. 1. *Scepticiſmum Scriptis propugnavit Sex. Empiricus, impugnarunt vero Nic. Cabaſilas & Cl. Ptolomæus. Sceptici fuere Lucianus & Academici, Socrates vero tantum εἰρωνικῶς. Origo hujus ſectæ fuit inanis jactantia, Oratoresque illi inprimis addicti.*

Abſol-

Absolvuntur a Scepticismo, qui scientiarum imperfectionem & ineptias detexerunt Henr. Corn. Agrippa, Nic. Cusanus, Franc. Sanchez. 2. Absolvuntur etiam Ren. Cartesius, Societas Regia Anglicana, aliique Moderni, dubitationem de rebus omnibus professi philosophicam, de cujus, a Josepho Glanvil etiam defensa, necessitate disseritur. 3. Scepticismus antiquus via fuit ad Atheismum, nec Philosophia, sed Sophistica, ipsos sensus absurde ejurans. Thom. Hobbesius ab illo haud immunis. 4. Argumenta Scepticorum pro rerum omnium incertitudine, & contra demonstrationem, causas ac motum. 5. Sensuum παραράματα certitudini rerum non obesse, ostenditur, & Mar. Mersenni Tr. *de veritate scientiarum commendatur.*

PRocedimus ad *Philosophiam* SCEPTICAM (*s*) veterum, cujus principia adhuc supersunt in SEXTO EMPIRICO, cujus tres elegantissimi & acutissimi extant libelli, quibus omnia Philosophorum placita in dubium vocantur, & nihil omnino certi in rebus relinquitur. Ejus Opera Græce Latineque edita sunt Paris. A. 1601. & Genevæ A. 1621. ab Henrico Stephano. STOBAEVS quoque e veteribus Philosophis ea, quæ huc spectant, collegit. Contra illos extant veterum nonnullorum Patrum Declamationes, ut testatur Lambecius *Commentariorum de Bibliotheca Vindobonensi, lib. 5. p. 212. Cod. 267.* ubi de MSS. Græcis agit. Reperitur in Bibliotheca illa NICOLAI CABASILAE, Archi-Episcopi Thessalonicensis, Dissertatio de *κριτηρίῳ Veritatis*, sive de facultate & instrumento judicandi, quid sit verum, contra Pyrrhonem, Scepticorum Principem. Est & Claudii Ptolomæi peculiaris Tractatus *περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ, de judicandi facultate & animi principatu*, ab Ismaële Bulialdo Græce & Latine editus, Parisiis, apud Cramoysios, *in 4to*, an. 1663. qui liber pene Titulo priori isti respondet. Sed quia neutrum vidi librum, quid de iis pronunciari debeat, non liquet. In eodem illo *Codice MSto*, extat ejusdem Cabasilæ *solutio argumentorum quinque contra Rhetoricam, sive artem dicendi*, quæ a Scepticis proponuntur. Fuit & LVCIANVS istæ Sectæ addictus. Accedunt etiam pene eorum dogmatibus Academici, quanquam nonnulli existiment, Socratem, Academicorum principem, cum scientiæ certitudinem a se amoveret, per ironiam tantum hoc fecisse, & scientiam dissimulando simulasse, renunciando scil. iis, quæ manifesto sciebat, ut eo modo, quæ nesciebat, scire etiam putaretur. Hanc ego Sectam a vanitate & jactantia originem sumsisse crediderim, & notat Verulamius, *lib. 5. de augmentis scientiarum, cap. 2.* eos, qui eloquentia floruerunt, hanc fere Sectam sibi sumsisse, ut in utramque partem copiose differendo gloriam assequerentur. Unde a via illa recta, per quam ad veritatem pergere debuissent, tanquam ad deambulationes quasdam amœnas, animi causa institutas, deflexum sit. Cujus commatis etiam illa sunt, quæ HENR. CORNELIVS AGRIPPA *de Vanitate scientiarum*, libro docto & laborioso, scripsit, quem ad Scepticos eam ob causam non retule-

(*s*) De Scriptis, & illorum Philosophia, conferatur præcedentis *Libri I, Caput VI.*

retulerim, cum declamationis atque oſtentationis gratia liber ille ſcriptus tantum videatur, atque ut vitia doctorum & imperfectionem ſcientiarum oſtendat, quod ipſe non diffitetur Agrippa. Neque etiam in recentiore Academia, quam Cicero amplexus eſt, illa incertitudo ſcientiarum pro univerſali, atque adeo ſolida & vera, habita fuit, & eo quidem ſenſu non improbandus eſt conatus illorum, qui, ad oſtendendam ſcientiarum imperfectionem, ſimilia quædam ſcripſere. Qui enim imperfectas dicunt ſententias, non ideo ſtatim negant illas, ſed admonent homines de ulteriori indagatione. Extat NICOL. CVSANI, Cardinalis, doctiſſimus *de docta ignorantia* liber, qui inter cetera ejus Opera, junctim edita, reperitur, quo imperfectionem humanæ ſapientiæ, præ divina & occulta illa, demonſtrare laborat. Extat & FRANCISCI SANCHEZ *Tractatus de eo, quod nihil ſcitur*, quo Scholaſticorum ineptias exagitare voluit.

2 Similiter & Scepticis accenſendi non ſunt, qui ideo dogmaticam veterum Philoſophiam rejiciunt, quod ipſi nolint admittere, niſi quæ ſua experientia habeant comprobata. Scripſit IOSEPHVS GLANVIL Anglica lingua *σκέψιν ſcientificam*, Londini A. 1665. *in 4to* excuſam, qua omnem doctrinam dogmaticam impugnat, eamque vanam eſſe & ignorantiæ matrem, oſtendit. Idem & conſilium Societatis Regiæ Anglicæ, nulla principia Phyſica agnoſcentis, niſi quæ experientia comprobavit; quod vel Symbolo illo ſuo: *Nullius in verba*, oſtendit. Idem Carteſius propoſitum habuit, quam ob cauſam hæc ejus poſtulata ſunt: omnia præjudicia exuenda eſſe, de omnibus aliquando dubitandum, quæ ejus aſſertiones inviſæ multis fuerint Theologis, præcipue, qui Regulam iſtam: de omnibus dubitandum, ut impietatis plenam, incuſarunt. Sed fruſtra quidem illi contra Carteſium eo pugnant, quod ſenſum ejus non recte capiant, vel capere nolint. Neque enim dubitat Carteſius, aut dubitari vult de omnibus, ut ſit in dubitatione iſta perſiſtendum, ſed ut ſciat, & certas concluſiones demonſtret. Nulla enim ſcientia certa eſt, niſi dubitatio præceſſerit, quæ animum in utramque partem verſat, usque dum ad certas concluſiones feratur. Quare, cum vult probare exiſtentiam Dei Carteſius, primum dubitat de Deo. Neque enim rationes & argumenta ejus exiſtentiæ invenientur, niſi tollamus illa, quæ dubiam faciunt ſententiam; illa autem quomodo tolli poſſunt, niſi iſta dubitatio animo concipiatur? quod certe faciendum eſt omnibus illis, velint, nolint, qui contra Atheos diſputant. Cum enim eorum argumenta refutaturi ſunt, animo illa habere debent præmeditata. Dum igitur cogitat iſta animus, nihil determinat, ſeu dubitat, usque dum per collationes rationum certam concluſionem eliciat. Idem fatum habuit Societas Regia Anglica, non ſemel a Theologis impugnata, quod crederent, iſta accuratiore rerum naturalium indagine detrahi aliquid myſteriis divinis, aut dubitationibus iſtis, atque incertis principiis, aliqua etiam in Theologiam derivari, quo certe falſi fuere homines, doctrinam omnem non niſi ſancta quadam ſimplicitate metientes. Eos tamen, ut ad ſaniorem mentem reduceret, idem Ios. GLANVIL librum ſingularem ſcripſit Titulo *Philoſophiæ piæ*, (Lond. 1671.

1671. *in 8vo*,) quo ostendit, non adversari religioni novam istam Philosophiam Experimentalem. Sed de istis dubitationibus *capite primo* etiam dixi.

Scepticorum veterum Philosophia longe fuit alia, & revera Atheismum pro 3
scopo habuit. Ii enim omnium, tam naturalium, quam moralium rerum incertitudinem professi, quid aliud animo volvere potuerunt, quam omnis religionis & virtutis contemtum, quæ pernicioſissima dogmata etiam hoc tempore in multorum animis hærent, qui, sub specioso libertatis cujusdam in philosophando titulo, omnia divina humanaque pervertunt. Ex professo tamen, nemo est, qui Philosophiam Scepticam profiteatur. Si modo Philosophia vocanda est, quæ potius est opinio aliqua inconstans, nata ab hominibus vagis, vanis ac malitiosis. Aliqua certe ex illis principia assumsisse videtur Hobbesius, de quibus nunc prolixius agendi locus non est. Si dogmata eorum excutere velimus, omnia Sophismatibus plena inveniemus, quibus animis imbecillis imponunt. Quæ major potest esse dementia, quam ipsos sensus suos ejurare? Omnes enim sensuum perceptiones calumniabantur, unde & scientias simul evellebant, quæ ab iis pendent, cum debuissent potius sensuum defectus corrigere, qui oriuntur, vel ex erroribus mentis, vel contumacia, vel pravis demonstrationibus & modis ratiocinandi, ex perceptione sensuum perperam institutis.

Rationes, quæ Scepticos movebant, ut nihil certi in rebus esse crederent, ea 4
præcipue erant, quod multæ essent ambiguitates in cognitione rerum, quarum decem faciebant genera. Primum illis erat magna illa sensuum diversitas in animalibus, tum qua voluptatem, tum qua dolorem, quodque non habeant æqualem omnium apprehensionem, quod impedimentum adferat consensui nostro, quem vel huic, vel alteri parti, applicamus. Homines aliqua in deliciis habent, quæ animalia aversantur; cicuta in alimentum cedit pecori, venenum est homini. Secundum genus ambiguitatis illis petitur a diversitate naturarum in homine, pro variis ejus complexionibus; unde, quod alii nocet, alii commodat; ideoque & in eo se consentire sensus judicio non posse existimant. Tertium genus illis ducitur a differentia Organorum sensoriorum. Quibusdam dulce est, quod aliis amarum, bene olet quibusdam, quod aliis male; alii ex hoc loco melius vident, quam ex illo. Quartum genus ducitur illis a vicissitudine affectuum humanorum, qui mutantur secundum ætates, conditiones, statum sanum vel morbidum. Quintum genus illis petitur a legum & consuetudinum diversitate, secundum persuasiones fabulosas, aut Philosophorum quorundam authoritates, quod principium se ad moralia præcipue extendit, honestum & inhonestum, summumque Bonum, de quibus sunt variis nationibus variæ sententiæ; quod principium utinam nec hodie multorum animos insideret. Insidet saltem magna parte illos, qui præclaram illam Hobbesii Moralem & Civilem Philosophiam profitentur. Sextum genus est quibusdam a diversitate, quæ est inter objecta & media sensuum, unde iterum incertitudo. Ita aër, vel crassus, vel tenebrosus, vel subtilis, vel luminosus, vel calidus, vel frigidus, mutat & colores & odores. Septimum genus pertinet ad diversitatem locorum & situum, quam habent objecta eorum approximatio-

ximationem & elongationem, quæ faciunt apparere res vel nimis grandes, vel nimis parvas, jam quadratas, jam rotundas, jam rectas & obliquas. Unde illi colligunt, nihil etiam accurate de illis ſenſu judicari poſſe. Octavum genus illis deſumitur a diverſa quantitate & qualitate omnium rerum vel in defectu, vel in exceſſu, conſideratarum, unde variæ ejus ſunt operationes. Nonum genus petitur ab iis rebus, quæ accidunt contra ordinarium naturæ curſum, ut prodigia & monſtra. Unde ea dubitatio ſuboriri poſſit, annon potius eo modo ſe res habere debeant, non vero modo communi, quia illud, quod perfectum eſt, non adeo commune eſt, quam quod imperfectum. Decimum genus illis a relationibus rerum ſumitur, quæ, quoniam ſint in rerum natura variæ ac pene infinitæ, impediant veram rerum apprehenſionem, adeo, ut qualitates illæ, quæ attribuuntur rebus, nonniſi comparate tales ſint, & ſaltem in modo aliquo relationis ſubſiſtant, ipſæ vero nihil Eſſentiale & Subſtantiale habeant, quæ eorum dubitatio aliquid etiam ex vero habet. In vulgari enim Philoſophia quæ de formis & qualitatibus rerum referuntur, parum realitatis habent, ac multa inter illas nonniſi modi aliqui exiſtendi ſunt, aut termini relativi, qui nullam in nobis ſcientiam fundamentalem, præter conceptum illum notionalem, gignunt, de quibus prolixe videatur Rob. Boylius in *libro* ſuo *de origine formarum.* Hæc pene generalia illorum ſunt dubia circa rerum apprehenſiones, unde certe nihil ſciri poſſe colligunt. Quibus accedunt etiam iſtæ perpetuæ Philoſophorum diſcordiæ in quæſtionibus & ſententiis, pro quibus tamen illi ſuo ſeculo acerrime pugnabant, quæque interdum ab omnibus excipiebantur, quaſi extra omnem controverſiam poſitæ, ut: Doctrina de motu ſolis, terræ, mundi æternitas, & ſimilia. Multas præterea formant ambiguitates in progreſſu quæſtionum ac ſententiarum ab una ad aliam, quarum non ſit finis, cum incertum probetur per æque incertum, ac omnia ſe invicem ſuſtineant, quorum uno negato, vel in dubium vocato, collabantur omnia. Omnia præterea Axiomata dogmatica in dubium vocant, ut adeo nullam concluſioni & demonſtrationi firmitatem concedant. In iſto vero rerum circulo & rationum reciprocatione, quarum tamen nulla certa ſit, non ſibi, quod pectus ſaturet, invenire videntur, ipſam illam adeo decantatam demonſtrationem, ejusque neceſſitatem, non agnoſcunt. Nam dicunt: Demonſtratio fit de rebus demonſtratis ad demonſtrandam, quod ſi illa fiat de rebus demonſtratis, una demonſtratio opus habet alia, atque ita progreſſus erit ad infinitum; ſed ſi demonſtratio fiat de rebus ad demonſtrandum, atque inter illas unum vel plura inveniantur, quæ repugnant primis, demonſtratio nulla tota erit. Denique dicunt: qui vult comprehendere demonſtrationem, neceſſarium illi eſſe, ut poſſit judicare & ſcire, quid ſit judicium. Et ut ſciatur, quid ſit judicium, ſcire debet, quid ſit demonſtratio, eaque comprehendi, ita ut unum ſe referens ad aliud, alterumque ſe ipſum non comprehendat, ideoque nulla ſit demonſtratio. Amplius dicunt, quod non poſſimus comprehendere res ſenſibiles per ſenſibiles, quoniam illæ æqualiter ſubjectæ ſunt ſenſui, neque intelligibiles per intelligibiles, quoniam illæ æqualiter ſubjectæ ſunt intellectui, quodque h. m. non poſſit diſcerni verum a falſo. Abolent porro etiam cauſas argutantes, quod ſi cauſa exiſtentiam habeat, effectus quoque cauſæ habeat ſuam eſſentiam, vel ante vel poſt generationem aut corruptio-

nem

nem, vel durante illa, quoque res ex eo, ſive cauſa ſit, ſ. effectus, non plus realitatis acquirat, ideoque nullam cauſam, neque effectum. Motum rebus ineſſe negant, quoniam, ſi eſſet, neceſſe eſſet rem motam ſe movere in loco, in quo eſt, vel in illo, in quo non eſt: utrumque vero eſſe impoſſibile, quoniam res nulla ſimul poſſit moveri & quieſcere in loco, ubi eſt, quoniam eſſe in loco eſt illic ſubſiſtere & commorari. Quod itaque non moveatur, vel in loco, ubi ſit, vel in loco, ubi non ſit, atque ita nullus ſit motus.

Sed non opus eſt omnia iſta Sophismata diligentius inquirere, quæ facili negotio refutantur. Quod enim παραφάματα ſenſuum attinet, non ea ſunt tanti, ut propterea ſenſus omnes ſint ejurandi, quandoquidem errores facile ad regulas revocari poſſunt, ut fieri ſolet ab iis, qui circa diſciplinas, ſenſibus certis dicatas, verſantur. Qui viſus naturam explicant, abunde errores oculorum demonſtrant, ut ab illis nihil falſi metuendum ſit. Quæ circa ſonos verſatur diſciplina, proponit etiam & emendat circa illum ſenſum errata. Similiter & in reliquis ſenſibus, ſi accedat ratiocinatio, non eſt metus, cuiquam facile ab erroribus illis imponi. Legatur MARINVS MERSENNVS in Tractatu, Gallice ſcripto *de veritate Scientiarum*, ubi prolixe Sophiſmata iſta refutat. 5

CAP. X.

DE SECTAE IONICAE PRINCIPIIS, CVIVS AVTOR THALES MILESIVS.

§. 1. *Aquam omnium rerum principium eſſe, ſtatuere Thales ac Jonici, & ante eſtos, uti quibusdam placet, Poëtæ ac Ægyptii, quibus Nilus, terram fœcundans, hujus ſententiæ præbuiſſe fertur occaſionem. Fœcunditas Ægypti non a ſola Nili aqua, ſed particulis nitroſis, iſti mixtis, derivanda. Rabbinorum Commentum de aqua maſculina & fœminina, guttaque maſculinæ, Nilum fœcundante, e Chambræi Relatione de Nubeculis, Nilo incubantibus, illuſtratur. Oculis Tauri (Nubecula) in Inſula S. Helenæ Tempeſtatis Prodromus. 2. Argumenta Thaletis pro ſua de Aqua, unico rerum omnium principio, ſententia. Iſtam ſolam non ſufficere, monetur. Reſuſcitarunt noſtris temporibus eandem opinionem Joh. Bapt. Helmontius, falſo de Chymærico ſuo liquore* Alcaheſt, *omnia in aquam inſipidam reducente, gloriatus. 3. Bernh. Paliſſy (contra quem pro alio præter aquam principio κατ' ἄνθρωπον diſputatur,) nec non Rob. Boylius & Nic. Steno, primam gemmarum metallorumque ſubſtantiam liquidam eſſe ſtatuentes. 4. In Scrutinio principiorum naturæ Pythagoræi & Platonici intellectum, Ariſtotelici & Epicurei phantaſiam, Thales autem aquam, Anaximenes aërem, & Heraclitus ignem, principium conſtituentes unicum, ſenſum ducem ſunt ſecuti. De ſingulis judicium Autoris additur.*

THA-

1 THALES MILESIVS, Jonicæ Sectæ Coryphæus, *Aquam* rerum principium *(t)* ſtatuit, Deum autem eſſe eam mentem quæ ex aquis cuncta fingeret, ut ait Cic. *lib. 1. de natura Deorum c. 25.* Thaletem poſtea ſequuti ſunt HIPPON & HIPPIAS, ſimulque dixerunt, mundum fuiſſe a Deo conditum non ex nihilo, ſed ex illa materia, informi quidem, ſed æterna. Quod etiam Moſi tribuere videtur Marſilius Ficinus. Cur vero Thales materiam univerſi dixerit aquam, rationem affert Ariſtoteles *lib. 1. Metaph. c. 3.* quia nutrimentum omnium videtur humidum, atque *ideo* (inquit) *quidam exiſtimant, Veteres Theologos ita ſenſiſſe, qui Oceanum & Thetyn generationis parentes eſſe cecinerunt, Deos quoque per aquam jurare ſolitos.* Johannes Picus, hanc opinionem ortum ab Ægyptiis habuiſſe, exiſtimat, dum ex Nilo inundante fœcunditatem augurabantur. Proinde neque Hebræos, neque Thaletem, hujus fuiſſe ſententiæ Autores primos. Quoniam enim Ægyptii, ſtatis anni temporibus, Nilum terram inundare videbant, exiſta vero inundatione proveniebant ex terra omnia, atque generabantur, ideo aquam hanc principium rerum crediderunt. Sed tamen ejus rei non ſunt adeo certa documenta, neque a veteribus quicquam traditum eſt de hac Ægyptiorum doctrina. Non poterant certe ex eo magis illud conjicere, quam e pluviis ceteræ gentes, quarum beneficio propagantur omnia vegetabilia. Sed non ab ſola tamen aqua generationem iſtam fieri, facile quidem ipſi potuiſſent deprehendere, ſi rem accuratius intueri voluiſſent. Illa enim fœcunditas agri Ægyptiaci, non ab aqua ſola eſt, ſed a quibusdam particulis nitroſis, aquæ iſti miſtis; unde obſervarum eſt hodie, fœcunditatem illam nitro potius deberi, quam ipſi aquæ. Elegans illud eſt, nec adeo abſque fundamento, Cabaliſtarum commentum, qui duplicem faciunt aquam, maſculinam & fœmininam. Fœmininas vocant aquas inferiores, maſculinas ſuperiores, quo nomine pluviam & rorem, appellant. Quam ob cauſam *Baad Tobb Haavez fol. 28. Colum. 4.* citante Wagenſeilio *in Comment. in Sotam. p. 308.* problema illud inſtituit, unde Nilo iſta fœcunditas, cum ſit ſaltem aqua fœminina, non maſculina, atque reſpondet ex Rabbinis ſuis, Deum annis ſingulis, circa ſolſtitium, M. Junio, dejicere guttam unam pilæ magnitudine ex aquis maſculinis in medium Nilum, quæ gutta ita ſe habeat ad Nilum, ut fermentum ad maſſam, unde omnes aquæ Nili efficiantur maſculæ, quam guttam annuam Abrahamum precibus a Deo impetraſſe exiſtimant. Quod commentum quanquam lepidum ſit, & pro more iſtius gentis confictum videatur, non fruſtra tamen conficta eſt illa aquarum maſculinarum & fœminarum, ſuperiorum & inferiorum, diſtinctio. Ab aquis enim pluvialibus; particulis ſalinis imprægnatis, exiſtit illa fœcunditas. Quod vero Rabbini ſomniant de gutta aquæ maſculæ, ſingulis annis, ſolſtitii tempore Nilo immiſſa, etiam id commentum ali-

(t) Hiſtoriam & Examen Sententiæ de Aqua rerum omnium Principio nov - antiquæ invenies etiam in Ad. Rechenbergii *Philoſophemate, an Aqua tantum ſit omnium Corporum Materia & Principium primum?* Lipſiæ anno 1676. *in 4to* edito, & in Morhofii ipſius *Epiſt. de Transmut. Metallorum p. 12-28.*

aliquid ex vero habere videtur, ſi vera ſunt, quæ obſervat DE LA CHAMBRE *in libro* ſuo, Gallice ſcripto *de Incremento Nili.* Eo ſcil. anni tempore, quo inundationes fiunt, quod in ſolſtitium incidit, aliquibus locis obſervatas fuiſſe nubeculas aliquas, incubantes Nilo, quibus ille cauſam illam efferveſcentiæ in Nilo adſcribit. Et notum eſt, unius in nubeculæ exiguæ ſpatium ſpiritoſæ materiæ vim magnam concentrari poſſe, ut patet ex ea nubecula, quam *Oculum Tauri* vocant nautæ, quæ in ſummo faſtigio montis, quem a planitie Taffel-Berg vocant, in Inſula Helenæ, primum exhibere ſe ſolet ſereno cœlo, Oculi Taurini magnitudine vel figura, ad cujus conſpectum trepidant ſtatim nautæ, velut ad ſignum furioſiſſimæ tempeſtatis, quam *Orcan* ſolent appellare. Eſſet itaque iſta nubecula velut fermentum aliquod aëris, quemadmodum nubeculæ circa Nilum ejus aquæ fermentum eſſe videntur. Sed iſta obiter.

Undecunque ergo prodierit hæc doctrina, Thales tamen eam ſententiam inter 2
Philoſophos primus propagavit, cujus amplectendæ rationes forte illas habuit, quia rerum generationes fiunt in humido, ac alimenta ſunt ab humido. Quas rationes prolixe adducit & exponit Verulamius in *fabula* ſua *de Cupidine*, qua Parmenidis, Thaletis & Democriti dogmata examinat. Junxerat vero Thales aquæ mentem, quæ ex aqua fecerat omnia. Sed quomodo omnia ex aqua fiant, ſecundum ejus mentem, non eſt adeo manifeſtum. Nam oportuit, ut mens ex illa aqua ſecerneret omnes ſubſtantias, ad hujus mundi conſtructionem. Non enim quicquam ex nihilo fieri putavit, neque transmutationem ex materia ſtatuit, quam ante Platonem nemo ſententiam amplexus eſt. Qua ratione itaque ſola aqua poſſit eſſe principium corporum miſtorum, non ſatis patet. Repugnare enim naturæ miſtionis videtur ſimplicitas, at miſtio omnis diverſa principia præſupponit. Craſſior itaque hæc & ad rudes ſenſus excogitata Philoſophia videtur, quam tamen noſtro tempore reſuſcitarunt nonnulli e Chymicorum ordine, J. Bapt. Helmontius præ ceteris, qui, in libris ſuis Medicis & Phyſicis, doctrinam illam de aqua, omnium rerum principio, tam rationibus philoſophicis, quam ex Experimentali Philoſophia petitis, confirmare laborat. Rationes vero ejus & experimenta incerta admodum ſunt; nam quod de ſalice affert, nihil plane probat. Liquor autem ille primævus, quem *Alcaheſt* vocat, per quem omnes res materiales in aquam inſipidam reduci poſſint, tantis laudibus apud illum decantatus, quoniam nemini mortalium, qui cognitus quidem ſit, fuit oſtenſus, imo ne ipſi quidem filio, Franc. Mercurio Helmontio, uti ab ipſo in Anglia accepi, unquam viſus, nihil probare certi potuit. Ne quid dicam de Helmontio, ſibi ipſi contrario, qui fæces e corporibus remanere aliquo in loco dicit, alibi omnem ſubſtantiam in aquam abire pronunciat. De eo prolixius egi in *Diſſertatione mea de Metallorum transmutatione.* Veterum Scholæ Chymicæ inauditus ille liquor fuit, primumque a Paracelſo, Chymico novitio, ac prioribus longe inferiori, memoratus, &, ſi rem ipſam conſideres, repugnare omnino rerum naturæ videtur. Accedo certe illorum ſententiæ, qui hoc Sophiſma putant Medicum, quo novæ ſuæ doctrinæ, & gratiam aliquam, conciliare voluerit, tam Para-

celſus, quam Helmontius, longe iſto ſpecioſior in aſtruendis Liquoris ſui Álcahe-ſtici dotibus. Me quidem judice, diſtinctæ ſunt liquidarum & conſiſtentium rerum naturæ, ac, licet hæ nonnunquam per illas vinculis, quibus cohærent, exſolvantur, ut diſſipatæ oculorum aciem effugiant, nunquam tamen inter ſe commutantur, nec ab illis principia & originem trahunt.

3 BERNH. PALISSY Gallus, figulus illiteratus, ſed ingenioſus tamen, patria lingua libros conſcripſit *de natura fontium, metallis, gemmis*, ubi ex aquis omnia vult produci, aquas tamen duas ſtatuit, alteram materialem, alteram congelantem. Quæ ſi quis recte perpendat, diverſitatem hinc principiorum agnoſcet. Quando enim duplicis generis aquas facit, neceſſe eſt, alteram illam aquam diverſum quid eſſe a priori, atque adeo non ratione aquæ, ſed ratione alterius cujusdam principii, differre a priori. Aqua enim, per ſe conſiderata, elementum eſt, ſimplicisque naturæ. Ergo vel non eſt propria hæc locutio, ſi aqua ſtatuitur primum omnium rerum principium, vel involvuntur ſub aqua iſta diverſa principia, quæ expedita tamen atque inter ſe diſtincta haberi oportebat. Non repugnabo, ſi quis aquam vehiculum omnium miſtorum corporum ſtatuat, & quaſi gluten aliquod, mediumque, quo uniuntur miſcibilia. Sed ex ea ſola fieri aliquid poſſe, non credo: fiet enim ex illa vel per transmutationem materiæ, quæ ſi concederetur, quæreret alius, in quo principium commutationis conſiſteret? neque enim per ſe materia aquæ in materiam alteram abit. Si confugiant ad aliam particularum diſpoſitionem, quæram ulterius, unde iſta diſpoſitio variata? Atomi enim & minutiſſimæ particulæ corporis ſimplicis & ſingularis omnes ſibi ſunt ſimiles; ergo aliud quid accedere debet ad aliam materiam producendam. Qui nuper *de Gemmis* libellum edidit *Robertus Boylius*, gemmarum ſubſtantiam primam liquidam eſſe ſtatuit. De cryſtallis, metallis idem ſtatuit ſubtiliſſimus *Nicol. Steno* in *Prodromo libri ſui de ſolido, intra ſolidum naturaliter contento*, cujus ego ſententiam in citata Diſſertatione mea prolixius impugno, *a p. 17. ad 20.* quæ huc transſcribere nolo.

4 Quemadmodum aquam Thales omnium rerum principium, ita *aërem* ANAXIMENES *(u)* delegit, eadem, qua ille, ratione ductus. Nam & ipſe principium ſubſtantiarum unicum ſtatuere voluit, quod eo certius eſſe putavit, quo illud univerſalius eſt, latiusque ſe extendit. Subtilius illud quidem principium Thaletis, ſed quod æque ſenſum habet pro fundamento, atque adeo certiorem viam eligere voluit præ imaginaria illa ceterorum. Scil. ita cum iſtis variantibus Philoſophorum principiis comparatum eſt, quemadmodum pro varietate facultatum illarum in homine, quæ perci-

(*u*) De Anaximene, ejusque Philoſophia, Diſſ. ni fallor, peculiari, Jenæ edita, fuſe diſſeruit celeberrimus Philoſophus pariter atque Theologus, Joh. Andr. Schmidius. Heraclitι Dogmata Phyſica proponunt, & eleganter illuſtrant Gottfr. Olearii, L. Gr. Prof. Lipſ. Diſſert. duæ, altera *de Principio rerum Naturalium ex mente Heraclitι*, anno 1697. altera vero *de Rerum Naturalium Geneſi, ex mente ejusdem*, anno 1702. Lipſiæ publicata.

percipiunt rerum naturam, habemus in nobis intelligentiam, habemus phantaſiam, habemus denique ſenſum. Qui principia naturæ ex fonte intellectus deducunt, ad cauſas æternas, invariabiles, animum intendunt, nec tam in internis rerum cauſis, quam in externis, contemplationes figunt, quorum ex ordine ſunt Pythagoræi & Platonici. Alter ille ordo, qui phantaſiam ducem ſequitur, quaſi medius inter illos eſt, qui intellectum, & qui ſenſum ſequuntur. Cum enim vident, eſſe in natura ſubtiliora quædam principia, quam ut in ſenſus incurrant, ideo ad notiones aliquas generales, confugiunt, materiam ſc. & formam, quæ demonſtrari in natura nequeunt, concipi autem animo poſſunt, vel ad minutas aliquas & inſenſibiles particulas, earumque figuras & motus, quæ æque ſenſu quidem non poſſunt percipi, niſi per longinquas aliquas concluſiones & conſequentias, magis tamen ipſi fundare in re ipſa principia ſua cupiunt, quam ii, qui generales iſtas materiæ & formarum notiones ſequuntur, quibus pene nihil aliud dicitur, quam prædicamentis Logicis, quæ per ſe nihil realitatis habent, ſed velut indices quidam ſunt, & rerum receptacula. Pari modo in forma & materia nihil aliud eſt, quam generalis quidam conceptus, qui fundamentum quidem in natura habet, nihil vero demonſtrat, neque ſcientiam aliquam in nobis gignit. Nihil enim aliud iis vocibus innuitur, quam eſſe aliquod in natura principium paſſivum, quod vocatur materia, & activum, quod vocatur forma; qualia vero iſta ſint, aut quo nomine vocentur, quomodo ſe habeant ad ſe invicem, nihil per hæc principia intelligo. Qui ſenſum ducem ſequuntur, ii quatuor illas corporum maſſas præ oculis habent, quæ cum maximam univerſi hujus partem complere vident, vel unum ex iis eligunt rerum principium, vel etiam diverſa aſſumunt, unde miſceantur. Atque ita Thales aquam, quod maximam Globi hujus terreni partem implere videret, generarique omnia ejus opera animadverteret, principium rerum ſtatuebat. Ita Anaximenes aërem, Heraclitus ignem, aliqui terram ſtatuebant. Qui ita ponunt principia, tribus videntur ordinibus diſtingui, aliqui infinita, vel innumerabilia ſaltem conſtituunt principia, jam tum ſpecificata, & ad ſua corpora deſtinata, quibus proinde non opus eſt alio quodam commento ad corporum diſtinctionem. Habent enim naturam, jam tum in ipſis principiis disgregatam, qua in ſententia Epicurus & Democritus, cum ſuis aſſeclis ſunt, qui tamen magis phantaſmata ſpeculantur, ſed quæ in ſenſibus tantum ſunt magna parte fundata. Secundus ordo illorum eſt, qui plurima conſtituunt rerum principia, ſenſibus obvia, corporumque diverſitatem ponunt in temperamento & miſtione, quorum ſententia quidem ceteris videtur anteferenda. Tertius ordo eorum eſt, qui unum idemque invariabile ponunt principium, corporum tamen naturalium diſtinctionem deducunt a variatione hujus principii, figura, poſituque diverſo. Qua in ſententia Thales fuit, quam tamen ſententiam, ut veritati conſentaneam, amplecti non poſſumus, ob rationes, quas jam ſupra allegavimus, præferentes opinionem illam, quæ diverſitates principiorum ſenſibilium ſtatuit. Quæ an in elementis illis quatuor reponenda ſint, dicemus, cum de iis ſermo nobis erit. Quod Anaximenem attinet, habuit ille validiores etiam cauſas, quam Thales, quas fuſius

deducit VERVLAMIVS *in fab. de Cupidine p. 656.* Ejus principia Carmine complexus eſt Scipio Capitius.

CAP. XI.

DE PLATONICAE PHILOSOPHIAE PRINCIPIIS, EIVS ILLVSTRATORIBVS VETERIBVS ET NOVIS, CONSENSVQVE VEL DISSENSV AB ARISTOTELE.

§ 1. *Philoſophiam ſuam Plato a Socrate præceptore hauſit, ſed Barbaricæ mixtura adulteravit. Socratei Phyſica parum excoluit. Scriptores de Philoſophia Socratica, Hier. Cardanus, Joh. Lud. Balzacus & Aug. Mascardus. Phyſica Socratica Scepticiſmo ſuit affinis, non item Platonica, licet ἀκαταλήψιαν aliquam ſtatuat. 2. Miſtura Philoſophiæ Platonicæ ex Heraclitica, Pythagoræa & Socratica; differentia autem ab Ariſtotelica, ſi ideas ſeponas, ferme tantum verbalis. Conciliatores utriusque Jac. Mazonius, Bernh. Donatus, Seb. Foxius, & his antiquior Georg. Gemiſtus. Platonis Apologetæ Beſſarion & Pet. Bembus. Plagium in Timæum ac Moſen falſo ei objicitur. 3. Dialogi quidam Platoni ſuppoſiti. Editiones operum ejus potiores. Commentatorum notitia e J. Bapt. Bernhardi* Seminario Philoſophiæ Platonicæ *haurienda. Præcipui inter eos ſunt Plotinus (Numenii plagiarius,) Proclus, Maximus Tyrius, Alcinous, Salluſtius, Mich. Pſellus, Chalcidius, Paulus Benius. 4. Platonis eloquentia, ob feſtivitatem pariter atque magnificentiam, commendatur. 5. Phyſica ejus parum ab Ariſtotelica differt, ac Naturalem Theologiam ſibi ſubſternit atque immiſcet. 6. Philoſophemata Platonica nimis ſubtilia de rerum principiis (Deo, idea & materia,) cauſisque, ac mundis totidem. 7. Doctrina de anima mundi, quæ ſenſu Platonico rejicitur, ſaniori autem admittitur ac defenditur. Trahitur huc a Paulo Sarpio, eam ob cauſam periclitato, aliisque, Locus Gen. I, 2. Moſaicus. Cavendus ejus abuſus multiplex in ignorantia cauſarum palliandа, in Diis duobus fingendis (quod Platoni a Sam. Parkero immerito objicitur,) & Phyſica Enthuſiaſtica, Aſtrologia divinatrice, magia, medicinaque ſuperſtitioſa, defendendis. 8. Platonis ἀμεθοδία notatur. Convenientiam doctrinæ ipſius cum Moſe, S. Literis & Chriſtianorum dogmatis, ab Henr. Moro defenſam, Sam. Parkerus,* in Cenſura Philoſophiæ Platonicæ, ac Diſſ. de Trinitate Platonica, *impugnavit, ſed incaſſum. 9. Sententia Platonis de elementis. 10. Doctrina de animarum præexiſtentia, a Chriſtoph. Sandio & Henrico Moro reſuſcitata, a Jac. v. Thomaſio & Parkero confutata. 11. Philoſophia Platonica Speculationibus Metaphyſicis nimis indulget. Illuſtrant eam Dan. Heinſii* Poëma de Contemptu Mortis, *& Henr. Mori Scripta plurima, etiam Theologicus Platoniſmus Patrum, & Origenis præſertim Heterodoxus, Caſp. Barthii Lib. affectus* de Chriſtianiſmo Epicteti.

A Se-

(x) A Sectæ Jonicæ conditore Thalete promanavit SOCRATICA, cujus So- 1
crates autor fuit: quæ tamen Philoſophia hinc in varias Sectas abiit, cum ſcil. diſcipuli Socratis ipſi diverſa ſentirent, atque incertum eſſet, quænam genuina Socratis principia. Nihil enim literis ipſe mandavit, ſed omnia apud diſcipulos ejus ex ore ejus prolata aſſervabantur. PLATO certe, qui diſcipulus Socratis erat præcipuus, male audiit nonnullis, qui Socrate uno contenti erant, quod miſcella ſua Philoſophia corruperit genuinam, quam a Socrate acceperat, maximeque Barbarica, Ægyptiaca & Pythagoræa, quæ ab alio fonte profluxerant. Hanc mixturam Xenophon ipſe, Socratis auditor, exprobrat Platoni, in *Epiſtola* quadam, *ad Æſchinem Socraticum* ſcripta, quæ legi poteſt apud Euſebium, *in præparatione Evangelica lib. 24.* & Stobæum *in Sermone de Diis.* Phyſices tamen negligentior fuiſſe videtur, cujus quidem junior adhuc incredibili cupiditate ductus fuit, ſenior vero factus, ut dubiam, incertam atque inutilem, repudiavit. vid Euſeb. *lib. 1. præparat. c. 5.* Lactant. *lib. 3. c. 21.* Quare morali ſtudio præ ceteris ſe dedit. Ceterum de Philoſophia Socratica legi poteſt Hier. Cardani *liber de Studio Socratis*, qui reperitur in *primo* ejus *Operum Tomo.* Legi etiam poteſt IOH. LVD. BALZACVS in libro, quem *de vita Socratis* Gallica lingua ſcripſit. Et in alio, quem *Socratem Chriſtianum* inſcribit, ubi dogmata ejus moralia cum Chriſtiana fide confert. Eſt & quoddam AVGVSTINI MASCARDI Manuſcriptum, hactenus ineditum, *Il' genio de Socrate per la Corte*, cujus meminit Craſſus *in Elogiis hominum Literatorum, part. 1. p. 257.* Sed illa ad nos non pertinent, qui Phyſica tantum quærimus. In quibus eum quidpiam e Sceptiſmo traxiſſe, jam ſupra innuimus, quem Scepticiſmum Media Academia in multis amplexa eſt. vid. Voſſium *de Sectis Philoſophorum cap. 20.* ubi de variis Scepticorum differentiis agit. Quare non crediderim ego, in Phyſicis præ ceteris ſecutum fuiſſe Platonem præceptorem ſuum, Socratem. Longe enim a Scepticiſmo abeſt, quanquam ejus quædam ἀκαταλήψια & inquiſitio vaga ſit, quam Verulamius, *in novo Organo, lib. 1. Aphoriſmo 67.* eum primo credit introduxiſſe, tanquam per jocum & Ironiam, in odium veterum Sophiſtarum, qui nihil tam verebantur, quam ne dubitare de re aliqua viderentur, bono quidem inſtituto, non ut in iſta ἀκαταλήψια ſubſiſteret, ut fecit nova Academia. Atque ita ille exiſtimat, vel eam ob cauſam, quod per ambages longas rem ipſam dicat, nec modo aliquo dogmatico proponat. Certe Verulamius, Socratem non aliam ob cauſam dubitaſſe, ait, quam ut eo ſapientior haberetur, atque eo occultiora ſcire videretur, quod etiam illa, quæ manifeſta ſunt, ſcire ſe negaret.

Si Laërtium audimus in *vita Platonis*, & Heſychium Illuſtrium, Philoſophia 2
Platonis ex Heraclitica, Pythagorica & Socratica miſta fuit. In iis, quæ ſenſibus percipiuntur, Heraclitei partes ſecutus eſt; in iis, quæ mente comprehenduntur, Pythagoram; in rebus civilibus, Socratem. Patet itaque inde, in Philoſophia naturali Stoicorum ſententias cum præ ceteris amplexum, quanquam ita Philoſophiam

(x) Cum hoc Capite conferatur præcedentis *Libri I. Septimum, de Philoſophia Platonica.*

ſuam naturalem inſtituerit, ut ſubinde commiſceret abſtractas illas animi motiones & ænigmatica Pythagoræorum commenta, atque ex iis unum quaſi cinnum conficeret.

2 Ipſe Ariſtoteles, *I. Metaph. c. 7.* Philoſophiam Platonicam partim ſimilem Pythagoricæ agnoſcit, & Claudius Berirgardus, *in Circulo ſuo Piſano, Circ. 3. part. 1.* Platonicam Philoſophiam partim Pythagoricæ, partim Peripateticæ, ſimilem facit. *Sublatis enim Ideis*, inquit, *quas impugnat Ariſtoteles, fere in ceteris videntur differre verbis & ratione conſiderandi.* Arguit Ariſtoteles Platonem, quod putarit, materiam non diſtingui a privatione & eſſe non Ens, unde ſequatur, omnia fieri ex non Ente, & præterea materiam eſſe ex ſe, poſtea vero dicit, eum vocaſſe materiam matrem & cauſam eorum, quæ fiunt, privationem vero neglexiſſe, ut maleficam & non Ens, quod intelligi, niſi diverſo ſenſu, nequit. Ita, *lib. 2. Metaph.* principia rerum apud Platonem ait eſſe numeros & figuras, alio vero loco *magnum* & *parvum* eſſe materiam, *unum* autem ideam ſive formam, quæ arguunt, litem hanc in verbis tantum eſſe poſitam. Materia diſſenſus pars inter Ariſtotelem & Platonem ſita eſt in illa de Ideis doctrina, quam ex Pythagoræorum ſcholis hauſiſſe videtur. Et fuerunt ſane tam Pythagoræ, quam Platonis, dogmata pro iisdem habita, *vid.* Barth. *Adverſar. lib. 53. c. 13.* Sed injuriam in Idearum doctrina factam fuiſſe Platoni, jam dudum ab aliis oſtenſum eſt, ac legi poteſt ſuper hoc argumento, liber, quem Scipio Agnellus *de Ideis* conſcripſit. Alioquin negotium hoc conciliationis inter Platonem & Ariſtotelem multi tractarunt. Integrum librum *de conſenſu Ariſtotelicæ & Platonicæ Philoſophiæ* conſcripſit Jacobus Mazonius, Bernhardinus Donatus librum *de Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia*, Sebaſtianus Foxius *Tr. de Platonis & Ariſtotelis conſenſione in Philoſ. Naturali*, Witteb. A. 1589. *in 8vo* editum. Hubertus Folieta quoque *de nonnullis, in quibus Plato ab Ariſtotele reprehenditur*, Diſſertationem edidit Romæ, anno 1574. *in 4to.* Seb. Baſſo, *in Libb. 12. Philoſ. Naturalis adverſus Ariſtotelem*, in quibus abſtruſa veterum Phyſiologia reſtauratur, & Ariſtotelis errores ſolidis rationibus refelluntur, dogmata quoque Platonis nonnulla, imprimis iſtud de Anima Mundi, contra Peripateticos defendit. Et, quem primo loco debuiſſem nominare, iis, quos recenſui, longe antiquior, Georg. Gemiſthus, *in Opuſculo de differentia Philoſophiæ Platonicæ & Ariſtotelicæ.* Non defuerunt etiam ex antiquioribus, qui Platonis dogmata impugnarunt. Atque contra unum eorum (GEORG. TRAPEZVNTIVM, qui *comparationem Platonis & Ariſtotelis*, in Platonem injuriam, ediderat, Venitiis An. 1523. *in 8vo*, excuſam) BESSARION, Cardinalis, eruditum illum librum *in Calumniatorem Platonis* ſcripſit, Venetiis apud Aldum An. 1503. *in fol.* impreſſum. De quo Beſſarione, ejusque Operibus, ad Philoſophiam Platonicam ſpectantibus, legi poteſt Gaddius *in libro de Scriptoribus, ſub Tit. Beſſarionis.* Scripſerat & Pet. Bembus *Apologiam Platonis, & Diſſertationes in ejus Opera*, quæ tamen hactenus ſunt inedita, eodem referente Gaddio. De ordine in legendis libris Platonicis adhibendo ſcripſerunt Marſilius Ficinus, Johannes Serranus, Franciſcus Patricius, Paulus Benius. Qui Platonem plagii inculant, injuriam illi faciunt. Nam quod a Timæo doctrinam de Anima mundi habuiſſe

habuiſſe exiſtimant, verum id quidem eſt, ſed aperte nomen Autoris laudat, in *Dialogi* ſui fronte, quem totum ex ejus ſententia concinnavit. Neque ſtatim eam ob cauſam plagiarii dicendi ſunt, qui ſententias cum aliis habent communes. Quod Moyſi multa ſurripuerit, pernegat Paulus Benius *lib. X. Commentarii in Timæum Platonis. Nihil unquam inveni*, inquit ille, *apud Platonem, quod deprehendere potuerim ex tota Moyſis Hiſtoria fuiſſe expreſſum, in multa vero incidi, ob quæ exiſtimem eam legiſſe unquam.* Legi quoque Hier. Cardanus poteſt, in eo libro, quem *de clarorum hominum vita, & de illuſtrium Antiquorum judicio* ſcripſit, ubi agit de Platone. Reperitur autem liber ille in Operum ejus *Tomo X.*

Reperiuntur inter Opera ejus Suppoſititii aliquot *Dialogi*, a quibus, qui inſcri- 3
bitur Axiochus, Æſchynis Socratici eſſe ſcribitur a Suida *in vocibus Axiochus & Æſchynes.* Habentur & plures alii, qui in fine Operum ejus ſolent poni. Fuerunt & alii adulterini ejus *Dialogi*, quos recenſet Diogenes Laërtius, ſed qui amplius non extant. Opera Platonis quam emendatiſſima prodierunt Baſileæ, cum Procli Commentario in Timæum, A. 1534. ſed Græce tantum.. Latine una cum Græco Textu edita ſunt ab Henrico Stephano, & cum *Commentariis* Joh. Serrani A. 1578. quod optima eſt editio. Ceteroquin & Lugdini A. 1590. prodiit, cum argumentis perpetuis & *Commentariis* Marſilii Ficini, cujus etiam ſeorſim extant opera, aliquot Voluminibus *in folio* edita, quibus Philoſophiam Platonicam per partes illuſtravit. Interpretum vero & Commentatorum veterum & recentiorum magnus eſt numerus, quos omnes recenſere operoſum nimis eſſet. Legi poteſt Nomenclator iſtorum Autorum Johannes Baptiſta Bernhardus *in Seminario Philoſophiæ Platonicæ*, ut vocat, libro utiliſſimo, quo e Platone & Platonicis omnibus, Græcis & Latinis, Arabicis, veteribus & recentioribus, Interpretibus & Commentatoribus, doctrinas Platonis collegit, utinam meliori ordine & diſtinctione, nam quaſi chaos aliquod confectum eſt. Utiliter tamen liber iſte, & ad varios uſus, adhiberi poteſt, neque enim plenius aliquod Opus & ordinatius hactenus exſtat, & in multis indicis loco eſſe poteſt. Præcipui tamen ex interpretibus ejus ſequentes ſunt. PLOTINVS, cujus *Enneades* Græce & Latine Baſileæ excudit Henricus Petri; quem tamen plagium in Numenium commiſiſſe, aliqui putarunt. Quod crimen ut refelleret AMELIVS, itidem Platonicus Commentator & Philoſophus, librum ſcripſit de differentia doctrinæ Plotini & Numenii, teſte Jonſio *lib. 3. de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ c. 10. p. 246.* Procli *Elementa Theologiæ & Phyſicæ* idem Petri edidit, *libros autem ſex in Platonis Philoſophiam* Græce Latineque Æmilius Portus. Quæ editio Hamburgi prodiit, ſumtus ſuppeditante Sereniſſimo Friderico, Holſatiæ Principe, glorioſæ memoriæ. MAXIMVS TYRIVS & ALCINOVS, Græce & Latine editi a Daniele Heinſio *in octavo*, Leidæ A. 1607. una cum *notis* ejus. SALLVSTIVS a Leone Allatio Græce Latineque editus Lugduni Batavorum; in quem etiam extant *Notæ* Lucæ Holſtenii. MICH. PSELLI opuſcula *de Dæmonibus & Magia*, & APVLEJI quædam huc etiam ſpectant; nam & is Platonicus fuit. Ceterum Commentatores in libros Platonis ſingulares, *Timæum* præcipue, quo Phyſica ejus principia potiſſimum continentur, multi ſunt,

tam

tam veterés, quam recentiores, quorum Catalogum ſatis copioſum videas licet in *Nomenclatore Philoſophico* Iſr. Spachii *p. 32. 33. 34.* PAVLVS BENIVS in Platonis *Timæum* legi meretur. Commendat eum Craſſius *in Elogiis hominum literatorum, part. 2. pag. 83.* CHALCIDII in eum *Commentarium* edidit Joh. Meurſius, magnificum ejus viri elogium vid. ap. Barth. *Adverſ. lib. 48. c. 8. Nemo*, inquit, *melius profuiſſe ſeculo noſtro videtur, quam Chalcidius fecit, homo ita Chriſtianus, ut alium non potuiſſe eum eſſe evincatur, ita Philoſophus, ut videri velit ſeſe rationibus ſolis niti velle.* Legi etiam poteſt Plutarchus in *Timæo Platonis*, & *in quæſtionibus Platonicis.* Jungi etiam huic poſſunt nonnulli Commentatores in Ciceronis *Timæum.* Legi & in eam rem merentur Petri Rami *Adverſaria de Platonis Philoſophia;* Carpentarii *Commentaria*, Johannis Pici & Joh. Franciſci Mirandulanorum *Opera*, qui Platonica dogmata itidem illuſtrarunt.

4 Quod eloquentiam ejus attinet, eam multis laudibus extollunt nonnulli, aliqui etiam habent, quæ in ea deſiderent. Plato, Socratis diſcipulus, ejus quoque in dicendo feſtivitatem & elegantiam retinuit, quod nec ipſe diſſimulat. Quam ut accuratius retineret, Dialogo ſuo proponere maluit, ut eſſet huic feſtivitati & elegantiæ in dicendo commodior locus. Sed & magnificentia quædam ſuaviloquentiæ juncta fuit, quarum virtutum commendationem prolixam, omnemque, quæ ſuper hoc argumento inſtituitur, Diſputationem, vid. apud Franc. Vavaſſorem *in lib. de ludicra Dictione p. 41.* ubi de Socratis quoque libris diſſerit. Quæ aliqui in illo deſiderant, examinat & refutat Leo Allatius *in lib. de Erroribus magnorum virorum in dicendo, cap. 4. p. 41. & ſeqq.*

5 Sed illa ad nos nunc non pertinent, qui Phyſica tantum ſectamur, in quibus, ſi excipiantur, quæ Pythagoricis debet, non adeo differre ejus Philoſophiam a Peripatetica, Claudius Berigardus dicebat, quod quidem non usque adeo improbabile eſt. Plato rem omnem a prima & principe cauſa orditur, quam illi Deum vel Mundum intellectualem vocant. Theologiam itaque naturalem, vel Metaphyſicam, eo ſcil. ſenſu, quo veteres eam acceperunt, cum illa diſciplina, quæ rerum naturalium affectiones docet, vel confundit, vel ab ea non ſeparat. Quoniam itaque Deus, mens illa ſuprema, principium naturæ eſt, ideo præſupponere voluit Plato hanc cauſam, ut, cognito iſto naturæ principio, in rerum naturalium cauſas inquireret. Platonis ergo Philoſophia conſiderari debet, tanquam complexus aliquis ſcientiarum, quarum omnium initium Theologia eſt, atque adeo primum illud, unde dependent omnia. Hanc itaque Philoſophiæ partem, ut fundamentalem, ceteris ſubſternit, atque ita innectit, ut diſcrimen vix deprehendi queat. Quam ob cauſam Platonici divine ſtatuunt, Philoſophiæ rationem omnem contemplatione Dei comprehendi, atque hominis finem ponunt in ἐξομοιώσει τῷ θεῷ, *in ſimilitudine Dei.* Alterum Theoreticæ Philoſophiæ & principium & finis eſt, alterum Practicæ. Omnis itaque ejus Philoſophia huc dirigitur, pie quidem & recte, ſed poſſunt tamen ceteræ ſcientiarum partes diſtingui & ſeorſim tractari, absque conſideratione cauſæ primæ, quæ extra corpora naturalia conſtituenda eſt, niſi

niſi velimus, cum Stoicis, Deum formam eſſe, corporibus naturalibus immerſam. Quomodo ipſi, teſte Seneca *Ep.* 54, duo principia agnoſcunt, cauſam & materiam, cauſæ nomine accepto pro eo, quod operatur cum ratione in natura. A qua tamen ſententia alienos nos eſſe oportet, ut quam multa obſurda in Theologia ſequantur.

6 Duplicia itaque apud Platonem obſervare licet principia Phyſica, ſecundum variam naturæ conſiderationem. Conſideratur enim natura, vel ut creanda eſt univerſa a Deo, vel ut illa, quæ jam creata eſt, alteratur per generationes, corruptiones, aliasque affectiones, quæ poſterior acceptio a Peripateticis, aliisque Philoſophis, attenditur, ac principia Phyſica ſecundum eam acceptionem diriguntur. Apud Platonem vero diſtinguuntur quidem illa principia naturæ, vario hoc modo conſiderata; ita tamen temperat iſta, ut poſteriora illa prioribus innectat ſemper & commiſtat. Priori conſideratione naturæ, quantum ex Platone ipſo & e Platonicis patet, tria illi ſunt principia, Deus, idea & materia. Deus ſcil. effectrix illa cauſa eſt univerſalis. Idea eſſentiam & ſpeciem largitur, quam materia contrahit & ſingularem efficit. Eſt vero idea a Deo ipſo, non re, ſed ratione diſtincta. Ubi non adeo liquet, an Plato materiam Deo coævam faciat, an vero ab ipſo creatam. Poſterius non videtur, quoniam inter principia ponit; ſed iſta, ſi ita ſentit, condonanda ipſi ſunt. Cauſas Platonici quinque ſtatuunt, & Proclus ita diſcriminat. *Effectrix*, inquit, *cauſa eſt id, a quo, Exemplaris id, ad quod, finalis id, propter quod, formalis id, quo, materia id, ex quo, vel in quo, res fiunt.* Effectrix vero & exemplaris cauſa, quanquam nonnullis confunduntur, aliis tamen diſtinguuntur, quoniam ad efficientem executionem, ad exemplarem directionem, quemadmodum ad finalem intentionem, referunt. Sed hæc ſubtilius paululum dicuntur, & ad Metaphyſicos rejicienda ſunt. Platonici enim in illis cauſis ſuis hic Metaphyſicos potius agunt, quam Phyſicos. Porro Platonici gradibus quibusdam ad Deum conſcendunt, Deum ſupra omnia locant, cui ſubſternunt intellectualem mundum, huic ſubjiciunt rationalem, huic iterum mundum ſeminarium ſive naturam, infimum faciunt mundum ſenſibilem. In Deo omnia ſunt illis, mundus intelligibilis plenus eſt ideis, quem certe cur ab iſto, Deo, diſtinxerint, cauſa nulla eſt, realis mundus plenus eſt rationibus, vel idearum formulis, natura ſeminibus, materia ſimulachris & imaginibus rerum, quo nomine illi formas ſenſibiles deſignant. Tres itaque cauſæ principes ſunt illis rerum omnium, Deus, a quo unitas, mens, ex qua ordo & pulchritudo, anima, quæ motu & vita omnia continet, quæ certe ſingula majorem ſubtilitatem, quam erat neceſſum, præ ſe ferunt, ac entia etiam præter neceſſitatem multiplicant. Cum enim mundus intellectualis, ſive mens, a Deo diſtinguatur, non video, neque etiam ideæ ab ipſo Deo differunt. Licet Dion. Petavius, diverſum aliquid a Deo illas ſtatui a Platonicis, longa Diſputatione contendat, *T. I. Dogm. Theol. Lib. 4. c. 9.* Rationalis mundus ex intelligibili illis procedit, velut lumen a luce, natura fœta ſeminibus ex rationali, ut calor ex ſplendore, dimanat. Senſibilis ex naturali & ſeminario mundo non aliter, atque e calore vitali generatio proficiſcitur. Hæc omnia ita illis ordinata ſunt, & per quasdam quaſi

tribus & claſſes diſpoſita, ſive ab ipſo Platone hæc inventa ſint, ſive a majoribus ita hauſerat. In iis quidem non ſunt, quæ adeo quis improbet, ſed tamen iſta partitio naturæ an ita ſe habeat, nec potius imaginaria multa comprehendat, definiri non poteſt. Quorſum etiam pertinet, tot diſtinctiones, quaſi quorundam Orbium, facere, ubi neceſſe eſt, multas concipere ſubſtantias, quaſi ſeparatas, quæ an exiſtant in rerum natura, incertum eſt. Nolo hic coacervare, quæ de primo, uno & bono, diſſerunt Platonici, quæ de ideis, quas percipi exiſtimavit Plato, ea ratione ductus, quod incertam de rebus ſcientiam habeamus, niſi ſpecies quædam perfectæ animo cernantur. Quæ de numeris, de pulchritudine, amore, in quibus plane θεολογεῖν videtur; pulchra quidem ac ſpecioſa proponit, ita ſunt a vulgaribus ſenſibus ſeparata, ita e peregrinis ratiocinationibus collecta, & tricis quibusdam complicata, ut non adeo quid diſtincte inde concipi poſſit.

7 Mundum Animalem Plato vocat totum iſtud univerſum, quod, ut animal, conſiderat, eique animam quandam, per omnes partes infuſam, affingit. Ex quo iterum patet, nimium laboraſſe Platonem in corporibus naturalibus ad univerſales illas idearum claſſes, mente conceptarum, reducendis. Abſurdum illi ſcil. viſum eſt, partem aliquam mundi vivere, non vero totum, cum mundus generet animantes, neque illud, quod expers animi ſit, generare poſſit animalia. Atque hæc Platonis vera ſententia eſt, in *Timæo*, univerſum hoc animal vocantis, quod contineret reliquas animantes, quibus comprehendebat etiam omnes orbes cœleſtes; quæ vero magnas abſurditates implicat. Quid enim eſt abſurdius, quam fingere animal, ex aliis infinitis compoſitum? quo idoneo argumento probari poterit, eſſe aliquam mundi animam intelligentem rationalem, a Deo diverſam, quæ tamen nec eſſet Angelus? nulla certe id ratione evinci poteſt, nec revelatione; quæ omnia portentis potius, quam rationi ſunt ſimilia. Stoici quidem animam mundi etiam agnoverunt, ſed ea ipſa Deum notabant, quem tamen alium ab anima mundi facit Plato. Fortaſſis & Pythagoræorum illa ſententia eſt. Sed de illorum Philoſophia nihil adeo diſtincte doceri poteſt. Quod ſi Plato per iſtam mundi animam *(y)* intelligere velit Spiritum quendam æthereum, rationibus ſeminariis fœtum, per partes univerſi diſperſum, non eſſet adeo ob iſtam ſententiam reprehendendus, quique illum rejiciunt, nihil poſſunt nobis reponere, quod notius ſit, animoque diſtinctius concipi poſſit. Præterea omnes ii, qui nobis principia Phyſica poſuerunt, ac ipſi quoque Peripatetici aliud quoddam comminiſcuntur commune principium, quo confugiunt, quando per quatuor Elementa

(y) Quæ pro animæ mundi exiſtentia Autor Chymiæ ſecretioris, tantopere ſibi dilectæ, Myſtas ſecutus, & ab iſtis in devia ſubinde abductus, fuſe, licet aliis modeſtius, diſſerit, pauciſſimis haud dubie probabuntur, & maximam partem dudum a multis ſunt confutata. E quibus ſolum iudicaſſe jam ſufficiat Ad. Rechenbergium, Theologum Lipſienſium, argumentum illud ex profeſſo, in *Diſſ. de Anima Mundi*, Lipſiæ anno 1678. edita, perſecutum. De anima mundi Stoicorum, Deo ipſo, ejusque differentia a Platonica, *Diatribe* legatur Jacob. Thomaſii accuratiſſima in *Diſſertat. Stoicis, num. 14. pag. 177-227.*

menta rem non poſſunt expedire. Quare quintum aliquod, ſive quintam eſſentiam, ut vulgo vocant, comminiſcuntur, quæ inter quatuor illa Elementa quaſi dominetur, illisque præſideat, eorum vero temperamentum quoddam excellentius comprehendat. Carteſiani quoque, cum fingunt ſubtilem iſtam materiam, per omnes mundi partes diffuſam, quæque ex ſole potiſſimum profluat, non videntur multum ab hac ſententia diſſidere. Nam & Platonicis ſol quaſi Regina iſtius animæ habetur, ut multis probat Johannes Franciſcus Grandis *in Diſſertatione* ſua *de Epicuri Philoſophia*. Quare imperite faciunt, qui hanc doctrinam de Spiritu mundi, non Platonico, ſed ſaniori ſenſu, acceptam, ut rem inanem, vel impiam, rident & rejiciunt, quam aliqui etiam ipſo in Moyſe fundatam volunt, & per Spiritum illum, qui aquis incubabat, hunc Spiritum æthereum intelligunt. In quorum etiam numero ſancti Patres ſunt, & multi quoque Theologorum, quanquam aliqui locum hunc de Spiritu S. explicent. Periculoſa ex eo lis aliquando mota fuit Patri PAVLO SARPIO, doctiſſimo illi *Hiſtoriæ Concilii Tridentini* Scriptori, a neſcio quo inquiſitore, qui negaverit Sacram Trinitatem ex *I. Geneſ. cap.* poſſe probari. Qua de re legi poteſt Fulgentius in ejus *vita*, in Gallicum ſermonem converſa, *p. 31.* Et oritur ſane ex coagmentatione illa partium univerſi quædam contemperatio, ac qualitates quædam univerſales, quarum effectus interdum videmus, cauſas vero animo comprehendere non poſſumus. Vid. quæ in eam rem diſſerit Rob. Boylius in lib. de Coſmicis qualitatibus. Atque in iſtarum rerum cauſas cum inquiritur, ad tale aliquod univerſale principium confugiendum eſt. Quorſum enim etiam ſe vertant omnes illi, qui ſingularia Phyſices principia commenti ſunt, vident tamen, ſe rem non poſſe expedire, niſi ad naturam aliquam communem operatricem in operibus confugiant, ut ſupra ex Lucretio vidimus, qui ex Atomis ſuis expedire ſe non poteſt, niſi θεὸν ἀπὸ μηχανῆς arceſſat, naturam ſcil. aliquam ætheream, ſubtilem, quam agnoſcere neceſſitas interdum nos jubet, cum in rationibus ſpecialibus dandis deficimus. Quo tamen nolim probare, quorundam vel ſuperſtitionem, vel ſocordiam, qui, Tragœdos imitati, ut illi ad componendas turbas Deum e machina evocant; ita ad communem aliquam cauſam confugiunt. Quanquam etiam peccare forte imbecillitas noſtri intellectus poteſt, cum oculis lynceis rerum viſcera nos penetraturos confidimus, ſpecialiſſimas illas cauſas indagaturi. Nos certe enim circa particulam aliquam & portiunculam Philoſophi ſumus, & exiguis animi noſtri cancellis non includimus univerſum illud, nec penetrare poſſumus ingenii acie, quod tot vaſta corpora inter ſe cohæreant; annon quædam eorum inter ſe ſit conciliatio, mutuaque operatio, quæ in occultis ſe exerat aliquando, nonnunquam in ſecula extendatur. Multis certe ex illa Platonicorum doctrina ſententia hæc de anima mundi inhæſit, unde fortaſſis non de nihilo eſt, quod obſervat Samuel Parkerus, gentilium idololatriam pene omnem ad iſtam mundi animam reſpexiſſe. Vid. ejus *Tentamina Phyſico-Theologica* contra Atheos & Epicuræos, *lib. 2. c. 1. & 2.* Ex eodem etiam principio ἡλιολατρείαν ortam eſſe, illic probat, quandoquidem ſol ſedes iſtius animæ a Philoſophis ſit habitus. Non tamen crediderim, quod iſte putat, a Platone geminum Numen ſtatui, ut geminum mundum fingit, viſibilem & intellectualem, niſi forte ita interpreteris, ut

per ſecundarium illum Deum intelligat genium, vel mentem aliquam: ita enim in Timæo: *Deus intellectualis & potens Deum ſibi ſufficientem & perfectiſſimum genuit, ſ. mundum.* Et Origines, *contra Celſum lib. 5.* ita Platonis mentem interpretatur; dicit enim, Stoicos facere mundum Deum primarium, Platonicos vero ſecundarium. Platonem autem ſupremum Deum extra pomœria mundi abegiſſe, Juſtinus, *in Cohortatione ad Græcos*, ait. Sed illis omnibus vel ſanior ſenſus, vel perverſior, a varia interpretatione accedere poteſt. Plato enim ea omnia ſermonibus ſuis implicuit, ut interdum mens ejus non recte deprehendi poſſit. Et quoniam elegantiam ſermonis ſectatus eſt, non fortaſſe ita expreſſit animi ſenſa, ut Philoſophus in illis pedem figere tuto poſſit. Ab Interpretum vero commentis toti etiam pendere non poſſumus; nam & vetus illud hic obtinet: *Quot capita, tot ſenſus;* raroque Philoſophia adeo illibata & incorrupta ſervatur. Solet enim ab interpretibus, novarum rerum cupidis, & vana gloria ſe jactantibus, illis aliquid affingi, aut per conſequentias, non recte inſtitutas, aliquid colligi, quod forte doctori ipſi & anteſignano in mentem non venit, ut abunde ex Ariſtotele, & ejus interpretibus patet. Id vero negari nequit, ſuper iſta mundi anima, ſi ea intellectu prædita ſtatuatur, fundatam fuiſſe, & adhuc fundari, illam Enthuſiaſtarum Phyſicam, quæ ſe plerumque in iſta principia reſolvit. Ex hoc fonte fluunt actiones in natura magneticæ, Sympatheticæ, Aſtrologia divinatrix, etiam circa actiones morales & contingentes, Oracula, Imagines Talismanicæ, & omnis denique Magia. Nullæ ſunt adeo nefandæ præſtigiæ, nulla tam ſuperſtitioſa & ſtulta doctrina eſt, cui patrocinium ex hac opinione peti non poſſit. Ex ea magnam partem etiam oritur ſuperſtitioſa Medicina, tam quæ olim ex incubationibus originem traxit, quam quæ hodie, per transplantationes, irrorationes, inſeminationes, ac ſimiles operationes incertas ac fallaces, conficitur. De quibus videri poſſunt, quæ ejus Medicinæ propugnator Anglus, SAMVEL BOVLTON, ſua lingua *de Medicina Magico-Phyſica* ſcripſit. Sed, iſta omnia hic alieno loco excutere, non eſt neceſſarium.

8 Nos Platonis tantum ſententias breviter recenſemus, quantum ad Phyſicam ſpectant; nam de ceteris non ſumus jam ſolliciti, quanquam ipſe omnia commiſcuerit, & continuo ſermone implicuerit, nulla uſus legitima methodo, aut argumentis demonſtrativis, quam ejus ἀμεθόδευσιν taxat, ac compluribus exemplis probat IOHANNES BAPTISTA CRISPVS, *in Quinario ſuo primo de Ethnicis Philoſophis, caute legendis.* Quem librum vehementer commendat in eo negotio Samuel Parkerus *in* ſua *Philoſophiæ Platonicæ Cenſura*, libro Anglice ſcripto, & Oxoniæ A. 1667. edito, eleganti ſane & lectu digno, quo doctrinam Platonis Ethicam, Logicam, Theologicam breviter complexus eſt, in Phyſica vero recenſenda non eam adhibuit diligentiam, quam poterat. Egit etiam illic de convenientia Platonis & Moyſis, ubi examinat, an iſta ſit revera talis, qualis habetur vulgo, atque ad partes negantium concedit; quo tacite etiam tangere videtur Henricum Mohr, qui in *Cabala* ſua *Philoſophica ſuper Cap. I. Geneſ.* conſenſum illum Platonis & Moyſis ſæpe urget. Sed mittamus iſtam Platonis Phyſicam, ut ita loquamur, Metaphyſicam, quæ tamen vel

ideo

ideo laudem meretur, quod nemo majori ſtudio in ea verſatus fuerit, Ariſtoteles vero eam contemſiſſe videatur, cum Plato tamen ita in illa verſatus fuerit, ut multa in eo ſint, quæ conſonare cum ſacris literis & dogmatibus Chriſtianis videntur, utut Samuel Parkerus *in Tentaminibus* ſuis *Phyſico-Theologicis, lib. 2. c. 3.* exiſtimet, Gentilium Philoſophiam & Hiſtoriam plerumque Sacræ Hiſtoriæ perperam accommodari; rerum vero Græcanicarum & Hebræarum precariam & commentitiam exiſtimet analogiam, quod vel fortuita illa eſſe potuerit, in iſta varietate hiſtoriarum & ſententiarum, ut fieri non poſſit, quin analogiam interdum inter ſe habeant; quam tamen ſæpe admodum exiguam arripiant, tum *Aug. Steuchus in libro de perenni Philoſophia*, quo Trinitatis myſterium e Platonicis oſtendere laborat (vid. *Diſſertatio* Parkeri Anglica *de Trinitate Platonica,*) tum Voſſius & Bochartus. Qui tamen rem ipſam ſine affectibus conſideraturus eſt, is interdum identitatem aliquam conceptuum mirabitur.

Quod jam ipſam illam, ſtricte ita dictam, Phyſicam attinet, quæ verſatur circa 9
naturam hanc inferiorem, quatenus illa generationibus & alterationibus eſt ſubjecta, Platonicorum doctrina non adeo differt a Peripatetica. Nam, & materiam, & formam, mundi ſenſibilis principia cum Ariſtotele agnoſcit. Ex materia & forma producit quatuor Elementa, quorum ſingulis proprias figuras aſſignat, pyramidalem igni, figuram octaëdram aëri, figuram icoſaëdram, ex viginti triangulis, aquæ, terræ denique figuram cubicam, cœlo autem dodecaëdram. Quæ philoſophandi ratio per figuras iſtas non omnino omni ratione deſtituta eſt, & fundamentum aliquod videtur habere in ipſa natura eorum corporum. Quanquam iſta ὡς ἐν πλάτει tantum dicantur, neque adeo quicquam definiat Plato circa figuras illas in minimis particulis, quo reducendi eſſent illi conceptus, ſi vellemus aliquam iis ineſſe firmitatem.

Ex iſta figurarum variatione, credo, Elementorum etiam varias vires & actiones deducit. Elementa enim facit, vel ſubtilia, vel craſſa, vel acuta, vel obtuſa, mobilia vel immobilia. Ignis illi ſubtilis eſt & mobilis, terra e contrario craſſa, obtuſa & immobilis, aër ſubtilis, obtuſus & mobilis, aqua craſſa, obtuſa, mobilis.

De natura animæ multa quoque philoſophatus eſt Plato, quæ non ſunt reliquis 10
Philoſophis conformia, quanquam hic Platonicorum interpretationes & commentaria longius abeant, quam ipſe Plato. Doctrina de præexiſtentia animæ Platoni quoque imputatur, & a Platonicis commentatoribus multis argumentis propugnatur, quam etiam hodie defendendam ſuſceperunt nonnulli. Ac fuit inprimis circa illud argumentum diligens CHRISTOPHORVS SANDIVS, qui, in libello ſuo *de origine animæ*, non ita pridem omnia illa loca, e Platonicis, Patribus, imo ipſa etiam Scriptura Sacra, quæ huc trahi poſſe videntur, cumulavit, atque objectionibus nonnullis reſpondit; in quo tamen ille nimium ſibi nonnunquam indulget, nec ſatis bona fide in locis illis verſatur. Legi poſſunt, quæ nuper animadvertit in illum Autorem in *Oratione* ſua *de præexiſtentia animæ* Clariſſ. IAC. THOMASIVS. Inter Anglos multi ſunt hujus doctrinæ patrocinatores, & HENRICVS quidem MOHR, in Tractatu,

Anglica lingua ſcripto, *de Immortalitate animæ*, multis argumentis eam probare doctrinam laborat, & in reliquis quoque Platonica illa de natura animæ dogmata amplectitur. Legi etiam poſſunt, quæ Samuel Parkerus, *in lib. citato*, contra illam animæ præexiſtentiam affert.

11 Ceterum longe plura ſunt ſpecialiora dogmata Platonis, quæ omnia docere nimis operoſa res eſſet, omnia autem eo tendunt, ut mira potius videatur ejus doctrina, quam vera, ſeu quæ demonſtrata ſit recte, & percipi diſtincte poſſit. Omnia enim Allegoriis ſuis, ſuisque de amore, pulchro & bono notionibus implicat, quæ aptæ potius ſunt, animum in exceſſum quendam evocare, quam rebus ipſis applicare. Quare eum, cum ita phantaſmata ſpeculetur potius, quam ſenſum ſequatur, vel Poëtam, vel Metaphyſicum, apellaverim potius, quam Phyſicum. Qui Philoſophiam illam Metaphyſicam Platonicam carmine comprehenſam velit, legat elegantiſſimos Dan. Heinſii libros *de contemptu mortis*, ubi in ſinopſi quadam exhibetur ejus doctrina de anima, adeoque tota ejus Philoſophia contemplativa & practica. Quos libros ſtylo Virgiliano ſcriptos recte judicavit Buchnerus, in *lib. de commutatq; die. ratione.* Verſibus Anglicis eam propoſuit Henricus Mohr, is ſcil. cujus exſtant tot libri, de Philoſophia Platonica ſcripti. Idem quoque Autor libros Theologici argumenti non paucos ſcripſit, nempe *Inquiſitionem in myſterium Iniquitatis*, *continentem veram Ideam Antichriſtianiſmi*; item *Explanationem grandis myſterii Trinitatis*, quibus itidem Platonica ſua dogmata paſſim immiſcet; *Dialogos* item *de Deo.* In quibus Operibus totus in eo eſt, ut Philoſophiam Platonicam repræſentet, velut Chriſtianiſmo maxime accommodatam. Ac eſt revera in multis non exigua convenientia, quæ impulit etiam ſanctos Patres, ut Philoſophiam Platonicam præ ceteris ſequerentur. Quanquam & anſam dederit multis heterodoxa ſentiendi, uti Samuel Parkerus *in Examine Theologiæ Platonicæ* pluribus annotat. Origines certe documento eſt, quanto in pretio olim iſta Philoſophia fuerit, qui, ejus principiis imbutus, ad Theologiæ myſteria multa attulit, quæ etiam pro heterodoxis habentur. Tale quid ex Philoſophia Stoica promiſerat Caſp. Barthius *Adverſar. lib. 3. c. 10.* ubi *de Chriſtianiſmo Epicteti* librum ſe ſcripturum pollicetur, quo plurima Epicteti dicta & ſcripta ex doctrina Apoſtolorum oriunda demonſtraturus erat. Sed nos, miſſa Platonis ſchola, ad Peripateticam nos convertimus.

CAP. XII.

DE PRINCIPIIS PHYSICIS ARISTOTELIS; VARIISQVE EIVS TAM PROPVGNATORIBVS QVAM IMPVGNATORIBVS.

§. 1. *Ariſtotelicæ Philoſophiæ fata varia, a Joh. Launoyo expoſita. Operum Ariſtotelis editio optima eſt Caſauboniana. Plagii reus eſt. Scripta de ipſo, librisque ejus*

ac

ae Philoſophia, Hiſtorico-Iſagogica Ammonii, Pet. Joh. Nunneſii, Oct. Ferrarii, Phil. Labbei, Andr. Schotti, Paſch. Galli, &c. 2. Præ ceteris commendantur Franc. Patricii Diſcuſſiones Peripateticæ. *De Libris Ariſtotelis ſuppoſititiis, nec non Metaphyſicis, nonnulla. Interpretibus ejus haud ſecure nimis fidendum. Joh. Cratonis prudens de nova Operum illius editione conſilium. Commendantur Joach. Jungii Notæ in Ariſtot. ineditæ, Paulique Sarpii in eundem, ac Philoſophos alios, affectæ. 3. Præ ceteris Phyſicæ Ariſtotelicæ Illuſtratoribus, commendatur Honoratus Fabri, ob methodum philoſophandi ex ipſo Ariſtotele, neglectis Interpretibus, accuratam; eundemque cum receutiorum inventis & experimentis ſolerter conciliantem. 4. Commentatores alii in Libb. Phyſicos a Spachio enumerantur. 5. De Theophraſti, qui Ariſtotelis fuit ſucceſſor, ſcriptis, horumque Exegetis, nonnulla. Honor. Fabri denuo commendatur, & de corruptelis Philoſophiæ Ariſtotelicæ per Interpretes indoctos, Scholaſticosque, diſſeritur. 6. Confirmantur illæ teſtimoniis Rogeri Baconi, ob interiorem Phyſices ac Matheſeos peritiam, eximiaque inventa, celebris, ſimulque de primis Interpretibus Ariſtotelis Latinis, Scriptorumque ejus in Scolas reductione, agitur. Inſperguntur quædam de Teleſcopiis Bacono ante 5. jam ſecula, imo, teſte illo, C. Julio Cæſari etiam, cognitis. 7. Impugnatores Ariſtotelis moderni, Pet. Ramus in primis & Pet. Gaſſendus, cenſura acriori perſtringuntur, ac criminationes illorum γενικῶς confutantur, adjectis judiciis Hon. Fabri de Gaſſendo, ac Joh. Riolani de Ramo, parum benignis. 8. Ariſtoteles, contra veteres, qui vel unum tantum (cum Parmenide,) vel infinita ſtatuerunt rerum naturalium principia, inſurgens, ſophiſtice diſputat & incaſſum. 9. Rejiciuntur tria Ariſtotelis principia, materia prima, forma & privatio, ſpinoſæque inprimis ipſius & Scholaſticorum ſublimitates ac diſceptationes perplexæ de materia prima (per quam Deum non intellexit) recenſentur, &, una cum Henr. Mobri materia prima ſpirituali, ex Atomis conflata, exploduntur. 10. Scriptores de Ariſtotelis & Platonis conſenſu vel diſſenſu. Antiquiſſimus inter Chriſtianos Ariſtotelis Antagoniſta fuit Juſtinus Martyr, cujus libelli argumentum enarratur.*

(z) VEnimus nunc ad ARISTOTELICAM *Philoſophiam*, quæ, poſtquam diu Platonica etiam in Chriſtianiſmo regnaverat, ita tandem invaſit omnium animos & ſcholas, ut religioni pene duceretur, vel latum unguem ab illa diſcedere. Fata vero habuit varia, variasque viciſſitudines, quas erudito ſuo libro *de varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi*, Hagæ A. 1650. *in 4to* excuſo, prolixe recenſet ION. LAVNOYVS. quem ſuper hoc argumento legiſſe non erit inconſultum. De eo, ejusque Interpretibus generatim quædam prænotabimus, antequam

(z) Cum hoc capite conferenda ſunt *Libr. præced. Primi* Capita ſex integra, VIII. ſcil. *de Philoſophia Ariſtotelica*, IX. X. & XI. *de Ariſtotelis Interpretibus*, XII. *de ejusdem Impugnatoribus*, & XIII. ac XIV. *de Doctoribus Scholaſticis.*

quam ad ipſa ejus principia Phyſica perveniamus. Ariſtotelis Opera If. Caſauboni induſtria quam optime ſunt edita, cum ſuis, Adr. Turnebi Juliique Pacii Verſionibus, *Volum. II.* Pariſiis anno 1639. *in fol.* eſtque ſine dubio illa editio, de cujus publicatione conſuluerat Joſ. Scaligerum Henricus Stephanus, ſocer Caſauboni, Epiſtola Gallica, quæ reperitur inter *Epiſtolas Gallicas, ad Joſephum Scaligerum ſcriptas*, ac uno volumine in Belgio editas. De ipſo Ariſtotele gravis ſolet eſſe diſputatio, an ſua pleraque ſurripuerit, de qua imputatione videatur Thomaſius, *in libro ſuo de plagio, §. 364.* Egit vero diffuſo libro de hoc argumento FRANCISCVS PATRIÇIVS, quem *Diſcuſſiones Peripateticas* inſcribit, acerbior, ut videtur, aliquanto quidem in Ariſtotelem, ſed tamen in multis a vero forte non diſcedens. *Vitam* Ariſtotelis Ammonius, ſeu IOH. PHILOPONVS, Interpres ejus, deſcripſit, quem cum eruditis Scholiis, edidit Petrus Johannes Nunneſius, qui etiam in *libro de ſtudio Philoſophico, ſeu de recte conficiendo curriculo Peripateticæ Philoſophiæ*, multa habet, quæ pertinent ad Hiſtoriam librorum Ariſtotelicorum. Lugduni is Batavorum anno 1621. *in octavo* prodiit. Jungi etiam huic poteſt liber Octaviani Ferrarii *de Sermonibus Exotericis*, in quo & multa de libris Ariſtotelis, & ejus Interpretibus, occurrunt, Venetiis A. 1575. *in 4to* editus, & a Melch. Goldaſto Francof. A. 1606. denuo publicatus, cum *præfat. de Diſciplina Veterum Philoſophorum Cryptica.* Promiſit & *Philippus Labbæus, in Bibliotheca Bibliothecarum pag. 7. Syntagma Philologicum de Græcis Ariſtotelis Interpretibus*, cui additurus eſt Andreæ Schotti *Judicium de variis Ariſtotelicorum Operum Interpretibus Græcis Latinisque.* Pertinet & huc Index geminus, alter Autorum, qui ſuis laboribus & lucubrationibus Ariſtotelis libros illuſtrare conati ſunt, alter, quo declaratur, quid ſit a quoque ex interpretibus in ſingulos Ariſtotelicæ Philoſophiæ partes ſcriptum, collectus a Paſchali Gallo e *Bibliotheca* Geſneri, ac ſubjunctus editioni Operum Ariſtotelis Caſaubonianæ. Conſuli quoque poteſt Jacobus Gaddius *in libro* ſuo *de Scriptoribus Tomo I. p. 46.* ubi prolixius agit de ejus Interpretibus, de Averroë *pag. 50.* de Avicenna *pag. 55.* de Boëtio *pag. 72.* de Johanne Grammatico Philopono *p. 203. 204. 205.* Legantur quoque Cardanus de *Virorum Clarorum vita & libris, Operum Tomo 10.* Conringius *in Antiquitatum ſuarum Academic. Supplemento p. 233. 258.*

Præ ceteris legi poſſunt FRANCISCI PATRICII *Diſcuſſiones*, ubi de Ariſtotelicorum librorum ordine, γνησιότητι, omnibusque, quæ eo pertinent, prolixe diſſeritur, tum de Interpretibus etiam, Sectis, principiis, luculenter agitur, quæ cum veterum principiis conferuntur. Nemo enim temere eſt, qui accuratiorem diligentiam eo in argumento præſtiterit, niſi quis forte ſuſpectum Autorem habeat ex eo, quod Ariſtotelicæ Philoſophiæ paululum infenſior ſit. Sed ſunt tamen, hoc non obſtante, multa erudita, ad hiſtoriam univerſæ Philoſophiæ Peripateticæ facientia, quæ legi illic & conferri poſſunt. Nam ſi omnia, quæ ad Ariſtotelem & Ariſtotelicos pertinent, vel in compendium contrahere velimus, non pagellarum aliquot, ſed integri voluminis res eſſet. An vero tot libri, quot ille vult, ſuppoſiti ſint, nec ipſius Ariſtotelis, de eo adhuc diſpiciendum eſt. Multæ enim circa eam rem Diſputationes ſunt,

ſunt nondum ſatis dijudicatæ & compoſitæ. Recenſet PHIL. IAC. MAVSSACVS, in *Diſſertatione Critica ad Harpocrationis Lexicon pag. 382.* aliquos libros Ariſtotelis controverſos, de quibus tamen ille nihil definit. De libris *Metaphyſicis* Ariſtotelis publice combuſtis, velut aliquo hæreſium fomite, legi poteſt Naudæus *in Additionibus ad hiſtoriam Ludovici Undecimi, pag. 155.* Ex Academia Svecica etiam publica lege exulare juſſi ſunt. Qui Ariſtotelis Philoſophiam, ejusque ſententias, perdiſcere cupiunt, eos lingua Græca non vulgariter oportet eſſe inſtructos; nam qui ex Interpretibus tantum ſapiunt, non poſſunt veram Ariſtotelis mentem indagare. Ii enim & ſibi ſapere plerumque volunt, cum interpretantur Ariſtotelem, & ſuam mentem in illum inferunt. Quare recte Medicus doctiſſimus, IOHANNES CRATO a CRAFTHEIM, in Epiſtola ad Fridericum Sylburgium ſcripta ſuper editione Ariſtotelis, quæ eſt in *Centuria Epiſtolarum Philologicarum*, quas Goldaſtus uno volumine edidit, octogeſima prima, judicat: *Qui in Ariſtotelem ita in lucem emiſerit, ut in eo clare perſpiciantur, quæcunque ſcripſit, vel conjectura eorum, a quibus ipſe Ariſtoteles didicit, aſſequantur, vel eorum, quos ipſe docuit: præterea intelligatur, quo loco quidque docuerit, quoties, ad quod propoſitum, uſus ſit eodem verbo & phraſi: iſte, inquam, ea præſtabit, quæ hactenus a nullo præſtita ſunt.* Sequitur in eadem Epiſtola porro conſilium ejus Autoris, qua ratione edi vellet Ariſtotelis ſcripta. Quod, quoniam prolixius eſt, illic legi poteſt. Eſt vero omnium pulcherrimum, &, ſi hac methodo Ariſtoteles ederetur, longe profecto minore cum tædio legerentur ejus libri, atque diſtinctius omnia collocata haberemus. Qualem editionem ſi habuerint Ariſtotelis Studioſi, facile carere Interpretibus poſſent, *atque ſic*, ait Crato, *occaſio reſpondendi daretur ſcripto Patricii, quo Ariſtotelem privat poſſeſſione multorum librorum, de quibus hactenus Schola Græca, Arabica & Latina eum cognoverunt poſſeſſorem.* Quod de indicibus ait, præclarum eſt; in primo enim Indice materias omnes ſelectas annotari vult, ſecundum tria illa capita, *quid*, *quotuplex* & *quale*. Secundo Indice vellet colligi omnes locos ſimiles & contradicentes in Ariſtotele. Tertius colligat, quibus locis Ariſtoteles eſſet uſus iisdem verbis & phraſi, præſertim obſcurioribus, ut ita per collationem eliciatur eorum ſenſus; quod ſi fieret, carere poteramus *Lexico* Henrici Stephani, qui non omnia ſatis obſervavit. Concordantiæ etiam, ut ita dicam, Ariſtotelis & Platonis, quas ad marginem vult apponi, magno uſui eſſe poſſunt. Notari etiam hic poteſt, ſupereſſe Hamburgi ap. Virum Clariſſ. MARTINVM FOGELIVM, *Notas* MSS. marginales Joachimi Jungii in Ariſtotelem, doctas atque eruditionis pleniſſimas, ut fuit ille naturalis ſcientiæ præprimis ac Mathematum acerrimus indagator, ſed qui in plurimis ab Ariſtotele diſſentit. Sed pleraque in Ariſtotele loca quam diligentiſſime contulit & examinavit. Edentur eæ, ſi typographus erit, qui impenſas erogabit. Utinam etiam edita illa fuiſſent, quæ PAVLVS SARPIVS, doctiſſimus Vir, non tantum in Ariſtotelem, ſed & in Platonem, ceterarumque Sectarum fragmenta, ſcripſit, quæ Autor *vitæ* ejus prolixe commendat *p. 130. & 131.*

E recentioribus Phyſicis, qui guſtum aliquem habent elegantioris in Phyſicis 3

doctrinæ, & experimentorum in hoc negotio non ſunt ignari, unice commendari poteſt, HONORATVS FABRI, Jeſuita, qui Hypotheſes ſuas Philoſophicas principiis Ariſtotelis inædificavit, non ad mentem Arabum & Scholaſticorum, ſed ad nativum & proprium literæ, textus & verborum ſenſum, ut ipſe ait in *Epiſtola ſecunda ad Pardeſium ſcripta, num. 4. Sect. 4. Contendo*, inquit ille, *ac denuncio palam, meam hypotheſin vere Ariſtotelicam, & me fere in omnibus Peripateticum eſſe, de quo certé nemo ambiget, qui rem intellexerit ac ſerio ponderaverit; nihil enim alios moror, qui nec me, nec Ariſtotelem, norunt.* Erat vero viro iſti ea proteſtatione opus, quandoquidem, ut Novator & Epicureus, vel Carteſianus, a ſui Ordinis hominibus accuſabatur, quam ut a ſe ſuſpicionem averteret, tres ſcripſit Epiſtolas ad Pardeſium, ejusdem ſocietatis hominem, quibus ſe parum Ariſtotelicum, non tamen ex mente Arabum & Scholaſticorum, eſſe oſtendit. Excipit tamen, quæ ad religionem, quæ ad corpora cœleſtia, quæ ad novæ quædam experimenta pertinent, in quibus liberum ſe eſſe profitetur, & veritatem ubique diligere, ſive illam in Ariſtotele, ſive in Epicuro, exploret. Cujus viri ſcripta ſi quis legerit, mirabitur, ſi adeo diſcrepantes a Peripateticorum vulgo ſententias invenerit. Nam & in ipſis principiis plane alia interdum ex Ariſtotelis textu educit, quam vulgo Interpretes, modo vero tractandi utitur Mathematico, & per propoſitiones incedit. Cauſa certe non eſt, quare Ariſtotelem deſeramus, ſi hoc modo in Phyſicis philoſophemur. Decantatas illas Peripateticorum formas rerum ſubſtantiales in Ariſtotele non invenit, ideoque nec illam ſententiam approbat. Ceterum perſpicuitas ejus in docendo, & peritia in omnis generis experimentis, quæ ſemper immiſcet ſuis propoſitionibus, mihi præ ceteris vehementer placent, quicquid etiam ſit de principiis, quibus adeo accommodat noviſſima illa inventa, ut non nimium moroſus acquieſcere illis poſſit, præſertim cum & in primis illis principiis vix habeant, quare glorientur præ Ariſtotele ceteri. Omnes enim hûc in tenebris palpitant. *Operis* ejus *Phyſici Tomi IV. priores* editi ſunt Lugd. Gall. A. 1670. *in 4to. Quintus* autem, ſive *Ultimus*, ante iſtos ibid. A. 1666. *in 4to.* Jungenda autem iis eſt *Metaphyſica* ipſius, Principia Phyſices explicans, & de Extenſione, Motu, Figura, Tempore, ſimilibusque, in abſtracto agens, quoniam ſine hac Phyſica ejus non poſſunt intelligi. Scripſit idem *Dialogos* quoque *Phyſicos*, quibus id præcipue agit, ut novorum Phyſicorum inventa cum Ariſtotele conciliet, quam ob cauſam illi ſingulariter commendandi ſunt. Scripſit etiam *Opticam*, plana & perſpicua methodo traditam.

4 De ceteris Ariſtotelis libris, præter Phyſicos, nunc non ſumus ſolliciti. In libros Phyſici argumenti Commentatores veteres ac recentiores videri poſſunt ap. Iſr. Spachium, *in Nomenclatore Philoſophico, a pag. 605. ad 608. In libros de Generatione, corruptione, mixtione, mundo, cœlo, mari, meteoris, anima, ſenſibus, animalium hiſtoria, commentatores* vide *a p. 617. ad 636.* in *problemata p. 707.* in quæ etiam extat operoſus Commentarius Ludovici Septalii, *in fol.*

5 E Schola Peripatetica veteri etiam THEOPHRASTVS eſt, cujus *Opera* Græce, Lati-

Latineque, adornata ſunt a Daniele Heinſio. Edidit vero cum *Commentario* multos ejus libros Daniel Furlanus, cujus *Commentarii* ex Bibliotheca J. Vinc. Pinelli prodierunt. In *libros* ejus *de ſomniis & plantis* ſeorſim extat Comment. Julii Cæſaris Scaligeri. Ceterum magnam librorum copiam ſcripſit Autor iſte. Suntque in Ariſtotelis Operibus multi libri, qui huic Theophraſto adſcribi ſolent. De ejus *libris* integram *Diſſertationem* conſcripſit Johannes Meurſius, qua ex Autoribus veteribus collegit tantum titulos librorum, quos Theophraſtus ſcripſit. *Libros* ejus *de Odoribus* notis ſuis auxit Adr. Turnebus. De ceteris Ariſtotelis Interpretibus, tam veteribus, quam recentioribus, legantur libri, quos ſupra laudavimus. In Phyſicis vero omnibus aliis, qui ejus doctrinam ſequuntur, præpono Honorati Fabri *Opera*, qui Ariſtotelem ex ipſo fonte interpretatur ejusque Philoſophiam, non ex verſionibus Arabum, vel Latinorum, ſed ex ipſo ejus textu, proponit. Quam adeo diſcrepare inter ſe nemini mirum eſſe debet, ſiquidem ex hiſtoria obſervaverit, quam ſero in lucem protracta fuerint Ariſtotelis ſcripta, quam ſegniter, quam inficete, quam barbare, converſa fuerint a Monachis, linguæ Græcæ & Latinæ imperitis. Quos tamen Scholaſtici ſequuti ſunt, qui ſubleſto fundamento ſuperſtruentes firma non potuerunt ſuperimponere faſtigia, cum aliter ſenſus caperent, quam ſentiret Ariſtoteles, ex alieno ſenſu vero diverſa orirentur abſurda. Sic, accedentibus monſtroſis illis ſententiis, quas ipſi excogitarunt, & in Ariſtotelem intulerant, non potuerunt hinc niſi multa abſurda conſequi.

Sed fortaſſis operæ pretium fuerit, illi rei aliquantulum inhærere, ut pateat 6
ortus & progreſſus iſtius Philoſophiæ Scholaſticæ, quæ cum vulgo Peripatetica habeatur, nihilominus eſt quam Peripatetica ſæpe, ſed longe in diverſas vias abit. Ejus rei teſtem poſſumus fide dignum appellare ROGERVM BACONIVM, qui circa annum Chriſti 1270. vixit, & in MStis libris *Compendii Studii Theologiæ*, in *libris Communium naturalium*, *in Epiſtola ad Clementem IV. Papam*, & in *Opere de utilitate Scientiarum*, aliquam Philoſophiæ iſtorum temporum hiſtoriam recenſet. Hi libelli in Bibliotheca Oxonienſi aſſervantur, a viro illo conſcripti, qui ſuo tempore, in ipſa illa craſſiſſima barbarie, ſummus fuit rerum naturalium & Mathematicarum, imo omnium pene diſciplinarum, doctor, ut hodieque in Phyſicis & Mathematicis, præ lynceis illis recentioribus, palmam ferat, quippe qui illa ſciverit, illa inventa jam tum poſſederit & excogitarit ipſe, quæ ſuo tempore, ob ignorantiam humanam pro Magicis habebantur, noſtra vero ætate vel primum inventa ſunt, & magno in pretio habentur, vel inter deſiderata adhuc reponuntur. In *Compendio ſuæ Theologiæ* Baconus ait: *Tarde venit aliquid de Philoſophia Ariſtotelis in uſum Latinorum, quia naturalis Philoſophia ejus & Metaphyſica, & Commentaria Averrois, & aliorum, his temporibus noſtris translata ſunt, & Pariſiis excommunicabantur anno Domini 1237. propter æternitatem mundi & temporis, & propter librum de Divinatione ſomniorum, qui eſt tertius de ſomno & vigilia, & propter multa erronea translata.* In *libro de utilitate Scientiarum*: *Una eſt*, inquit (cauſa ſcil. imperfectionis in Philoſophia,) *quia Opera Ariſto-*

telis non fuerunt translata in linguam Latinam, nec ab aliquo Latinorum compoſita, & ideo non fuit mirum, ſi eorum non æſtimabant valorem. Platonis enim libros doctores omnes aſſumebant in manibus, quoniam translati fuerunt, nec inveniebantur in Græco. Sed libri Ariſtotelis non fuerunt tum temporis translati. Nam Auguſtinus primus fuit translator & expoſitor Ariſtotelis. Sed in minore & primo libellorum ſuorum, videlicet prædicamentorum. Nec fuit Philoſophia Ariſtotelis tunc temporis Græcis nota, nec Arabibus, ſicut prius factum eſt, & ideo ſancti, ſicut alii, ignoraverunt Philoſophiam Ariſtotelis, cujus uſum non habebant, laudabant tamen Platonem, & quoniam intellexerunt, quod Ariſtoteles perſequutus eſt Platonicas ſententias, Ariſtotelem in multis reprobant, & dicunt, ipſum hæreſes congregaſſe, ſicut Auguſtinus dicit. Reperiuntur hæc Baconi loca apud Antonium a Wood *in Hiſtoria & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis, lib. 1. ad annum 1272.* Ubi Autor ille recenſet primos ejus temporis Ariſtotelis Interpretes, Guilielmum de Morbeck, natione Brabantinum, fratrem primo Prædicatorem, & inde Pœnitentiarium Pontificis; Cancellarium, & Epiſcopum in Græcia Corinthiacum, qui, inſtante S. Thoma Aquinate, Philoſophiam Ariſtotelicam Latine reddidit, circa annum 1271. *Analytica* ſcil. Ariſtotelica, reliquasque *Organi* partes. Ante annum ab illo, quem modo nominavi, quadrageſimum, perpauci Interpretes fuere, qui in Academia Oxonienſi Logicæ Peripateticæ partem aliquam explicuere, S. Edmundus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Magiſter Hugo, Johannes Blond, qui anno 1227. & 1232. vixerunt. Ante tamen illa tempora Johannes Scotus, tempore Alfredi, Robertus Pulleinus circa annum 1146. Simeon Dunelmenſis A. 1164. Johannes Sarisberienſis, Johannes Hantwillus, ſive Architrenius, vel commentarios ſcripſere Philoſophiæ Ariſtotelicæ, vel in Philoſophia Ariſtotelica gradus & honores ambierunt in Academia Oxonienſi, qui tamen etiam Ariſtotelis verſiones nullas, niſi aliquas corruptiſſimas, habuerunt. Poſtquam vero jus Cæſareum anno 1149. doceri, tam Oxoniæ, quam Pariſiis, cœpit, adeo deferbuit omne Philoſophiæ ſtudium, & Theologiæ quoque; ut unice legibus Romanis incumberent, unde divitias & honores exſpectabant omnes. Quam cauſam præcipuam ponit Baconus deſertæ Philoſophiæ, & corruptarum artium, atque in eam paſſim in Commentariis ſuis MStis acerbe declamat. Hinc quaſi poſtliminio reſtituebatur Philoſophia Ariſtotelica, adeo ut hominibus iſtius temporis quaſi novus videretur Ariſtoteles, ac tum primum in notitiam hominum perductus. Qui tamen, præterquam, quod omnia per verſiones erant corrupta, ſuſpicione gravatus eſt, quaſi Chriſtianiſmo obeſſet ejus ſtudium, de quo queritur idem Baconus *in opere antea citato.* Qui erant ignorantiores, etiam Magiam ſubeſſe ſuſpicabantur. Qui doctiores erant, & exemplaria Ariſtotelis poſſidebant, vel ob invidiam ſupprimebant, vel ipſi ignorabant theſauros ſuos. Quæ exemplarium penuria etiam cauſa fuit minus cultæ Philoſophiæ Ariſtotelicæ, & ab ætate Michaelis Scoti, h. e. anno 1230. ingens fuit. Dogmata autem Philoſophiæ vere arcana erant, & omiſſis tam artis, quam naturæ admirandis, viliſſima quævis, eaque ſegniter, & per partes, convertebantur in Latinum ſermonem, ut integra capita,

capita, imo integri ſæpe libri, in *Phyſicis*, *Metaphyſicis* & *Logicis*, deeſſent. Hujus autem generis peccata in materia potiſſimum Phyſica frequentiora fuerunt, partim quod non intelligerent linguam Græcam, partim quod nec rem ipſam, quæ intelligi absque perfecta Græcæ linguæ cognitione non poterat. Bacono enim recenſente, in *Epiſtola ad Clementem Papam*, vix quatuor illo tempore viri fuerunt, qui linguæ Græcæ aliquam notitiam habuerint. Quæ erant Latine reddita, ut erant admodum pauca, illa ad literatorum plebem haud devenerant; quæ erant jampridem factæ verſiones, vulgo etiam non innotuerant. Qui vero eo tempore vertendis, vel potius corrumpendis, bonis Autoribus operam commodarunt, recenſente Bacono, fuerunt Gerhardus Cremonenſis, Michael Scotus, Alfredus Anglicus, ſive Philoſophus, Hermannus Alemannus, Guilielmus Flemming, Magiſter Paraficius, de quibus ſingulis prolixius agit *eo in loco* Antonius a Wood. Rei Mathematicæ profundiſſima erat ignorantia, aitque Baconus *de Perſpectiva*, neminem ante annum 1267. aliquid præſtitiſſe, Pariſiis vero nihil ea de re usque ad illud tempus innotuiſſe, imo Latinos omnes diſciplinam hanc penitus ignorare, ſi tres in Anglia excipias. Addit quoque, *in opere de perſpectivis*, Julium Cæſarem teleſcopii ope a Gallicano littore portus Angliæ urbesque maritimas ſpectaſſe, cum bellum in eam meditaretur, quod certe ſcire vellem, quo argumento probaret. Nam hiſtoriæ omnes ſilent, & vulgo teleſcopiorum inventio admodum recens habetur, quæ tamen non eſt. Nam Baco jam tum teleſcopium habuit, atque eo uſus eſt, nec tamen ſe ejus inventorem jactat, ideoque jam ante tempora Baconis Tubum Opticum fuiſſe inventum neceſſe eſt, cujus tamen notitia nulla habetur. Illi certe antiqua viſa eſt ejus origo, cum ad Julii Cæſaris etiam tempora reducat. Latent ſane interdum aliqua arcana apud unum alterumve, quæ quia in publicum non proferuntur, vel non eſſe, vel periiſſe, putantur. Baconi uſus Tubi Optici Magiæ crimen peperit. Is vero, ut Opticam ſuam tueretur, non modo θαυματυργίαν illis, quæ ad viſum pertinent, ſtatuit, ſed, in *Opere minori ad Clementem IV.* ait, *omnia ſciri per Perſpectiva, quoniam omnes rerum actiones fiunt ſecundum ſpecierum & virtutum multiplicationem, ab agentibus hujus mundi in materias patientes & leges hujusmodi multiplicationem non ſciuntur, niſi a Perſpectiva, nec alibi ſunt traditæ adhuc; cum tamen non ſolum ſint communes actioni in viſum, ſed in omnem ſenſum, & in totam mundi machinam, & in cæleſtibus, & inferioribus.* Quæ verba Baconis aliquid in receſſu habere videntur, & principia quædam ponere artibus quibusdam arcanioribus, aut curioſioribus; ſed tamen nihil ſiniſterius ſuſpicandum eſt, cum, quæ illic habeantur, ulterius non ſint ad manus. Quæ autem ex eo hic affert Antonius a Wood, illa ſatis ſane explicari poſſunt. Sed iſta obiter omnia, quæ tamen non utiliter hic adducta ſunt. Ad Ariſtotelem noſtrum redimus, ejusque Philoſophiam, quæ ſequentibus temporibus majores vires ſumſit, cum libri ejus e Græco in Latinum converterentur a viris doctiſſimis, unde poſtea ſenſus Ariſtotelici melius potuerunt indagari. Poſtquam Conſtantinopolis capta eſt, ex iſta ruina ædificatæ ſunt literæ in Occidente, adeoque Græciæ calamitati debemus renatas bonas literas. Græci

enim homines eruditi in Italiam conceſſerunt, & bonorum Autorum copiam ſecum adduxerunt. Unde poſtea & correctiora fuerunt exemplaria, & verſiones datæ accuratiores: quod & recte notat Gabriel Naudæus *in additionibus ad hiſtoriam Ludovici Undecimi.*

7 Paſſim itaque per Scholas regnavit tum Ariſtoteles, niſi quod ſubinde etiam quidam exſtiterint, qui ejus doctrinam impugnarent, non omnes æque docti. Quod Phyſicam ejus ſpectat, illam quidem adeo non omnibus placuiſſe, facile credi poteſt, cum multa in illa contineantur, quæ ſe omnibus commendare non poſſunt. Sed qui omnia in Ariſtotele rejicere & carpere voluerunt, ii homines vel arrogantes mihi nimium videntur, ac parum obſervantes majorum, vel etiam imperiti. Quo enim imperitiores ſunt homines, præſertim ingenioſi, quod non omnia perreptarunt hujus Philoſophiæ latibula, eo promtiores illi ſunt ad dicam aliis, etiam ſummis nominibus, ſcribendam. Non erat, quare PETRVS RAMVS adeo in omnibus ſuggillaret Ariſtotelem, qui ipſe non meliora, imo longe minora, dedit. Quanquam *in Scholis Phyſicis*, quæ contra Ariſtotelem diſſeruit, fidem aliquam merentur. Legi illæ poſſunt, non continetur in illis exacta disquiſitio eorum, in quibus a veteribus divortium fecit Ariſtoteles. Cujus ſtatus controverſiæ, diſputandi methodum, argumenta producta, ſecundum omnes partes ampliter examinat. Contra vero ejus principia ubique pugnat, adeoque veterum ſententias ab iſtis imputationibus abſolvit, quibus eas oneraverat Ariſtoteles. De ceteris diſciplinis, præter Phyſicam, nihil nunc dicemus, quandoquidem ad nos jam non ſpectant. In iis vero facile quidem primatum, ut ego puto, Ariſtoteli concedere poteramus, præſertim, quod Practicas diſciplinas & Dialecticam attinet, quam immerito quidem, ut mihi videtur, adortus eſt PET. GASSENDVS in *Exercitationibus* ſuis, ut vocat, *adverſus Ariſtoteleos*, in quibus tamen acerba & plena injuriarum omnia. Omnia enim impugnat, nihil ſani ab Ariſtotele dictum eſſe vult, totam Ariſtotelicam Philoſophiam ſpuriam eſſe, Sophiſticam, pejorem hiſtrionica, rixoſam duntaxat & altercationibus horridam, chimæricam, barbaram, tyrannidem, ignavam, nulla autoritate, incertam, obſcuram, multis defectibus, inſufficientem, ſuperfluis & alienis ſcatentem, falſitatibus, impietatibus, calumniis & contradictionibus plenam, toto *libro I. Exercitationum Anti-Peripateticarum* deducit. *Secundo libro* Analyticam Ariſtotelis aggreditur, ut quæ nihil, niſi frivola commenta & delirla, contineat, inepte rerum claſſes in decem categorias diſtinguat, futiliter, ſuperflue & ridicule multa de propoſitionibus, & de utraque Analyſi, tradat. Addit, nullam dari poſſe demonſtrationem, vel definitionem Ariſtotelicam, nullamque ſcientiam, concluditque, Pyrrhonios, qui nihil ſciri poſſe profitentur, naturæ non eſſe injurios. Reliquos 5. libros, nimirum in ἀκρόασιν *Phyſicam*, in *libros de corpore ſimplici*, in vulgares *Tractatus de mixtis*, in *Metaphyſicam* & *moralem Philoſophiam*, omiſit de amicorum conſilio, eo quod, propter prioris libri editionem, Peripatetici non parum ſtomacharentur, quorum patientia abuti veritus eſt, teſte Honorato Fabri, in *Epiſtola ad Pardeſium ſecunda.* Qui eo in loco ita de iſto Gaſſendi ſcripto judicat: *Ex hac provincia Gaſſendus multam laudem non retulit. Non tamen deſunt,*

qui

qui velint, nec ego ipſe abnuerim, juvenilis ætatis ardore ac genio, & averſo animo, quo ſemper in Stagiritam fuit, hoc indulgendum eſſe. Omitto aliam cauſam Gymnaſticam, noſtris Gallo - Provincialibus ſatis compertam, qua factum ſit aquis ſextiis, ſicuti Bajonæ, & etiam alibi, ut alienus a novis Magiſtris animus in eam doctrinam, quam ipſi tradebant, refunderetur. Idem ſuperius: *Nihil moror*, inquit, *Semisciolos quosdam, qui, cum ſint levioris armaturæ homines; Stagiritam, ejusque organum, ut futile & inutile quicquam, vellicare non ceſſant. Sed ne ſutor ultra crepidam; quanquam ſorte acerbius illud melius quadraret: Sus Minervam. Nihil unquam ſolidius, nihil felicius, nihil præſtantius, excogitatum & ab hominis ingenio partum eſt; nihil ibi falſum & futile, nulla ibi contradictio vel ineptia, ut perperam Gaſſendus exprobrat.* Quod viri iſtius judicium potius amplecti velim, quam Gaſſendi ſententiam, qui, cavillatorem tantum agens, meliora nos non docuit, quod facillimum eſſe quis neſcit? Inprimis in veterum illorum Autorum Scriptis, qui, cum una illa contextus ſerie ſcribant, nec Methodo Scholaſtica, per theſes & regulas, ſententias ſuas proponant, facile ἀμαθοδείας cujusdam argui poſſunt, quod tantis viris exprobrare velle, leve nimis eſt, & futile, cum iis gratiæ potius agendæ eſſent, quod tantarum rerum theſauros nobis conſervaverint. Quis enim ante Ariſtotelem unquam de Dialecticis præceptis, in ordinem redigendis, cogitavit? & is tamen ita ordinavit omnia, ut, qui ingenium iſtius non miretur, aut beneficium æſtimet, improbus profecto & ingratus ſit. Absque enim illo fuiſſet, nemo fortaſſis extitiſſet, qui Dialectices præcepta, ac artem iſtam Analyticam, vel primoribus rudimentis delineaſſet. Quod ſi tam pulchro operi nævi quidam inhærent, non ideo exclamare ſtatim debemus, librum eſſe ineptum & inſulſum. Qui boni viri, ſi absque Ariſtotele eſſent, quem nunquam attente legerunt, in re iſta magis muti eſſent, quam piſces. Nunc, cum primus is nobis fontem aperuit, antea ignoratum, novi quidam Dialectici in rivulis ſuis, quos ab iſto fonte derivarunt, ſoli triumphare volunt. De Ramo recte judicat Joh. Riolanus *in præfatione Tractatus de Principiis Phyſicis: Petrus Ramus*, inquit, *Phyſicis Sacris vix initiatus, Phyſicus videri vult, gradumque ſibi munit ad gloriam, cum ejus ruina, cujus umbram referre, vel ſi ſe ruperit, non poſſit.* De Phyſicis quanquam non adeo nunc dicam, in ceteris tamen tam acerbe tractari a Ramo Ariſtotelem, res eſt intolerabilis. Et in ipſis tamen Phyſicis habemus præclara multa, præcipue *hiſtoriam* ejus *animalium*, quibus certe, velut theſauro quodam parato, uti nunc poſſumus. Quod in generalibus principiis ſint, quæ deſiderent nonnulli, res profecto tanti non eſt, ut conjurationem aliquam inſtituamus contra Ariſtotelem, aut exſcindere eum omnibus armis cupiamus. Nemo enim iſta, vel veterum, vel recentiorum Philoſophorum, ita firmaverit, ut nulli diſputationi ſint obnoxia. Urget iſta fatalis quædam obſcuritas, humano ingenio vix perveſtigabilis, quod in aliquibus notionum aut conceptuum generalium umbris conquieſcet, lucem vero ipſam veritatis non aſſequetur. Sufficit illi, quædam ejus ſentire crepuſcula, & ſub crepera iſta luce prominentes veritatis radios: interim in Empirica illa ſpeciali exerceat ſe, quantum poteſt. Qui Ariſtoteli ob ἀμαθόδειαν indi-

indignantur, tanta non iſta eſt, quam iſti putant; iis reſponſum velim, quod Salmaſius *in præfatione funeris Helleniſtici*, reprehenſoribus ſuis objiciebat, *pretioſiora eſſe auri fruſta, temere per acervum congeſta, quam plumbi laminas, ſpecioſo quodam artificio fabrefactas & expeditas.*

8 Nos, miſſa hiſtoria Peripatetica, ad principia Phyſicæ Ariſtotelicæ pedem movemus, cujus commodum eſſe poteſt compendium FRIDEMANNI BECHMANNI *Syſtema Phyſicum*, in uſum Gymnaſii Gothani conſcriptum, & Jenæ A. 1664. *in 8vo*, non addito Autoris nomine, impreſſum. Succincte enim omnia comprehendit, & paſſim nova inventa, ſententiasque recentiorum, immiſcet. Principia Phyſicæ poſiturus Ariſtoteles, prolixe primum diſputat contra veteres, inprimis ideo eos reprehendens, quod nulla ſtatuerint adæquata Phyſices principia. In quo parum ſincere eum egiſſe, non recte proponendo illorum ſententias, aut peregrinas illis ſententias affingendo, etiam ii ſuſpicantur, qui ceteroquin Peripateticæ Philoſophiæ ſunt addicti. Veteres autem Philoſophi ab Ariſtotele in eo reprehenduntur, quod vel unum ſtatuerint omnium principium, vel infinita. Unum principium *Parmenides* ex ſententia Ariſtotelis ſtatuebat, idemque immobile; ſed tamen vel ex ipſo Ariſtotele patet, eum principia inter ſe contraria definiviſſe, calidum & frigidum. E quo patet, non adeo abſurdum fuiſſe Parmenidem, ut nec fuerunt omnes illi, quos reprehendit Ariſtoteles, ut unum ſtatuerent principium, unde omnia conſtituerentur; niſi per unum illud principium forte intellexerunt cauſam efficientem, vel materiam naturantem, ut Scholaſtici loquuntur. Aut, ſi unum aliquod ſtatuerunt, ſtatuerunt vel univerſum aliquid, aërem, aquam, quod in ſe contineret contraria, aut quod principiis rerum conſtitutivis eſſet pro vehiculo. Qui infinita ſtatuerunt principia, non tamen excluſiſſe putandi ſunt univerſaliora quædam corpora, aut maſſas corporum, ex Atomis conformibus compoſitorum, quæ miſti partes principaliores facerent. Argumenta Ariſtotelis, quibus pugnat contra unitatem principiorum & infinitatem principiorum, ſunt iſta: Si unum eſſet principium, nihil eſſet in natura contrarium, nulla corporum miſtio aut generatio, quæ tamen omnia procedant ex principiis contrariis. Cum enim principia ſint, quæ non fiant ex ſe invicem, neque ex aliis, ſed ex iis omnia, neceſſe igitur eſt, ut omnia, quæ in natura fiant, ſint contraria. Quando vero conſideramus rationem, in qua ponit fundamentum contrarietatis Ariſtoteles, ea admodum eſt imbecilla. Forma enim & privatio illi ſtatuuntur duo contraria principia, quæ qua ratione contraria dici poſſint, niſi conceptu tantum, non video. Nam ſane privatio nullo modo locum meretur inter principia, ut purum aliquod non Ens, cujus nullæ ſunt affectiones. Et ſane, ſi in eo conſtitiſſet ratio contrarietatis principiorum, quam facile fuiſſet veteribus, etiam privationem ſuis principiis ſubſternere. Nam & ipſe dicere poſſum, privationem eſſe principium eorum etiam, quæ fiunt ſola primorum corporum congregatione. Ut enim partes alicujus miſti diſſimilaris aduniantur, oportet prius non eſſe congregatas. An veriſimile eſt, aliquem tam hebetem futurum, qui neſciat, veſtem non eſſe conſutam, ut conſuatur, lucernam non eſſe accen-

accensam, ut accendatur? Quare privationem recte despexit Plato. Nec Veteribus ista subtilitas in mentem venit, quibus illa oppositio principiorum consistebat in substantiarum consensu atque dissensu, qui tantum ratione distinguebatur a rebus ipsis. Proprie tamen ille consensus, vel dissensus, inter principia non reponebatur, quæ illa potius sunt, quæ vere, realiter & intrinsece constituunt corpus. Unde patet, male disputare Aristotelem contra Veteres, tum quod pervertat illorum sententias, tum quod ratio illa, qua pugnat, minus sententiam suam stabiliat, quam Veterum illorum sententiæ ipsius Aristotelis opinionem confirmant, qui clarius, mea sententia, & rectius viderunt, in quo consisteret principiorum contrarietas, quam adeo exaggerat Aristoteles, &, velut telum ab ipso hoste petitum, longe minori robore retorquet. Contra illos, qui infinita statuunt principia, hoc argumento pugnat: Quoniam infiniti nulla sit scientia, ac proinde nulla Physica, utpote cujus principia nesciantur. Quod argumentum quidem, si eo sensu capiant veteres, quo proponit Aristoteles, satis stringit. Quid vero, si illi negent, infinita se statuisse? Quid si illi infinitas substantias, ad unum infinitum dissimilare reductas, sciri posse contendant, quod vel ipse Aristoteles concessit, qui nec ipse omnes rerum formas mente comprehendit, sed ad unam reducit. Deinde & quærere hic posset nonnemo: An natura, quasi conciliabunda, in universi hujus molitione, hoc sibi proposuerit, nihil sibi esse efficiendum, quod superaret humanam intelligentiam, deliberansque secum, an principiis finitis, an infinitis, uteretur, tandem statuerit, infinitum esse amovendum, propterea, quod sciri non possit. Infinita autem forte etiam ipsi non statuerent, quæ nullo comprehensa essent numero, sed quæ magno & vasto essent numero, quæ proprie non dicenda essent infinita, essent enim terminabilia. Dubitarent etiam aliqui, an absolute ad ista principia redigenda sint corpora naturalia, quæ generatim præscribit Aristoteles, an non quoque specialiora sint principia certarum specierum & certorum corporum. Quæ infinita si quis dixerit, habito ad multitudinem rerum creatarum, & corporum mistorum, respectu, non absurdus adeo esset. Quo forte sensu aliqui inter Veteres acceptum voluerunt, cum infinita statuerent principia, quæ quanquam ad generalem illam materiæ & formæ notionem reduci omnia possunt, atque adeo istis conceptis terminis ista infinitas describi, nihil tamen veri huic scientiæ subest, neque est accurata quædam rei cognitio, ut merito usurpes hic illud Poëtæ:

Pergula pictorum; veri nihil, omnia ficta.

Quod si etiam ad quaternarium Elementorum omnia reduxeris, nihilo eris sapientior. Nam & hic omnia perplexa & obscura. Neque enim certi esse possumus, qua ratione ad hujus vel illius misti compositionem Elementa, aut qua proportione, misceantur, neque verosimile est, si naturam rerum consulamus, ex Elementorum corpusculis (quorum & numerus ipse disputationi subjacet) πρώτως composita esse mista. Quid enim vetat, naturam in mistione rerum uti propioribus quibusdam principiis, quam Elementis, in quorum indagatione præ ceteris versari industria Philosophi debebat, neque ista consideratio adeo eliminari, ut quæ vel non deceret

Philoſophum, vel ob infinitatem ſuam excederet intellectum ejus. Si quis in ſubterraneis corporibus conſideret mineralium ſpecies pene infinitas, non eſt veroſimile, illas ex Elementis compoſitas eſſe a natura, ſed a corporibus quibusdam propinquioribus, quæ tamen ad hujus vel illius mineralis compoſitionem principii ſe inſtar habent. Hinc recte a Phyſicis recentioribus quibusdam, corpora quædam compoſita habentur, quædam decompoſita, id eſt, quæ e compoſitis iterum ſunt compoſita, quemadmodum beneficio ignis, per artem, interdum conficere poſſumus nova aliqua corpora, quæ & ipſa externa facie & modo operandi ab iis differunt, e quibus ſunt compoſita. Ita eodem modo in natura fieri, atque in regno iſto ſubterraneo, valde eſt veroſimile. Quare, qui iſta omnia indagare volet, non quidem omnia explorabit, ſed tamen fortaſſis aliqua, atque ex hoc ſuo examine diſcet, ad intelligentiam ſpecialiſſimam Phyſicam opus ſibi eſſe infinitis, ut ita dicamus, principiis, quæ in ordinem tamen, per Analogiſmum ingenii inſtitutum, reduci poſſunt. Atque iſta cauſa eſt, quod rerum naturam in ipſo fundo ſuo occupare nonnulli maluerint, ferro & igne eam aggreſſi, quam, generalibus quibusdam conceptibus freti, a præconceptis quibusdam opinionibus rerum naturalium veritate fraudari.

9 Ariſtoteli principia generationis tria conſtituuntur, *materia, forma & privatio*, de quibus omnia confuſa ſunt & intricatiſſima, totque hic ſunt ſpinoſæ Scholaſticorum difficultates, ut cerebrum prius ruperis, quam monſtroſos iſtos animo conceptus comprehendas, quos ubi omnes ad vivum ſecueris, & in omnes partes verſaveris, nihil adeo colliges, quod ſatisfacere animo poſſit. De prima materia, Dii boni! quam ſunt mirabiles ſententiæ, *quas non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes*, quod e fluctuatione Interpretum facile deprehendas. Materia prima Ariſtoteli eſt & non eſt, Entes larva & ſimulachrum, nihil actu, omnia poteſtate, formarum omnium avida, nullius tenax, generationis & corruptionis ſubjectum, cum ipſa ſit ingenerabilis & incorruptibilis. Atque iſtæ materiæ primæ deſcriptiones, velut lacera quædam Hippolyti membra, undique ex Ariſtotelis textibus colliguntur, nullo enim in loco integram ejus definitionem propoſuit, quam fortaſſis nec ipſe dare potuit, nec alii daturi ſunt. Aliquando eam definit primum potentia corpus ſenſibile, interdum illam non omnimodo forma deſtitutam, ſed etiam nullo Entis genere concluſam exhibet, adeo, ut neque ſit quid, hoc eſt, ſubſtantia, neque quantum, neque quale, neque quicquam eorum, quibus Ens determinatur. In Phyſicis ita definit: *Subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum inſit, non ſecundum accidens*; quæ verba *cum inſit*, quid ſibi velint, non ſatis patet, niſi forte eam ob cauſam ſunt adjecta, ut diſtingueret a materia tranſeunte, ut eſt vinum reſpectu aceti. Addit, *non ſecundum accidens*, ut oſtendat, ex materia & forma unum per ſe, hoc eſt, unius eſſentiæ corpus, non aggregatum quoddam per accidens, conflatum. Interpretes Ariſtotelici novos hic nodos nectunt, & Thomiſtæ quidem materiam ita eſſe puram potentiam exiſtimant, ut omnis omnino actus & exiſtentiæ ſit expers. Alii negant, materiam omni actu, ſaltem Metaphyſico, ſive Exiſtentia, eſſe deſtitutam. Quæ omnia ſi quis inter ſe contulerit, nihil

tot

tot ſubtilitatibus ſubeſſe deprehendet, quam conceptum aliquem materiæ, qui merum ſit aliquod Ens rationis, nec amplius quicquam inferat, quam ſumma illa rerum genera, quæ Dialecticis ſtatuuntur, quæ non ſunt niſi conceptus de rebus, eum in finem adornati, ut ſub eorum claſſibus res diſtingui, & in ordinem redigi poſſint. Quæ ſi quis pro principiis rerum habiturus eſſet, is certe nihil diceret, ut ſane ex tot ſubtilitatibus de materia & forma diſputationibus nihil firmi ſolidique poſſit demonſtrari. Ex hac perplexa Ariſtotelis, de materia prima, ſententia aliqui exiſtimarunt, Ariſtotelem per materiam primam intelligere Deum. Scholaſtici quidem perſuadere nobis volunt, quod Ariſtoteles materiæ primæ creationem ex nihilo agnoverit. Sed certum eſt, Ariſtotelem illam, non coæternam tantum Deo, ſed increatam etiam ſtatuiſſe; ac Scholaſtici quidem ex Ariſtotele voluerunt reddere Chriſtianum. Ex Ariſtotele tamen non patet, illum materiam primam pro Deo habuiſſe. Quanquam enim de illa occurrant apud Ariſtotelem prædicata ingenerabilitatis & incorruptibilitatis: tamen alterum ille agnoſcit principium incorporeum, activum, formoſum, conſilii plenum, fontem boni, atque ita duo ſtatuit principia æterna, quorum unum, quod modo nominavi, Dei nomine vocatur, alterum illa materia prima eſt, principium ſcil. corporeum, paſſivum, informe, brutum. Satis itaque ex eo patet, non eam fuiſſe mentem Ariſtotelis; quanquam etiam non determinet, quid ſit iſta materia ſua prima. Nam, ſi materiam chaoticam intelligat, non certe conveniunt illi prædicata iſta, alias ſibi contraria. Nec video, qua ratione tunc Subjectum generationis dici poſſit. Qui *Metaphyſicas contemplationes* ſcripſit, Henricvs Moiir, Anglus, totus illo libro in eo eſt, ut demonſtret, eſſe aliquod in natura immobile, quod non corpus ſit, & tamen extenſum, quoniam extenſio ejus animadverti poſſit, ſaltem in iis partibus, quibus non continentur ab eo diſtinctæ. Illud a materia mobili diſtinguit, atque adeo putat, rem eſſe ſpiritalem, ſi non ipſum Deum. Hanc tamen non eſſe materiam primam Ariſtotelicam, nec ſubtilem Carteſianam, contendit, ſed aliquod a materia diſtinctum principium immateriale, imo ipſum Deum, quod neſcio, quomodo auribus Chriſtianorum inſolens eſt & durum. Id autem miror, quod corporis notionem hic excludat, cum tamen extenſum agnoſcat. Sed is, ut ex libro ejus *de immortalitate animæ* patet, nec extenſionem ſpiritibus negat, quos eadem ratione etiam corpora, cum Tertulliano, poterat dixiſſe, & cum populari ſuo, Hobbeſio. Ille vero materiam primam deſcribit per Phyſicarum Monadum, (i. e. particularum, adeo minutarum, ut ulterius dividi non poſſint, vel in partes diſcerpi) congeries homogeneas, quæ ſe invicem penetrare non poſſunt, nec ſuapte natura cohærere, quæque quantumvis contiguæ ſint, ſint tamen actu ſolutæ, & quanquam moveri queunt, quieſcentes ſunt nihilominus & immotæ. Hæc ejus materia prima nihil differt ab Atomis Epicureis, & quodammodo etiam cum Ariſtotelica convenit, quam licet ille genus generaliſſimum omnium rerum corporearum potius, quam veram ac realem materiam, exiſtimet, non male tamen poſſunt prædicata illa Ariſtotelis etiam in hanc conferri. Eo tamen maxime differunt, quod materiam ſuam primam mobilem faciat, cum contra faciat Ariſtoteles. Illud infinitum vero extenſum immobile facit, unde jam velim

explicet nobis, a quo principio motus communicetur materiæ; illud enim infinitum extenſum immobile eſt, ac proinde movendi vim non habet. Mea quidem ſententia materia prima Peripatetica, ut nudum aliquod figmentum & chimæra, ejiciatur e Phyſicis. Quæ enim neceſſitas nos cogit, aliam fingere materiam primam, quam Elementa, ut ſi quæ ſint alia corpora ſimplicia, in qua ultimo mixta reſolvuntur, cum ex iis cuncta prodierint. Nam, ſi quis de corporibus ſimplicibus quærere velit, e qua materia illa ſint compoſita, inutiliter quæret. in mixto corpore tantum quæritur illa proportio materiæ & formæ, in ſimplici vero Elemento nihil materiæ aut formæ locum obtinebit, cum illius partes omnes homogeneæ. Quis in materiam & formam eas ſecabit? quis demonſtrabit? cogitatione cum Ariſtotele quidem complecti poſſumus materiam aliquam communem, Protei inſtar in omnes naturas verſatilem, ſed illa nullo modo explicari poteſt aut concipi. Et quid opus eſt, materiam iſtam communem fingere, cum Elementa poſſint eſſe prima corpora, ac primo ita creata, ut non ſtatim ad materiam aliquam, vel formam generaliorem, nobis abeundum ſit, ac debet ſane terminus quidam eſſe inter conceptus & res. Iſte eſt ingenii humani morbus, ut nunquam poſſit ſubſiſtere. Ubi in prima incidit, priora illis, ſi non invenit, fingit, cum neceſſario in aliquo ſubſiſtendum ſit, niſi velimus abire extra naturam ſenſibilem, ſuper quam tamen fundanda ſunt naturæ principia. Ex hac tamen communitate & univerſitate materiæ, quæ in natura non reperitur, ſed in ingenio tantum Ariſtotelis ſita eſt, multa ſequuta ſunt per totam Philoſophiam Ariſtotelis paradoxa, quæ, ſi absque hac materia prima eſſent, facile ruerent, ac ruunt etiam facile, quandoquidem ejus nulla certa eſt demonſtratio. Huic doctrina ſuperſtructa eſt illa Elementorum transmutatio, magnum doctrinæ Peripateticæ principium, ſuper quo multa etiam alia fundantur. At iſta Elementorum transmutatio, nec re ipſa demonſtrabilis eſt, nec habet in natura fundamentum, ideoque omnia illa, quæ huic doctrinæ ſuperſtruuntur, ſubleſta ſunt & infirma. De quibus omnibus hoc in loco, ubi generalia tantum perſequimur, differendi locus non eſt.

10 Qui diverſitatem doctrinæ Peripateticæ & Platonicæ quaſi compendio noſſe cupit, legat Autores, quos ſupra nominavimus, qui de differentia Philoſophiæ Ariſtotelicæ & Platonicæ ſcripſerunt, aut conciliare utriusque ſententiam laborarunt. Gabr. Buratellus, *in conciliatione plurimarum Controverſiarum Ariſtotelis cum Platone*, potiſſimas ejus controverſias, per theſes & antitheſes proponit. Indiculum eorum, in quibus differunt Ariſtoteles & Plato, texuit etiam Sorellus in *Scientia* ſua *Univerſali, capite de iis, qui contra Ariſtotelem ſcripſerunt.* Inter eos, qui contra Ariſtotelem ſcripſerunt, ex Eccleſiæ Patribus antiquis, eſt S. Juſtinus, Philoſophus & Martyr, qui ex *Apologia, pro Chriſtianis* ſcripta, ſatis celebris & notus eſt. Is ſcil. partem aliquam religionis interpretatus eſt, impugnare Philoſophiam Ariſtotelis, quam, ut profanam, & errorum ac hæreſium promicondam, a Chriſtianis hominibus rejiciendam eſſe vult. Ac primo quidem incertitudinem principiorum Phyſicorum, non Ariſtotelis tantum, ſed & reliquorum Philoſophorum, ob oculos ponit. Quo argu-

argumento perſuadere vult, ut potius amplectamur, quæ de re Phyſica in S. literis docemur, quam quæ a Philoſophis, ac imprimis ab Ariſtotele, docentur, ſibi repugnantia, falſa & ſophiſtica. Pergit & inde ad reliqua ejus principia & dogmata, eaque docte ſatis, & philoſophicis etiam argumentis, refutat, ut proinde, qui nuper admodum contra Ariſtotelem ſcripſerunt, falſo ſibi gloriam novationis illius vindicent. Apud Juſtinum enim jam tum potiſſimum philoſophica illa dogmata examinata ſunt, ac prolixe diſputata. E recentioribus multi extiterunt, qui Ariſtotelis doctrinam facto agmine impugnarunt, de quibus *Capp. ſeqq.* videbimus.

CAP. XIII.

DE RECENTIORIBVS IN DOCTRINA PHYSICA NOVATORIBVS, QVI AB ARISTOTELE DIVORTIVM FECERVNT, ET PRIMO QVIDEM DE BERNHARDINO TELESIO, EIVSQVE PRINCIPIIS.

§. 1. *Philoſophiæ Ariſtoteliæ Naturalis ævo ſequiori Monarchia, & per Æg. Romanum, aliosque Scholaſticos, corruptelæ. 2. Primus eam inter recentiores impugnavit, ac Parmenidis viciſſim Phyſicam, duoque principia, ignem & terram, in lucem revocavit, Bernhardinus Teleſius, modeſte tamen imperfectionem ſpeculationum ſuarum confeſſus. Verulamii de illo, ejusque nævis, judicium. 3. Antagoniſtam Teleſius habuit Martium, hyperaſpiſten autem adverſus hunc Thom. Campanellam. 4. Dogmatum Teleſii de duobus principiis, calore, ſive igne, cœlo, & frigore, terræ proprio, materiaque, quam, velut tertium, his adjungit, qualitatibus item horum ac miſtionibus, indeque derivandis omnibus naturæ operationibus ac phænomenis, recenſus prolixior, cui ſubinde Verulamii ac Autoris de iis judicia inſpergutur. 5. Cenſura Generalis de principiorum naturalium fabricatoribus, defectibus illorum ac vitiis, horumque cauſis, & principiorum verorum inventionis difficultate pene inſuperabili. 6. Cenſura & refutatio ſpecialis principiorum Phyſicorum Teleſii, cui laus ejus & nævorum excuſatio ſubjungitur, adjectis Ariſtotelis & Carteſii de verorum naturæ principiorum imperveſtigabilitate confeſſionibus.*

REcepta fuit Peripatetica Philoſophia, pene ſola & unica, per univerſi orbis 1
Academias, tanta quidem ſuperſtitione, ut piaculo ſimile haberetur, vel latum unguem ab illa diſceſſiſſe. Quanquam tamen & illi, qui ſe Peripateticos jactabant, ipſi neſciebant interdum veras Ariſtotelis ſententias, aut, velut ænigmata aliqua, ex ſuo ingenio explicabant, omniaque incruſtabant ineptis quæſtiunculis & vitilitigiis, quæ plena manu ſpargebant Scholaſtici, ſubtiles quidem rerum notionalium ſpeculatores, ſed revera ſolidæ Philoſophiæ, præcipue naturalis,

corruptores. Non potui ſæpe ſine riſu legere, quæ Ægidius Romanus, inter Scholaſticos illos non e poſtremis, in doctrina phyſica ſua molitur: Deus bone! quot hic de materia prima, formis & privatione futiles & inanes leguntur controverſiæ, in quibus adeo ſudat ille homo, *diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*, ut, in iſta rerum & cogitationum perplexitate, quid ſibi velit, non capias. Illi tamen homines tum temporis triumphos ducebant, & mire ſibi placebant Philoſophia hac imaginaria. Quare cum literarum lux affulgeret, paulatim imminuta eſt horum hominum autoritas, atque iſto opinionum regno ſunt dejecti, quanquam Ariſtotelis tamen nomen venerabile ſemper fuit.

2 Tandem etiam ejus doctrina a nonnullis in dubium vocata eſt, atque inter illos, qui Philoſophiam ejus naturalem impugnarunt, primo loco memorandus eſt BERNHARDINVS TELESIVS,(*aa*) Conſentinus Italus, cujus extat *de rerum natura, juxta principia propria, Commentarius*, diſtinctus, qui prodiit Neapoli *in folio*, an. 1587. Laudari hic Autor vel eam ob cauſam poteſt, quod primus auſus fuerit lacertos erigere adverſus homines illos, qui uni Ariſtoteli omnia tribuebant, atque nihil alios ſapere credebant. Sequutus eſt vero, ut omnes Novatores, ſententiam aliquam veterem, quam aſſumpſit, & ratiociniis ſuis firmavit quaſi & fundavit adverſus Ariſtotelem. Nihil enim ab iſtis Novatoribus dictum eſt, aut operoſis etiam Commentariis inculcatum, quod non alicui veterum in mentem venerit, quorum licet Syſtemata integra non habeamus, quæ ab iis ſuo tempore concepta fuiſſe, & in Scholis inculcata, credibile eſt, fragmenta tamen aliqua nobis ſervarunt, tum Laërtius, tum Plutarchus, e quibus ſagacitas ingenii, per combinationes rerum, & progreſſum mentis ab univerſalibus ad ſpecialia, facile potuit novum aliquod Syſtema conficere. Noſter Teleſius Parmenidis ſententiam ſequutus eſt. Is ſcil. duo principia rerum ſtatuebat, ignem ſive cœlum, & terram. Solem & ſidera verum ignem eſſe aſſerebat, eumque purum & limpidum, non degenerem iſtum, qualis apud nos eſt. Ceterum principiorum ejus perexigua eſt memoria, niſi forte in libello illo, quem Plutarchus *de primo frigido* conſcripſit, aliqua Philoſophiæ ejus continentur, quæ forte ab homine Scholæ Parmenidis addicto exſcripſit Plutarchus. Nam, ut recte judicat Verulamius, acutiora in iſto libro & firmiora habentur, quam ſolent eſſe iſtius Autoris, qui ea vulgavit, atque iis excitatum putat idem Autor Teleſium, ut ea ſtudioſe arriperet, & ſtrenue perſequeretur, in ſuis *de natura rerum* Commentariis. Eum tamen Autorem, judicat, deſtruendo, quam aſtruendo, eſſe meliorem. Multis enim dubiis adeo ſe involvit, ut expedire ſeſe non poſſit. Eſtque inter illos, judice Verulamio, qui, cum prius opinantur, quam experiuntur, ubi ad res particulares ventum eſt, ingenio & rebus abutuntur, atque tam ingenium, quam res, miſere lacerant & torquent. Quare & ipſe Teleſius, quaſi deſperabundus, hanc imperfectionem ſuorum principiorum teſtatur, ac voto præterea ulteriorem culturam expetit. In modis rerum, & gene-

(*aa*) De Bernhardino Teleſio, ejusque Hypotheſibus Phyſicis confer *Tomi hujus Secundi Lib. I. cap. 15. §. 2.*

generationibus earum, & miſtionibus, multa eſſe obſcura; fatetur, ac minime inquirenda, quæque homini nulla innoteſcere queat ratione. *Utinam*, inquit, *id otio fruentes, & perſpicaciori ingenio præditi, & quibus in ſumma tranquillitate rerum naturam perſcrutari licuerit, aſſequantur, ut homines non omnium modo ſcientes, ſed omnium fere potentes, fiant.* Qua ingenua ſua confeſſione laudandus eſt Vir doctiſſimus, præ illis, qui omnino impoſſibile ſtatuunt, ut id aſſequantur homines, quod ipſi principiis ſuis aſſequi non potuerunt.

Adverſus illum ſcripſit librum, undecim annorum labore confectum, *Martha*, 3
teſte Erythræo, *Pinacotheca I. Imagine 21.* Quem undecim menſium ſcripto refutavit Thomas Campanella, acerrimus Teleſii propugnator, ut teſtatur Erythræus, *cod. loco. Teleſii*, inquit *ille, nomine audito, ejus Philoſophi librum, intra paucos dies decoravit, ejusque philoſophandi rationem penitus perſpexit atque probavit. Nec mora, undecim menſibus ad Marthæ librum, undecim annorum labore ſtudioque contra Teleſium exaratum, reſcripſit.* Qui libri an lucem publicam aſpexerint, me equidem latet. Neque enim quicquam ejus rei mihi cognitum eſt. Si in lucem prodiiſſent, multa utique præclara ex ea velitatione diſcere poteramus. Subtile enim admodum eſt Campanellæ ingenium, atque ampliſſime per omnia ſcientiarum latibula extenſum, de quo ſpeciatim nobis dicendum erit.

Nunc ad Teleſium redimus, ejusque principia breviter atque ſummatim recen- 4
ſebimus. Primas conſtituit formas & ſubſtantias, quæ tamen incorporeæ ſint, calorem & frigus, quibus corpus tamen largiatur materia, quæ utriusque naturæ ex æquo ſit ſuſceptiva, ac omnis actionis expers. Lucem vocat calorem diſſipatum, quæ iterum poſſit per conſtipationem ſui fieri ſenſibilis, opacitatem vocat deſtitutionem & confuſionem naturæ radiantis ex frigore. Rarum & denſum quaſi caloris & frigoris texturæ illi ſunt, a calore raritas, a frigore denſitas. Hinc vel proclivitas ad motum, vel ad quietem. Duobus itaque his principiis ſociat quaſi quasdam naturas, priori calidum, lucidum, rarum, mobile, alteri oppoſitas, frigidum, opacum, denſum, immobile. Naturas primi ordinis (caloris ſcil.) eminenter tales, ponit in ſole, cœlo & ſideribus. Naturas alterius principii in terra. Cœlum enim eſt e ſummo calore, materia rariſſima & lucidiſſima, illi confectum: terra ex frigore quaſi conſtipata atque condenſata. In cœlo dominari caloris naturam ait integram, & ab omni inſultu principii contrarii liberam; quanquam ſecundum magis & minus variat: corpora enim ſtellata intenſius calere, inter ſtellaria remiſſius; ipſas etiam ſtellas aliis alias eſſe ardentiores, citra tamen frigidi receptionem; recipere enim diverſitatem naturæ, non contrarietatem, de quo judicium ferri non poſſit ex igne noſtro communi. Cœlo competere quoque luciditatem, itidem ſecundum magis & minus, alias enim cœli partes lucidiores eſſe aliis; etiam ſtellas, quod viæ lacteæ exemplo confirmat. Cœlum quoque habere ſubſtantiam tenuem & raram, ſed tamen alia parte materiæ magis explicatam, alia minus explicatam, ſortiri. Cœlo motum eſſe proprium, circularem

natura

natura quidem ſua, ſed qui tamen etiam ab iſto ordine nonnunquam divertat. Nam vel latione, vel incitatione, vel obliquitate, differre, ut ſit vel celerior, vel tardior, vel ſpiralis, ex quo motu poſtea, acceſſionis ſcil. ſolis & receſſionis, cauſas generationis & corruptionis deducit. Ex oppoſito terræ quoque portionem illam frigidi intemeratam atque integram adſcribit, quæ nunquam penetret ad ſedem caloris cœlum; in ejus vero ſuperficie, quæ quaſi cortex vel cruſta terræ eſt, generationis illum fundum ponit, in qūo velut extremo, concurrant quaſi & confligant geminæ iſtæ naturæ, unde ex ſubactione materiæ fiant iſta corpora, quæ fieri videmus, ita, ut ſingula, ſive illa ſint vegetabilia, ſive mineralia, aliquid in ſe cœli vel caloris, recipiant, cœlum contra aliquid frigidi, e quorum ſubactione mutua tandem corpus aliquod concreſcat; cum pura iſta elementa caloris in ſumma cœli parte, frigidi in ipſo centro terræ, conſerventur. Atque ſic quaſi in regni ſui inferioribus ſecūra pace fruuntur, cum circa fines perpetuum bellum ſit, atque ex eo, prout victoria ceſſerit, corpora fiunt, in quibus vel frigus dominatur, vel calor. Ex pacto enim, & æquali aliquo fœdere, nihil fieri ſtatuit. Sed imbellius principium neceſſario ſervit, validius prædominatur. Ubi tamen aliquid etiam dotis & facultatis tribuere materiæ videtur Teleſius, quanquam titubanter id faciat, & cum hæſitatione. Ulterius modum tradit Teleſius, quomodo ex iſta lucta tam fœcunda generatio fiere poſſit; quem ut definiat, primum cauſas ponit, quare terra jamdudum a ſole deſtructa non ſit, vel deſtrui non poſſit, cum unum quodque principium ſemper ſibi ſimile laboret reddere alterum, ſol, quantum in ſe eſt, terram laboret convertere in ſolem; ac terra vice verſa ſolem in terram. Cauſas itaque impedientes hujus mutationis reponit, 1. in diſtantia. 2. declinatione radiorum ſolis a perpendiculo. 3. Obliquitate motus ſolis per zodiacum. 4. Celeritate motus ſolaris. 5. Contigultate corporum inter ſolem & terram, quibus intermediantibus quaſi franguntur & fatigantur caloris vires. Ex iſtis cauſis varias ſortitur operationes calor, vehementer inæquales, & diverſas, & perplexas. Fit autem iſta operatio, vel per vim caloris, vel per diſpoſitionem materiæ, vel per modum ſubactionis, quæ tria, inter ſe connexa, ſibi ipſis quaſi concauſæ ſunt. Calor differt vi, copia, mora, medio, ſucceſſione. Succeſſio variatur accedentia, recedentia, intentione, remiſſione, ſaltu, gradu, reditu, vel repetitione, per majora aut minora intervalla. Prout itaque calores variant, ita etiam operantur. Ipſi quoque calores inter ſe, prout gradu differunt, majores minores abſorbent; qui aliquid cum frigore commune habere videntur, aut cum ipſo conſpirare. Copia caloris demonſtrari poteſt, vel in multiplicatione radiorum ſolis, vel in perpendicularitate. Mora quoque caloris quantum efficiat, diverſitas climatum oſtendit, in quibus mora rependit calorem, quem alia parte perpendicularitas efficiebat. Medii ſingularis efficacia eſt in deferendo calore, unde tot tempeſtates oriuntur, tot aëris diſpoſitiones ſunt, vel ſalubres, vel noxiæ. Ipſa caloris ſucceſſio, per motum ſolis, tot generationum cauſa eſt illi. Absque ea enim ſi eſſet, non poſſet tanta eſſe rerum varietas & viciſſitudo. Per eam enim corpus ſolis ſe omnibus terræ partibus accommodat, & viciſſitudine illa efficit, ut nulla ejus pars calore careat, quod Ariſtoteles

quo-

quoque vidit, qui generationem & corruptionem rerum vlæ obliquæ solis tribuit. In eo tamen reprehenditur a Telesio, quod generationem seorsim accedentiæ, corruptionem recedentiæ tribuat, cum utramque utrique conjunctim tribuere debuisset. Nam, ut accedentia solis quædam generat, ita vicissim quædam corrumpit, quemadmodum & recedentia solis facit.

Hujus effigiem quandam & imaginem in igne nostro habemus, inter quos calores nulla ἑτερογένεια est, nisi quod ministerio nostro gradus illi produci non possint, aut caloris istius vicissitudines ita temperari, quemadmodum solaris calor circa terræ corpus dispensatur. Contraria principii, frigidi scil. nulla est accurata apud hunc Autorem dispensatio, nisi forte ea, quæ de materiæ dispositione dixerat, eo referri velit. Sed tamen distincta hæc considerandi ratio est. Distincta enim est natura materiæ, & illi, quasi tertium aliquod principium, prioribus additur. Quare in eo supplet hic Verulamius Autoris Philosophiam, & ostendit, quid de frigidi natura dicere speciatim potuisset, atque ex ea principiis suis accommodare. De materia vero non satis certum est, an non dotes aliquas Autor illi adscribat. Quantum enim ex ejus assertis patet, non mere passive se habet materia, sed aliquid confert ad constitutionem corporis operandam. Qualitates vero generales materiæ Telesio in eo consistunt, ut actionem caloris promoveat, impediat, mutet. Differentias autem constituit quadruplices. Prima est ex calore præinexistente, aut non præinexistente. Existimat enim Telesius, nullum esse corpus, cui non insit aliquid caloris, qui ab adventitio calore ad actiones suas peragendas excitetur suo isto modulo; quare quemadmodum, vel major, vel minor, ille calor est, eo tardior vel celerior est caloris externi conceptus. Secunda differentia est ex copia vel paucitate materiæ; si enim densa fuerit, caloris vires augentur & intenduntur, si laxior, disperguntur. Tertia differentia sumitur ex subactione materiæ, quæ secundum gradus suos multiplex est. Hos gradus constituit: Primo lentorem, quem vocat materiæ dispositionem, qua illa compressionis & extensionis patiens, fluxibilis ac ductibilis est, ac majorem violentiam sustinere apta. Secundus illi gradus est mollities, cum corpus levi etiam impulsioni cedit. Tertius illi gradus est viscositas, s. tenacitas, quæ principium quoddam fluoris est. Quartus gradus est ipse fluor, quando facile movetur corpus, atque ægre definitur & consistit. Quintus gradus est vapor, cum corpus attenuatur in intactile. Sextus gradus est halitus, qui vapor magis est attenuatus. Septimus aër ipse est, quem calore nativo præditum esse, statuit Telesius. Quarta differentiæ ratio est ex clausura vel apertura corporis subacti; aliter enim calor in compacta, aliter in porosa corpora, operatur. Hic vero satagit Telesius, ut omnia principiis suis accommodet, ut expediat modum divortii & separationis qualitatum suarum primarum connaturalium, caloris, lucis, tenuitatis & mobilitatis, & quaternionis oppositæ, prout corporibus accidunt. Aliqua enim corpora sunt calida, & tamen densa, quieta, nigra. Aliqua ita permutant has naturas, ut, quomodo expediri ista possint, non facile invenias. Hac in parte infelices fuisse Telesii conatus, tum Verulamius ait,

tum ipſe Autor fatetur iis verbis, quæ ſupra adduximus. Porro ſubactionis modus triplici dogmate Teleſii abſolvitur. Primum eſt, quod omnis effectus in corpore naturali victoria & prædominantia conſtituatur, non vero æquali potentia. Secundum eſt, quod calor actione propria corpora ſemper vertat in Ens humidum. Calori enim non ſiccitatem adſcribit Teleſius, ſed humiditatem, quare per illum flamma eſt omnium humidiſſima, quod facillime cedat, & ægre conſiſtat. Itaque, ait, calorem humidum perpetuo allicere, depaſcere, extendere: contra frigus agere omnia in ſiccitatem, concretionem, duritiem. Quam ob cauſam ſuccenſet Ariſtoteli, quod non recte ſiccitatem cum calore copulaverit. Quod vero interdum deſiccentur corpora per calorem, id fieri, dicit Teleſius, per accidens, in corpore ſcil. diſſimilari, partibus, partim tenuibus, partim craſſis, conſtante, eliciendo per attenuationem primo partes tenuiores, unde craſſiores ſe conſtringant, quæ tamen & ipſæ in humidum cedant, ſi violentiori igne urgeantur, quod exemplo laterum probat, quorum partes tenuiores primum per ignem attenuentur & ejiciantur; ſi vero fortior calor acceſſerit, lateritia ſubſtantia in vitrum tandem abeat, quod absque fluore confici non poteſt. Tertium dogma perſpicue diſtinguit ſubactionis modum, qui duplex eſt, vel rejiciendo, vel vertendo, quando ſcil. calidum & frigidum magna mole concurrunt, tum ſequitur ejectio (Entia enim loco moventur & impelluntur,) ubi vero minori quantitate res geritur, tum ſequitur verſio: tum enim interimuntur Entia, & naturam potius, quam locum, mutant. Hujus rei exemplum exhibet in regionibus aëris ſuperioribus, qui frigidiores reperiuntur, quam ſunt illæ, quæ terræ propiores. In illis enim locis, ubi ad ſedem primi calidi propius perventum eſt, calorem, ſe colligentem, univerſam frigoris vim ſimul ejicere & detrudere, ait, unde & ſimiliter vice verſa in terra fieri poſſit, quod calores vehementiores in profundo ejus ſint, quam in ſuperficie. Alter ejus canon eſt, quod in aperto ſequitur ejectio, in clauſo verſio, quod probat exemplo vaſorum occluſorum, in quibus emiſſio corporis attenuati, ſive ſpiritus, impedita, isque retruſus, corpora per fermentationem alterat. Quod idem etiam fit, ſi corpus adeo compactum eſt, ut egredi ſpiritus non poſſit. Atque iſta fere ſunt, quæ Teleſio circa rerum principia viſa ſunt, quæ cum Parmenidis principiis fortaſſe conveniunt, niſi quod Teleſius illis materiam addidit, in qua quanquam Verulamius eum Peripateticis notionibus depravatum eſſe oſtendit, tamen, ut mihi videtur, rem aliter expedire non potuit. Nec enim video, quomodo ſe explicaret Teleſius ſuis principiis, niſi & materiam agnoſceret, quæ quidem frigido ſuo adeo implicata eſt, ut ſeparari ab invicem non poſſint. Neque enim, quid frigidum ſit, extra materiam demonſtrare poteſt Teleſius, neque etiam ipſam materiam ita diſtinctam explicare novit, niſi ex illis affectionibus, quæ conſequuntur materiam, lentore, viſcoſitate, duritie, mollitie, & ſimilibus.

5 Quod Verulamii judicium attinet, is quidem magnifacit ingenium hujus viris, ut certe absque ingenio confici non poteſt, quæ de objecto aliquo quaſi recens formatur diſciplina, ita enim recte vocari poteſt. Nam a tot ſeculis regnaverat Philoſophia,

sophia, vel Peripatetica, vel Platonica, a cujus principiis cum diversum Systema meditaretur Telesius, in omnes partes versare debuit oculos, ne principia, semel ab ipso posita, fallerent. Sed & in eundem is lapidem impegit, in quem pene omnes. Plerique enim primo ponunt principia, atque ut illorum principiorum jacturam non faciant, eaque vera esse ostendant, non ingenium rebus, sed res ingenio, accommodant, cum potius contraria ratione agendum esset. Id vero, ut recte fiat, præstari humano ingenio, ob infinitatem rerum, vix potest. Quanquam proficere aliquo modo possimus, si illa experiundi cura inter multos dividatur, quæ & ipsa res non pauca habet obstacula. Præterea cum dupliciter considerari universa rerum natura possit, vel quatenus Systemate aliquo est ordinata, suisque connexa globis ex orbibus, tanquam partibus, & hujus globi terraquei massis majoribus, vel quatenus species aliquæ corporum naturalium producuntur, in quibus tam pene Physicorum opera versatur, cum consideratio hujus universi Systematica, & affectiones istæ, quæ universo huic, ob Systematicam compositionem, insunt, comprehendi humano ingenio ægre possint, omnis eorum industria circa minuta ista occupatur. Et, si vel maxime eorum aliquam habeamus notitiam, particularis illa tantum erit, ac nullis adeo certis principiis fundata, quæ tamen nemo non est, qui jactet, ideoque ingenio nostro succurrimus imbecillitati nostræ, & hoc quasi fuco & palpo nobis blandimur, quasi certa quædam & universalia principia in solido locaverimus, cum illa speciem quidem veri habeant, sola tamen humani ingenii, ac notionum inde dependentium, norma exigantur. Quam mirum non est falli, cum & ipsi sensus nostri sæpe fallantur. Sed de his frustra forte instituitur querela, cum veteres istæ næniæ sint, & ab omnibus decantatæ. Est tamen earum ratio habenda iis, qui adeo glorioso animo Mathematicam totius Physices eruditionem jactant. Quare, ut pene omnes, ita & Telesius, in hoc vitium incidit. Omnes, qui secundum sensum solum philosophantur, materiæ æternitatem asserunt. Tria videntur esse dogmata, quæ ex fide nobis constant: Primum, materia creata ex nihilo; hic stupet & horret omnis sensus & intellectus: Secundum, eductio Systematis per verbum omnipotentiæ. Qui enim secundum sensum philosophantur, statuunt ex potentia materiæ omnia fuisse in Schematismos illos reducta; Tertium, quod Schematismus ille, ante lapsum Adami, fuerit optimus. Sed Philosophiæ illæ vulgares ad nullum horum ascendunt. Hæc quoniam magna fundamenta sunt, necesse est, illum, qui istuc non respicit, in multis aliter sentire. Et, si vel extra revelationis principium consideretur hoc universum, quis animo comprehendere potest, quinam post multos seculorum decursus futuri sint universi hujus Schematismi. Aliqua Platonicorum & Stoicorum ea in re cura fuit, sed omnia mira caligine sunt involuta, & potius in conceptibus quibusdam inanibus hic indulgetur, cum certi nihil determinari possit. In principiis Philosophiæ naturalis id cavendum inprimis est, ne ex non Entibus Entia faciamus, aut ex non principiis principia. Abstracta itaque, & universales quidam conceptus non sunt Entia ac proinde non sunt principia. Tum & Entia corruptibilia non possunt principii locum obtinere; quare

cum tot ſint rerum corruptiones & alterationes, neceſſarium eſt, ut unum aliquod ſit immutabile & immobile, ac velut centrum aliquod, quod vel potentiale aliquid eſt, vel minimum. At potentiale eſſe non poteſt, id enim actu ipſo non eſt, nec poteſt eſſe unum reſpectu omnium illorum corporum, quæ in actum deducuntur. Præterea etiam nihil ponit realitatis, ut principii locum tenere poſſit, cui quis ſecure poſſit ſuperſtruere. Ergo natura ipſa nos compellit ad minimum, quod revera eſſe in natura videmus, cum cetera tantum ſint ingenio conficta, atque illud potentiale, de quo loquebamur, idem ſit abſtractum, ut quod actum omnem negat, potentiam omnem continet. In minimo itaque ſenſui acquieſcendum eſt, niſi quis forte nulla principia velit, ſed unum corpus alteri principium eſſe ſtatuat, legem vero atque ordinem mutationis tantum conſtantia eſſe & æterna. Quam ſententiam Verulamius meliorem dicit, quam eam, quæ principiis abſtractis nititur, quæ æterna ſtatuunt homines, cum ſint tantum phantaſtica, & ab ingenio humano conficta. Eo enim modo dicit, exitum tamen aliquem earum rerum eſſe, ut res ita ferantur in circulum, atque in orbem mutentur. Cum in principiis notionalibus, tanquam in perpetuo labyrintho, ſemper occaſio nos aliosque vexandi & fallendi ſubminiſtretur. Quæ ſententia Verulamii, quanquam non ſpernenda ſit, vereor tamen, ne illa abutantur Sceptici, qui fortuitam omnium rerum generationem & conſtitutionem, ut fundamentum, ſubſternere ſolent nefariis hypotheſibus; facile enim ex ſuppoſita iſta ſententia, etiam conſtans ille ordo, quem hic principiorum permutatio ſociaverat Verulamius, labefactaretur.

6 Sed ad Teleſium noſtrum redeamus. Is certamen principiorum ſuorum tot varietati rerum procreandæ inſtituit, quæ quidem concertatio non æquis partibus videtur eſſe diſpoſita. Nam certe inter cœlum & terram non eſt iſta proportio æqualis, quanquam terra compactum corpus ſit, cœlum extenſum. Illa extenſio infinitis modis ſuperat maſſam terræ compactam, quæ ne punctum quidem implet comparata immenſis cœlorum orbibus. Quis etiam certa nobis fide tradet, omnem materiam ſolidam fuiſſe in unicum corpus terræ compactam. Nam, quæ nobis vicina eſt, luna, quaſi altera quædam terra eſt, & corpus opacum, ut oculis, perſpicillo armatis, deprehendi poteſt. Quid jam de ceteris cœli orbibus pronunciandum eſt, qui, ut a viſu noſtro diſtant longiſſime, ita eorum vel tenuitas, vel opacitas, dijudicari nequit. Neque dicam, eſſe multos in hoc expanſo globos, qui videri nequeunt, & generari interdum novos, non in ſublunari tantum regione, ſed etiam extra orbem Planetarium. Ut itaque ex eo ſatis pateat, fruſtra eſſe Teleſium, in unicum terræ corpus omnem maſſam ſolidam compingentem; ne dicam de ipſo ſole, διάφανον eſſe nobis, nemo temere affirmabit, ſuntque hodie, qui ſerio iſtam ſententiam tuentur, corpus ſolare conſtare materia tenaciſſima & compactiſſima, a perpetuo igne ſubacta, &, ut Chymicorum more loquar, fixa. Adduxerunt Teleſium in has ſententias præconceptæ opiniones, e Peripateticis, vel aliis, hauſtæ, de mira cœleſtium corporum ſubtilitate, calore & quinta quadam eſſentia, a corporum miſto-

miſtorum, elementarium natura exaltata & abſtracta; quod tamen non niſi ex ingenio noſtro dependet, qui omnia alia nobis imaginamur, quam illic revera ſunt. Quid enim de natura horum corporum pronunciemus, qui neque motum, neque ordinationem mutuam apprehendimus, quod tamen oculorum eſt, ut teſtantur varia illa a multis conficta Syſtemata. Præterea, ſi, ex Teleſii ſententia, totum cœlum, cum omnibus illis ſideribus, igneum eſſet, mirum, quod ex tot ignium conſtipatione jamdudum hæc terra flammis non ſit abſumpta, & in iſtud humidum ſuum, flammam ſcil. redacta, ad quod, quantum in ſe eſt, ignis reducere laborat contrarium principium. Niſi Teleſio his hypotheſibus, ſuccurramus Jordani Bruni ſententiæ, quæ etiam nonnullis aliis placuit, multos ſoles, multas terras, ſtatuentis, ita, ut iſta concreatio calidi & frigidi, & corporum exinde reſultantium productio, intra orbem planetarium compingatur. Sed tum in heterodoxas facile ſententias delabemur, neque tamen ſecure & certe ſatis de eo quicquam definiri poteſt. Neque recte menſuram iniiſſe videtur Teleſius, cum poneret frontibus adverſis pugnantia principia, cœlum & terram: illud *πρῶτον δεκτικὸν* caloris, vel ipſum potius ignem; hoc *πρῶτον δεκτικὸν* frigidi, ratione ipſius pugnæ mutuæ, unde illa corporum diverſitas oritur. Oporteret enim tela utrinque pertingere & ferire ſcopos ſuos; quod de ſole quidem verum eſt, ac reliquis corporibus cœleſtibus, quorum efficacitas ad intima terræ penetrat; quanquam etiam multi ſint, qui præfracte id negent. An vero terra vires ſuas usque ad ſolem & reliqua corpora cœleſtia pertendat, de eo magna dubitandi ratio eſt. Videre itaque hinc licet, quam inæqualibus armis, e Teleſii ſententia, in hoc naturæ campo, pugnetur, imo ne quidem pugnetur, cum arma ipſa eminus ſubſiſtant. At vero in ipſis etiam principiis calidi & frigidi quomodo acquieſcere quis poſſit, non video, cum & illa ſola non ſufficiant; ſunt enim in natura nonnullæ actiones & effectus, quæ ad calorem & frigus reduci non poſſunt. Nam quod Teleſius ait de materia, quod ſervet ſe & ſuſtineat, & potius ad rationem quanti, quam ad formam & actionem pertineat, atque adeo eam neque calori, neque frigori, deputet, eo oſtendit, aliquid etiam virtutis ineſſe materiæ, qua ejus deſtruibilitas impeditur, quaque reniititur operationi caloris contrariæ. Ut igitur immerito ex agentium numero excludatur, utque plus pene agat, quam ipſa ejus agentia, atque, ut Verulamius loquitur ex hypotheſi Teleſiana, merum fatum & neceſſitatem inferre videatur. Sunt etiam naturæ nonnullæ, quarum calor & frigus effectus ſunt & conſectaria, neque per excitationem caloris præinexiſtentis, aut caloris adventitii, ſed prorſus in ipſo iſto puncto, generantur, ut ex Chymicis operationibus conſtat. Quorſum referre etiam poſſis, quod obſervatur in *Actis Hafnienſibus, Tom. 1. obſerv. 71.* duos ſpiritus frigidos, invicem confuſos, flammam edere. Deinde multa ſunt, quæ a calore & frigore originem ducunt, ac procedunt ab illis, tanquam ab efficiente & organo, non tanquam a cauſa propria & interna. Denique conjugatio illa quatuor connaturalium, quam inſtituit Teleſius, omnino permiſcetur & confunditur. De quibus omnibus ſingulatim dicere nunc non poſſumus. Laudandus tamen eſt Teleſius, ut vir amans veritatis, &

nonnullorum placitorum emendator, atque adeo ut primus inter eos, qui brutæ autoritati & opinionum regno ſe oppoſuerunt. Neque vitio vertendum ei eſt, quod, cum in multis ſatis bene ſe habeant dogmata ejus, & argutus ſit & ſubtilis, inprimis cum redarguit Peripateticorum argumentationes, in quibusdam deficiat: quæ ſors omnibus illis Novatoribus communis eſt. Utut enim ſe torqueant in cognitione rerum, aliqua forte, minutiora ſcil. & particularia, ſic ſatis interdum cognoſcent, cum vero ad rerum ſummam perventum eſt, & univerſalia principia, magna ſæpe ſpe decidunt, adeoque multa ſunt, quæ certitudini iſti opponi poſſunt. Perplacet nobis ingenua ſummorum Philoſophorum confeſſio, alterius principis veterum, alterius recentiorum anteſignani, Ariſtotelis & Carteſii. Ariſtoteles enim, *in Meteorolog. lib. 1. cap. 7.* evidenter oſtendit, de iis, quæ ſenſui pervia non ſunt, ſatis eſſe juxta rationem demonſtratum, ſi ad id, quod fieri poſſit, ea reducántur. Unde patet, Ariſtotelem maluiſſe in rebus ſenſum excedentibus opininari, cum ſcire non liceret. Sed tamen inſignis ille paralogiſmus erat, a poſſibilitate ad exiſtentiam rei argumentari. Similiter & Carteſius, ingenioſiſſimus ille principiorum ex abdito exſtructor, hoc Philoſophiam ſuam Corollario claudit: *Quamvis forte hoc pacto intelligatur, quomodo omnes res naturales fieri potuerint, non tamen ideo concludi debet, ipſas revera ſic factas eſſe, & ſatis a me præſtitum eſſe putabo, ſi tantum ea, quæ ſcripſi, talia ſint, ut omnibus naturæ phænomenis accurate reſpondeant; hoc enim ad uſum vitæ ſufficiet.* Quam ingenuam viri illius ſubtiliſſimi confeſſionem, vellem conſiderarent iſti e Schola ejus diſcipuli, qui mordicus adeo defendunt Carteſii ſententias, & in præjudicium ſæpe fidei Chriſtianæ eas ulterius tendunt, quam ipſe voluit extenſas, ac meras in naturalibus demonſtrationes jactant, præ quibus diſſentientes contemnunt, quaſi recta ratione non uterentur, niſi Carteſiana utantur. Ipſe enim longe modeſtior fuit ſuarum ſententiarum æſtimator.

CAP. XIV.

DE FRANC. PATRITII, THOMAE CAMPANELLAE ET HIERON. CARDANI, PRINCIPIIS PHYSICIS.

§. 1. *Franc. Patritii eruditio & Scripta varii generis plurima. Juſti Lipſii in* Parallelos *ejus* Militares *plagium. In Phyſicis Ariſtoteli ſe oppoſuit, & Bernh. Teleſii principia duo, frigus & calorem, amplexus, lucem his, ſpatium & fluorem, ſuperaddidit. Philoſophandi ratione utitur intricata & ἀμεθόδῳ. Adverſarios habuit Theod. Angelutium & Jac. Mazonium.* 2. *Hier. Cardani ingenium portentoſum, mixtaque doctrinæ ac ſapientiæ ſtultitia. Dæmon familiaris falſo ab eo jactatus. Controverſia cum J. C. Scaligero, ſophiſtice ipſum aggreſſo. Dogmata Phyſica ſingularia. Scripta Phyſica.* Metopoſcopia *illi ſuppoſita. Jactantia ejus de Inventis ſuis contra Plagiarios. Thema Chriſti Natalitium aliis ab eo ſubreptum.* Liber de Vita propria. *Laus* Proxenetæ *ejus* de Arcanis Politicis. 3. *Thomæ Campanellæ ingenium mirabile, ſuſpicione Magiæ*

Magiæ oneratum a Theologis adversariis. Diss. *ejus* de Libris propriis. *Paradoxon de sensu rerum omnium, Lib. peculiari ab illo defensum, fusius refutatur, & artibus Magicis patrocinari perhibetur. Scripta ejus reliqua potiora recensentur, opinionesque Physicæ & Astrologicæ singulares obelo notantur.*

QUædam Telesii principia sua fecit FRANCISCVS PATRICIVS, *(bb)* Philosophus utique non contemnendus, humaniorum quoque artium peritissimus, &, quod mirandum est, negotiis plurimis districtus & occupatissimus, tot ac tam varia scripsit. Præter Philosophica, in Rhetoricis, Poëticis, arte militari, multa scripsit Italica lingua. *Paralleli* ejus *Militares*, ut vocat, magnam eruditionem continent. Confert enim militiam veterem cum nova. Quo libro magnum fundum submministravit Justo Lipsio, qui illum in aliam orationis faciem convertens, pene totum exscripsit, quod & Josephus Scaliger alicubi in *suis Epistolis* observat, estque eadem de re aliquid inter *Excerpta* ejus consignatum. Magnum certe ingenium ostendit in *Discussionibus Peripateticis*, in quibus, vel integros libros, Aristoteli falso adscriptos, monstrat, vel omnia aliis Philosophis erepta. Quas Aristotelis sententias cum convulsisset primum, substituit deinde *novam* suam *de universo Philosophiam*, in qua principia caloris & frigoris retinet ex Telesio, sed lucem, spatium & fluorem, addit, ut principia oberrantia. In luce vero, ut principio primo visibilium, copiosus admodum est & prolixus, quam una cum tenebris faciem caloris & frigoris constituit, ut loquitur, eorum vero operationes, motum & quietem. Cœli rotunditatem & orbes, eorumque densitatem, vel tenuitatem, contra Aristotelem negat. Ignem sublunarem explodit, & IV. corporum Qualitates. Sed is magis intricavit sua dogmata, quam ipse Telesius, & interdum nebulas aliquas Platonicas potius captat, quam rei veritatem sectatur. Ad autoritatem tamen veterum omnium Philosophorum provocat, illisque Philosophiam suam consentaneam, atque adeo veram illam & unicam, asserit, ac Pontifici Gregorio XIV. & futuris omnibus Pontificibus Maximis, eam ob causam inscribit, ut, ejecto e scholis Aristotele, veram illam veterem Philosophiam ac divinam, se illam tradente, introducerent. Nihil tamen effecit, neque enim Aristotelis autoritatem convellere potuit, quæ altius radices egerat, & Patronos tunc temporis habebat maximos. Neque sane causa erat, quare, relicta Aristotelica, Patritianam illam Philosophiam amplecterentur, quæ discursibus quibusdam constabat, non vero in istam Methodum redacta erat, quam tamen poterat jactare Aristotelica Philosophia. Perpetuas habuit cum *Theodoro Angelutio*, Philosopho ac Medico Patavino, de naturali Philosophia, & cum *Jacobo Mazonio* de morali, controversias, suntque ab illis libri Eristici conscripti, qui in Bibliothecis passim latent, neque adeo ad multorum conspectum veniunt. In Rhetoricis, Poëticis ac Mathematicis, multa nova meditatus est; *de Historia scribenda* etiam Dialogos scripsit, & *Commentarium in Polybium de Militia*

(bb) De Patritio Confer *T. II. L. I. c. 8. §. 3. & 4. ac c. 15. §. 2.*

Militia Romanorum. Protulit e tenebris antiquitatis *Commentarium* Græcum Joh. Philoponi *Metaphyſicam Ariſtotelis*, quem etiam in Latinam converſum a ſe emiſit. Unde videri ſatis poteſt, magnum fuiſſe hujus viri & vaſtum ingenium, per reconditas etiam ſcientias diffuſum, quod tamen in Phyſicis contemplationibus ſagacitate multum concederet Teleſio. Vix enim fieri poteſt, ut actionibus, per tam vaſtas meditationes diſtractus, ac ubique habitans, uno in fundo habitare totus poſſit.

2 HIERONYMVS CARDANVS, (cc) inter lumina ſeculi merito numerandus, Philoſophiæ naturalis ſuo tempore magiſter fuit, vir prodigioſus in omnibus omnino ſcientiis, Medicus, Mathematicus, Theologus, Philoſophus, quod oſtendunt vaſta ejus volumina, curante Gabr. Naudæo, decem Tomis *in folio*, congeſta, in quibus ut multa ſane ſunt acutiſſima, ac profundi judicii ſpecimina, ita non pauca valde ſtulta & inepta. Quoniam enim Melancholici ingenii homo erat Cardanus, multa divinationibus, ſomniis, oſtentis, auguriis, tribuebat, in quæ ad anilem usque ſuperſtitionem pronus fuit, ut in ſuſpicionem Magiæ veniret nonnullis, quod adeo ſæpe in ſcriptis ſuis Dæmonium illud ſuum nominet, velut monitorem aliquem & doctorem ſuum. Qua imputatione tamen eum liberat Naudæus, tum in *Apologia ſua omnium Magiæ accuſatorum*, tum in *vita ipſius Cardani.* Ac res ſane ipſa oſtendit, vel ridiculam fuiſſe viri iſtius perſuaſionem, vel ſtultam iſtum gloriam affectaſſe, ſi perſuadere poſſet hominibus, a genio ſe quodam, atque adeo divinitus, doceri. Ubi foris crepuit, ubi tumultus aliqui nocturno tempore in ædibus auditi, ubi ſomnium aliquod habuit emphaticum, omne id genio ſuo monitori tribuit Cardanus. Quod ſi ſemel aliquis memorabilis eventus iſta præſagia ſua erat ſubſecutus, quod tamen caſu contingere poterat, ſtatim genium ſuum appellabat, atque ab eo hæc omnia proficiſci credebat. Quod ſi ridicula hæc quis ſuo loco habeat, in ceteris admodum cordatus, eruditus & ſagax eſt. Nam certe, quæ Jul. Cæſ. Scaliger contra illum adducit, meris ſunt ſophiſmatibus & cavillationibus plena, quanquam arguta & docta. Iis tamen reſpondit adhuc, cum viveret, Cardanus, quanquam eloquentia & ingenii acumine Scaligero inferior, libro, cui Titulum fecit: *Actio prima in calumniatorem librorum de Subtilitate.* Ceterum, ut quædam de principiis ejus attingamus, de iis obiter tantum notitia haberi poteſt, cum Syſtema Phyſicum integrum non adornarit, ac potius in argumentis quibusdam ſpecialibus occupatus fuerit. Quantum tamen ex iſtis ejus libris colligitur, hæc præcipua ſunt ejus dogmata. Tria tantum Elementa conſtituit, aërem, aquam & terram: ignem ſublunarem ridet, aſtra minus magisque calida ſtatuit. De quibus ſententiis in *libris* ſuis *de Subtilitate ac varietate rerum*, pluribus agit. Nam in iis *pleraque naturalis doctrinæ capita* attingit. Phyſici argumenti libros permultos ſcripſit, præter dictos *de ſubtilitate & varietate rerum*, quorum maxima pars hactenus inedita fuit, edita vero a Gabr. Naudæo in voluminibus omnium Operum; ſuntque inter eos *liber de Secretis*, *de aqua vitali*, *ſive æthere*, Θεογνώσων libri *de tranquillitate*, *vitæ producendæ & animæ immortalitate* &c. *de aceti natura*, *de vacuo.* *Meteo-*

(cc) De Cardano Conf. *T. II. Lib. I. c. 15. §. 3.*

Metopòscopia, quæ seorsim prodiit Gallica lingua, Cardani non videtur esse, & ab alio potius conficta, titulusque Cardani operi præfixus, ut eo vendibilius esset. Ceterum magnifice admodum de se sensit Cardanus *Lib. 7. de rer. variet. c. 33.* Negat, se quicquam, ab aliis inventum, sibi adscribere, cum sufficiant sibi propria; conqueritur potius *lib. 1. de subtil. fol. 14.* esse, qui Cardani nomine suppresso, inventa ipsius sibi vindicent, atque hos *amentes* vocat, qui nescirent, inventa Cardani talia esse, ut a nullo inveniri potuerint, qui non jam fama egregia cognitus esset. Id quoque Naudæus de eo judicat, in vita ejus. Thema natalitium Christi Salvatoris, ab eo confectum, quod tamen dudum ante illum ab aliis jam confectum erat, quod tenaciter dissimulavit; quanquam a censura Ecclesiastica vehementer vexatus, ut solus haberet inventi hujus vel gloriam, vel audaciam. Ignem quoque sublunarem ante illum jam impugnarat Laurent. Valla *lib. 1. Dialect. c. 11.* Sed id fortassis fugere potuit Cardanum. Si recte memini, etiam Telesius de eo quid monuerat. Legi potest ipsius Cardani liber, quem *de vita propria & libris suis* scripsit, quo multa continentur ejus viri consilia, multa machinamenta in rebus naturalibus, multa etiam stulta & inepta. In Politicis & moralibus divina profecto sunt, quæ scripsit, nec credidisset aliquis, hominem Scholasticum in tam profundas speculationes de rebus practicis se immersisse. Liber ejus *de Arcanis prudentiæ civilis*, quem *Proxenetam* inscribit, aureus est, & multa continet dolorum & stratagematum, quorum usus est in vita civili.

THOMAS CAMPANELLA, (*dd*) Ordinis Prædicatorum, mirabilis ingenii & fortunæ homo, omnium pene scientiarum ad suos sensus reformator, acerrimi tamen ingenii, ut multorum invidiam & calumnias in se provocarit. Occasionem, qua inclaruit primo ejus fama, ostendit Janus Nicius Erythræus *Pinacotheca prima, Imagine 21.* scilicet in disputationem cum Theologis inciderat, qui cum ægre ferrent, ignorantiam suam a Campanella taxari, & argumentis convinci, magnas illi turbas concitarunt apud Quæsitores fidei, illum Magiæ incusantes; quasi ope Dæmonis sciret, quod sciret ea, quæ ignorarent Theologi. De libris ejus extat integra Dissertatio, quæ edita est inter varios illos Autores, qui *de studiis instituendis* scripserunt, ac uno Volumine Amstelod. anno 1645. *in 12.* prodierunt. Scripsit *de sensu rerum librum*, in quo omnibus omnino rebus sensum tribuit, & iis, quæ inanimatæ vulgo habentur. Cujus paradoxæ opinionis palmarium argumentum est, quod, quoniam effectus sentiunt, ideo & causæ, ac propterea Elementa ac mundus sentiunt. Cui quidem responderi facile potest, neque enim animalia ideo sentiunt, quia ex Elementis composita sunt, sed quia Spiritus ille sentiens per traducem, mediante semine, propagatus est. Quod si ad primum animalis ortum respicit tempore creationis, neque sic efficiet, ex Elementis composita esse animalia; quæ & ipsa a multis in dubium vocantur, &, si vel maxime essent, tamen neque tum primum animalibus principium dedisse, credibile est. Potuit enim idea aliqua, vel spiritus quidam 3

(*dd*) De Campanella Conf. T. II. Lib. I. c. 12. §. 4.

dam corporeus, per omnipotentiam divinam, ex nihilo productus, cauſam primis animalibus dediſſe. Neque ſane a Philoſopho expediri poteſt aut debet, quomodo corpora per creationem facta fuerint; id enim ad aliud forum pertinet. Neque hic canon perpetuæ veritatis eſt: *Illud, quod eſt in effectibus, eſſe etiam in cauſis*, præcipue cauſis, corpus aliquod conſtituentibus intrinſece. Namque ex ignobilioribus, inter ſe miſtis, interdum nobilius aliquid exſurgit. Sic e. g. ex variis nutrimentis animalium, fœno, frumentis, &c. ſanguis generatur & Spiritus animales longe nobilioris naturæ, quam illud erat corpus, unde ſunt fabricati: in iis enim apud animalia ſenſus conſiſtit. Prolixe evincit Gaſſendus in *Philoſophia* ſua *Epicurea*, ex rebus inſenſilibus poſſe fieri ſenſiles, quod immerito refutat Antonius le Grand *in libro de carentia ſenſuum & cognitionis in brutis, pag. 49.* Senſum quoque ita definit, ut nec diſcurſum a ſenſu excludat: quomodo totum mundum animal facit, omnesque ejus partes. Hinc aërem quoque ſentire ſtatuit. Quo fundamento poſito, nihil tam abſurdum eſt, quod non patrocinium ex iſta hypotheſi inveniat. Prædicere itaque futura, videre abſentia poſſumus, quoniam ſentit & intelligit aër, qui noſtro ſenſui illa communicat. Jam itaque ſpecula magica, & quicquid eſt divinationum, hac hypotheſi ſalvantur. Cui fini etiam videtur hunc Tractatum ſcripſiſſe, ut patet ex *libro* ejus *ultimo*, qui eſt de Magia. Porro etiam illi, qui occultas interdum cauſas, vel ob ſtuporem non aſſequuntur, vel ob ignaviam aſſequi nolunt, pulcherrimum hic ignorantiæ aſylum inveniunt, ſi ad ſenſum communem vel aëris, vel alterius Elementi, referant, quod ipſi explicare non poſſunt. Illos ridet Campanella, qui propterea ſentire corpora negant, quod non habent ſentiendi organa. Quod quidem argumentum, non, ut ille putat, adeo abſurdum eſt. Senſus enim referunt ſe ad ſenſoria organa: atque ubi illa non ſunt, neſcio quomodo ſenſus ipſi concedi poſſint. Quod enim audimus, quod videmus, id mediantibus organis noſtris dijudicamus, quare de corporibus, iis organis deſtitutis, dicere non poſſumus, ea audire, videre aut ſentire. Nec video, quomodo ex motu aliquo corporum, vel interno, vel externo, ſenſus illis tribui poſſit, cujus formalem rationem in contractu ſtatuebat Campanella. *Non propterea*, inquit, ille, *vento negandus eſt motus, quod careat pedibus, non igni manducatio, quod careat dentibus.* Quæ argumentationes admodum elumbes ſunt. Non enim omnis motus a ſenſu dependet. Qui igni manducationem tribueret, inſanus eſſet, niſi poëtice loquatur ac tropice. Ignis enim movet tantum particulas congeneres; quod quomodo manducationi comparari debeat, non video. Plantis quoque ſenſum adſcribit, eam etiam ob cauſam, quod habeant organa ſentiendi, fibras, nervos, ſuccum nutritium. Cui etiam ſententiæ adſtipulatum fuiſſe nuper Franciſcum Redum *in lib. de generatione inſectorum pag. 258.* apparet; ſcripſit item Campanella *Diſquiſitones Phyſiologicas*, magnum volumen, Pariſiis *in folio* editum, in quo multa continentur rara ac curioſa. Scripſit in *Philoſophiam realem Epilogiſticam*, ut vocat, conſtantem partibus quatuor, quarum prima eſt *Phyſiologia.* Hic locum & materiam inter principia ponit, calorem & frigus principia activa ſtatuit, in quo Teleſium ſequitur. Vanitatibus Aſtrologicis ſupra modum fuit deditus, & ipſe nova quædam principia in illis excog-

excogitavit: Non enim ſatis ante nugarum erat. Scripſit & ſingularem *de fato Aſtrologico evitando* librum, quod argumentum nemini hactenus Aſtrologorum in mentem venerat. Sed vitare illud, per ipſas ſuas hypotheſes Aſtrologicas, docuit, adeoque fatum fato eluſit. Referente Erythræo, ſcripſit *ingens Opus de reformatione ſcientiarum*, decem in codices diviſum; quorum ſinguli plures in partes diſtribuuntur. Non memini vero, illud opus ea ſerie prodiiſſe. Quæ ab illo edita ſunt, carptim & per partes prodiere, non illo, ſed Tobia quodam Adamo curante. Aliqua etiam a Jac. Gaffarello edita ſunt Medicinalia ejus, in quibus multa nova, uti in omnibus ejus, occurrunt. *Grammatica* ejus, *Logica*, *Ethica*, *Politica*, ſeorſim prodierunt, quæ plena ſunt variis novitatibus. In *Ethicis* quoque ſenſu ſuo abundat, ubi, neſcio, qua intemperie abreptus, de morbis, & omnium febrium familia, tractare inſtituit, quem ego quidem non exiguum ejus morbum exiſtimo. De *Politicis* ejus vide judicium apud Bœclerum *in Comment. ad Taciti Annales, pag. 101.*

CAP. XV.

DE IORDANI BRVNI, ALIORVMQVE RECENTIORVM, PRINCIPIIS.

§. 1. *Jordanus Brunus, multitudinis mundorum & ſolium innumeræ aſſertor, ſententiam hanc vivicomburio luit. Pluralitatem mundorum, ac lunæ, aliorumque planetarum, cum terra ὁμογένειαν, ante illum Nic. Cuſanus & Nic. Copernicus, poſt ipſum autem Galilæus a Galilæis (palinodiam canere coactus,) Joh. Keplerus, Athan. Kircherus, Thom. Campanella, aliique Mathematici, itidem defenderunt. 2. 3. David Gorlæus & Carpentarius, Novatores Phyſici, quorum Paradoxa recenſentur. 4. Thom. Hobbeſius, Novator, tum in ſcientiis aliis, tum in Phyſica, in qua omnia a motu, non tamen primus, uti jactat, derivavit. Dogmata paradoxa & profana plurima, ipſumque Scepticismum Moralem, propugnat.* Elementorum *ejus* Philoſophicorum *recenſus Summarius. 5. Rob. Fluddius, cujus Philoſophia eſt Enthuſiaſtica. Somnia ejus picturæque nugaces de cauſis morborum, principia illius Catholica Medico-Phyſica ſunt virtus Septentrionalis & virtus Auſtralis, ſive rarefactio & condenſatio, quæ Ken. Digbæo etiam arriſerunt. Magicarum rerum in eo ſtudium. Cogitationes a Genitalibus cerebri credit produci, eadem ratione, qua Morhofius in* Carm. de Ente Rationis *jocoſe finxerat. Ridicula diviſio morborum. De principiis ipſius naturalibus, confuſe admodum expoſitis judicium. Adverſarii ejus, Pet. Gaſſendus, Mar. Merſennus & Euſeb. a S. Juſto. 6. Henr. de Rochaz, Gallus, Phyſicæ e Chymia Reformator, cui aqua eſt omnium corporum materia. Alia ejus paradoxa. 7. Guilh. Gilbertus, Anglus, Dan. Sennertus & Joh. Sperlingius.*

1 IORDANVS BRVNVS, *(ee)* Nolanus, ſub ſuperioris ſeculi exitum, partim proſa, partim carmine, explicuit ſua principia, Lucretium eo imitatus, qui carmine Phyſicam ſuam doctrinam propoſuerat, quanquam a Lucretiano ſtylo, quem imitatur, multum diſcrepet. Ejus doctrina, *in libro de immenſis & innumerabilibus, ſeu de Univerſo & Mundis*, propoſita, toto libro (carmine ſcripto, Scholiis autem ſoluta oratione illuſtrato, & Francofurt. A. 1591. *in 8vo* edito) id agit, multos eſſe mundos imo innumerabiles, quos in duas tamen claſſes diſtribuit, aliquos ſoles vocant, aliquos terras. Stellas fixas, ait, meros eſſe ſoles, ſua congenita luce radiantes. Reliqua corpora, quæ aliena luce ſplendent, ſive illa videri poſſunt oculis, ſive ob diſtantiam non videri, terras vocat. Singulis ſolibus ſuas eſſe vult lunas, unde ſingulare aliquod Syſtema conficiatur. Ita ſol, ſtella fixa, plures ſibi adjunctas habet lunas, ſive terras: venerem, lunam in ſpecie dictam, Martem; qui planetæ omnes ſecundum phaſes variantur; unde conſtat, corpora eſſe lunarī ſimilia. Atque iſtorum Syſtematum infinita eſſe pronunciat; in quibus ut primaria illa corpora ſolis & terræ ſe habent, ut principia activa & paſſiva, ita & partes illorum corporum varias ex illo conflictu alterationes ſublre exiſtimat. Non ſunt ejus fundamenta & rationes omnino nihili aut ridiculæ. Subtiliter enim ubique diſputat, & verſantur in iſta ſententia Galilæus, aliique Mathematici, qui, quanquam non ita diſertis verbis omnia pronuncient, tacite tamen cum illo conſpirant. Sed ille miſer vivicomburio ſententiarum ſuarum audaciam luit; in quo magnam ei factam injuriam eſſe credo; neque enim Atheiſmi crimine ſuſpectum eum ſcripta ejus faciunt. Orti circa ea tempora ſunt Mathematici, qui totum Orbis Syſtema reformarunt, Nic. Copernicus & Galilæus. Et Copernicus quidem, jam ante Brunum, quippiam de Syſtemate ſuo publicaverat, quo poſteriorem ſe alicubi conqueritur Brunus, cum prior ipſe in cogitationes iſtas devenerit. Sed tamen ante Nicolaus Cuſanus, Cardinalis, ſimilibus quibusdam cogitationibus anſam dederat. Neuter tamen ex illis ad Mathematicas demonſtrationes rem deduxit, ut eo quidem nomine Copernico gloria ſua ſalva ſit. Qua de re ulterius legi poteſt Petrus Gaſſendus *in deſcriptione vitæ ejus*, uberrime inſtituta. Copernicus terræ motum diurnum circa axem, annuum in orbem, ac tertium libratorium, attribuit ſoli, in centro mundi conſtituto Galilæus poſtea, in *Dialogis ſuis*, rationibus hanc ſententiam probatum ivit, qui orbem terræ a corpore lunari nihil differre vult, omnesque objectiones refutat. Scripſit & Joh. Keplerus opuſcula aliqua pro motu terræ, inter quæ illud eſt, quod inſcribitur *Somnium* Kepleri, ſive *Opus poſthumum de Aſtronomia lunari*, in quo habetur deſcriptio cujusdam fabuloſi itineris verſus lunam, & multa dicuntur de facie terræ, quomodo apparere poſſit in luna verſantibus, quæque illic animalia habitare poſſint. Ad ejus imitationem Athan. Kircherum *Iter* ſuum *Extaticum* confeciſſe veroſimile eſt, librorum ſuorum omnium, me judice, optimum, in quo a Genio Coſmiele ad varios orbes cœleſtes ſe deductum ſcribit, ac multa illic notaſſe & vidiſſe incredibilia.

Quo

(ee) De Jordano Bruno, & modernis pluralitatis mundorum defenſoribus, conf. *Tom. II. Lib. I. c. 5. §. 6.* & iſtic annotat.

Quo ex figmento tamen apparet, eam quoque Kirchero esse sententiam, quod corpora illa cœlestia non sint ita simplicia, ut vulgo creditur, sed suis quoque ex Elementis composita. Varios passi sunt insultus omnes a Theologis, & Galilæus quidem adactus fuit, ut palinodiam caneret. Cujus *Apologiam* tamen Thom. Campanella scripsit, & Sebastianus Montanus, Carmelita. Ac Campanella quidem ex sacris literis novos illos lunares vel lunaticos homines probare contendit. Sed ista ad principia Physica proprie non spectant. Incurrit etiam Kircherus Religiosorum quorundam censuram, adversus quos *Apologiam pro Itinere Extatico* edidit Casp. Schottus, Herbip. 1668. *in 4to.* Joci tantum gratia scriptus est liber Lusitanicus de homine lunari, in aliis etiam linguas translatus, (de Mann in de Man) Belgicoque excusus Amst. A. 1651. *in 12.* Autor tamen figmento illo, habitari posse lunam, ostendere voluit.

DAVID GORLAEVS, *(ff)* Ultrajectinus, *Exercitationes Philosophicas* scripsit, quæ editæ sunt post mortem ejus, Lugduni Batavorum, An. 1620. *in 8vo*, in *quibus plurima*, ut Titulus habet, *Peripateticorum dogmata evertit.* Postquam de Metaphysicis egit, ad Physica procedit, agitque de proprietatibus corporum secundum variorum sententias, partim novas, partim innovatas. Formas substantiales Peripateticorum negat, duo tamen Elementa, terram & aquam, constituit, ignem, e substantiarum classe extrusum, accidentibus adscribit, cœlum nihil, nisi aërem expansum, esse vult. 2

NATHANAEL CARPENTARIVS, *(gg)* Anglus, ut quidem volunt, *Philosophiam liberam*, uti vocat, scripsit, in qua multa paradoxa adstruuntur, quæ revera istud nomen merentur. Notitias naturales negat, locum nihil esse ait, omnes res ex nihilo fieri contendit, ignem humidum facit, Telesium in eo secutus, omnibusque Elementis gravitatem tribuit. In quibus, ut multa paradoxa sunt, ita non pauca vero consentanea. 3

THOMAS HOBBESIVS, *(hh)* Anglus, in Physicis, Mathematicis, Moralibus ac Politicis, nova dogmata multa invenit. Quod Physica attinet, e doctrina de motu omnia demonstrare laborat, atque, in *Epistola ad Sam. Sorbierium*, *Tractatui de natura aëris præfixa*, primum se jactat, qui ita in Physicis philosophari docuerit, de quo vereor, ne illi litem Cartesius, aliique, moveant. Ceterum de hoc Autore in universum tenendum, mirabilem esse ingenii ejus ad paradoxologias propensionem, quanquam ab illo non pauca sint argute satis excogitata & inventa, in Mathematicis præcipue, in quibus tamen Joh. Wallisio, Matheseos Professori Oxoniensi, sæpe vapulat. Longe tamen plura in illo sunt erronea, profana, & quædam, nescio quomodo, fanatica. Ejus Opera omnia prodierunt Amstelodami apud Blauwinum, 4

(ff) De Dav. Gorlæo Conf. *T. II. L. I. c. 12. §. 5.*
(gg) De Nathan. Carpentario Conf. *T. II. L. I. c. 15. §. 4.*
(hh) De Hobbesio Conf. *T. II. Lib. I. c. 15. §. 13. 14. 15.*

anno 1668. *in 4to.* Indicem in ea debemus Achilli Epſteinio. *Elementa Philoſophiæ* ſcripſit, atque in III. Sectiones diviſit, *primam de Corpore, ſecundam de Homine, tertiam de Cive.* Prioris Sectiones partes facit quatuor. Prima illi dicitur computatio, ſive Logica, ubi de Philoſophia agit in genere (cujus plane ineptam ſuppeditat definitionem,) de vocabulis (quorſum refert notionum doctrinam, prædicabilia ac prædicamenta,) de Propoſitione (ubi de Enunciationibus, Æquipollentia &c.) de Syllogiſmo, de Methodo. Pars II. Philoſophiæ illi prima eſt, quam in locum ſecundum conjecit, eam forte ob cauſam, quod partem primam, velut Vocabularium aliquod & Lexicon Philoſophiæ haberet. Hic agit primo de loco & tempore, uno, numero, toto, parte, infinito, minimo; Secundo de corpore & accidente, ubi de magnitudine, loco, pleno, vacuo, continuo, contiguo, motu & ſpeciebus quantitatis; Tertio de cauſa & effectu, ubi de actione, paſſione & principio; Quarto de potentia & actu; Quinto de eodem & diverſo; Sexto de quantitate; Septimo de Analogiſmo, ubi de proportionibus Arithmeticis & Geometricis Mathematico modo agit; Octavo de recto, curvo, angulo & figura. Pars Tertia de rationibus motuum & magnitudinum agit, ubi integra Geometria & Statica tractatur; Pars quarta de natura & ejus phænomenes, ubi primo de ſenſione & motu animali; Secundo de univerſo & ſideribus; Tertio de luce & calore, & coloribus; Quarto de frigore, vento, glacie, &c. Quinto de ſono, odore, ſapore & tactu; Sexto de gravitate. Sectione ſecunda de homine pauca admodum habet, de ipſius conſtitutione & natura, plura toto libro de natura viſionis affert, & plane *ἀμεθόδως* integram Optices doctrinam proponit, quanquam negari non poſſit, doctrinam illam bene ab ipſo eſſe excultam. In Tertia Sectione de cive, novam ſibi viam Inveniſſe viſus eſt, qua demonſtraret Monarchiam. Liber ille paradoxis ſententiis pleniſſimus eſt, uti & alter, qui illi ſubjungitur ſub Titulo *Leviathanis*, in quo monſtroſa proponuntur dogmata, tam Theologica, quam Phyſica & civilia. Si vero verum fateri velimus, ille Scepticiſmi Moralis propagator eſt, quo pernicioſior doctrina in ſocietatem civilem inferri non poteſt. Multos habuit e popularibus ſuis Antagoniſtas, de quibus hic diſſerendi locus non eſt.

§ Fuerunt etiam ex Anglis alii Novatores; tum etiam e Gallis, quorum adeo celebre nomen non eſt; neque adeo nova quædam principia invenerunt, quam e Veteribus quædam recoxerint, aut alia forma propoſuerint. Quidam etiam confuſe omnia tractarunt, & partem tantum aliquam doctrinæ naturalis attingerunt. Fuit pene Enthuſiaſta in Philoſophia naturali ROBERTVS FLVDDIVS, Vir cetera magni & profundi ingenii, qui multa veterum Rabbinorum & Cabaliſtarum dogmata reſuſcitavit, multa ipſe commentus eſt, ut habebat ingenium phantaſmatum valde fœcundum, quod vel mirabiles illæ picturæ, quibus cum ordinem creationis rerum repræſentat, tum alias operationes naturales, innuunt. Inprimis ridiculus eſt, quomodo de cauſis morborum philoſophatur, ubi aliquod ſanitatis fortalitium depingit, atque circa quemlibet fortalitii angulum angelos cuſtodes diſponit, & morborum quaſi averruncos, quorum etiam nomina novit, *ceu digitos unguesque ſuos*, in magnam, cre-

credo, eorum familiaritatem admiſſus; his opponit e Dæmonum grege Genios illos morbificos, qui a partibus ventorum cardinalium morbos ſingularum plagarum genio familiares immittunt, omnes nigro ore ſqualentes & larvatos, & *neſcio quos vultus imitantia ſigna ferarum.* Illic vermiculi quidam barbati apparent, vel locuſtæ, vel crabrones, atque hic ſinguli pene morbi ſuas figuras habent; tanti eſt ſapere. In omnibus his commentis non tamen nihil plane eſt, quod laudari mereatur. Fuit enim in illo ingenium μηχανικώτατον. In omni Matheſeos parte quædam ſcripſit, ac nova etiam non pauca invenit, quæ poſtea Kirchero, aliisque, in prædam ceſſerunt. Duo principia illi ſunt quaſi Catholica, in quibus univerſam Phyſicam ſuam & Medicinam fundat, virtus Septentrionalis & Auſtralis, ſecundum quas omnia diſponit. Virtus Septentrionalis eſt illi principium condenſans, virtus Auſtralis principium rarefaciens. Quod idem eſt, ac ſi quis rarefactionem & condenſationem principia Phyſices ſtatuat, quod fecit Kenelmus Digbæus, qui paulum aliter hoc in argumento verſatus eſt, & pulchrius principia iſta ornavit, atque omnia Phyſices φαινόμενα ad ea reduxit, *in Demonſtratione immortalitatis animæ rationalis*, Anglice ſcripta, & Latine etiam Pariſ. A. 1651. *in fol.* ac Francof. *in 8vo*, cum gemina *Præfat. Metaphyſica* Thomæ Angli, Digbæo ἐμοψήφῳ, edita, *Tractatu priori.* Cui *Demonſtrationi Libros V. Inſtitutionum Peripateticarum* addidit, ut manifeſtiorem redderet ſuæ Philoſophiæ (quam ad mentem veteris Peripateticæ inſtitutam vult eſſe) cum Ariſtotelica convenientiam. Ac ſunt profecto, in quibus Digbæo, quam Carteſio, malim ſubſcribere, etſi hic in aliis oculatior fuerit. Idem eſt, ac ſi quis calorem & frigus principia naturæ ſtatuat, vel ignem & terram ſecundum Teleſium, adeoque his non niſi terminis variatur. Unde videmus, etiam in naturali Philoſophia cramben eandem ſæpius recoqui, ac easdem carnes opponi, variatis juſculis. Roberti Fluddii *Opera* aliquot Voluminibus collecta ſunt, ac edita Londini, ſed rariores ſunt quidam ejus *Operum Tomi*, quod Magica quædam in illis contineantur, quibus vehementer addictus fuit Fluddius, quo nomine etiam male apud populares ſuos audivit. Primæ quoque illorum editiones ſunt optimæ, quod in poſterioribus multa ſint omiſſa, *Philoſophia Moſaica*, Goudæ A. 1638. *in fol.* impreſſa rarior eſt, & inter Pontificios prohibita. Nullum non divinationis genus attingit, ac non parum iis tribuit. In Aſtrologicis, in diebus Electitiis, in furtis inquirendis, & ſimilibus variis vetitisque artibus, ſua quædam præcepta ponit. Cogitandi modum in nobis & ſpeculationes illas rationum, mirifice quodam in loco, videlicet in libro *de myſtica cerebri Anatome*, ob oculos ponit. Solent ab Anatomicis illic delineari genitalia membra utriusque ſexus, quod proceſſus quidam & ſinus, cum in modum, figurati ſint. Hic Fluddius invenit, non quod pueri in faba, illic dicit generari cogitationes; quod mihi mirum viſum eſt, cum ego aliquando *joculare carmen de Ente rationis* ſcriberem, &, ferente ita genio carminis, joci gratia finxiſſem, illic generari Entia rationis, poſtea, cum incidi in iſtum Fluddii librum, quod ne ſomniando quidem cogitaveram, inveniſſe me,

mc, ſerio hæc aſſeri a Fluddio. Tota ejus Medicina mirabilibus referta eſt paradoxis, mirabiles habet morborum definitiones & diviſiones. Legatur liber ejus *de morbi Eſſentia.* Ratione totius Macrocoſmi dividit morbos in Empyreos, æthereos, Elementares, tenebroſos, in plaga Septentrionali procreatos, tenebroſos, ex plaga occidentali ortos, præternaturales æſtuoſos, ad plagam meridionalem ſpectantes. Ergo Sphærica nunc opus habemus, ut intelligamus morborum naturam. Fundat vero omnem hanc Philoſophiam ſuam ſupra Septentrionalem & Auſtralem potentiam in natura, ut jam dixi, cujus menſuram quaſi ob oculos ponit Thermoſcopium. Ex eo omnium rerum pene cauſas deducere laborat. Urinarum ac pulſuum myſterium ex eodem Thermoſcopio demonſtrat. Vera autem & ordinata ejus principia iſta ſunt. Principia illi ſunt vel primaria, vel ſecundaria. Primaria ſunt tenebræ, ſive materia prima. Materia omnium rerum ſecunda ſunt aquæ. Lux divina illi eſt eſſentia centraliſſima, omnia creans, informans, vivificans & movens. Secundaria illi principia ſunt, vel activa, ut calor & frigus, vel paſſiva, ut humiditas & ſiccitas. Sympathiam lucis, Antipathiam tenebrarum ſobolem facit, Spiritum quoque atque animam mundi ſtatuit. Quæ omnia, quam ſint confuſa, quivis videt. Neque enim ordinata illa inter ſe ſunt, aut ſatis cohærent, neque ullam demonſtrandi vim habent. Quid enim cauſæ ſubeſt, quare tenebras inter principia ponat, quæ mera ſunt privatio, ut adeo ineptum ſit, materiam illas facere. Quando principia activa frigus & calorem facit, in eo ἁμάρτηϕος eſt Teleſio, qui tamen multo elegantius principia iſta ſua deducit. Paſſiva principia, humiditas & ſiccitas, non ſeparata ſunt a prioribus, qualitates enim ſunt, quæ calorem & frigus conſequuntur. Porro Sympathiæ & Antipathiæ nomina non ſunt, niſi nomina, atque nihil poſitivi in natura notant, quare inepte, vel ad lucem, vel ad tenebras, referuntur. Non defuere, qui ejus Philoſophiam oppugnarunt, Pet. Gaſſendus & Marinus Merſennus, Galli, multo illo quidem in Diſputationibus præſtantiores. Euſebius de Sancto Juſto, ut ſe vocat ficto nomine, librum itidem contra illum ſcripſit, quo hæreſeos, impietatis, ignorantiæ, illum accuſat. Fraternitati Roſeæ Crucis etiam ſe immiſcuit Fluddius, pro qua *Apologiam*, ſub ficto nomine *Rudolphi Otreb*, ſcripſit.

6 Inter Gallos etiam fuit aliquis HENRICVS de ROCHAZ, in Phyſicis Novator, ſed e Chymicorum familia, qui aliqua ex Bernh. Paliſſio, aliqua ex Nuyſementii principiis de ſale univerſali, deſumpſiſſe videtur. Scripſit quædam *de Aquis Metallicis, ac ſecretis ſodinarum Metallicarum*, quibus docuit rationem acidulas artificiales conficiendi. Librum edidit Gallica lingua ſub *Phyſicæ Reformatæ* Titulo, cujus in principio refutat errores vulgares circa Elementa. Neminem eſſe ſtatuit, qui primam omnium rerum compoſitionem noſſe poſſit, niſi Deo creanti adfuerit, omniumque teſtis αὐτόπτης exſtiterit. Soli itaque Deo perfectam omnium rerum cognitionem eſſe ait. Nobis tantum a poſteriori, ſcil. per ἀνάλυσιν, res noſſe datum eſſe, quæ ſcil. ſecundum principia Chymica inſtituenda. Porro demonſtrat illa, quæ vulgo habentur Elementa, præcipue vero ignem & aërem, non ingredi conſtitutionem miſti.

miſti. Deinde de principiis uberius agit; ſalem facit principium, corpora conſoldans, quod in vegetabilibus oleum, pinguedinem in animalibus, ſulphur in metallis, ſtatuit. Quod Mercurius illi in metallis, aqua & humor eſt in reliquis corporibus. Aqua illi omnis nutritionis principium. Nec opus eſſe putat, ut terra illi immiſceatur, neque immiſceri poris poſſe, quam opinionem tamen falſam eſſe exiſtimo. Aquam vero ſe corporificare per ſpiritum aliquem vitæ inſitum. Ulterius totam terram ex aqua confectam eſſe autumat, neque Deum duplicem, ſed ſimplicem tantum materiam creaſſe, quæ aqua fuerit. Cumque dicatur *Geneſ. 1.* Spiritum, incubantem aquis, divilionem feciſſe inter aquas & aquas, ex eo aquam omnia fuiſſe probare contendit; qua tamen interpretatione falſus eſſe mihi videtur, cum dicatur illic a Deo non ſola tantum aqua, ſed terra & aqua, creata. Corporum poſitivas qualitates facit calorem & humiditatem, ſiccitatem & frigus privationes ſtatuit. In altera parte operis ſui morborum cauſas, e tribus Chymicorum principiis, deducit, & quomodo ſecundum eadem fieri in illis Medicina poſſit, tradit.

GVILH. GILBERTVS, Gloceſtrienſis Anglus, Medicus Regius, *in Philoſophia nova de Mundo noſtro ſublunari*, Amſtelod. ap. Elzevirium, anno 1654. *in 4to*, edita, etiam Novator eſt in Phyſicis, ab Ariſtotele diſſentiens. Impugnat enim Elementorum Quaternarium, transmutationem & mixturam, vacuumque ſtatuit duplex, ſeparabile & inſeparabile. Ad doctrinam Magneticam, quam (uti *P. II. c. 32, §. 2.* dicetur) primus cum cura excoluit, ſpecialia multa in Phyſicis reduxit ſpeculationibus. Ita enim ſolet fieri a multis, immoderatius in una affectione demonſtranda verſantibus, ut eam deinde ad omnia referant, ſimiles illi Philoſopho Muſico, qui animam per harmoniam definiebat, taxatus ideo a Cicerone, quod nollet ab arte ſua diſcedere. In cœlo & ſideribus Gilbertus non agnoſcit quintam aliquam naturam & eſſentiam immutabilem, ſed generari illic & mutari ſtatuit corpora. De fluxu quoque & refluxu maris multa habet non ſpernenda. *Dan. Semerti* Phyſica ab Ariſtotelica non adeo differt, niſi quod materiam primam, mutationem Elementorum, & ſimilia ſpecialia dogmata, impugnet. Eam *Joh. Sperlingius* Wittebergæ profeſſus eſt non ſine applauſu. Sed potius ille declamat, quam demonſtrat, nec ad ἀκρίβειαν Carteſianorum, methodumque demonſtrandi Mathematicam, accedit, ſed ſemper formas, qualitates occultas, ſympathias, & ſimilia ignorantiæ vocabula, pro rationibus affert. 7

CAP. XVI.

DE PARACELSO, EIVSQVE SECTAE PRINCIPIIS.

§. 1. *Phil. Aureolus Theophraſtus Paracelſus magiæ falſo accuſatur. Dotes ingenii ejus, & in Medicinam merita. Πολυπραγμοσύνη in Theologicis excuſatur.* 2.

Doctrina ejus ac Chymicorum de tribus corporum miſtorum, in qua reſolvi eadem iterum poſſunt, principiis, Sulphure, Mercurio, &, quem ipſe primus ſuper addidit, Sale, Metallorumque ſpeciatim ab his productione, explicatur & defenditur. 3. Illuſtrantur hactenus dicta exemplo ſpiritus vini, de quo, an in priorem vini ſtatum reduci poſſit, diſquiritur. 4. Continuatur defenſio principiorum Chymicorum contra horum Adverſarios, & Rob. præſertim Boylii Chymiſtam Scepticum. 5. Hiſtoria Chymiæ e Conringii & Borrichii Scriptis contrariis, Autorisque de Transmut. metall. Epiſtola, *hauriendа eſſe monetur, & de Chymicis Græcis* ἀνεκδότοις, *Thomæque Reineſii in illos* Notis, *quædam adduntur.*

1 PEnultimus ille, quem nominavimus, *Henricus de Rochaz*, e PARACELSI *(ii)* Schola fuit, qui circa id tempus mirabilem aliquam Philoſophiam & Theologiam inſtituit, ad cujus exortum, velut ad novi cujusdam ſideris exortum, omnes ſunt excitati. De vita ejus viri, moribus & ſtudiis, multa traduntur ab aliis, Integris libris. Laudatur enim ab his, culpatur ab illis, nec defuere, qui Magiæ crimen illi imputarunt, a quo tamen illum liberat Gabr. Naudæus *in Apologia hominum eruditorum, pro Magis habitorum;* ac ſolet eſſe hoc familiare convitium in viros ſingulari doctrina & inventis illuſtres. Ipſi Chymiæ veteris Profeſſores, Andr. Libavius (*in Exam. Philoſophiæ recentis,*) aliique, ipſum, tanquam Sophiſtam, excluſum ivere. H. Conringius, *in Libb. de Med. Hermet.* parum æque de illo judicat, ſed, ut fieri nonnunquam ſolet, ſtudio partium abrepti, ne quidem virtutes laudare poſſumus. Recenſuit is quidem, e Melch. Adami *vitis Med.* nonnulla in ignominiam Paracelſi ab aliis dicta, ſed ea ſubticuit, quæ erant in laudem. Fuiſſe in Paracelſo maximum ingenium, ac perſpicaciſſimum ad res naturales contemplandas, nemo certe negare poterit, qui quidem ſine affectu judicaturus eſt. Magnam quoque lucem arti Medicæ intuliſſe certum eſt, quanquam ringantur & fremant ſectæ adverſariorum. Si manus a Theologia abſtinuiſſet, neque dogmata ſua ad fanaticam aliquam & Enthuſiaſticam Philoſophiam extendiſſet, plus ſibi laudis, invidiæ minus, paraſſet. Sed ferenda ſunt in homine, in exemplum certe ſeculi nato, levia illa vitia, & grato animo accipienda, quæ ille in genus humanum contulit beneficia. De mirabilibus ejus remediis in morbis deſperatis plurima ſunt experimenta, quorum aliquot conſignavit Melchior Adami *in lib. de vitis Medicorum Germanorum.*

2 Phyſicam doctrinam ad tria illa vulgo decantata principia redegit, Salem, Sulphur & Mercurium, quibus omnia miſta corpora, velut Elementis quibusdam, conſtare credit, in quæ etiam arte reſolvi poſſint. Quod certe non inepte, aut imperite admodum dictum eſt. Primus tamen ille fuit, qui veterum illa principia metallica ad corpora omnia miſta extendit, addito inſuper principio ſalis. Et quidem vetus illa Chymicorum Schola duo agnoſcebat principia, quibus metalla conſtabant, Sulphur

(ii) De Paracelſo, ejusque Philoſophia & Medicina, Confer. *Tom. II. Lib. I. c. 15. §. 16.*

phur & Mercurium, quorum inter ſe miſtura efficerentur corpora iſta, quæ metalla vocamus. Sunt vero illis Sulphur & Mercurius non niſi vapores diverſi, quorum mutuo complexu oritur primum metallum aliquod immaturum & volatile, quod deinde, pro ratione caloris, a quo excoquitur, pro puritate vel impuritate loci, in quo producitur, varias aliquas ſpecies ſubit. Nam, ubi vapores illi puriſſimi ſunt, citra aliquam peregrinorum ſalium, vel terrarum impurarum acceſſionem, aurum fit & argentum, ubi vero accidunt impura Sulphura, & externa corpora metallica, conficiuntur impuriora, qualia ſunt cetera illa præter aurum & argentum. Eſt vero illis unus idemque in omnibus metallis Mercurius, ſeu aqua quædam metallica, aquæ elementari toto genere diſſimilis, quæque nomen aquæ non niſi improprie habet, & ob quandam analogiam, quoniam ſcil. reſpectu ſuorum compoſitorum ſe habet, ut aqua, quæ in illo diſſolvuntur, quemadmodum corpora cetera in aquam, unde compoſita ſunt, paulatim diſſolvi poſſunt, quia ea quaſi glutinis cujusdam inſtar eſt, quo compinguntur corpora illa ſupraterranea, debilius miſta, quam corpora metallica. At vero metalla, quæ ſingularem aliquam claſſem rerum naturalium conſtituunt, & quaſi radices ſunt, vel medulla & nucleus hujus maſſæ terraqueæ, propiora quædam & ſibi vernacula habent principia, Mercurium ſcil. aquam illam metallicam, ſive viſcoſitatem illam mineralem, quæ quaſi materia communis eſt omnium metallorum. Sulphur vero, alterum illud principium, eſt pinguedo aliqua mineralis, vel oleaginoſitas metallica, non combuſtibilis, qualis eſt in corporibus ſupraterraneis, debilius miſtis, & facile reſolubilibus, ſed incombuſtibilis, & quaſi ipſe ignis corporalis, nullo alio igne combuſtibilis & ſuperabilis. Illud puriſſimum in auro eſt, impuritates quasdam habet in argento, ſummam vero fœculentiam in ceteris metallis, quibus parum ſulphuris incorrupti & incombuſtibilis ineſt, & pleraque aduri & comburi poſſunt ſulphure illo impuro combuſtibili. Hæc principia nemo e veteribus omni corpori naturali, præter Paracelſum, attribuit, qui tertium aliquod principium, Salem, addidit, quod neſciebat Chymicorum veterum Schola. In metallis enim, quanquam ſalis etiam termino nonnunquam utantur, nullus proprie ſal eſt, qui non ſimul ſit ſulphur vel Mercurius. Paracelſus tria hæc principia primus, uti dixi, ad omnia corpora naturalia refert, illa ſcil. quæ miſta ſunt. In quo certe non eſt adeo reprehendendus. Eſt enim quidam Analogiſmus corporum naturalium, ac reperitur in ceteris corporibus ſua quadam ratione, quod reperitur in metallis. Quanquam in animalium & vegetabilium ordine aliis illa nominibus ſint appellanda. Quare Mercurii nomine ſignificatur illud, quod humidum eſt in corporibus, præcipue vero illud, quod volatile, ut in plantis & animalibus ſpiritus, atque in fermentatis liquoribus cereviſia & vino, qui omnium primi diſtillatione ſeparantur. Hunc aliqui cum ſulphure confundunt, quod ſcil. utrique & calor, & motus, & volatilitas, conveniat. Sed eſt tamen omnino inter Sulphur & Mercurium diſtinctio. Quanquam enim Mercurius & Sulphur in ſpiritibus ſæpe conjungantur, differunt tamen partes iſtius ſpiritus. Partes enim oleaginoſæ & pingues ſubtiliores, quæ Sulphuris nomine veniunt, una cum ſpiritu propelluntur. In Mercurio itaque humor eſt, in ſulphure pinguedo, in ſale fixitas quædam & ſoliditas. Triæ hæc ferme

demonſtrari poſſunt in uno quoque corpore miſto, ſi analyſis per ignem inſtituatur, quæ diſtincta illa miſta principia nobis producit. Quæ principia inter ſe poſſunt miſceri quaſi & confundi, nam nulla pars ſpiritualis, ſive Mercurialis adeo ſolitaria eſt, quin habeat ſibi adjunctas partes aliquas ſulphureas, imo etiam ſalinas. Raro enim ita ſeparantur partes iſtæ, ut non vicinas etiam abradant. Sic in oleis etiam ſales volatiles habemus aut in ſpiritibus, ut exinde pateat, ita diviſa eſſe & confuſa inter ſe iſta principia, ut non omnia ſimul ſolvantur, ſed conjuncta etiam remaneant. Ideoque ſingula illa tria principia partes habent volatiles & fixas, particulas ſcil. magis vel minus mobiles. Quæ autem inter omnes quam maxime ſunt mobiles, illæ omnium ſunt puriſſimæ & præſtantiſſimæ.

3 Diſtingui ergo eum in modum corpora miſta poſſe, ipſe ἀνάλυσις per ignem docet, quæ certe non videtur novas ſpecies producere, quæ quorundam ſententia eſt, ſed illa, quæ latitabant, in conſpectum proferre, ſeparatis illis, quæ fœculenta erant & non niſi craſſam aliquam molem & materiam exhibent. Quis enim exiſtimet, e. g. ſpiritum vini eſſe ſpeciem, ab ipſo vino diverſam, vel per ignem demum productam. Quod enim nobis objiciebat aliquando homo, iſtius ſententiæ patronus, poſſe ſcil. ex ſpiritu vini & aqua iterum vinum fieri, ſi miſceantur, quandoquidem novam ſpeciem non velimus admittere, id ridiculum eſt. Vinum enim, cum liquor ſit fermentatus & fermentationis beneficio ita miſtus, vinculo hoc ſoluto per ſolam miſturam in priorem ſtatum reduci non poteſt. Eſt enim hæc confuſio tantum liquorum inter ſe, fermentatio vero minimarum particularum inter ſe translocatio, interno aliquo motu excitata, quæ ſi reddi poſſet per artificium ſpiritui vini & phlegmati, inter ſe miſtis, ac illæ etiam particulæ reponi, quæ in auras evolarunt, nova iterum fermentatione vinum produci poſſe non dubito. Quanquam proportio illarum partium deprehenſu difficilis foret. Atque rem non omnino impoſſibilem eſſe, vel ex eo patet, quod, ſi liquori, ex uvis expreſſo, aliqua ſpiritus vini nobiliſſimi pars additur, vinum multo generoſius evadat, auctis ſcil. iſtis ſpiritibus internis, in liquore contentis, per acceſſionem externorum. Quomodo in vino præparando multa ſunt arcana, magnum profecto habitura momentum in re naturali, ſi ea omnia ſcirentur. Multa adhuc latitare exiſtimo, quæ deprehenſa magno commodo eſſe poſſent.

4 Argutias itaque tantum captare mihi videntur & ſophiſmata, qui tria iſta corporis miſti principia impugnant, quæ quanquam per ſe prima non ſint, ſunt tamen prima ratione miſtionis; ex iis enim proxime conſtant corpora, atque in illa proxime reſolvi poſſunt, ut novas hic ſpecies produci non ſit credendum. Nam, cum leni igne, eo ſcil. quo natura in compoſitionibus & generationibus rerum utitur, miſta illa diſſolvuntur, nihil aliud infertur partibus miſti corporis, quam motus, ideoque ſimul ac calor incipit, incipiunt moveri in miſto corpore particulæ maxime mobiles, quarum motus ſenſim continuatur calore continuato, ideoque diviſio fit inter

inter partes, quæ conſtituebant totum illud, quarum partium diſtinctionem ex ipſa ſpecie externa, & proprietatibus ejus, deprehendere poſſumus, ideoque nihil novi hic generatur, ſed, quod ignotum erat, detegitur. Quod ſi vero ignis inſtituatur ultra modum, violentus ſit & deſtructivus, tum partes maxime mobiles, vel avolant, vel, ſi clauſæ ſunt, inficiuntur miſtura reliquarum partium magis fixarum, per illam vim contra naturam ſuam propulſarum. Neque dicam de fuliginibus ligni vel carbonum, ex intenſo illo igne particulis propulſis pro minima commiſtis, unde *ἐμπύρευμα* aliquod peregrinum infertur partibus deſtillatis. Atque tum certe, cum omnes inter ſe partes confunduntur, quaſi nova aliqua ſpecies videtur produci. Atque in iſtis principiis nobis ſubſiſtendum eſt, naturam corporum miſtorum indagaturis. Nam, ſi ad remotiora aliqua tranſimus, quibus etiam iſta principia conſtant, nihil amplius ſenſu deprehendimus, ſed ex intelligentia rerum nobis fingimus, ſive ab Atomis illa arceſſamus, ſive a quibusdam formis, quæ omnia dubitationis & fictionum plena ſunt Principiorum Chymicorum inſufficientiam integro libro, cui titulum *Chymiſtæ Sceptici* facit, demonſtrare voluit ROBERTVS BOYLE, argutus quidem ille & ingenioſus, ſed a quo tamen ego diſſentire malo. Nam, niſi aliquis finis modusque argutiarum ſtatuitur, pro rebus tandem ipſis umbras captabimus, & inania quædam ſimulchra. Subſiſtere autem nos poſſe, in miſtorum natura deprehendenda, his in principiis, arbitror. Quanquam non negem, eſſe *φαινόμενα* naturalia, in quibus ulterius progrediendum eſt. Sed in iis, cum poſſimus quædam vi ingenii, non falſo examine, deprehendere; multa tamen ſunt, in quibus ingenio tantum locus relictus eſt, cujus fiducia freti cauſas, vel damus, vel rejicimus.

Nolo nunc quicquam de veterum illa doctrina chymica prolixius diſſerere, cum id abunde a nobis præſtitum ſit in Epiſtola, quam *de transmutatione Metallorum* ſcripſimus. Legi poſſunt in illo argumento libri in utramque partem ſcripti, Hermannus Conringius *in Medicina Hermetica*, qui aliquanto iniquior eſt in Chymiam veterum & recentiorum, & Olaus Borrichius in doctiſſimo libro, quem de *ortu & progreſſu Chymiæ* edidit, ac alio, quem adverſus Conringium ſcripſit *de Sapientia Ægyptiorum*, in quibus operoſus eſt in refutandis Conringii ſententiis. Hic prolixe diſquiritur de primis in iſta doctrina Scriptoribus, quando illi vixerint, quosque libros ediderint. *(kk)* Ii Autores Græca lingua in Bibliothecis, Regia Pariſienſi & Auguſtana aſſervati fuerunt, atque eo forte tempore in Italiam & Galliam importati ſunt, cum anno Chriſti 1453. everſo Imperio Conſtantinopolitano, Græci exules, Beſſarion, Chryſoloras, Laſcaris, Argyropulus, in Italiam & Galliam confugerunt. Ex codice Auguſtano codex Bibliothecæ Altenburgenſis deſcriptus eſt, quem ex iſta Bibliotheca, per amicum ſumus adepti, multis in partibus mutilum. Nam in eo non inveniuntur, quæ Salmaſius in codice Pariſienſi legerat de artificiali unionum confectione. Notas Thomas Reineſius margini adjecit, ac multa loca emendavit, addita

§

(kk) De MSStis Chymicis Græcis vetuſtis, etiamnum reliquis, Autor *Tom. I. Lib. I. cap. XII.* prolixius diſſeruit. De Herm. Conringii & Ol. Borrichii Scriptis de Chymia contrariis paulo ante, *ad Lib. hujus Cap. IV. §. 1.* quædam ſunt annotata.

addita quoque eſt ejusdem de ætate horum Autorum Diſſertatio. Vetuſtiſſimi Autores in Annum Chriſti 400. incidunt. Nam, quæ ſub Democriti nomine prodiere, ſuppoſititia habent omnes; quanquam Borrichius non omnino ſuppoſititia eſſe velit, ſed extitiſſe quædam ejus generis ſcripta, veterum quorundam autoritatibus probare contendit. De recentioribus hujus Studii cultoribus legi amplius poteſt Epiſtola noſtra.

CAP. XVII.

DE PHILOSOPHIA NATVRALI RENATI CARTESII, ET ASSECLARVM.

§. 1. *Laus Carteſii. Philoſophia ejus immerito Theologis ſuſpecta, & Atheiſmi, cui Ariſtotelica potius viam ſternit, inſimulata. Aſſeclarum ejus dogmata impia Carteſio non imputanda. Judicium de Gisb. Voëtio.* 2. *Carteſii quatuor de philoſophandi ratione Regulæ, e* Libro de Methodo, *& Philoſophemata ejusdem Phyſica, Generalia & Specialia e* Principiis Philoſophiæ, *breviter recenſentur.* 3. *Scripta illius reliqua enumerantur, illorumque Editores.* 4. *Philoſophiæ item illius Epitomatores & Scriptores Syſtematici, Henr. Regius, Jac. Rohault, Joh. Tattinghof, Franc. Bayle, Ant. le Grand.* 5. *Commentatores in eandem, Joh. Claubergius, Dan. Lipſtorpius, Jac. Robault, Cordemœus, Thom. Cornelius, Joh. de Raey.* 6. *Carteſiana Principia ſuis miſcuerunt Rob. Boylius & G. G. Leibnitzius.* 7. *Adverſarii potiores Philoſophiæ Carteſianæ, præter Scholaſticos, Franc. Willh. Baro de Nyland, & in motus præſertim doctrina, Gallus Anonymus, Joh. Alph. Borellus & Henr. Morus, ad Enthuſiaſmum proclivis.* 8. *Carteſianæ Phyſices mira ſubtilitas laudatur, ſed & incertitudo ſimul agnoſcitur.* 9. *Henr. Mori judicium de nævis illius, vel a ſimplici inadvertentia, vel ab aſtutiæ honeſtæ ſtudio, vel a nimia Mathematicæ certitudinis affectatione, ortis, exemplis, dogmatum de brutis automatis inſenſatis, cauſis finalibus non inveſtigandis, motus cauſa efficiente & menſura, aliisque, illuſtratum.*

§. 1. ACcedimus jam ad decantatiſſimam noſtri ſeculi Philoſophiam, cujus Autor RENATVS CARTESIVS, (*ll*) Gallus, perſpicaciſſimi vir ingenii, & Mathematicorum ſtudiorum peritiſſimus, quorum miniſterio in omnibus Phyſices hypotheſibus uſus eſt. Variis agitata fuit fatis, cum primum orieretur, laudata ab his, culpata ab illis, adverſarios tamen nacta eſt plurimos, inprimis Theologos, qui, neſcio quas, inſidias ſibi ab illa metuebant, in quo tamen falſos eos fuiſſe, res ipſa docet. Quod enim illi maxime impugnant, adeo planum & perſpicuum eſt, ut

(*ll*) De Renato Carteſio, ejusque Doctrina & Secta Philoſophica, confer *Tom. II. Lib. I. c. 15. §. 5-12.*

ut ſenſus ſuos negent, qui adverſum iſta loquuntur. Quanquam non negem, quosdam e Carteſii Diſcipulis latius extendere illa, quam ipſe olim Carteſius, ſatis quidem in ſententiis ſuis modeſtus. Quod tantum abeſt ut Carteſio imputari poſſit, ut pene hoc cum omnibus commune habeat. Nihil enim a quoquam dici poteſt, quod non in ſenſus pravos poſſit corrumpi, ubi malum ingenium acceſſerit. Sane ex ipſis Peripateticorum principiis fuere, qui Atheiſmum, qui animæ mortalitatem, propugnarent, cum alii tamen, & ipſi quidem Theologi, ex iisdem principiis, diverſa doceant. Non poſſunt certe Carteſius & Aſſeclæ præſtare, quod infamis ille Diſſertator *de Philoſophia Scripturæ Interprete* (Eleutheropoli A. 1666. *in* 4.) Carteſiana principia ad dogmata ſua Theologica Paradoxa detorqueat. Cui Ludov. Wolzogenius, Prof. Traject. Libello eximio *de Scripturarum Interprete* maſcule reſpondit, ac paucis pagellis Nicol. Arnoldi *in Theologia Philoſophiæ Domina*, Franeq. 1667. *in* 12. Prudens eſt & neceſſaria circa abuſum Philoſ. Carteſianæ *Admonitio* Balth. Beckeri, Doct. Theologi, Veſaliæ 1668. *in* 12. edita. Qua cum conferri poſſunt, quæ de vero ejusd. uſu Sam. Mareſius, Brunius & Pet. ab Andlo ſcripſerunt. Fuit vero iſta Carteſii Philoſophia magis iſtis criminationibus ſubjecta, quod ad ſenſum magis doctrinam ſuam reduxerit, atque eum normam hypotheſεων ſuarum conſtituerit. In quo quidem ille nihil perperam facit; nam qui alia ratione naturam ſpeculatur, in multa fanatica & inania incidat neceſſe eſt. Sed qui illud, per imperitiam ſuam, non aſſequebantur, miros ſtatim clamores excitabant de perverſis quibusdam & hæreticis ſententiis. Id certe ex omnibus conſtat Carteſii ſcriptis, neminem majori ſtudio & conatu in id incubuiſſe, ut demonſtraret animæ humanæ immaterialitatem, & per conſequens immortalitatem, & exiſtentiam Dei; quæ duo certe capita oſtendunt, longe illum abfuiſſe ab iſto crimine, quod illi imputabant adverſarii. Nemo enim e veteribus illis, nec Ariſtoteles ipſe, cujus paſſim principia in Scholis recepta ſunt, id data opera egit. Omnia enim apud illum ſuper hoc argumento ſunt tenebricoſa, ſuſpecta, ambigua, & jam in hunc, jam in illum ſenſum, flecti poſſunt. Unde non deſunt, qui expreſſis verbis aſſerant, Ariſtotelem ſtatuiſſe animam hominis mortalem. Magis forte pius eſt Carteſius, quam illi, qui Carteſianam Dei in nobis Ideam ſcriptis impugnarunt. Quorſum ſpectat Lib. cujusd. Steph. Ezeckii, qui, in *prima ſua veritate defenſa* (Traj 1666. *in* 12.) acerbe iſtoc nomine Carteſium, ejusque aſſeclas, perſtringit. Quod hiſtoriam vitæ & Operum Carteſii attinet, prodiit non ita pridem libellus aliquis ſingularis de hoc argumento ſcriptus a M. Joh. Tepelio. In quo ſimul exponuntur variæ ejus conflictationes cum Theologis, e quibus præ ceteris habuit antagoniſtam Gisbertum Voëtium, hominem magnæ quidem doctrinæ & variæ, ſed nulla perſpicacitate animi præditum.

Primum Opus, quod Carteſius ſcripſit, *liber* fuit *de Methodo*, quo IV. Regulis omnem philoſophandi rationem complexus eſt. Prima eſt, ut nihil unquam veri admittatur, niſi quod quis certo & evidenter verum eſſe cognoſcat. Secunda, ut difficultates, quas eſſet examinaturus, in tot partes divideret, quod expediret, ad illas com- 2

commodius reſolvendas. Tertia, ut cogitationes ordine promoveret, incipiendo a rebus ſimpliciſſimis, & paulatim ad difficiliorum & magis compoſitorum cognitionem aſcendendo. Quarta, ut perfecte ſingula enumeraret, & ad omnia circumſpiceret, in mediis quærendis, & difficultatibus percurrendis. Primum ex eo, quod dubitet & cogitet, demonſtrat, quod ſit, unde exiſtentia ſui, & dubitatione de rerum eſſentiis, ad demonſtrationem excellentioris naturæ, divinæ ſcil. procedit, naturalium rationem ex arte factis explicat, cum formas illas ſubſtantiales non agnoſcat. Potiſſima vero naturæ phænomena e ſolo motu, & habitudine partium, explicari poſſe demonſtrat. Natura nihil illi aliud eſt, quam corpus, quod trinam dimenſionem habet, ſequeſtrata omni ratione duritiei, aſperitatis, gravitatis, &c. cum ſola trina dimenſio illi corpus conſtituat. Hinc vacuum, ut impoſſibile, in natura dari negat, formam in ſolo homine ſubſtantialem agnoſcit, cum anima humana ſola ſit actionum humanarum conſcia atque per ſe operetur. Ceterarum rerum formæ nihil aliud illi ſunt, quam accidentium congeries. Inter accidentia principem locum tenet motus, tum quies, figura, ſitus, magnitudo. Tria illi ſunt Elementa. Primum Elementum eſt materia quædam ſubtiliſſima, perniciſſime agitata, fluida, nullius figuræ tenax, ſed quæ facile corporum adiacentium figuras induat. Illud in ſole, ſtellis, igne & lucidis corporibus, potiſſimum regnare ait, & meatus corporum occluſiſſimos pervadere. Secundum Elementum ipſi ex globulis minutiſſimis componitur, quod ætheream ſubſtantiam efficit. Tertium ex materia denſiori, & particulis ramoſis, aut aliter figuratis componitur. E quibus partibus craſſioribus terra, aqua, aër, omniaque mixta corpora, componuntur. Ex primo illo & ſecundo Elemento vortices ſuos efformat. Cœleſtis enim materia, quæ globulis ſecundi Elementi conſtat, circa centrum commune tota in orbem veritur, & quantum poteſt, a centro removeri nititur, &, niſi proximi vortices obſiſterent, hinc magis ac magis recederet. Unaquæque autem ſtella proprium ſibi vorticem & cœlum vindicat, in cujus medio celerrime agitatur. Unicuique vortici ſui ſunt poli & cardines. Vortex, in quo nos ſumus, quique Planetas omnes complectitur, ſex aut pluribus vorticibus ita circumdatur, ut motum ſibi impreſſum, quam poteſt maxime, tueatur. Ex vorticibus illis, qui duobus iſtis Elementis conſtant, primo ſcil. illo, materia ſubtiliſſima & globulis illis æthereis, tertium prodit Elementum, quod ſolares maculas, cometas, & errantes ſtellas efficit. Id, ex angulis, & velut ſcobe, ſecundi Elementi conciſum, partes non habet æquabiles, ſed aliæ aliis ſunt craſſiores. Singula prolixius ab ipſo Autore explicantur, quomodo maculæ in ſole fiant, quomodo cometæ generentur, Planetæ facti ſint. Hinc, Planetas novos novos Soles generare poſſe ſucceſſu temporis, probare contendit. Quæ an ita ſe habeant, definire certo non poſſumus, quanquam ſint ſumma ſubtilitate & veriſimilitudine omnia excogitata. Ex iis principiis Mathematica ratione naturalia effecta deducere laborat, & quas occultas Phyſici habent affectiones corporum, magnetiſmos, ſympathias, antipathias. Eam doctrinam præcipue in *libro Principiorum Philoſophiæ* complexus eſt.

3 Scripſit præterea *de Geometricis*, *de Opticis*, libros elegantiſſimos, libros etiam

de

de Meteoris. Ejus *de Paſſionibus animæ* aureus liber eſt, Amſtel. A. 1650. *in 12.* editus. Prodierunt itidem variæ ejus *Epiſtolæ*, tum Gallicæ, tum in Latinam linguam converſæ, quibus controverſiæ, tam Phyſicæ, quam Mathematicæ & Morales, discutiuntur. De quibus Oldenburgius *in Transact. p. 392. 810.* & *T. III. Ephem. Gall. p. 26.* conſulantur. Tractatus ejus *de homine*, multa continet, a vulgatis Anatomicorum opinionibus diſcrepantia, qui primum Gallica lingua prodiit, & in Latinam poſtea converſus a Florentio Schuylio, cujus præfatio (in Edit. Leidenſi A. 1664. *in 4to)* multa de rebus Carteſianis monet. Quoniam vero morte præventus abſolvere non potuit, LVDOVICVS FORGIVS, Med. Pariſienſis, addidit alteram partem libro, Gallica lingua ſcripto, *de anima hominis*, in quo ſecundum eadem principia doctrinam de anima explicat, cuique longam præfationem de Carteſii doctrina, non nova, ſed cum antiquis Autoribus, ipſoque Auguſtino, conveniente, præmittit.

Fuerunt hinc multi, qui ejus doctrinam, vel in Compendium redegerunt, vel 4
Commentariis illuſtrarunt, vel cum ſuis dogmatibus miſcuerunt. E primo genere ſunt Henricus Regius *in fundamentis Phyſices ſuæ*, Jacobus de Rohault, Joh. Tatinghof *in Clave Philoſophiæ Carteſianæ*, Franciſcus Bayle in lib. Gallico, qui inſcribitur *Syſtema Generale Philoſophiæ*, excuſus Toloſæ *in fol.* anno 1669. Qui undecim capitibus pertractat Metaphyſica, Logica, principia naturalis Philoſophiæ, doctrinam productorum in viſceribus terræ, meteororum, ſenſibilium qualitatum, plantarum, animalium, hominis, humanarum paſſionum, & denique Ethica. Antonius le Grand *Philoſophiam veterum, e mente Renati de Cartes, more ſcholaſtico breviter digeſtam*, ſcripſit, quæ Londini edita eſt Anno 1671. Sed ſuperiori anno elegans & luculentum Syſtema totius Philoſophiæ Carteſianæ in lucem dedit, quod præ ceteris commendo, ut quod ſumma diligentia & perſpicuitate dogmata Carteſiana proponit. Cui jungi poteſt *Hiſtoria* ejus *naturalis*, in qua, per ſingula Phyſices capita, phœnomenorum Phyſicorum rationes e Carteſii Philoſophia deducit. Scripſit & idem *de carentia ſenſus & cognitionis in brutis*, ad mentem & ſententiam Carteſii.

Qui Commentariis illuſtrarunt, multi ſunt, præcipue Joh. Claubergius *in Me-* 5
ditationibus, paraphraſi, Ontoſophia, Phyſica, Logica, Gilbertus (*nm*) *in Phyſiologia, ſeu Philoſophia nova*, (Amſtel. A. 1651. in 4to edita) Dan. Lipſtorpius *in Speciminibus Philoſophiæ Carteſianæ*, in quibus doctrinam motus præcipue tradit. Jacobus Rohault in *Tractatu ſuo Gallico-Phyſico*, Pariſiis anno 1674. edito, & poſtea etiam Batavis recuſo, Carteſiana principia pluribus deducit, & prima in parte contra Peripateticos & Scholaſticos defendit: Cordemæus, doctiſſimus autor Gallus, populari lingua Tractatum edidit *de differentia animæ & corporis*, ex mente Carteſii, elegantiſſimum & ſubtiliſſimum Opus, quemadmodum & alterum, quod *de verbo* ſcripſit. Scripſit

(*nm*) Quo jure Gvilh. Gilbertus, *Cap. XV.* 7. inter Novatores relatus, Commentatoribus Carteſii accenſeatur, anno 1596. demum nati, cum diu ante hunc inclaruerit, & Opus ſuum, *de Magnete*, anno jam 1600. Londini ediderit, non video.

& Thomas Cornelius, Conſentinus, *Progymnaſmata Phyſica*, ad mentem Carteſii, *de ratione philoſophandi, de rerum initiis, de univerſitate, de ſole, de generatione hominis, de nutritione & vita*, Francof. A. 1665. *in 12.* recuſa. Adverſus Ariſtotelem ſæpe diſputat, interdum quoque adv. Carteſium, quem ex Jordani Bruni hypotheſibus quædam deſumpſiſſe, *Progymn. III. de Univerſitate*, oſtendit. Longe vero plures ſunt, quos omnes enumerare opus non eſt. In Belgia olim Lugduni, nunc Amſtelodami, Joh. de Raey celebratiſſimus Philoſophiæ Carteſianæ Doctor eſt, cujus multa extant, quæ doctrinam Carteſii illuſtrant, ſcripta.

6 Qui Carteſiana principia ſuis, vel aliorum principiis miſcuerunt, non pauci ſunt. Inter Anglos præcipuus eſt ROBERTVS BOYLE, qui, in libris ſuis *de origine formarum, formis ſubordinatis, qualitatibus Corpuſcul., coloribus, &c.* Carteſianas ſententias, quod doctrinam corpuſcularem attinet, & phænomena naturalia, e motu procedentia, amplectitur, cum interim multa ejus Autoris rejiciat. Motum, e quo Carteſius multam deducit doctrinam, quatenus phænomena naturalia inde dependent, diligenter evolvit Godfr. Gvilh. Leibnitius in *hypotheſi ſua Phyſica nova*, qua phænomenorum naturalium plerorumque cauſas ab unico quodam univerſali motu, in globo noſtro ſuppoſito, repetit, & in *Theoria motus abſtracti, ſive rationibus motuum univerſalibus, a ſenſu, & phænomenis inde dependentibus.* Quos duos libellos *Societati Regiæ Anglicæ, & Acad. Regiæ Francicæ*, inſcripſit, Moguntiæ A. 1671. in 12. editos, & in Anglia, juſſu Societatis Regiæ, recuſos.

7 Carteſiana principia impugnant Scholaſtici quidem multi, ſed, cum e ſuis hypotheſibus contra Carteſianos diſputant, nec Carteſium ſatis capiunt, nec ſolide refellunt. Eidem viæ demonſtrativæ inſiſtere oportet, ſi quis contra Carteſium agere velit. Quare illos ne nominabimus quidem. Qui ſolidiora demonſtrationibus Carteſianis opponere volunt, pauci ſunt. Sunt tamen, qui, contra ſpecialia ejus dogmata, aliqua comminiſcuntur. Eſt quidam Franciſcus Wilhelmus, liber Baro de Nyland, qui *Elementa Phyſica* ſcripſit, ſeu *nova Philoſophiæ principia, quibus Carteſii principiorum falſitas oſtenditur, ipſiusque errores ac paralogismi ad oculum demonſtrantur & refutantur* (ita titulus ſcil. jactitat:) Liber editus eſt Hagæ Comitis anno 1669. & digna, quæ de illo conſulatur, cenſura Tſchirnhauſii *in Medicina mentis, pag. 131.* Is non a corpore, Carteſianæ Phyſicæ principio, ſed ipſo nihilo, incipit, quod infinito æquipollere contendit, & mundi ex nihilo creationem demonſtrare laborat: quod certe eſt ἄτοπον, & ante ipſum nemo tentavit. Ariſtotelico principio: *nihil ex nihilo fieri*, adverſa fronte repugnat. Finitum Ens medium proportionale inter nihil & infinitum facit, quod Mathematica demonſtratione ponere ob oculos annititur. Vacuum contra Carteſium admittit in natura, corporis phyſici rationem formalem in denſitate & duritie conſtituit, contra quam Carteſius, qui trinam dimenſionem formalem corporis rationem eſſe vult; hinc ad motum unicum Dei, ſupremi Entis in productione corporum inſtrumentum, procedit. Cujus regulas habet a Carteſio diverſas, quæ recenſentur *in Actis ſocietatis Regiæ Anglicæ p. 2167.* Quid de ſententia

ejus

ejus ſentiat Chriſtianus Hugenius, legi poteſt in *Epiſtola*, libello ejus præfixa. Quod motus vero regulas attinet, a Carteſio præſcriptas, eas etiam alii impugnarunt. Gallus quidam Anonymus *de Motu locali Diſſertationem*, Anno 1670. ſcripſit, qui regulas tradidit, a Carteſianis diſcrepantes, de quibus videantur *Acta Societatis Anglicæ p. 2110.* Scripſit & Johannes Alphonſus Borellus, Italus, *de vi percuſſionis* Tractatum, in quo occurrunt regulæ, a Carteſianis diverſæ, convenientes vero cum Franciſci Wilhelmi hypotheſibus, quod & ipſe fatetur, quanquam librum ante a ſe viſum neget. Eſt & Henricus Mohre, Cantabrigienſis, qui *Enchiridion Metaphyſicum*, ſive *Diſſertationem de rebus incorporeis*, conſcripſit, ſub literis nominis initialibus, H. M. editam Londini, Anno 1671. *in 4to.* In quo *φαινόμενα* naturalia a Mechanicis cauſis, ut vult Carteſius, produci negat, ſed neceſſarias exiſtimat eſſe quasdam immateriales eſſentias, ſ. Spiritus, ad motum in natura producendum. Carteſium reprehendit, quod Definitionem motus non philoſophicam dederit, quæ omni ſenſui & facultati rationali repugnat. Demonſtrat, quod ſit aliquod extenſum immobile, non apparenter tantum, ſed & vere, exiſtens, diſtinctum ab omni materia mobili, quod ſpirituale & immateriale facit, totum univerſum omnemque materiam penetrans & ſuſtentans, quodque, ab omni cogitatione noſtra independens ſit, & quodammodo divinum. Ergo ſpatium illud, quod vulgo vacuum poſſit vocari, Carteſio vero corpus, ſive materia eſt, ob extenſionem, ille revera diſtinctum ab omni materia facit, & ſpiritum incorporeum, affirmans, ſe ea via, qua Carteſius Deum e mundo excluſerit, introduxiſſe iterum. Quæ ſententia ejus neſcio quomodo peregrina & inſolita eſt. Neque verum eſt, excluſiſſe Carteſium Deum e mundo, quando illum non ſub extenſione concepit. Eam enim differentiam faciebat inter ſpiritum & corpus, in quo etiam conſentit cum omnibus Philoſophis ſanioribus. Henricus Mohre vero extenſionem etiam ſpiritui competere ait, qui in *libro ſuo de immortalitate animæ* prolixe ea de re agit, multisque capitibus oſtendit, ſpiritus non eſſe extenſione omni deſtitutos, adeo quidem, ut animæ humanæ, ſeparatæ a corpore ſuo, figuram ovalem vel rotundam tribuat, quod certe neſcio quid Enthuſiaſticum ſapit, neque ulla ratione a quoquam demonſtrari poteſt.

Atque hæc de Philoſophia Carteſiana dixiſſe ſufficiat, de qua, ſi meum quale- 8
cunque judicium eſſet interponendum, ita quidem exiſtimo, nullam unquam ſubtiliorem a quoquam eſſe Philoſophiam traditam, quæque magis conetur naturam in ipſis ſuis principiis deprehendere, quæ miniſterio ſenſuum ita alte ſunt excitata, ut profundius quidem mens humana penetrare non poſſit. Quam enim ſubtilia ſunt, quæ de materia ſubtili, de vorticibus hujus univerſi, excogitavit Carteſius, veriſimillime? e quibus hypotheſibus occulta illa naturæ *φαινόμενα*, inter quæ præcipuum eſt motus Magneticus, demonſtrare contendit. Quanquam iſta non adeo certa ſint, ut nullus dubitationi amplius locus relictus ſit, puto tamen, generales iſtos conceptus ſatis bene ſe habere, & veriſſimos eſſe, licet in omnibus illis fortaſſis natura ipſa non reſpondeat. Quæ enim inde deducit de ſolium generationibus, eo-

rumque commutationibus in terras, quæ de cometis habet, illa quidem omnia admirabiliter excogitata ſunt, & fortaſſis ita ſe habent, ſed fides tamen earum rerum indubitata non eſt, ut quæ humano ingenio deprehendi non poteſt, ob vaſtitatem objecti, ob diuturnitatem temporum, ob diſtantiam locorum, ob imbecillitatem ipſius naturæ & mentis noſtræ humanæ, quæ, incluſa hoc corpore, miniſterio ſenſuum tantum apprehendit, &, vel ſeparata, fortaſſis non omnes illos univerſi receſſus capit.

9 HENRICVS MOHRE peculiarem ſcripſit *Epiſtolam*, quæ reperitur inter *Opera* ejus *Philoſophica*, *de Philoſophia Carteſiana*, in qua vehementer eam laudat quidem, & adverſus ſtolidos & imperitos cenſores defendit, ſed tamen aliqua deprehendere ſibi viſus eſt, in quibus diſſentire malit a Carteſianis hypotheſibus, vel iis diffidere, quæ ad tria genera reducit, nimirum vel ad ſimplicem nudamque inadvertentiam, qualis in omnes fere mortales cadere ſolet, vel ad nimium, ſive prudentiæ, ſive honeſtæ cujusdam aſtutiæ, ſtudium, vel denique ad enormem quandam Mathematicæ certitudinis ac neceſſitatis in ſingulis ſuis concluſionibus affectationem. Singulorum capitum exempla fuſe illic recenſet, Ad ſecundum genus refert exemplum illud de brutis animantibus, quæ inanimes machinas, inſenſataque *αὐτόματα* Carteſius eſſe fingit, quod illi lepidum commentum neceſſe fuit comminiſci, ne brutorum animas pariter, ac noſtras, ex ſua philoſophandi ratione, concluderet immortales. Cum enim firmiter teneret, & ut principium indubitatæ fidei poneret, ne viliſſimum quidem cogitandi actum in materiam cadere, qualitercunque etiam modificatam, ſi agnoviſſet ſenſum ineſſe brutis, debuiſſet etiam concedere, ineſſe illis ſubſtantiam, realiter a materia diſtinctam, h. e. animam immortalem. Maluit itaque ſenſu privare bruta, quam turbari quæſtiunculis odioſis hominum captioſorum de animarum brutorum ſtatu poſt mortem. Igitur putat Morus, illi potius hoc velut *κρησφύγετον* fuiſſe aſſumendum, non autem veram ejus aut ſeriam fuiſſe ſententiam; quod conjicere etiam liceat ex verbis Epiſtolæ alicujus ad Henricum Morum ſcriptæ, ubi ait Carteſius: *Quamvis pro demonſtrato habeam, probari non poſſe, aliquam eſſe in brutis cogitationem, non ideo puto poſſe demonſtrari, nullam eſſe, quia mens humana illorum corda non pervadit.* Similiter etiam huc pertinet illud, *Principiorum part. 3. Articulo 2.* de non inveſtigandis finibus earum rerum, quas in naturæ complexu videmus. Quo monito ſibi præcavit ab importunis ſciſcitationibus, quas de corporibus cœleſtibus urgere nonnulli poſſent, e. g. cur Deus tot ſoles crearit, quibus luceant, annon in Planetis omnibus bruta animantia eſſent, ſive homines? Ad tertium genus permulta Carteſianæ Philoſophiæ deduci poſſunt & refert Henricus Morus illam Carteſii magnificam pollicitationem de concluſionibus ex mechanica motus neceſſitate, per univerſam ſuam Philoſophiam deducendis. Neque enim putavit ſe ſatis ſecurum Carteſius de certitudine eorum modorum, quibus naturæ *φαινόμενα* fieri aſſerit, ſi divina conſilia, (quæ variis modis eadem *φαινόμενα* exhibere poſſunt) cum materiæ motusque legibus miſcerentur. Ad rotationem illam vorti-

vorticum tam artificialem, quamque ille expediri putat poſſe ſolius materiæ & motus conditionibus, altior cauſa & divinior requiri debere videtur. Nam, ut recte notat Henricus Morus, nunquam eſſet motus adeo exactus & ordinarius, ſi ad ſolum principium Mechanicum illa referantur. Refert etiam huc ſcrupuloſum illud, ut vocat, principium, quod ne tantillo quidem plus minusve motus ſit in rerum univerſitate uno tempore, quam alio. Cujus dogmatis ratio certa dari non poteſt, neque aliter illud conſiderari, quam hypotheſis aliqua Mathematica, quæ aſſumenda eſt, ut affectiones corporum cœleſtium demonſtrentur. Ita Carteſio aſſumendum fuit hoc principium, quoniam ex motu omnia naturæ φαινόμενα deducturus erat, quod tamen an ſit in rerum natura fundatum, vehementer dubitari poteſt. Quod enim ait Carteſius, nec genios, nec animam humanam, materiam poſſe movere, ſed motus ejus duntaxat verſus hanc vel illam partem determinare, credi non facile poteſt, cum certe, ſi vim habeant ſiſtendi ac dirigendi motum, etiam movendi potentia privandi non videantur. Interim tamen nihil vetat, ex motus iſto principio pulcherrime plurimorum phænomenorum naturam explicari; fieri enim pleraque motu in natura videmus, quicquid etiam de cauſis moventibus ſit. Quod ſi cum his reliquorum Philoſophorum dogmata conferamus, nihil plane iſti dicunt, talium phænomenorum cauſas rogati, quas tamen ſuppeditat Carteſius. De ceteris videatur ipſa Henrici Mori Epiſtola, ubi prolixe recenſet, quid in Carteſiana Philoſophia proponatur, pietati & religioni maxime conveniens, adeo ut Platonicum etiam videri poſſit, quibus dogmatibus in Phyſicis nihil religioſius eſt.

CAP. XVIII.

DE CONSENSV ET DISSENSV VETERVM ET RECENTIORVM, EORVMQVE CONCILIATIONE.

§. 1. *Philoſophi, circa principia Phyſica diſſentientes, vel ſenſum ſequuntur ducem, vel intellectum.* 2. *Senſum cognitione confuſa ſecuti ſunt veteres qui vel totum hoc univerſum, (teſte haud ſatis tutæ fidei Ariſtotele) vel unum ex* 4. *Elementis, principium rerum eſſe unicum ſtatuerunt, quorum ſententiæ dextre contra detorſiones Ariſtotelis explicantur, & facile conciliari poſſe oſtenduntur.* 3. *Senſum, accuratiori tamen indagatione prævia, ſecuti ſunt Democritei & Epicurei, atomorum patroni, qui tamen, ſi ſe tricis omnibus expediri velint, mentem aliquam, vel naturam Ætheream, Architecti vice fungentem, cum Democrito & Lucretio, adjungere coguntur, quo pacto ab aliis eos parum diſſentire, & Philoſophiam hanc corpuſcularem magno uſui eſſe, docetur, admiſtis tamen de ejus imperfectione, & modo legitime utendi, monitis.* 4. *Intellectum ducem ſecuti ſunt Pythagorici, numeris, Platonici ideis ac animæ mundi, Ariſtotelici formis ac notionibus,*

omnia, ſed perperam, tribuentes. 5. Conciliabuntur hi cum ſenſualibus, ſi ſenſus deficiens intellectus ſubſidio utatur. Quamvis nec hoc pacto perfecta rerum naturalium notitia unquam ſit ſperanda. Elogium Joh. Bapt. Hamelii.

1 ENarravimus hactenus varias Phyſicorum veterum & recentiorum ſententias, quæ inter ſe diſcrepare maxime videntur, ut difficillimum ſit, in illa fluctuatione animorum veritatem indagare. Ajunt hi, illi negant, alii deliberandum cenſent, atque ita nulla certitudo eſt, nulla veritas. Aliqui ſibi conſpirare faciunt alienas ſententias, & hypotheſes ex ſuo ingenio interpretantur, vel etiam vi quadam in ſenſus ſuos detorquent. Quoniam enim Analogiſmus rerum perpetuus eſt, ideo facile tali interpretationi locus relinquitur, quoniam item conceptus nonnullorum generales ſunt, facile applicari poſſunt aliis quibusdam ſpecialioribus. Nos jam in ſuperioribus capitibus, non pauca adduximus, quæ ad præſentis Diſſertationis argumentum pertinent. Quæ legi poſſunt, ne hic otioſe repetantur. Hoc vero loco quaſi ſummam eorum inibimus, ac rationes, ut ita dicam, omnium ſententiarum ſubducemus. Quod nunc expeditius fieri poteſt, poſtquam variorum ſententiæ jam tum propoſitæ ſunt. Quantum itaque e collectione omnium illorum, quæ diximus, patet, duplici primum in ordine collocandi ſunt Autores, qui Philoſophiæ naturalis principia tradiderunt. Vel enim ſenſum ſequuntur ducem, vel intellectum. Quæ duo quanquam ſejungi a ſe non poſſint, nam intellectus beneficio etiam illa argumenta cuduntur, quæ ad ſenſum ſpectant; eam tamen ob cauſam hanc diſtinctionem facimus, quod aliqui magis intellectum ſequantur.

2 Qui *ſenſum* ſequntur, vel ea principia agnoſcunt, quæ cognitione confuſa prima eſſe vident; vel determinatiore indagatione, non ſine opificio aliquo externo, in illa inquirunt. Qui id, quod ante pedes eſt, tantum vident, & confuſa tantum præmeditatione ducuntur, ea, quæ oculis patent, ad principiorum claſſem redigunt. Quorum in numero collocare quis illos poſſit e veteribus, qui unum rerum principium ſtatuebant, idque infinitum, aut hoc univerſum, quod oculis apparet. Quo nomine aliquos e veteribus reprehendit Ariſtoteles, qui tamen falſam potius ſententiam affingere judicandus eſt, cum, ex iis neminem tam abſurdum fuiſſe, credibile ſit, qui non diſtinctius & determinatius de principiis locutus ſit. Nam, ut ſupra jam diximus, qui unum principium ſtatuebant, vel intelligebant cauſam efficientem, mentem aliquam, ſive Deum ipſum, vel unum aliquod diſſimilare, quod haberet tamen in ſe ſubſtantias aliquas primas & ſimplices, ceterorum mixtorum corporum cauſas. Quod dum ajebant, diverſitatem agnoſcebant principiorum, quanquam ordinem & numerum eorum non inibant, quem forte inire, dictante ipſa rerum natura, non poterant. Multa quidem ſubtiliter Ariſtoteles de principiis in univerſum diſſerit. Ea enim eſſe vel unum, vel plura, dicit. Si unum, vel finitum, vel infinitum, utrumque vel mobile, vel immobile. Si plura, vel finita, vel infinita. Si finita, vel binario, vel quaternario numero comprehenſa. Si infinita, vel eſſentia inter ſe diſtincta, vel figuris tantum. De qua ejus argumentatione non eſt, ut magnopere ſolliciti ſimus, ſaltem illud ex eo,

ut

ut verum, agnoſcendum eſt, principia debere eſſe plura, non unum. In quo non tam diſſentientes, quam conſentientes habet veteres, ut itaque male contra illos diſputet. Nam qui unum aliquod agnoverunt principium e veteribus, conſiderarunt illud potius, tanquam ſubjectum aliquod miſtionis primarium, non tanquam cauſam aliquam internam, quanquam nihil vetat, etiam cauſis internis accedere poſſe. Ita aliqui aquam, aliqui aërem, aliqui terram, aliqui etiam ignem, univerſale hoc ſtatuebant principium, non quod unice conſtituere corpus credebant, neque enim aliud ex eodem fieri poterat; ſed quod vel vehiculi loco erat, & pars etiam ejus aliqua cederet in materiam, ut terra & aqua; vel quod princeps operationum & motus cauſa eſſet in quolibet mixto, ut ignis & aër: quandoquidem has ſubſtantias maxime ſimplices, & motu prædictas, ſenſu deprehendimus. Qui omnes, quanquam ſententiis diſcrepare videantur, re ipſa tamen unum idemque ſentiunt, cum pateat ex eorum ſententia, duobus debere conſtare principiis corpus quodlibet, uno, quod materiam ſubſterneret, ſive illud aqua, ſive terra ſit, (nam facile ita ſentientes in gratiam redigemus, cum terra beneficio aquæ id obtinere videatur, ut miſtionem ſubire poſſit, perpetuum certe terræ & aquæ ſit conjugium:) altero, quod ſit ſubſtantia aliqua efficax, movens & mobilis, omnium operationum in miſto cauſa, ſive id ab aëre, ſive ab igne, petant, quorum corporum naturæ ſunt affines, & mutuis vicibus ſuſtentantur.

Quandoquidem vero id ſenſu comprehendi non poteſt, ſed intellectu colligi- 3
tur, quæ tamen collectio fundamentum in re ipſa habet, non contenti eo alii alia indagarunt principia, quibus illa miſtorum diverſitas magis probari poſſit. Nam, quanquam ſenſu deprehendere poſſumus, eſſe aliquod in miſtis principium craſſius, ſolidius, quietum, iners, ſtupidum; aliud vero maxime movens & mobile, efficax, operans: non poſſumus tamen illa niſi nominibus communibus ſignare materiæ & formæ, principiique paſſivi & activi. Sed, quid in unoquoque miſto corpore ſit illud, quod materiam vocamus, atque illud, quod formam, demonſtrare non poſſumus. Quare aliam viam ingreſſi ſunt nonnulli, quodque ſe non poſſe explicare videbant, ob rerum infinitatem, ex alia iterum infinitate remedium huic ſuæ ignorantiæ petierunt. Statuebant enim infinitas illas numero Atomos, easque omnes uniformes & congeneres, omnium miſtorum corporum cauſas, itidem a ſenſu ſuo, ducti dicam, an ſeducti? Nam, cum deprehendere poterant etiam ſenſu ſuo, naturam rerum eſſe quaſi in continuo flexu, creſcere corpora atque decreſcere, videbantque id inſenſibilium particularum, vel acceſſione, vel receſſu, fieri, in eas cogitationes adducti ſunt, ut corpora omnia miſta non alio modo generari, aut interire, exiſtimarent. Igitur varias fingebant motus ſpecies, qui ex Epicuri ſchola erant, quibus expediri orbium omnium, omniumque miſtorum corporum, compoſitionem poſſe credebant, accedentibus & recedentibus, per inania ſua ſpatia corpuſculis illis minutis. Atque ita quidem certos hac ſua ſententia ſe putabant, ut quæ alii ad ſpiritus reducebant & mentis operationes, illi e fluxu corpuſculorum ſuorum determinare,

magno

magno conatu niterentur. Sed de iis plenius actum eſt in *Cap. de Epicureis*, quo dubia non pauca in medium adduximus, quæ iſtarum hypotheſium rationes infringant, hic non repetenda. Id certum eſt, expedire ſe Atomorum ſuarum tricis non poſſe Epicureos, niſi ætheream etiam aliquam naturam in ſubſidium vocent, principium ſcilicet, quod ſenſu noſtro comprehendi non poteſt; cujus rei veritas, vel invito Lucretio, iſtam ſententiam expreſſit. Quique ante Epicurum Democritus hanc philoſophandi rationem inſtituerat, mentem non excluſit, & ſpiritum aliquem, rerum architectum. Idem & Borello videbatur, de quo *loco ſupra citato.* Qui jam corpuſcularem hanc doctrinam amplectuntur, non adeo diſſident a ceteris, ut componi cum illis nequeant, quanquam Epicurus aliquanto longius recedat, qui tamen, vel invitus, etiam in aliorum caſtra compellitur. Neque enim, quia corpora miſta reſolvi poſſunt in minimas particulas, certo modo figuratas, atque e talibus iterum componi, ideo negandum eſt, e propioribus principiis, quatuor ſcilicet Elementis, aut principiis chymicis, ea componi poſſe. Reſolutio enim corporum in minima non impedit illam e principiis propioribus combinationem, ſed ſubſtantia tantum corporum imminuitur per alterationem quantitatis, ac poſſunt etiam in minimis particulis vel diverſa eſſe genera corpuſculorum ad corporis compoſitionem deſtinatorum, vel ſingula iſta corpuſcula adhuc ſibi adjuncta habent alia, quorum commiſtione componitur totum corpus. Quocunque jam modo conſideremus particulas minimas, videmus quidem in illas reſolvi corpora poſſe, ſed ſolo ſenſu eorum etiam corpuſculorum inter ſe differentias non deprehendemus, niſi eas ſenſu examinemus, cum in eo ſtatu ſunt, ut ob conglobationem ſuam cadere ſub ſenſum poſſint. Quemadmodum illas detegit nonnunquam ars Chymica, in quo tamen non usque adeo etiam conquieſcere poſſumus, cum raro, vel nunquam, ita puræ ſint partes illæ, quas ignis ſecernit, quin ex aliis etiam participent. Sed ex eo, quod præcipuum eſt & præponderat, facile colligimus diverſitatem. Ideoque non contradicunt aliis, qui corpuſcularem doctrinam ſequuntur, qui tamen in eo peccant, quod e ſolis corpuſculis omnium corporum miſtiones, & rerum cauſas, deducant. Sed tenenda eſt tamen firmiter corpuſculorum illa doctrina, ſine qua multa neſcirentur in Phyſicis, inprimis operationes iſtæ, quæ e minimorum corporum figuris dependent. Hinc enim varias affectiones ſortiuntur corpora, ſi vel e particulis globoſis, vel hamatis, vel oblongis, conſtent; quarum affectionum ratio pulcherrime ob oculos poni poteſt illa particularum figuratione. Sed, an ea ſola omnia expediri poſſint, ego non dixerim. Quanquam enim minima certo modo ſint figurata, non tamen determinabimus, an omnia corporis alicujus minima pari modo ſint figurata, annon e diverſis particulis conſtent corpora? annon aliud quid adſit, ſenſu non perceptibile, quod hanc vel illam qualitatem impertiat, quanquam mediante certa aliqúa figura corpuſculari operetur? Quieſcendum itaque eſt in hac particularum ſententia, ubi ſenſus ſubſiſtunt. Subſiſtunt autem ſenſus, cum nulla demonſtratione, quæ ſub ſenſum cadat, ac neceſſaria aliqua conſequentia, concluſio evinci poteſt. Quare tum ſuſpicionibus & conjecturis locus

eſt,

eſt, quarum iterum certi quidam gradus ſunt. Aliquæ enim, quo propius ad ſenſus accedunt, aut probabilioribus argumentis colligantur, reliquis præferendæ. Ac ſunt interdum phænomena naturalia, ubi ſenſus noſtri hebetiores ſunt, quare ad eorum menſuram non ſunt exigenda. Ita canes odorari poſſunt veſtigia fugientis leporis ad dies etiam aliquot interdum, quod hominibus negatum eſt. Fieri tamen hoc beneficio particularum minimarum, e corpore animalis exeuntium, veroſimillimum eſt, cum aliter id accidere non poſſe videamus. Multa ſunt in orbibus cœleſtibus phænomena, de quibus, non niſi per ſuſpiciones & conjecturas, philoſophari poſſumus, quoniam objectum vaſtitate ſua excedit ſenſuum facultates, ideoque hic a partibus ad partes, vel ad univerſum argumentandum eſt, & ex analogiſmo rerum deducenda ſunt, ſi non omni ex parte vera, tamen veroſimillima. Quorſum etiam referenda ſunt iſta in natura phænomena, fluxus & refluxus maris, converſio magnetis ad polos, &c. quæ ex univerſalioribus cauſis dependent, quam nos comprehendere poſſumus. Converſionem magnetis ad polos Carteſius ingenioſiſſime explicuit e vorticum ſuorum cœleſtium natura: & Boylius quoque *in libro ſuo de ſuſpicionibus Cosmicis*, qui ad certum effluviorum fluxum cauſam illam refert.

Succedat jam altera Philoſophorum familia, qui plus ad *intellectum*, quam ad 4
ſenſum, referunt. Nam, cum viderent, a ſenſibus ſuis ſe deſtitui, nec ſine cauſa ſuſpicarentur, ſubeſſe aliquod altius & ſublimius principium, quod in ſenſus non niſi a poſteriori incurreret, eo deducti ſunt, ut ſubſtantias aliquas ſpirituales, vel ex ingenio ſuo fingerent, vel nudis quibusdam conceptibus & notionibus quocunque modo hanc ſolarentur ignorantiam. Et Plato quidem hic mundum ſuum intellectualem & ideas, & animam mundi, confingit. Stoici ipſi materiæ Deum immerſerunt. Plato, undecunque hauſerit iſta ſua myſteria, magis ad cauſam efficientem, quam ad compoſitionem corporum reſpexit, & Theologum potius in Phyſicis, quam Philoſophum agere videtur. Nihil tamen ex eo certi colligitur, ac omnia tantum conjecturis ſunt & ſuſpicionibus plena. Ideas quod attinet, quas e recentioribus Joh. Marcus Marci *in Philoſophia ſua veteri reſtituta* amplexus eſt, & ad rerum cauſas explicandas adduxit, ex certe ſunt veluti nebulæ pictæ in pariete, & mera quædam phantaſmata, ad ſolandam ignorantiam noſtram inventa. Pythagorici numeris exprimebant rerum eſſentias, velut quibusdam terminis & conceptibus, ut fecit Ariſtoteles. Neque enim numeri poſſunt eſſe rerum principia, ſed quaſi veſtigia aliqua & indices. Peripatetici formas ſuas invenerunt, de quibus mira illi comminiſcuntur, quæ, credo, Ariſtoteli ipſi in mentem non venerunt. Sunt vero illa inexplicabilia & tricarum plena. Non negaverim equidem, eſſe aliquid in corporibus miſtis ſubſtantiale, activum, movens, ſed quod tales conceptus, quales Peripatetici de iis paſſim habent, fundati in rerum natura ſint, nemo facile crediderit: quales ſunt formarum tam accuratæ diviſiones & ſubordinationes, & canones illi, vulgaria Scholæ Cymbala, qui officinam Metaphyſicam potius, quam Phyſicam, ſpirant, ac in demonſtrationibus effectuum Phyſicorum nihil plane efficiunt.

Ex his itaque patet, duplici ordine tantum eſſe diſtinctas Philoſophorum ſectas, 5

atque ad eos reduci etiam poſſe: ipſos vero ordines inter ſe etiam conciliari poſſe, modo deſiſtant ab exceſſu illo ſuo in ſententiis. Ubi deficit ſenſus, recurrendum quidem ad intellectum eſt, ita tamen, ut illo ſolo non ſimus contenti. Mutus debent eſſe miniſteria, nec in ſolo ſenſu ſubſiſtendum eſt; quanquam intellectus interdum nos fallat. Quocunque tamen modo rem inſtituamus, nunquam tamen deerit, quod explicari humano ingenio non poteſt, & ad materiæ opificem, ejusque arcanam hujus univerſi œconomiam, referendum eſt. Ceterum legi in hoc argumento meretur *liber de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ*, Oxoniæ Anno 1668. *in 8vo*, editus a Joh. Bapt. du Hamel, Gallo, Viro doctiſſimo, qui magna cum cura ſua tractat, & ex optimis ſeligit optima, pulchro quoque orationis flore doctrinam ſuam veſtiens.

CAP. XIX.

DE RECTA PRINCIPIORVM PHYSICORVM CONSTITVTIONE.

§. 1. *Methodus Philoſophandi Eclectica in Phyſicis commendatur. 2. Omnium phænomenorum naturalium non poſſint dari demonſtrationes, ob defectum principii cujusdam ſpiritualis incogniti. 3. Circa corporum cæleſtium naturam, ſolis veſtigandam conjecturis, Carteſii, vel aliorum, ſententiæ maxime probabiles ceteris præferendæ. 4. Principii ſpiritualis Operativi (animæ mundi, ſive geniorum, ſive cujuscunque alterius) neceſſitas inculcatur. Principia Ariſtotelica, dextre ab Honor. Fabri explicata, in Diſputationibus Scholaſticis poſſunt retineri. 5. Ad mixtorum naturam indagandam utilis eſt Atomorum doctrina, nec tamen ſola ſufficit. Addendæ ſunt, principiorum inſtar, maſſæ Globi terreni majores, ſive II'. Elementa (de quorum ſingulis diſſeritur, & ignem aëremque Elementorum numero excludi non poſſe demonſtratur,) nec non tria principia Chymica, licet nec horum ope omnia poſſint expediri. 6. Plura miſtorum principia, per Analyſin illorum, & experientiam, ſunt indaganda. Cognitio Phyſices manca ſemper erit & imperfecta.*

1 QUod ſi jam recta principiorum Phyſicorum ratio ineunda eſt, id primæ hypotheſeos loco aſſumendum nobis eſt, in nullius ſectæ placita abſolute jurandum eſſe, nec illa omnia ejuranda: quandoquidem ita comparatæ ſunt res humanæ, ut non omnia omnes videant, ideo quaſi ſuccenturiandæ ſunt ſententiis ſententiæ, atque, ubi una deficit, reponendum ex altera.

2 Secundo ſupponendum eſt, impoſſibile eſſe, omnium phænomenorum naturalium Mathematicas dare demonſtrationes, quanquam allaborandum ſit, ut eas, quoad ejus fieri poſſit, habeamus. Si omnium inter ſe ſectarum principia conferamus in uno

uno aliquo, incognito scil. principio deficiunt, quod naturæ plus quam corporeæ & spiritualis esse probabilibus argumentis colligitur, non vero ita demonstratur, ut satisfacere plenæ cognitioni possit.

Tertio, Philosophia circa corporum cœlestium constitutionem, & naturam 3
stellarum fixarum solis, planetarum ceterorum, cometarum, novarum stellarum, cum nonnisi ex suspicionibus & conjecturis hauriri possit, præferendæ sunt sententiæ, quæ omnium sunt verosimillimæ. Quare hac in parte quidem audiendum putarem Cartesium cum istis suis vorticibus & orbium conversionibus; quanquam non omnia, quæ ille de tribus suis Elementis, licet ingeniose, præsupponit, probem. Materia quidem subtilis agnosci potest: non enim puto eam quicquam differre ab æthere, vel quinto illo elemento Peripateticorum. Secundum ejus & tertium Elementum redigi etiam ad communia principia potest.

Quarto, cum intellectualia principia ponenda etiam sint in natura, poni potest 4
principium aliquod spirituale Operativum, quod tamen cum Stoicis Deum, immersum materiæ, & operantem, non audebimus appellare, quanquam fortassis, cum concursu divino generali omnia fiant, etiam speciale aliquid accidere in natura possit, quod fieri nos non existimamus, semper ad alias causas reducentes, ne videamur veteri aliquo & universali principio ignorantiæ effugium quærere. Nec satis quidem scimus, an cum Platonicis animam mundi statuamus, aut cum aliis genios quosdam & intelligentias, vel totius mundi, vel orbium cœlestium, præsides: id enim, si ita est, vel revelatione debet esse cognitum, vel suspicione aliqua conjicitur. Abstracta illa Aristotelis principia, quæ Metaphysica potius sunt, quam physica, seu universalia quædam de rebus formata, qualia sunt materia & forma, cum regulæ Lesbiæ instar applicari omni hypothesi possint, in gratiam eorum, qui disputationes scholasticas æstimant, retineri possunt, modo commode ex mente Aristotelis, non ejus interpretum, explicentur, atque ita applicentur ad rerum naturam, ne plane omni reali fundamento destituantur: quomodo doctrina de formis, earumque speciebus, harumque eductione materia & subordinatio, satis commode explicari potest. Uti fecit illud Honoratus Fabri in *Physicis*, ubi eleganter demonstrat, quomodo sint substantiales, quanquam non sint substantiæ: qua interpretatione sua veram Aristotelis mentem se putat assecutum. Legi etiam potest Hamelius *de consensu veteris & novæ Philosophiæ, lib. 1. c. 7.*

Verum, cum præcipua Physicæ scientiæ pars sit corporum mistorum naturam 5
& rationem cognoscere, ea enim sensibus propriora sunt, eas Philosophorum sectas perlustremus, qui ad sensuum ductum philosophantur. Atque hic quidam sensuum summam, quam possunt, subtilitatem sequuntur in particulis, quare omnis illa particularum doctrina, e mente Democriti, Epicuri, Cartesii, conferenda & examinanda est. Cum enim mistio fiat inter res diversas per minima, videndum nobis est, ut deprehendamus, in quo diversitas illa materiarum consistat, & quomodo illa mixtio

per minima fiat, explicandum, quæ quaſi divina quædam manus eſt. Non tamen in illis ſubſiſtendum eſſe putem, aut hærendum in Epicuri Schola, qui nullam aliam miſtionem agnoſcit, quam minimorum corpuſculorum compaginationem. Ea quidem concedenda eſt, ſed non ſola explet rationem mixtionis. Nam ad mixtionem diverſa corpora requiruntur, non particulæ multæ congeneres. In minima corpuſcula reſolvi accidit corpori: neque ex eo ſtatim inferendum eſt: igitur ex iis πρώτως & immediate componitur. Poſſunt enim minima corpuſcula in diverſas partes coire, atque hæ partes demum ad miſtionem corporis referendæ ſunt. Illa vero corporis in minima corpuſcula reſolutio continua, effluviorum illam doctrinam illuſtrat atque unice determinat, quæ qualitatum nomine vulgo efferunt Peripatetici, unde omnes ſenſationes contingunt, ac multæ etiam aliæ in natura operationes. Ex hac itaque doctrina novimus, odoratum, ſaporem &c. fieri per effluvia corpuſculorum e corporibus, quanquam tamen, licet illa jam ſciamus, nondum ſatis nobis cognitum ſit, quid in iis particulis talem motum imprimat ſenſorium; an ſola illa particularum figura acuminibus ſuis pungens papillas nerveas acicularum inſtar, vel an aliud quippiam reconditum ſit. Hic enim ſubſiſtere nos rerum natura jubet. Quandoquidem ergo, ut vidimus, e particularum hypotheſi, non tam ratio formalis miſtionis radicalis dependet, quam aliquis tantum miſtionis modus exterior, ideo ſupereſt inquirendum Phyſico, quænam occurrant in rerum univerſitate corpora prima, unde veroſimile ſit cetera naſci & miſceri. Circumferenti itaque ſenſus ſuos per hunc, qui ante pedes eſt, terræ globum, magnæ aliquæ maſſæ congeneris materiæ videntur, & inter ſe commiſtæ, & ſeorſim collectæ, quas collegia majora vocat Verulamius. Iis velut matricibus quibusdam inhærent, atque ex earum fundo educuntur corpora illa miſta; ſive illa ſubterranea, ſive ſuperterranea, ſive maritima ſint, atque eæ maſſæ, quæ in oculos incurrunt, ſunt terra & aqua. Nam duas illas naturas vehementer eſſe inter ſe diverſas, vel ruditer inſpicienti oculo patet; quanquam illæ ſint ratione aliarum rerum, quas qualitates nonnulli falſo vocant, vel potius corporum illis imminiſtorum, licet accidentaliter, diverſiſſimæ. Sic aquæ ſunt vel ſalſæ, vel amaræ, vel acidæ, &c. Terræ quoque vehementer diſcrepant. Sed, ſi puræ ſint utriusque corporis maſſæ, eas tamen diverſas eſſe, & maxime ſimplices, ratio nos credere jubet, quanquam difficillima ſit corporum illorum depuratio, ob minimorum corpuſculorum admixtionem. Sed his alii duo adhuc addiderunt alia corpora ſimplicia, aërem nim. atque ignem. Et quidem maſſa aëris etiam ſub ſenſum, quanquam ſubtiliorem, cadit, quæ globum hunc terraqueum circumveſtit, & variis experimentis deprehendi poteſt eſſentia diſtincta a reliquis. Ut itaque falſi ſint, qui exiſtimant, aërem nihil eſſe aliud, quam congeriem effluviorum terreorum atque aqueorum, quibus quidem refertus eſt aër ille circumterraneus impurior, ſed eſſentiam ejus totam non abſolvit. Oportebat enim illis ſubeſſe quaſi ſolum quoddam, cui inhærerent, maſſam ſcil. aliquam pro ſua natura etiam ſolidam & ſucci plenam, quam deprehendere poſſumus ex ejus preſſione ſive renitentia, quæ certe non eſſet, niſi maſſa illa tota ſibi eſſet ſimilis; quemadmodum aqua, quanquam multis modis tenuior. Quod ignem attinet, ejus maſſas ſingulares non adeo animadver-

advertimus, nisi quis pro illis habere velit ignes illos subterraneos, aut ejus massam in corpore solari reponat, quod omnis caloris in natura causam principem esse videmus, unde participet globus ille terrenus, ac reliqui Planetæ. Sed de igne, cum semper in materia sit, determinari nihil potest, utrum detur aliqua substantia pura simplex, quam ignis nomine vocare possimus. Nunquam enim absque materia est, quam movet, & sunt, qui in ipso sole materiam aliquam liquefacto auro similem supponant. Quare ne quidem inter substantias aliqui numerant, sed motus aliquam speciem faciunt, a quibus tamen ego dissidere malo. Nullam ego causam video, quare ab antiquis discedendum sit. Nam licet demonstrare non possim purum ignis corpus, quid tum postea? Potest lux ignis esse depuratus non urens, e. g. radius solaris, qui tamen, si per refractiones multiplicetur, in ignem abit & comburere incipit: non enim comburit ignis purior, sed crassior, & tum comburit proprie, quando in corpus incurrit, quod habet particulas congeneres, facile mobiles, quomodo in singulis corporibus, tum animalibus, tum vegetabilibus, vel metallis, inest aliquid vel lucis, vel pinguis atque oleosi, quod ignem inspissatum dicas, quod, ubi extenuatur per motum, sua sponte lucere incipit, atque ita de præsentia sua testatur. Mea itaque sententia hæc est: nullam nos habere causam, quare veterem illam doctrinam de quatuor Elementis immutatam velimus, cum certe meliora non possint dare, qui eam doctrinam impugnant. Ignem inesse omnibus corporibus, ex omni mistorum corporum genere videmus, quanquam aliis magis, aliis minus. In animalibus ignem esse, nemo negabit, qui calidum esse sanguinem novit. Ex vegetabilibus præcipuis spiritus vel olea produci possunt, quæ flammam concipiunt, ubi igni admoveas. Similiter & metallis sua sunt sulphura. Aërem aliqui excluserunt ex Elementorum numero, quod non aptus sit mistioni, quia poros pervadit, & corpori tantum adest, non inest. Quæ tamen falsa sunt. Multa enim sunt corpora, quæ aëri non patent, cum pertranseant etiam liquores certi. Sunt in quibusdam corporibus spiritus volatiles, qui tamen in corporibus tenentur, & aëreæ plane sunt naturæ. Terram & aquam puto omnes in corporibus agnoscere. Qui tria principia chymica propiora statuunt, illi parum differunt sententia. Nam in istis eadem Elementa dominantur, ignis scil. & aër in spiritu & oleo: aqua in phlegmate, terra in sale, quanquam videamus hic aliqua corpora propiora mistioni. Sed qui ex iis principiis plus se demonstraturos credunt de operationibus naturæ, quam e quatuor Elementis, falluntur. Si quis enim quærat, unde virtus magnetis, quæ se ad septentrionem convertit, unde vita in plantis, sensus in animalibus? nullum mihi aliquis causam, vel e quatuor Elementis, vel e tribus principiis chymicis, dabit. Neque enim omnium naturæ operationum causæ e causis, corpora constituentibus, deduci semper possunt, aliqua enim extus adveniunt.

Sexto demum & ultimo corpora ipsa mista per experientiam, secundum natu- 6
ræ methodum instituendam, resolvenda sunt, atque quid singulis insit, indagandum, quod si fecerimus, inveniemus, primordia corporum mistorum non esse quidem numero infinita, sed longe plura, quam numerantur. Neque enim, si aliqua e qua-

tuor Elementis, eorumque miſtione, dependeant, omnia inde deprehendere prædicanda ſunt. Neque enim explicabit mihi Phyſicus, quomodo ſapores, odores, aliæque qualitates, ex iis poſſint educi, quæ tamen e tribus chymicis principiis commode deduci poſſunt. Longe plures ſunt qualitates nobis incognitæ, quæ non magis e principiis chymicis, quam e quatuor Elementis, deducuntur. Unde non eſt abſurdum, nova illis principia adjicere. Fortaſſis etiam in quatuor Elementis, vel tribus principiis Chymicorum, velut in capſulis quibusdam, latent illa corporum ſemina, quæ humana induſtria tota inveſtigari nequeunt. Ideoque cum omnia tentavimus, & plura noſtro ingenio in lucem dedimus, ſemper nobis ſupererunt aliqua, in quibus neceſſario nobis hærendum eſt, deficiente in nobis ſenſu, ac fallente, & quaſi oculis noſtris ſe ſubducente, quæ in latibulis ſuis delitescere amat, natura.

LIBRI SECVNDI,

SIVE

POLYHISTORIS PHYSICI,

PARTIS SECVNDAE

CAP. I.

DE PRINCIPIIS CORPORIS NATVRALIS, SECVNDVM ARISTOTELEM ET RECENTIORES.

§. 1. *Principia Phyſica veteres ante Ariſtotelem ex ſenſu rerum ipſo formiabant. Ariſtoteles vero ex ſolo intellectu, tria ſc. notionalia, materiam, formam & privationem.* 2. *Ariſtotelis ſpinoſæ ſubtilitates, & Interpretum ejus nugæ difficiles, de Materia prima, quibus ignorantia creationis anſam præbuit. Nonnullis Materia prima eſt ipſe Deus, quem per Vacuum etiam Henr. Morus intelligit.* 3. *Impugnarunt Ariſtotelis Materiam primam, & principia reliqua, Patres Eccleſiaſtici, Thom. Campanella, Franc. Patricius, Pet. Ramus, FF. Botii, Adr. Herebordus, & Dav. Gorlæus, omnia ex nihilo generari, & in nihilum demo reſolvi, abſurde arbitratus.* 4. *De materia prima creationis Autoris judicium, & Rabbinorum ſomnia, tricis Ariſtotelicis ſimilia.* 5. *Joh. Amoſi Comenii & Theophr. Paracelſi opiniones de eadem ineptæ.* 6. *Carteſii, corpus ſive extenſum Materiam primam conſtituentis, ſententia, a Franc.*

a Franc. Wilhelmo, Barone de Nilland, parum feliciter impugnata. 7. De Formis ſubſtantialibus in utramque partem, & contra Ariſtotelicos, earum patronos, & contra Philoſophos corpuſculares, qui meras accidentales ſubſtituunt, diſputatur, Liberque Rob. Boylii de Formarum origine *laudatur. 8. Joh. Amoſi Comenii de Luce primæva, fonte formarum, & Joh. Marci de Ideis Subſtantialibus, opiniones. Ejusdem Marci* παράδοξον *de anima, poſt mortem in corpore ſuperſtite, illiusque conſectaria magis* [illegible] *abſurda. Vera de formis tam hominum, quam animalium brutorum, & corporum reliquorum, doctrina. 9. De variis formarum diviſionibus & ſubdiviſionibus judicium. Privatio, tertium Ariſtotelis principium, exploditur. Scriptores quidam de Principiis.*

POſtquam abſolvimus varias Dd. ſententias, & ſectarum, tam veterum, quam recentiorum, hypotheſes omnes recenſuimus, ſuper quibus illi Philoſophiam naturalem exſtruunt, deveniemus jam ad ſpecialia Philoſophiæ naturalis capita, inter quæ primum eſt DE PRINCIPIIS CORPORIS NATVRALIS. 1

Principia corporum naturalium, ut vidimus, veteres Philoſophi, ante Ariſtotelem, non ex intellectu ſuo formabant, ſed ex ipſo ſenſu rerum. Scilicet, ut judicat recte Verulamius *in Diſſert. de principiis atque originibus*, illa ætate regnum nondum prædicamenta acceperant, ut potuiſſet principium illud materiæ abſtractæ latere ſub fide & tutela prædicamenti ſubſtantiæ. Itaque nemo auſus eſt confingere materiam aliquam plane phantaſticam, ſed principium ſtatuerunt ſecundum ſenſum aliquod Ens verum, modum autem ejus diſpenſandi phantaſticum. Ariſtoteles defectum quidem notans aliquem Anteceſſorum ſuorum in principiis naturæ ponendis, non enim ſenſu expediri omnia poſſe videbat, ad alterum extremum prolapſus eſt, & principia corporis naturalis pene in ratione ſola conſtituit. Meliori certe jure Logica illa vel Metaphyſica poſſunt dici principia, quam Phyſica, nihil enim aliud ſunt, quam Termini & Notiones quædam abſtractæ, in quibus intelligendis primum eſt magna difficultas, major in applicatione ad res ipſas. Statuuntur autem illi tria: *Materia, forma & privatio.*

Materiam dividit in primam & ſecundam. De materia prima quam abſtruſus eſt & reconditus ejus intellectus? Sane, ſi Ariſtotelis loca conſulas, non videntur tam abſurda, ut ſunt per Interpretum nonnullorum commentarios. Nam illorum quot capita ſunt, tot ſenſus. *Lib. 1. Phyſ. c. 19.* inquit: *Materiam voco primam uniuscujusque ſubjectum, ex quo inexiſtente fit:* & *7. Metaph. c. 3. Dico autem materiam, quæ per ſe ipſam neque quid, neque quantum, neque aliud quippiam dicitur, quibus Ens determinatur. Lib. 4. Phyſ. c. 2.* vocat materiam *διάστημα τῦ μεγέθες, extenſionem ſeu dimenſionem magnitudinis*, dicitque, eam a forma contineri & a ſuperficie determinari. Hæc ejus de materia effata ſano quodam ſenſu explicari poſſunt, 2

ſed

ſed mirum eſt, quam varient hic Interpretes, quibus nos recenſendis non immorabimur. Vid. Joh. Bapt. du Hamel *de Conſenſu vet. & novæ Philoſophiæ, lib. 1. c. 6. n. 6. 7. & 8.* & Claudius Berirgardus *in Circulo Piſano, Circ. 4.* ubi principia ſecundum Ariſtotelem, ex ipſo & Interpretibus exponit. In hoc tamen conveniunt Ariſtoteles & Interpretes, quod materia prima ſit pura potentia, non habeat propriam exiſtentiam, non ſit Ens proprie loquendo, non ſit proprie nihil, nec tamen aliquid, quæ certe omnia effata mirabiliter cerebrum vexant. Conciliationem inter illa tentaturi Conimbricenſes ſe eleganter munere ſuo functos eſſet arbitrantur, ſi dicant, materiæ primæ naturam eam eſſe, ut non poſſit ſciri. Quaſi forte Articulus fidei, aut myſterium aliquod ſit. Honoratus Fabri, ſolertiſſimus alias Ariſtotelis Interpres & Conciliator cum recentioribus, commentis Arabum & reliquorum Interpretum rejectis, ſolis verbis Ariſtotelis inſiſtit, quanquam in multis, dicis, ut videtur, potius gratia, ne ſcil. a regulis ſuæ ſocietatis abeat, quam ut vere ita ſentiat. Defenduntur tamen illi propoſitiones iſtæ de materia prima, *Tom. III. Phyſ. tr. 5. lib. 1. propoſ. 19. & ſeqq.* Sed cautior tamen is mavult Metaphyſicæ eſſe conſiderationis, quam Phyſicæ. Nam id *in Epiſtola, ad Pardeſium ſcripta*, alicubi fatetur, cum illi objiceretur, quod negaret materiam primam.

Cauſa, quod Ariſtoteles ita fluctuet in materia prima, nulla alia eſt, quam quod creationis ignarus æternitatem mundi ſtatuerit. Hinc neceſſum erat, illum dilabi ad vaga quædam & inexplicabilia principia, ignorato primo illo principio. Imo ſunt e gentilium Philoſophis, qui, cum neſcirent rerum primordia, eo tandem devenere, ut materiam primam ſtatuerent eſſe Deum, quod Alex. Epicureus, teſte Alberto Magno, *lib. 1. Phyſ. tract. 3. c. 13.* ſtatuit. Fuit quoque inter hæreticos Dynantius quidam, cujus eadem fuit ſententia, in Conciliis damnata. Compendio explicuit illud dogma ſing. Differt. Jacobus Thomaſius.

Non melior certe iſtis videtur eſſe *Henricus Mohr*, Anglus, qui vacuum illud in natura ſpatium, quod dari credit & probat, ipſum eſſe Deum contendit, ſpiſſo ſuper hoc negotio libro ſcripto, qui *Enchiridion Metaphyſicum, ſeu de rebus corporeis luculenta Diſſertatio*, inſcribitur.

3 Ut ad Ariſtotelem redeamus, is materiam primam, ut vidimus, tanquam puram potentiam conſiderat, quæ non ſit Ens actu, tribuit illi prædicata ἀσύσατα, quæ explicari nullo modo poſſunt, niſi tricas ex tricis velis nectere, & rem explicatione ipſa perplicatiorem reddere. Hinc Ariſtotelis ſententiæ magno agmine ſe oppoſuerunt multi, tum ex Patribus antiquis, tum recentioribus Philoſophis. Patres antiquos, eorumque ſententias de materia Ariſtotelica fuſe adducit Thom. Campanella *in Diſquiſitionibus Phyſiologicis*, cui id propoſitum fuit, ut ſententiarum ſuarum novitati, quam ſuſpectam ſuæ religionis hominibus ſciebat, auctoritatem a S. Patribus conciliaret. Eos enim ſemper dogmatibus ſuis prætexit, callido ſatis conſilio. Franciſcus Patritius, *in Diſcuſſ. Peripatt.* & in *nova ſua Philoſophia*, magno conatu impugnavit hæc dogmata. Pet. Ramus *in ſcholis Phyſicis* ſatis argutis argumentis contra ea militat.

Botio-

Botiorum quoque Fratrum, Gerhardi & Arnoldi, Hollandorum, *Philoſophia Naturalis reformata*, toto illo libro, Dublin. A. 1641. edito in 4to, nihil aliud agit, quam ut principia Ariſtotelica impugnet, & accurate quidem in hoc argumento verſatur, Ariſtotelem cum ſuis Interpretibus & Scholaſticis conferens, cum alii plurimi, qui Ariſtotelem refutarunt, non tam ipſum Ariſtotelem, quam ejus Commentatores, ſint aggreſſi. E noviſſimis Adrianus Herebord, *in Philoſophia naturali capitibus prioribus*, ſollicite argumenta omnia congeſſit, unde depromere poſſunt, qui doctrinam hanc Ariſtotelis impugnare volunt, Carteſiana ſententia ſemper ſubjecta. David Gorlæus quoque *Exercit. Phyſic. 14.* ita Ariſtotelis principia de materia & forma, impugnat, ut plane e Phyſicorum ſchola rejiciat illos terminos, nullamque materiam & formam, qualiscunque illa ſit, agnoſcat. Ait enim, omnia corpora naturalia eſſe ſimplicia, nullum componi, proinde neque materia, neque forma, opus eſſe, imo neque generationem iis principiis indigere. Novum enim plane & inauditum dogma proponit *Exerc. 5. ſect. 1.* Quæcunque fiunt, ex nihilo fieri, quæ intereunt, in nihilum interire, imo eo devenit, ut ſtatuat, creaturam poſſe aliquid ex nihilo facere. Miror certe, a Theologis illi dicam non fuiſſe ſcriptam, homini Philoſopho quidem ſatis arguto, ſed in hoc παραδοξογέρω, quam æquum erat. Laudem certe meretur, quod ante Carteſium iſta viderit, quæ poſtea Carteſius dogmata ſua eſſe voluit. Ignem enim accidentibus adſcribit, ſubſtantiarum claſſe excluſum. Sed in eo, quod ex nihilo fieri omnia, quæ generantur, exiſtimat, magis Sophiſtam agere videtur, quam Ariſtoteles & Scholaſtici, qui materiam primam defendunt. Operæ pretium eſt, ea argumenta legere & conferre. Nobis hic prolixioribus eſſe non licet.

Ut noſtram ſententiam tandem explicemus: Materia & forma generales con- 4
ceptus ſunt duorum principiorum inter ſe contrariorum, quæ exiſtere in natura neceſſe eſt, illisque nominibus poſſunt appellari, quanquam rei natura nihilo clarius iis terminis exponatur, quam ſi termino Entis, vel Subſtantiæ exprimamus. Materiam primam quod attinet, illam aliquam fuiſſe & extitiſſe veriſſimum eſt, non autem ſenſu Ariſtotelico. Fuit enim mundi univerſalis quædam materia, unde poſtea corpora naturalia formata ſunt, quæ aut qualis fuerit, explicare nobis non licet. Rabbini pene Ariſtoteli ſimilia comminiſcuntur: putant enim, illam eſſe non tam corpus, quam umbram immenſam, non tam rem, quam rei imaginem opaciſſimam, aut Entis larvam quandam fuliginoſam: ex remotiſſimo illo principio, abyſſum quandam caliginoſam informem ac indigeſtam, proximam elementorum & mundi materiam, Deum eduxiſſe, quæ omnia fanatica ſunt, & Enthuſiaſmi plena. Nam certe ſi Cabaliſtas conſulamus, mira hic quidem deprehendemus ſomnia, ſed rei parum. Compendio quodam illa contraxerunt Hottingerus *in Hexaemero ſuo*, & Henricus Mohr in *conjectura Cabaliſtica*, Rabbinis nihil ſanior.

Joh. Amoſus Comenius, in *Phyſica ſua*, materiam ſtatuit triplicem, tres ſc. maſſas 5
rudes materiæ, ſpiritus & lucis, ſed primam tamen materiam facit vaporem ſive fumum, quem ait fuiſſe diſperſarum Atomorum chaos; ſed tamen antea dicit, abyſſum

ſuiſſe a Deo creatam; tantum enim materiæ Deus produxit, quantum ad explendam abyſſum ſufficiebat. Si jam interrogemus illum, quidnam ſit illa abyſſus, dicet nobis, ſpatium eſſe; quæro jam iterum, corpus ſit, an nihil? Corpus eſſe debebat, quia eſt extenſum, & quoniam Deus creavit. Subſtantia enim terminus creationis. Ergo materia prima eſt ante materiam primam, quod certe implicat. Si abyſſum vult materiam primam eſſe, ſpatium illud ſcil. extenſum, cum Carteſio illi convenit, nam qui *Carteſium Moſaizantem* ſcripſit, Joh. Amerpol, in eo Carteſium Moſi ὁμόψηφον (conſentaneum) facit. Mira hic quoque comminiſcitur pro more ſuo Paracelſus, qui myſterium hoc magnum vocat, nihil aliud tamen nominare novit, quam materiam aliquam, ſeu principium, in quo concluſæ ſunt omnes creaturæ, intra cœlum comprehenſæ; qui forſan Orphei aliquod ovum ſomniavit.

6 Carteſio materia prima nihil aliud eſt, quam corpus, ſeu extenſum aliquod, extenſionem enim facit formalem rationem corporis. Antequam Deus mundum creavit, ſecundum eum nihil erat, quod quomodo ſe habuerit, cogitando aſſequi non poſſumus. Igitur ſpatium quoque & expanſum nullum fuit, ſed id ſpatium vel expanſum poſtea a Deo factum, idque oppoſitum eſt nihilo illi, quod erat ante mundum conditum. Solum hoc ſpatium ſubſtantiam materialem, materiam, quantum & corpus appellat. Deinde Deum hoc ſpatium variis in locis variis proprietatibus exornaſſe, ut totum quidem hoc expanſum ſit mobile, diviſibile, figurabile, certum aut motum, duritiem, levitatem, aſperitatem, figuram, non niſi certæ hujus expanſi portioni, quæ ſpecies deinde conformes conſtituit, indidiſſe, extra has proprietates materiam informem eſſe. Hæc Carteſii ſententia, laudata ab his, culpata ab illis fuit. Non ita pridem aliquis Franciſcus Wilhelmus, Liber Baro de Nüland, Ord. Johannæi Eques, Commendatorque Rotwilenſis, Inſulæ Gaditanæ Proprinceps, ac Regis Hiſpaniæ, Electorisque Brandeb. Vicetribunus, in libello abs ſe Hagæ A. 1669. edito, cui titulus: *Elementa Phyſica* Carteſianorum principiorum falſitatem, ipſiusque paralogiſmos, ut vocat, oſtendere laboravit, in quibus, contra Carteſium, formalem rationem corporis in pondere & duritie ponit, quam ponebat in extenſione Carteſius. Illud autem quod extra corpus eſt, extenſum, non materiam, ſed nihilum, ipſe vocat, idque vacuum eſſe & extitiſſe ante mundum. Non vacat, ejus argumenta recenſere, quæ multum, vel vacui, vel nihili, habere videntur; certe ἀσύστατα illa ſunt, & neſcio quid paradoxi involvunt.

7 E tenebris materiæ emergentes ad jucundiorem de *forma* doctrinam venimus. Illa vulgo alterum corporis principium conſtitutivum ponitur. Mira de ea Ariſtoteles, mirabiliora Interpretes, produnt. Dicunt, eſſe ſubſtantiam, ſed nemini perſpectam, unum aliquod per ſe eſſe, cujus in puncto hæreat, eſſe principium activum, quod per ſe ſit cauſa actionum & operationum, quasdam earum eſſe partiales; quasdam totius, &c. Tota illa res multis difficultatibus plena eſt. Nam quanquam non probem omnia illa commenta Peripateticorum de formis, Metaphyſica potius, quam

quam Phyſica, non pauca tamen ſunt, quæ negotium faceſſant, argumenta iis, qui formas mere accĩdentales, ſecundum Philoſophos corpuſculares, ſtatuunt. Quam diligentiſſime omnia Peripateticorum Argumenta pro his collegerunt Fratres Botii in *Philoſophia Naturali reformata*, *c. 1. ſect. 3.* Generatio tamen animalium ac vegetatio aliunde videntur ortum, quam ex motu materiæ, habere. Nam certe veniendum eſt ad aliquod principium movens in natura, ſive id commune ſit, ſive certis corporibus proprium. Quare neceſſario tandem omnes corpuſculares Philoſophi ad aliquam ſubſtantiam ſubtilem & ſpiritalem confugere debent, tanquam θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, qua difficultatibus ſuis ſe expediant. In corporibus miſcibilibus veroſimile eſt, multa fieri ſola proportione, vicinitate, & quacunque compoſitione materiarum, quæ a formis ſubſtantialibus deducere ſumma eſſet ſtultitia. Quod ad oculum nobis monſtrat Chymia, quæ in tot formas fingit & refingit corpora, nullo alio, quam ignis, miniſterio, & variarum inter ſe materiarum applicatione, quod doctiſſimo libro ad oculum demonſtravit celeberrimus Boylius, quem de *origine formarum & qualitatum* inſcribit, Anglice editum Oxoniæ A. 1667. *in 8vo*, qui ſecundum corpuſcularium mentem ſolidiſſime ſcriptus, magnam accendere lucem poterit formarum naturam ſcrutaturo, & omnia experimentis confirmat. Sententiam de Accidentalitate formarum breviſſime, cum dubiis contra illam, complexus eſt Guilh. Pembelius, Oxoniæ 1669. *in 12.* Conf. Joh. Bapt. du Hamel *in Lib. de manifeſtis & occultis corporum affectionibus*, in quo, Boylium ſecutus, omnem Qualitatum familiam, a formis Subſtantialibus reſultantium, perpulchre ad doctrinam corpuſcularem trahit. Adde Boylii Lib. *de Coſmicis qualitatibus*, cum præmiſſa *Introd. ad Hiſt. qualitatum Particularium.* Ceterum in animalium generatione, & plantarum productione, ſubſtantiale aliquod principium videtur agnoſcendum, & in aliis quoque miſcibilibus diverſæ portiones particularum ſunt, quarum aliquæ agiles, mobiles, activæ, quaſi formæ imaginem, aliæ immobiles, quietæ & inertes, quaſi materiam exhibent, ut videre eſt in nonnullis corporibus, in quibus arte chymica poſſunt ſeparari diverſæ illæ materiæ portiones. In generatione & vegetatione ſubſtantia impellens & movens, & ad certam rationem & menſuram operans, debet agnoſci. Fernelius formas omnes a cœlo exiſtimat proficiſci, ea potiſſimum ratione motus, quod animantes, ex putredine ortæ, aliunde formari non poſſint, quæ ſententia non admodum diſcordare a Carteſiana videtur, quæ materiæ cœleſti ſuæ, vel ſubtili, omnia adſcribit, quæ formis ſuis tribuunt alii. Aliqui putant, demonſtrari formarum ſubſtantiam poſſe ex eo, quod e plantis incineratis reſuſcitari idea quædam, vel vapor poſſit, formam plantæ repræſentans, quod certe non contemnendum eſſet argumentum, ſi experimenti fides certa eſt. Joh. Marcus Marci certe multum illi tribuit, qui in libris *de veteri Philoſophia* & *de Ideis Operatricibus* formis iſtis vehementer patrocinatur. Sed ille, Ideis ſuis nimis forte confidens, plus inanium ſpeculationum & notionum habet, quam forte ipſe credit. Honoratus Fabri, Peripateticus Autor, hac tamen in doctrina quodammodo cum Carteſio facere videtur; diſerte enim dicit, formam potius ſubſtantialem eſſe dicendam, quam ſubſtantiam. Ne-

que enim Ariſtoteles diſertis verbis ſubſtantiam appellat, & in *libro de plantis* nullam formam vegetativam ſubſtantiam agnoſcit.

8 Joh. Amos. Comenius, & alii quidam recentiores, lucem primævam fontem formarum faciunt, atque ex ea derivant principium illud conſtitutivum & operativum in natura. Atque hi certe dicunt, ſe eas habere pro ſubſtantiis ſolidioribus, quam ipſe habet Ariſtoteles. *Joh. Marcus Marci* ſane in ea eſt ſententia, quod formæ rerum ſubſtantiæ ſint, a Deo creatæ, quæ etiam extra materiam & ſubjectum ſuum ſubſiſtere poſſint, imo quæ adeo tenaciter inhæreant ſubjecto, ut, quanquam corpus organicum conturbatum omnino ſit, ipſi tamen pulviſculo ejus adhuc junctæ ſint, & has anguſtiore Idearum nomine ſalutat, ſed tamen a Deo creatarum, cum Platonici facerent ſuas Deo coæternas. Quo principio ſemel poſito, neceſſe eſt, multa ſequi paradoxa, quanquam is nonnulla in natura phænomena, quæ ſupernaturalia habemus, ſi ſatis certa eorum fides eſt, ita explicat, ut e ſuis principiis ultro fluere videantur. Nam cum præſupponit, poſſe animam in animalis demortui corpore ſuperſtitem eſſe, mira hinc ſequuntur conſectaria. Hinc enim ſpectra illa, mortuorum imagines præ ſe ferentia, hinc multas operationes magicas, quas operationes naturales appellat, defendit. Sed ſibi ipſi objicit, an patrocinium ergo magiæ in ſe ſuſcipere velit. Reſpondet negando, quod quamvis naturaliter tantum agant etiam magi, tamen intentio eorum dirigatur ad ſupernaturalia illicito modo facienda. Nihil ergo obſtat, quo minus ferro, igni, &c. puniri poſſint. Hinc transplantationes, magnetiſmos, & ſimilia, deducit, ac ex hoc principio ſalvat mirabiles illas Pontificiorum hiſtorias, de quibusdam per aliquod annos ecſtaticis, iterumque ad ſe redeuntibus. Hinc defendit, cadavera hominum ad ſpeciem poſſe tamen intus vivere, (quod demonſtrare conatur per illos, qui in ſepulchro inventi induſia, veſtimenta, digitos, &c. vocarunt) imo eſſe aliquos poſt longam temporis & annorum moram reſuſcitatos. Hinc aliquos inediam ad aliquot annos toleraſſe, quæ miraculis omnia, quæ naturalibus effectis, ſimiliora ſunt: quinimo tota magia omnesque præſtigiæ, hac doctrina ſalvari poſſunt. Ex hoc ſuo principio explicat *celebre illud phaſma, quod Morgana (a) dicitur*, de quo Kircherus *in arte lucis & umbræ*, a quo tamen Marci diſſentit, putans, eſſe ibi ideas quorundam animalium demortuorum. Vid. Marci *Philoſophia vetus reſtituta*, Pragæ A. 1662. edita, *P. 3. Sect. 6. ſubſect. 3. & P. 4. ſubſect. 1.* Nos hic malumus ἐπέχειν; nam in re dubia, obſcura & recondita, definire nihil poſſumus. Certiora nos malumus ſequi principia, ea ſcil. quæ ſenſus implent, & pectus ſaturant: Eſſe in corporibus, præcipue, quæ animata dicimus, ſubſtan-

(a) De *Morgana.* Phaſmate æſtivo, quod ad Fretum Siculum, prope Rhegium, Calabriæ Oppidum, media æſtate crebro ſpectatur, & Theatrum quoddam rerum plurimarum atque diverſiſſimarum, mira varietate ac viciſſitudine ſibi invicem ſuccedentium, in aere vaporoſo exhibet, conſulantur Athan. Kircherus (in repercuſſionem umbraticam illorum, quæ in terris exſtant aut geruntur, cauſam ejus referens) *in Arte Magna Lucis & Umbræ, Lib. X. P. II. c. 1.* &, qui hunc allegat, Joh. Chriſtoph. Beemannus *in Hiſtoriæ Orbis Terrarum Parte I. Geographica, c. 3. p. 54.*

ſubſtantiam vegetantem, moventem, impellentem, ſive illa communis ſit materiæ cujusdam cœleſtis propago, ſive ſubjecto alicui propria, quæ tamen, compage corporis ſoluta, redeat ad ſuum integrum. In homine mens ſemper eximia eſt, nec ad ceterorum corporum leges & modos componenda. In reliquis corporibus, vel perfecte, vel imperfecte miſtis, partes quasdam materiæ volatiles agnoſcimus eſſe, formæ ſpeciem præ ſe ferentes, & ſemper particulas quietas impellentes & vellicantes, multa tamen in illis fieri ſolius particularum translocationis beneficio, alterius materiæ combinatione. Quis neſcit, quam varia ſint naturæ per artem producta in officinis chymicis, inprimis in ſalibus, mineralibus mediis & metallis? Ea in officina globi hujus terraquei ſubterranea pari ratione fieri poſſe, nullum eſt dubium. Ex iis autem ſpecies ſingulares conſtituere, & ſubſtantiales aliquas formas illis tribuere, ineptum eſſet. Imo multa, quæ fieri videmus in corporibus viventibus, & nos vulgo peculiari cuidam formæ adſcribimus, ſola translocatione & commutatione particularum effici poſſunt, quod dilucidis rationibus ob oculos ponit Boylius, in ſuo *de origine form.* libello.

Sunt porro nonnulli tam anxie in hac formarum doctrina ſeduli, ut formas, 9
iterum in alias formas particulares, has iterum in novas, dividant, & ſubdividant, quaſi familiam aliquam & exercitum inſtructuri. Nemo in iis diligentior eſt, quam Joh. Beierus in *Atrio ſuo naturæ.* Si terminorum tantum res agitur, diſtinctionis gratiæ quædam diviſio agnoſcenda eſt, prout in corporibus miſtis variarum particularum congeries eſt, jam hoc, jam illo modo, motarum, quas ſub imagine alicujus formæ notiones noſtræ concipere poſſunt.

Tertium principium ab Ariſtotele ſtatuitur *privatio*, quam ad generationem refert. De ea nihil omnino dicturi ſumus. Principium enim plane nugatorium eſt, & ſubtilitate ſua ineptum. Refutatus in eo Ariſtoteles eſt ab ipſis diſcipulis ſuis, Legantur Botii Fratres in *Philoſophia Naturali reformata, cap. 1. ſect. 4.* Ceterum *de Principiis corporis naturalis*, ſecundum Ariſtotelis mentem, præ ceteris legendum commendo lib. Bened. Pererii *de communibus rerum naturalium principiis & affectionibus.* Neque enim adeo ineptus eſt, ut multi Peripatetici, variæque doctrinæ ſtudiis imbutus, veterum Philoſophorum opiniones cum Peripateticis conjungit, quæque apud Scholaſticos ſunt bona, in unum quaſi cogit, & ea omnia inter ſe conciliat Prodiit is Coloniæ A. 1585. *in 8vo.* Joh. Sperlingius, in Libello *de Principiis Corporum*, doctrinam Ariſtotelicam impugnat, & ſpeciatim Materiæ primæ exiſtentiam. Quod & dudum ante eum fecerunt Franc. Patritius *Tom. IV. Diſcuſſ. Peripat. Lib. 3.* Phil. Melanchton *L. 2. Rudim. Phyſ. pag. 175.* P. Ramus *L. 1. Schol. Phyſ. c. 9.* ac Nicol. Taurellus *L. 2. Alpium Cæſarum, p. 286. 592.* & *P. II. de rer. æternitate p. 420. De Principiis mixtorum naturalium* Dn. du Clos, Conſil. & Med. R. Galliæ, Diſſ. edidit Gallicam ingenioſam, & brevi nervoſitate conſpicuam, Amſtelod. A. 1680. *in 12mo.* Librum vero Anglicum elegantem Nehem. Grew. Londini A. 1675. *in 12mo.*

CAP. II.

DE CAVSIS EXTERNIS, ET DE IIS, QVAE ILLVC PERTINENT, NEC NON DE MONSTRIS.

§. 1. *De cauſa naturæ efficiente, Deo, in Phyſica non agendum, uti a Platone eſt factum, ſed in Theologia. Eadem eſt ratio cauſæ finalis. 2. Fati item, caſus & fortunæ. 3. De Monſtris in Phyſica, ſed ſpeciali, omnino agendum, cum magna ſit hujus doctrinæ utilitas. Cauſæ illorum, & de his Joh. Marci Marci ſpeculationes Mathematicæ. 4. Judicium de præſagiis Monſtrorum, de quibus Corn. Gemma & Mericus Caſaubonus ſunt commentati. Alii de monſtris Scriptores. 5. Monſtra humana, Pygmæi, virunculi ſubterranei, homunculi metallici, &c. Scriptores de iis. 6. Gigantum priſcorum exiſtentia conceditur, gentes autem illorum integras fuiſſe negatur. Fabulæ quædam & Scriptores de iis. 7. Hermaphroditi, qualis Adamus fuiſſe falſo creditur. Hirci Lactiferi. 8. Centauri & Satyri fictitii. Homines marini ſunt animalia aquatica.*

1 MUlti hic operoſi ſunt in *cauſa efficiente & finali*, quarum tamen tractatio, ad Phyſicam plane non pertinet, ſed ad Theologiam potius. Quod enim efficientem cauſam attinet, quæ Deus eſt, de eo Phyſicus, qua Phyſicus, nihil, quod agat, habet, niſi forte cum quibusdam Deum in partes etiam corporum naturalium vocare velit, ex nonnullorum Philoſophorum placito. Quales ſunt, qui Deum a rebus creatis non differre ſtatuebant, vel ipſam materiam primam Deum faciebant, vel Deum formam omnium rerum ſtatuebant, quorum ſententiæ e Chriſtianorum Scholis merito ſunt rejectæ. Inter veteres Plato in Philoſophia naturali Theologus eſt; in Deo enim & Ideis ſuis operoſiſſimus eſt, de quo cum parte priori prolixius diſſeruerimus, nihil hic repetimus. Cauſa finalis itidem refertur ad Deum, ad cujus gloriam univerſum hoc conditum eſt, ob quem finem homo naturam cognoſcit.

2 De *fortuna, caſu* & *fato* impertinens plane eſt in Phyſicis doctrina, quæ cauſas Phyſicas, non morales, conſiderat. Quæ caſu fiunt, fortuita ſunt, nec ad ſcientiam ſpectant, quæ res æternas & neceſſarias pro objecto habet, niſi forte circa caſus accidant aliqua, quæ contemplationi phyſicæ anſam præbere poſſunt. Quemadmodum multa inventa caſu ſunt, quæ magna meditatione non potuiſſent excogitari, ſed id hoc modo ſit, ut aliquid ignoranti accidat, cujus poſtea cauſas veras deprehendit. Nihil itaque imputandum eſt caſui, qui eo modo ſcientiam parere poteſt, quemadmodum apud JCtos error jus facit, & ineptus eſſet, qui errorem inter principia juris poneret. Idem dicendum eſt de Phyſicis, qui quæſtiunculis ſuis ſe diſcipulosque ſuos hic fatigant. Fortuna per ſe nihil aliud eſt, & ad Phyſicam pariter non pertinet. Si enim omnium rerum cauſa dari poſſet, eſſet fortuna. Ad morales Autores

tores releganda eſt, ſi qua eſt ejus tractatio. Quare inutiles ſunt quæſtiunculæ de fortuna Medici, quas hic nonnullos congeſſiſſe video. Generalis enim & vulgo nota eſt regula: *Fortunam ſtultorum eſſe*, quod & maxima ſui parte verum eſt.

De *Monſtris* tamen aliud videtur dicendum, quæ per errores cauſarum naturalium facta ſunt, quanquam vulgo præter naturæ intentionem eſſe dicant, atque adeo natura cauſa per accidens monſtrorum ſit. Sed in eo tamen errare illi videntur, neceſſarias enim cauſas præſupponunt, quibus poſitis, non potuerunt alia naſci corpora. Nam vel in animalibus imaginationis idea aliter determinavit ſpiritus plaſticos, aut materia deficiens ſpiritum influxui ſe ſubduxit, aut ejus copia inutili pondere gravavit, ut itaque omni ex parte neceſſaria ſit cauſa, neceſſariusque effectus, ac fruſtra ſint illi, & rhetoricari potius videantur, qui hic de intentione naturæ multum philoſophantur. Conimbricenſes *in Comm. Phyſ. p. 438.* & Joh. Bodinus *L. I. Theatri Naturæ p. 32.* monſtra facere, ajunt, ad pulchritudinem univerſi. Quod ego non facile dixerim, cum error potius naturæ ſint. Locus autem monſtris in phyſicis debetur, ſed ad ſpecialiſſimam Phyſices partem illa rejicienda ſunt, non, quod alii faciunt, ad generalem, & cauſarum tractationem, ac puto eorum naturam majore cura perluſtrandam, quam corporum, quæ legitimo naturæ ordine facta ſunt. Nam in exceſſibus illis naturæ ſæpe rimari poſſumus occultos illos proceſſus operantis naturæ. In animalium corporibus, per accuratam Anatomen, multa poſſunt deprehendi in monſtris, unde judicium fieri poſſit confirmatius de uſu partium adæquato in corporibus, ordinate ſtructis. Joh. Marcus Marci ſingularem hic diligentiam exhibuit *cap. 4. Libri de Ideis operatricibus*, ubi pictis quibusdam ſchematiſmis, & Mathematica quadam ratione, ob oculos ponere voluit, quomodo radii plaſtici monſtrorum generationi cauſam dent, ſi ſcilicet ſpecies, vel propter obſtaculum, aut defectum materiæ, non poſſint expedite evolvi, aut inæquales faciant progreſſus, analogiſmo quodam refractionum radiorum lucidorum, per reflexiones & refractiones varias obliquatorum, in vi ſpiritus plaſtica adumbranda uſus. Quod quanquam ingenioſum ſit, nihil enim magis ad animæ naturam accedit, aut ejus ſpeciem nobis exhibet, quam lux, ſpeciesque ejus (propaginem certe lucis animas omnes facit Gvalth. Charletonus *in Tract. de orig. animarum*, eſt tamen æque obſcurum, nec ideo clariorem habemus ideam generationis. 3

Magna monſtrorum familia eſt, ad omnia enim corpora ſe extendunt, ſuntque hic, qui pietatem potius, quam Philoſophicas rationes oſtendunt; multi etiam monſtrorum cauſam ad extraordinaria opera divina referunt, quos ego quidem ſenſu ſuo abundare patior. Aliqui eo devenere, ut, tanquam ad artis quædam principia, revocarit præſagia ex monſtris. Id agit Cornelius Gemma, Prof. Med. Lovan. *in libro Artis Coſmo-Criticæ, ſeu de naturæ divinis characteriſmis*, quo in Opere, Antverpiæ A. 1575. *in 8vo* edito, multis de præſignificationibus monſtrorum agit, illa, tanquam opera, a Deo extra ordinem facta, conſiderans. Idem argumentum tractavit ex parte Mericus Caſaubonus, Iſaaci filius, in libro Anglice ſcripto *de fide* 4

rebus

rebus naturalibus, civilibus & divinis, vel habenda, vel non habenda, ubi monſtrorum quoque doctrinam & prodigiorum *Lib. I.* hujus tractationis partem facit. Cornelius Gemma ex Analogia mundanarum partium modum oſtendere laborat, quo de prælagiis ex monſtris capiendis judicium iniri poſſit. Peculiares *de monſtris* libros ſcripſere *Ulyſſes Aldrovandus, Mart. Weinrichius, Fortunius Licetus, Fridericus Bonaventura, Joh. Schenckius, Andr. Laurentius, Car. Stengelius*, qui circa ſpecialia verſantur, & monſtrorum varia genera, cum Schematiſmis, exhibent.

5 In hominum genere ſolet de *Gigantibus* & *Pygmæis* quæri, an inter monſtra referri debeant. De Pygmæis plurima fabuloſa narrantur, quorum integram gentem aliqui memorant, quos falſos tamen eſſe, dubium non eſt. Vid. Caſp. Schottus in *Phyſica curioſa lib. 3. cap. 7.* Johannes Euſebius Nierembergius *in Hiſt. naturali lib. 5. c. 16. 17. 18.* Weinrichius *de Monſtris c. 21.* Licetus *de Monſtr. lib. 2. c. 23.* Joh. Caſſanio *in Lib. de Monſtris c. 12.* Caſp. Bartholinus (qui eos ex Ezech. XXVII, 11. adſtruere voluit) libello peculiari, & Conimbricenſis *Lib. 2. Comm. Phyſ. cap. 9. Qu. 5. Art. 3.* li quidem, integras gentes ex iis conſtituiſſe, fruſtrā nobis perſuadere laborant. Caſu quidem naſcuntur exiguæ ſtaturæ homines, qui inter monſtra referendi, non tamen totæ gentes, uti recte judicavit Hier. Cardanus *in lib. de Variet. Rerum c. 40.* & Steph. Theupolus *L. 6. Contemplatt. Acad. p. 224.* *Homunculi ſubterranei* in eorum claſſem non referendi, quos nonnulli fingunt, & de quibus miræ ſolent ab aniculis hiſtoriæ narrari. Solent illis habitacula ſubterranea aſſignare, quorſum infantes nonnunquam abducant. Notiſſima eſt hiſtoria de pueris Hamelenſibus, quam fabulam tamen eſſe oſtendit, Groningæ A. 1662. *in 12.* *Martinus Schockius*, peculiari Disquiſit. Hiſtorica, quam tamen alium iterum refutaſſe fama eſt. *(b)* Eſſe vero dæmones & ſpiritus in fodinis verſantes, negari non poteſt. Nam conſtans eſt illa omnium metalliſoſſorum relatio. De iis integrum librum ſcripſit *Georg. Agricola*, & habuere quoque Diſſertationes *Caſpar Poſnerus* Jenæ, & *Joh. Henr. Rumpelius* quidam Lipſiæ, ac vellem hiſtorias ejus generis omnes accurate, cum omnibus circumſtantiis, notari. Nam ſolent metalliſoſſores ſecretiſſima iſta habere, ſuperſtitione illa inducti, male mulctari nimiam curioſitatem ſuam. Valde autem faceret ad exiſtentiam & naturam ſpirituum cognoſcendam & convincendos illos homines, qui

omnia

(b) Mart. Schockii *Fabulæ Hamelenſi* (ita enim is librum ſuum appellat, M. Sam. Erichii, Scholæ Hamelenſis Rectoris, *Exodo Hamelenſi*, Germanice, ad Narrationis vulgatæ veritatem aſſerendam, anno 1655. Hannoveræ *in 8vo*, editæ, Groningæ anno 1662. oppoſitum) M. Theod Kirchmayerus, Ord. Philoſ. Witteb. Adjunctus, *Hiſtoriam* Wittebergæ an. 1671. *(in 4to)* repoſuit *Hamelenſem*, ſeu *Diſſ. de Inauſpicato liberorum Hamelenſium egreſſu*, nec multo poſt Franc. Wörgerus, Eccleſiaſtes Lubec. *Hiſtoriam Hamelenſem contra M. Schockii fabulam Hamelenſem defenſam*, Hamb. an. 1683 in 12. De Homunculis Scotiæ, ſive Angliæ Occidentalis, Subterraneis Guil. Neubrigenſis (*Lib. I. Hiſt Angl. c. 27.*) Narrationem, addito judicio ſuo, recitat Athan. Kircherus, *in Mundo Subterr. L. 8. c. 3.* & ex iſto repetit J. Chriſtoph. Beemannus *in Hiſt. Orbis Terr. P. I. Geographica c. 9. p. 207-212.*

omnia de ſpiritibus ſine diſcrimine pro fabulis habent. Mira paſſim in ſodinis Norwegiæ accidere hominibus per iſtos homunculos, fama conſtans eſt, & narravit quædam de iis, *in Actis Hafnienſibus*, Ol. Borrichius. Aliter judicandum de iis hominibus, quos ſub terra educatos victitaſſe referunt Hiſtoriæ Scoticæ, & ex iis Athan. Kircherus *in Mundo ſubterraneo*. De omnibus his, quæ ad monſtrorum claſſem referri poſſe videntur, aut ſub phantaſmatis alicujus ſpecie pro monſtris habentur, videri poteſt Joh. Prætorius *in ſuo Anthropodemo Plutonico*; qui liber, etſi inepte ſcriptus, magnam tamen farraginem hiſtoriarum ex omnibus Scriptoribus colligit. Editus eſt Magdeburgi A. 1666. *in 8vo*. Magna in Autore ejus fuit miſtura ſcientiæ & dementiæ.

De Gigantibus multæ ſunt itidem veterum hiſtoriæ, plurimam partem, ut arbi- 6
tror, falſæ, de quibus Joh. Chaſſanio in *Lib. de Gigantibus, illorumque Reliquiis*, conſulendus. Eos fuiſſe negant Joh. Goropius Becanus in *Gigantomachia* ſua, & Kircherus *in Mundo ſubterraneo, ſect. 2. qu. 2.* At teſtes habemus ejus rei ſacras literas. Gentes Gigantum integras fuiſſe, non facile dixerim, quanquam id multi velint. Ratione Climatis variare tamen ſtaturam hominum, cognitum eſt, ſed ad immanem Gigantum proceritatem gentes integras excreviſſe, veroſimile non eſt. Errant etiam, qui exiſtimant, homines primorum temporum fuiſſe Gigantes, & Rabbini quidem ita delirant, ut Adamum fuiſſe credant ejus ſtaturæ, quæ ab una terræ plaga ſe extenderet ad alteram. Succeſſu ſeculorum cum, decreſcente natura, decreviſſe etiam homines arbitrantur, refutati a Joh. Jonſtono, *in Lib. de Conſtantia Naturæ*, nullam antediluvianæ ætati, in corporibus valentioribus generandi, concedente prærogativam. Quod ſi verum eſt, non homines tantum, ſed & cetera animalia majora eſſe debebant. Si homo 60. cubitos longus erat, equus elephantis inſtar eſſe debuit; ſed merito ridetur iſta ſententia a Joh. Marco Marci *l. c.* Ubi exiſtimat, veteres arte quadam imaginativa effeciſſe, ut procerioris eſſent ſtaturæ homines, quam ſententiam ſuo loco relinquimus. De Gigantibus Nephilim antediluvianis elegans extat Diſſertatio J. Henr. Heideggeri, *Exercitat. II. Hiſtor. Patriarch.* ubi prolixe, adductis argumentis, pro Gigantum exiſtentia pugnat, & ſecus ſentientium argumenta refutat. De iisdem Nephilim conf. Jac. Boulduci *Lib. de Eccleſia Dei ante Legem*, & Th. Bangii *Cœlum Orientis, de Gigantibus* autem, *qui gemunt ſub aquis, Joh. XXV. 6.* Zach. Bogani *Diſſ.* accuratam *Epiſtolarem*, præfixam Edmundi Dickinſoni *Delphis Phœniciſſantibus*, Francofurt. A. 1669. in 8vo. Fuiſſe inter Germanos veteres Giganteæ proceritatis homines, probant J. Jac. Chiffletius *part. I. Veſontionis, c. 17.* & Herm. Conringius *in libro de habitus corporum Germanic. cauſis.*

Porro etiam *Hermaphroditi* inter monſtra cenſendi ſunt, de quibus prolixè agit 7
Joh. Ben. Sinibaldus in *γενεανθροπείᾳ, ſeu de hominis generatione Decatevcho, lib. 2. tr. I. c. 5. & 6.* Monſtroſa itaque eorum eſt ſententia, imo ipſi monſtra ſunt, qui Adamum nobis Androgynum *(c)* fecerunt, quam ſententiam Rabinicam reſuſcitatam

(c) Adamum Androgynum fuiſſe, & facultatè absque conjuge generandi præditum, noviſſime docuit

cuidam videmus. Curioſam Hermaphroditi deſcriptionem *V. Transact. Philoſ. 32. pag. 624.* Similia quoque exempla Hermaphroditorum in brutorum genere occurrunt. Sed iis accenſenda non ſunt exempla illa de hircis, quorum teſtibus adnata fuerunt ubera, lac copioſum ſtillantia. Joh. Sophronius Kozackius, *cap. 8. lib. 5. Horologii*, ſe Dresdæ hircum vidiſſe talem, teſtatur, cui fidem non dediſſem, niſi fide dignus vir mihi narraſſet, fuiſſe quendam Regni Suecici Senatorem, qui convivis ſuis caſeum hircinum apponere conſueverit, e lacte hirci confectum. Inquiſivit ille vir apud ruſticos, an ſimile quid unquam viderint, qui reſponderunt, ſolere hircis in ſenectute mammulam ſub ſcroto naſci, quæ primum ſerum, poſtea lac funderet, ſi crebro mulgeretur. Incidi poſtea in Sinibaldum, qui, *Geneanthropiæ libr. 4. tr. 2. c. 6. p. 566.* refert, ex Ariſtotele & Peucero, de hircis lactiferis. Exemplum quoque extat in Schotti *Phyſica Curioſa.* Quæ ſi vera ſunt, falſo Virgilio inter operas fruſtraneas poſitum eſt: *mulgere hircos & jungere vulpes.*

§ Specialium monſtrorum humanorum exempla per Anatomen explorata, paſſim extant *in Actis Societatis Anglicæ.* De *Centauris* & *Satyris* res omnino ficta videtur. De *Nymphis*, *Syrenibus*, *Trytonibus*, multæ extant hiſtoriæ, quæ ſi veræ ſunt, inter monſtra referendi non ſunt, ſed ad animalia aquatica referendi. Theophraſtus Paracelſus mira hic ſomnia comminiſcitur, & Gallicus aliquis Auctor Anonymus, qui non ita pridem prodiit. Sed illa exempla ad luſus dæmonum referenda ſunt. Nam quod ajunt, homines ſubmaritimos tandem eo deductos, ut loquerentur, imo artem textoriam diſcerent, ejus rei fides certe mihi dubia eſt. Si artes edocti ſunt, nihil novum eſt, nam & ſimiæ poſſunt doceri. Quod loquelam attinet, forte & ipſa ad pſittacorum modum fuit inſtituta. Syrenis alicujus Anatomen dedit Franciſcus Rhedus *in Experimentis naturalibus.*

CAP. III.

DE AFFECTIONIBVS CORPORVM COMMVNIBVS, ET PRIMO QVIDEM DE QVANTITATE.

§. 1. *Peripateticorum de his altercationes.* 2. *Quantitatis corporum conſideratio accuratior ſumme neceſſaria, ſed a Peripateticis neglecta. Mathefeos uſus in illa maximus.* 3. *Quantitatis diviſio.* 4. *Mundi infinitas, de qua variorum allegantur ſententiæ, rejicitur. Jordani Bruni dogma de mundis pluribus, imo infinitis.* 5. *Corporum diviſibilitas, etiam in Atomos, pro quibus contra Ariſtotelem pugnatur, & inter*

docuit (*in præf. libri de Novo Cælo & Nova terra Gallici*, A. 1679. edidit) & viſione id ſibi cœlica revelatum eſſe jactavit Antonia Bourignonia, notata, ob fanaticum hoc deliriuni, a Pet. Bælio *T. I. Dictionarii Hiſtorico - Critici, P. I. p. 94. 95.* Et aliis Adverſariis, Jacobum etiam Böhmium, tanquam illi (*in Myſt. Magno, c. 18. & in Lib. de triplici Vita c. 6.*) δαίμονας culpantibus.

& inter Scriptores de iis præcipue commendatur Carteſius. Minimis iſtis conſiderandis inſerviunt microſcopia, & microſcopiæ, tum aliorum, tum imprimis Rob. Hookii, obſervationes. Uſus doctrinæ de particulis iſtis minimis inſignis. 6. Judicium de Kenelmi Digbæi diviſione quantitatis, & a ſubſtantia diſtinctione Metaphyſica. 7. Corporum impenetrabilitas miſtionem particularum non prohibet.

POſtquam cauſas conſideravimus, ad AFFECTIONES CORPORVM COMMVNES deſcendimus, quales ſunt, quantitas, motus certus, cui quies opponitur, qualitas, tam elementaris, quarum quæcunque alia, quibus juxta rei conſtitutionem & naturam accedunt locus & tempus. De quibus in Peripateticorum ſcholis inſanæ ſunt & Cimmeriis tenebris tenebricoſiores altercationes, in quibus parum ſolidi quis invenit. 1

Quod *quantitatem* attinet, ea ita corpori inhæret, ut non ſit ab illo diſtincta, certe ſemper cum corpore eſt, ac primum illud, quod animus noſter cognoſcit, mediante ſenſu. Quare magna eſt opera impendenda hujus contemplationi, & paulo accuratior, quam vulgo in Peripateticorum ſcholis fit, qui pene piaculum ducunt, ſi quippiam e Mathematicorum ſcholis in hanc doctrinam transferant, ſolis imaginariis contemplationibus & notionibus contenti; cum tamen ſine exacta Matheſeos cognitione nunquam ſolida hujus affectionis notitia haberi poſſit, imo multa contingant in natura phænomena, quæ cum alii ex ſuperficiariis quibusdam ſpeculationibus explicare fruſtra laborent, tota poſſunt e Mathematica doctrina explicari. Cui certe in acceptis ferenda ſunt, quæ hactenus accuratius in Philoſophia naturali indagata habemus. Cujus exemplum inſigne nobis dedit Carteſius, qui, quod hanc partem ſpectat, inter omnes Phyſicos familiam ducit. 2

Quantitas eſt prima materiæ affectio, imo ipſa materia; non enim niſi ratione differunt. Quantitas eſt, vel continua, vel diſcreta. Illius formalis ratio conſiſtit in extenſione, hujus in numero. Quæ quantitatis ſpecies tantum æquivoca eſt; in extenſione enim quantitas omnis conſiſtit. 3

Quantitas conſideratur primo ratione univerſi totius, ſcil. mundani corporis, & quæri tum ſolet, quousque illa extenſio corporum pertendat. Ubi *de Infinito* magna eſt Phyſicorum diſputatio, de quo Carteſius libellum ſcripſit, *de maximo & minimo* autem Opuſculum perelegans Nicolaus, Card. Cuſanus, e quo multa Kircherus *in Oed. Ægypt.* exſcripſit. Vetus illa controverſia eſt, & magna rationum ſubtilitate agitata, quarum compendium e veteribus & recentioribus exhibet Claud. Berirgardus, *Circ. 7. P. 1.* Ab Ariſtotele infinitum impugnatum fuit, ab aliis ſtatutum: ſed repugnat aliud præter Deum ſtatui. Carteſius in has controverſias ſe non immittit, & extra Phyſices objectum eſſe exiſtimat, & vere quidem. Stantibus enim Theologiæ principiis, infinitum aliquod in natura admitti non poteſt, niſi naturam ipſam Deam facere velimus. Franc. Wilh. Liber Baro de Nüland hic nihilum ſuum 4

nobis obtrudit, quod cum infinito ipſi pari paſſu ambulat, in eo non novam fovens ſententiam, ſed Epicuri ſcholam ſapiens. Is enim ex corpore & inani mundum compingebat, inane vero illud ipſum erat illi nihilum, de quo vid. prolixe Gaſſendus in *Phyſica Epicuræa.* Liber Baro de Nüland *p. 12. Elem. ſuor. Phyſic.* Mathematica aliqua demonſtratione, τῷ Nihili ad infinitum proportionem oſtendere laborat, in qua illum ſuo ſenſu abundare permittamus. Nos quidem nulla neceſſitas cogit, ut pro demonſtratione accipiamus. Alii quantitatem corporum mundanorum diſcretam etiam Infinitam faciunt, ut *Jordanus Brunus*, qui innumerabiles mundos ſtatuit, de quo ſuo loco agemus. De quantitate corporum principalium, globorum cœleſtium, maſſæ terreſtris & aqueæ, hic dici quidem aliqua poterant, ſed remittimus ad Mathematicos, ubi illa plenius demonſtrantur.

(Hic Jordanus Brunus ſtatuit, plures eſſe mundos, & quidem infinitos, ſi non actu, tamen potentia, & ſtellas in via lactea ſoles eſſe putat, quod & ipſe Carteſius facit. Crematus propterea eſt Brunus, quamvis Atheiſmi accuſari non potuerit.)

5 Quantitatem ſequitur *diviſibilitas:* quod enim extenſum eſt corpus, in partes quoque diviſibile eſt. Eæ ſunt, vel ſenſibiles, vel inſenſibiles. De ſenſibilibus nulla controverſia eſt, de inſenſibilibus magna. Nam Ariſtoteles Atomos negat, & Peripatetici, ſed ſophiſticis potius, quam veris argumentis, quæ inter ſe conferunt & examinant vulgares etiam Phyſici, tamen natura ſane oportet aliquod ultimum eſſe, quod non amplius ſit diviſibile. Quid animo vel notionibus fiat, non curat Phyſica, qua Phyſica, Tota igitur *de Atomis & particulis* doctrina huc ſpectat, de quibus ſingulari libro egit Joh. Chryſoſt. Magnenus, nec non *de poris corporum*, de quibus Er. Bartholini extat Tractatus, excuſus Hafniæ *in 8.* Nemo autem ſubtilius & explicatius omnem particularum doctrinam propoſuit, quam Carteſius. Cui jungi velim etiam e Peripateticis Honoratum Fabri, *Tom. I. Phyſic.* quo de ſtatu corporum ex ratione quantitatis agit. Omnes illæ affectiones, durities, fluor, viſcoſitas, lævor, varietas, denſitas, &c. a nemine melius explicantur, quam a Carteſio, qui in particularum conditione ſive figura omnem illarum affectionum rationem quærit. Et ipſe, cum de iis agit, Ariſtoteles neceſſe habet, ad illas confugere, ut aliquod exemplis demonſtrare poſſem. Legatur Ant. Grandis *in Inſtitutione Philoſophiæ Carteſianæ*, *part. 4.* qui facilitate inſigni Carteſiana principia explicat. Quanta Atomorum & minimorum effluviorum vis ſit, & quam multæ operationes naturales ex iis dependeant, nemo plenius exequitur, quam Rob. Boylius *in libro de mira ſubtilitate & inſigni vi effluviorum*, Londini 1673. *in 12.* Pertinet huc minimorum ſpeculatio per microſcopia inſtituta, quæ multa detegit in corporibus, quæ ad varias ſpectant affectiones, ſive conformationem totius, ſive rationem ſuperficiei, colores, &c. Italus quidam Fontana primus Microſcopiorum fuit inventor, poſt hunc Pet. Borellus *de minimorum phænomenis Microſcopicis* aliquot *obſervationes*, Hagæ A. 1656. editas, ſcripſit. Poſt illos abſolutiſſimam Rob. Hooke, Vir maximi ingenii, & in rebus naturalibus

libus tum acutum, quam Aquila, cernens, *Micrographiam* dedit, Londini A. 1667. *in fol.* Anglice hic liber eſt conſcriptus, multisque ornatus figuris æneis & Diſſertt. Phyſicis elegantibus. Henrici Poweri exſtant quoque *Microſcopica* (quæ Figurarum tamen delineatione carent) *Obſervationes*, Lond. 1664. *in 4to.* Commendat quoque Georg. Hieronymus Welſchius *in Addendis ad Hecatoſtheam ſecundam* Germani cujusdam Microſcopicas obſervationes, quas ille admirabiles vocat. Ceterum doctrinæ hujus maximus uſus eſt in Phyſicis: in omnibus enim naturæ operationibus quaſi deprehendi veſtigia ejus poſſunt in minimarum particularum figuris obſervatis, ut ex Opere illo Hokiano abunde patet. Ne quid nunc dicam de admirabili illa proportione, quam deprehendere etiam in minimis corpuſculis poſſumus. Unde Boylius, in *libro Anglico de utilitate naturalis Philoſophiæ p. 38. & ſeqq.* eleganti diſcurſu proportionem illam vermiculi, qui *Acari* vocatur, quo eſſe nihil poteſt minutius, confert proportioni, quæ eſt in Elephante, atque illum huic præferre non veretur. Comparat ibidem vaſtitatem balænæ cum vermiculis, in aceto detectis.

Edv. Digbæus aliam habet quantitatis diviſionem, quam ipſe Metaphyſicam 6
appellat. Diſtinguit enim inter ſubſtantiam & quantitatem. Subſtantiam dicit unam eandemque, quantitatem autem variari, unde fiat, ut corpus aliquod varias ſubeat alterationes, jamque ſe majus, jam minus, fiat. Atque hæc principia ſubſternit raritati & denſitati, quibus affectionibus generalibus omnem doctrinam phyſicam ſuperſtruit. *Non poſſumus intelligere*, inquit, *Tr. 1. c. 3. quo pacto major ſit proportio quantitatis, quam ſubſtantiæ, vel contra, ſubſtantiæ, quam quantitatis, niſi realis inter utramque diviſibilitas intercedat, multoque adhuc difficilius eſt intellectu, quomodo res eadem nunc majorem, alias minorem quantitatis proportionem habeat, niſi major minorve proportio ab ea ſeparari poſſit, ſeu niſi vera ſit diviſibilitas inter quantitatem & ſubſtantiam, quod ut principiis, cauſæ huic principiis, oſtenderem, neceſſarium foret, altius adhuc, & ipſa, ut ſic dicam, Metaphiſicæ viſcera penetrare.* Hæc Digbæus, quem tamen nihil novi hic docuiſſe video, quam, quod vulgo diſtinguat inter corpus, & inter effluvia corporum, quod extra illas Metaphyſicas ſpeculationes concipi rectius poſſunt, ut ad eorum intellectum iis non ſit opus. Nec video, quomodo diſtinctio inter ſubſtantiam & quantitatem hic commode locum habeat, cum & ſubſtantia corporis, quam vocat, ipſa per ſe quanta ſit, effluvia vero particularum, vel corporis rarefacti majores portiones, non deſinant ſubſtantiæ eſſe, & ſuas habere ſingulæ quantitates. Nihil itaque, ut mihi quidem videtur, hac ſubtilitate demonſtratum eſt.

Aliud quoque quantitatis conſequens eſt impenetrabilitas; Canon enim eſt, 7
non dari penetrationem dimenſionum. Ille autem non prohibet particularum inter ſe miſtionem: alia enim miſtio eſt, alia penetratio. Sunt autem quædam ita apta nata miſceri, ut pene penetrare ſe videantur. Circa quæ multæ conſiderationis ſunt naturalia phænomena, de quibus *Cap. de miſtione* pluribus agemus.

CAP. IV.

DE LOCO, VBI ET DE VACVO, VARIISQVE CIRCA VACVVM EXPERIMENTIS.

§. 1. *De Loco doctrina Ariſtotelis (quæ exploditur,) Carteſii & Pet. Gaſſendi, Epicurum ſecuti. Nihil aliud eſt locus, quam mera relatio. Theoriæ ejus utilitas in Phyſicis. 2. Vacuum in natura defendunt Epicurei, Gaſſendus, Valerianus Magnus, & alii Recentt. impugnant autem, poſt Ariſtotelicos, Carteſiani (& hos inter inprimis Ant. le Grand,) Th. Hobbeſius, & plerique Philoſophi ceteri. 3. Spatium aëre vacuum poſſe dari, conſtat e Scriptis & Experimentis Rob. Boylii, Ott. Gverickii & Florentinorum, de hoc argumento, de quibus judicium additur. 4. Franc. Lanæ Ars ope Globorum Metallicorum, aëre evacuatorum, per aërem volandi & navigandi, a G. G. Leibnitio commendata & emendata, a Phil. Lohmeiero autem, plagiario Lanæ, pro ſuo venditata invento, examinatur, & in praxin deduci haud poſſe oſtenditur.*

1 QUoniam corpus naturale quantitatem habet finitam, LOCVS illi competit, quem affectionem corporum externam faciunt. Non opus eſt, ut hic tempus teramus inutilibus Peripateticorum diſputationibus, quorum ſunt ad ſpeciem quidem ſubtiles controverſiæ, ſed revera nihil habentes ſolidi. Vid. Berirgardus *Circ. Piſan. 8.* ubi Ariſtotelis doctrina in utramque partem excutitur. Tota res tandem in prædicamentales quosdam conceptus abit. Nuda itaque relatio eſt, refertur enim ad aliud; jam vero relatio nihil aliud eſt, quam modus aliquis Entis: ex eo ſcil. quod corpus habeat reſpectum ad aliorum corporum ſitum, ex eo locum habere dicitur, & inde denominamus terminis localibus corpora naturalia, quæ nos non in univerſum, ſed comparate, ratione ſenſuum & aliorum corporum, conſideramus. Ariſtoteles quidem locum definit per ſuperficiem immobilem, ut ſignificetur, locum non ſimul moveri cum corpore locato, quo ſane quid dicatur, non conſtat. Nam certe locus alicujus rei, ſi eſt ſuperficies corporis adhærentis, oportet illam ſuperficiem moveri, moto corpore. Carteſius locum duplicem facit, primo internum, per quem vocat ſpatium, trina ſua dimenſione conſtans, ſecundo externum, per quem intelligit ſuperficiem, vel corporis ambientis terminum. Gaſſendus concedit, locum eſſe quantitatem, ſeu ſpatium, trina dimenſione conſtans, illud tamen facit incorporeum. Dimenſiones enim ille facit alias corporeas, alias ſpatiales, illas verorum corporum, trinam dimenſionem habentium, has iſtius ſpatii, cujus aliqua dimenſio a terminis corporum, vel adjacentium, vel circajacentium, nobis concipitur, revera autem nihil eſt. Atque in eo ſententiam Epicuri ſequitur, qui totam mundi compagem ex corpore & vacuo fabricatur, quorum aliquod extra corpora eſt, aliquod ipſis corporibus interſperſum, atque huic vacuo, rebus interſperſo, locabilitatem corporum & motum adſcribit, id ſcil. eſſe, in quo corpora quieſcant & moveantur.

Neque

Neque enim motum in natura fieri poſſe exiſtimat, niſi per vacuum; *omnia enim*, inquit, *quieſcerent, quoniam, ſi vacuum non eſſet, corpus corpori obſtaret*, de quo poſtea dicemus. Quod ſi plenitudo mundi ſtatuitur, ut a plerisque Philoſophis fit, nihil certe locus eſt, niſi mera χένσις. Si enim locus definitur per ſpatium, quæro, quid ſit ſpatium. Dicit Carteſius & omnes, eſſe extenſum, quare locus eſſe non poteſt, ipſum enim corpus eſt, & habet locum. Quoniam ergo corpus non poteſt eſſe in corpore, quia non datur penetratio dimenſionum, nullum corpus in ſpatio, vel in ſe ipſo, contineri poteſt. Aut itaque locus, cum Epicureis, per vacuum ſpatium definiri debet, aut nihil eſt, niſi mera relatio, quod poſtremum verum ego eſſe exiſtimo. Magnæ tamen utilitatis eſt hæc doctrina in Phyſicis, quoniam reſpectiva illa corporum locatio magnum ad operationes naturales momentum habet. Magna enim eſt corporum naturalium conſenſio & diſſenſio ratione ſitus, quem habent. Magna ſolis virtus in terram eſt, quoniam eo in loco conſiſtit, quam non haberet, ſi eſſet remotior. Si Sirius ſtaret in loco ſolis, fortaſſis easdem operationes ſentiremus, quas nunc ſentimus a ſole; certe Sirii & ſolis conjunctio duplicare illorum virtutem videtur. Ita vicinitas vel remotio agentium in natura magnos præſtant effectus. De loco totius mundi more ſuo philoſophatur Val. Weigelius, in Lib. Germ. vom Orte der Welt, Halæ Sax. *in 4to* edito, ſed nihil demonſtrat.

Offert hic ſe de VACVO agendi occaſio, de quo varie ſentiunt Philoſophi. 2
Plerique illud non admittunt in natura. Contra ſunt alii, qui naturam ſalvam eſſe non poſſe putant, niſi illud admittatur. Quid Epicurei ſtatuerint, jam diximus, quorum dubiis reſpondet Ant. Grandis *in Hiſtoria naturali corporum, Art. 2. & 3.* Demonſtrat illic, non opus eſſe inani ſpatio, ut corpora quieſcant aut moveantur, nam in omni motu integrum corporum circulum ſimul moveri docet, Mathematica plane demonſtratione. Ut itaque non opus ſit, ad Vacuum aliquod recurrere. Reſpondet, quoque experimentis illis, quæ Gaſſendus adducit ad vacuitates in corporibus demonſtrandas. Ad quem lectores remitto; perſpicue enim & diſtincte dubia illa proponit & ſolvit. Nam affert Gaſſendus inter alia experimenta & hoc, quod, ſi quis accipiat vas quoddam, aqua ferme repletum, & tantum ſalis communis addat, ut plane ſit repletum, tunc adhuc varii alii ſales, alumen, nitrum, &c. addi poſſint, ex quo Vacuum vult demonſtrare. Carteſiani Peripateticorum exemplo, nullum item Vacuum in natura agnoſcunt; illi enim materia ſua ſubtili omnia complent. Hobbeſius *in lib. de Aëre*, ne aërem quidem excludi e ſpatio aliquo poſſe concedit, quanquam experimentis, ut ego quidem arbitror, contrariis convictus. Valerianus Magnus (in *Philoſophia* etiam ſua Ariſtoteli, in Logicis pariter atque Phyſicis, contrarius,) peculiari libro, Varſaviæ A. 1648. *in 8vo* edito, Vacuum adſtruit, rationibus e thermometro petitis, quæ ulterius a Marino Merſenno experimentis illuſtrantur, Victorio item Torricello, Is. Voſſio *(Lib. de Natura Lucis c. 9. ac 10,)* & aliis. Defendunt quoque Vacuum Joach. Jungius *in Doxoſcopia, P. 2. ſect. 1. c. 5. diſtinct. 6.* David Derodon in *Phyſica* ſua *Contracta, P. 1. c. 7.* Lud. de Beaufort *in Cosmopœia*, Joh.

Phocyl.

Phocyl. Holwarda *in Phyſica Novantiqua, c. 2.* Liber Baro Nüland in *novis Phyſicæ Elementis.*

3 Robertvs Boylivs, in variis libris *de aëris vi Elaſtica, de ejus rarefactione & condenſatione*, ac in *novis Experimentis de aëre*, Anglice ſcriptis, quæ *Actis Philoſophicis Anglicis* inſerta ſunt, non quidem ſimpliciter Vacuum agnoſcere vult, dari tamen in natura poſſe ſpatium aëre vacuum contendit; imo eo devenit, ut certo inſtrumento gradus iſtius rarefactionis ad menſuram vocarit. Experimenta alia multa monſtravit Otto Gverickivs, Conſul Magdeb. magnus affectionum naturalium per principia Mechanica demonſtrandarum Artifex, qui pleniſſimos *de Vacuo* Commentarios *in folio* ſcripſit, quo in libro multa complexus eſt, illuc non pertinentia. Nam totum pene mundi Syſtema illic exponit, & ſuper ſuis demonſtrationibus fundare voluit, quæ tamen pertinent tantum ad ſingulares quasdam corporum naturalium affectiones, præcipue Vacuum & rerum Magnetiſmum. Certum eſt autem, Virum illum in Germania cogitaſſe de iſtis inventis diu, antequam alibi iſtarum Demonſtrationum quicquam inſtitutum fuit. Liber quidem ejus A. 1672. demum prodiit, ſed Caſp. Schottus *in Technica Curioſa*, præcipuam ejus partem, velut per Epitomen, A. 1664. in præguſtum jam dederat. Varia ſunt & curioſa experimenta circa eam materiam, *in Diſcurſibus Florentinis, Saggi Academici* dictis. Magni ſunt momenti omnia hæc experimenta, ac imprimis Boyliana, quia inter omnes majorem operam contemplationi huic Boylius impendit. Is ſcil. varia ſpeculatus eſt naturæ phænomena, corporumque locatorum in tali aliquo vacuo, ratione omnium qualitatum, varios effectus inde expertus, quorum cauſas accuratas nec ipſe dare poteſt. Adeo latent nos, quæ in profundo naturæ ſunt. Quod ſi accuratius illa omnia indagari poſſent, mirabiles poſſent inde effectus deduci. Vacuum aliquod ſpatium dari, tale ſc. in quo non ſit aër, certis experimentis demonſtrari poteſt, niſi forte quis exiſtimaverit, aërem adeo rarefieri poſſe, & tamen implere idem ſpatium, quod cum rerum natura pugnat. Neque enim corpus minus fieri poteſt ſe ipſo, aut majus, niſi per alterius corporis vel expulſum, vel inſinuationem. Si aër craſſior eſt atque conſtipatur, ut in ſclopetis *πνευματικοῖς*, debet id fieri per approximationem partium, a ſe diſtantium, quarum diſtantia concipi non poteſt, niſi quod vacua quædam illis fuere interſperſa, tale, quod aëre ſubtilius ipſi cederet, compreſſione facta. Quemadmodum in ſpongia fieri videmus, cujus partes ad ſe accedunt in compreſſione, aëre expulſo, qui antea foraminula illa complebat, e latere tamen ſuperſtite, ſeu conatu reſiſtendi, & in priorem ſtatum reponendi, ſi libertas detur. Eadem ratio eſt thermometrorum, baroſcopiorum, &c. de quibus *in Cap. de aëre* prolixius dicemus. Nihilominus tamen Franc. Linus, *in Tr. de Corporum inſeparabilitate*, poſt Ant. Deuſingium & Honor. Fabrum *(in Tr. de Vacuo,)* experimenta iſta pro Vacuo, tam Torricelliana, quam Magdeburgica & Boyliana, impugnavit, aliisque illorum cauſis detectis Vacuum naturaliter dari poſſe negavit, Ariſtotelicam autem de Rarefactione ſententiam, tam contra vacuitatum, quam corpuſculorum, aſſertores, ſibi viſus eſt demonſtraſſe. Sed huic a Rob. Boylio eſt reſponſum. Exſtat & Gilb. Klerckii

Klerckii *Lib. de plenitudine mundi*, quo Philosophia Cartesiana, ea etiam in parte, defenditur. Joh. Marcus Marci, *in Lib. de Iride p. 54.* Vacuum quinto Elemento compleri contendit. Quomodo hinc de levitate quoque & gravitate aëris judicium instituui possit, *Cap. de aëre* videbimus.

Occasione tamen hujus doctrinæ incidit, quod aliquis, hoc fundamento fretus, machinam aliquam meditatus fuerit, quæ, sublevata in aërem proportionatum, aliquod onus secum trahere posset, quod pro lubitu navicula esse possit, vel corporibus aliis, vel hominibus, referta, servata tamen ponderum proportione. Est is FRANCISCVS LANA, Italus, cujus liber italica lingua scriptus, *Prodromo all' arte maestra* (Brixiæ A. 1670. in fol.) c. 2. 3. varia a se experimenta excogitata proponit, sed pleraque inania, ac in inanibus speculationibus fundata, nec ad praxin deducta. Inter ea habetur illud quoque *c. 6. quomodo possit fabricari navis, quæ per aërem eat, cum remis & velis.* Fundamentum ejus hoc est præcipuum: quod supponat, dari posse globum aliquem, e laminis metallicis confectum, cujus contentus aër ipso globo gravior sit, quod ille calculo Euclideo, ex proportione Diametri ad peripheriam ducto, evincere laborat. Præsupponit porro, aërem, in tali globo contentum, graviorem ipso globo, si inde extrahatur per artificia nunc nota, effecturum, ut globus ille sursum feratur, quemadmodum, si intra aquam globum talem quis haberet, aqua vacuum, globus ille ascensurus sit in superficiem aquæ. Globus illos multiplicat pro ratione ponderis appendendi. Hæc ejus Viri sententia est, quæ tamen gravissimis dubiis urgetur. Ne quid enim dicam de calculo isto Euclideo, valde vereor, ne ille, in abstracto ita formatus, in materia deficiat, præsertim in tanta metalli & ipsius aëris proportionis & ponderis incertitudine. Neque enim laminæ metallicæ adeo exacte proportionem ponderis servare possunt, & ipsa crassities metallica obstare videtur. Quod si nimis tenuis illa lamina esset, difficile exhauriri aër posset, qui est conatus omnium maximus, adeo ut laminæ non nisi exacte rotundæ, & aliquo modo etiam crassæ, hanc vim sustinere possint. Quadrata forma laminæ etiam crassæ hoc conatu, velut pannus, complicatur. Denique & ipsa adunitio laminarum multum difficultatis habet, nam non ita illa exacte fieri potest, ut non rimula aliqua supersit, qua superstite tota res in nihilum recideret. Præterea etiam illud Lanæ præsuppositum, de ascensione talis globi, nondum probatum mihi videtur hoc fundamento; longe enim alia ratio est corporis, inter aquam concluſi, quam ejus, quod in aëre est. Illud enim terminum suum facile assequitur, superficiem scil. aquæ, quem vero in aëre terminum assequi possit globus talis, non video, &, nisi me omnia fallunt, pressio ipsa Athmosphæræ impediret ejus ascensionem: illa enim, æqualiter omnibus lateribus incubans, non admitteret ejus ascensionem. Plura de hoc Navigio volatili J. Chr. Sturmius *in Collegio suo Curioso.* Vocarunt quoque Angli sub examen. Sed frustra, ut mihi quidem videtur, omnes illi conatus erunt. Miror Gottf. Wilh. Leibnitium, Virum ingeniosum Germanum, *in Hypothesi sua nova Physica*, probasse hæc fundamenta Lanæ. Diserte enim ille *p. 25.* ait, si quid arte humana parari queat aëre levius, spem esse, perveniri ad artem volandi posse; ubi & recenset Lanæ sententiam, quam & Cl. Vossii esse ait:

ait: Si detur vas concavum, tam grande, ut aër intus concluſus continenti, ſeu vaſi, per ſe ſumpto, præponderet, aëre tum exantlato aſcenſurum illud vas in aërem. Calculos tamen Lanæ non recte ductos ait, aliumque ſubſtituit, quem rectius proceſſurum putat. Caute tamen addit tandem: *Sed an bullæ* (ita vocat vaſa illa) *tantæ magnitudinis commode fieri, & penitus, & ſine ruptura, exhauriri & durare poſſint, ego in me non ſuſceperim.* Illud Lanæ Commentum nuper nonnemo ſibi tribuere auſus eſt, manifeſti plagii facile arguendus, Philippus Lohmeier, ſc. Prof. Rintel. *in Diſſertatione* non ita pridem, *de arte volandi per aërem*, edita. Omnia enim pene verba ex Lana deſcripſit, nulla ejus mentione facta, ſeque Autorem tanti arcani jactat, ac Principes ad elaborationem ejus machinæ invitat. Apud Ott. Guerikium, quodam in loco, legere memini paratum ſibi fuiſſe recipientem vitreum, cujus peripheriam aëre contento leviorem fuiſſe ait, neſcio quo calculo ſuo & menſura uſus. Nulla vero illic mentio eſt, in aërem aſcendiſſe globum iſtum.

CAP. V.

DE TEMPORE.

§. 1. *Tempus ad Phyſicam non pertinet, niſi quatenus durationem rerum deſignat. Durationis hujus cognitio uſum habet in Phyſica & Medicina multiplicem. Franc. Baconis Verulamii* Hiſtoria Vitæ & Mortis, *& Joh. Graunti* Bils of the mortality, *in hoc argumento commendantur. 2. Quæſtio de Interitu Orbium & Globorum integrorum affirmative deciditur. Stoicorum hac de re doctrina. Scriptores de interitu mundi, gentilibus credito. 3. Diluvii univerſitatis ab Iſ. Voſſio Mathematice impugnata, a Nicol. autem Stenonio demonſtrata. Poſſibilitas conflagrationis Globi Terraquei ex Phyſica itidem oſtenditur. Summa difficultas in corporum, non ſolum maximorum, ſed etiam minimorum, temporibus inveſtigandis. 4. Scriptores varii de vitæ termino & prorogatione, uti & longævitate. 5. De Cadaverum corruptionis tempore, vita, in iis e Joh. Marci Marci ſententia ſuperſtite, quorundam item incorruptibilitate & cruentatione miraculoſa, monita. Th. Kerkringii præſervatio cadaverum per ſuccinum.*

INter externas corporum affectiones TEMPVS quoque refertur, quod quidem per ſe ad Phyſicam non pertinet, niſi in quantum ex duratione rerum judicium aliquod de conſtitutione corporum iniri poſſit. Ariſtoteli definitur tempus *numerus motus ſecundum prius & poſterius;* ſed ea Mathematica potius definitio eſt. Neque ſolum ad motum refertur tempus, phyſice conſideratum, ſed Mathematice, quando ſcil. ex ratione motus ſolaris, vel aliorum corporum cœleſtium, menſura temporis initur. Ideoque temporis conſideratio, quatenus menſura eſt, ad Phyſicam non pertinet, niſi in quantum nobis deſignat durationem rerum. Sola enim

rerum

rerum duratio ſpectatur Phyſico. Quæſtiones hinc ſolent formari: *An tempus fuerit ante ſidera & mundum conditum?* quod ſuo modo concedi poteſt. *Quomodo differat æternitas a tempore Phyſico?* quæ inutilis quæſtio eſt, a nobis non expedienda. Habemus & in Mathematicis Menſuræ Menſuras, Horologia ſcil. ſecundum quæ computari tempora poſſunt, de quibus Mathematici conſulantur. Ad durationem rerum perveſtigandam non eſt nobis opus illis minutiis, ſufficit hic latior calculus. Eſt vero illa durationum hiſtoria in natura maximi uſus, unde judicium de mixtura & textura corporum fieri poteſt, quomodo ſc. illa inter ſe compacta ſint, quo ordine, qua proportione. Nam eorum omnium aliqua ſigna apparent in duratione eorum. Judicium hinc quoque de corruptione corporum inſtitui poteſt. Inprimis obſervari poſſunt fatales illæ corporum periodi & termini, quos Deus ipſis præſcripſit, ipſaque non excedunt. Multum quoque cognitionis inde accreſcet doctrinæ Medicæ, ſi hiſtoria quædam inſtituatur durationum vitæ & mortis diſtinctorum hominum, ſub vario cœli climate poſitorum, in montibus, ſylvis, locis paludoſis, arenoſis, metallicis, calidis, frigidis, habitantium. Præivit in hoc labore Magnus Verulamius, cujus extat *Hiſtoria vitæ & mortis*, magno ingenii conatu ſcripta. Utile quoque erit hiſtorias ipſas in aliqua ſocietate vitæ functorum notare, quo ſcil. genere morbi, qua ætate, perierint. Id fecit ex Anglis, libro, cui tit. *Bils of the mortality* (i. e. *Naturales & Politicæ Obſervationes ſuper ſchedulas mortalitatis Anglicas, ſive Catalogos hebdomadales natorum & mortuorum*) Johannes Graunt, *(d)* qui perpetuum catalogum texuit omnium hominum certo morbi mortisque genere mortuorum & natorum, unde educit multa conſectaria, tam Politicis & Statui, quam Medicis & Phyſicis, utilia. Prodiit Liber iſte (cujus Argumenta *Tomo II. Ephem. Gall. p. 352. & ſeqq.* enarrantur) Oxoniæ A. 1665. *in 8vo.* Similiter in omnibus corporibus naturalibus procedere licet a ſummis ad ima, ad methodum illam, a Verulamio præſcriptam.

Pertinet huc quoque quæſtio *de interitu & corruptione integrorum orbium & globorum*, cujus eſſe viciſſitudines veteres quoque ſenſere, qui idem illis fatum eſſe voluerunt, quod partibus eorum. Et ſane generationes illæ novarum ſtellarum & cometarum non obſcurum argumentum præbent, nova quædam corpora, in vaſto hoc aëris vel æthëris Oceano, vel vorticibus, ut appellat Carteſius, naſci poſſe, quemadmodum in mari Inſulæ naſcuntur per materiæ cujusdam congeriem, in unum aliquem locum compactæ. Non omnia etiam in orbibus æthereis eſſe æterna & conſtantia, nunc credere incipimus, poſtquam Mathematici demonſtrationibus ſuis fidem fecerunt. Stoici olim mundi interitum etiam ſtatuebant, ſive generalem quandam ἐκπύρωσιν & κατακλυσμὸν, æſtatem ſcil. atque hyemem univerſalem, quæ per vices redirent, ut ita mundus ſecundum externam ſui compoſitionem tantum interiret, non ratione ſubſtantiæ. De hac Stoica mundi exuſtione quid ſentiendum ſit,

(d) Grauntii Exemplum, laudabili inſtituto, in Germania imitati ſunt Collegæ Academiæ Naturæ Curioſorum Uratislavienſes, qui *Hiſtoriam Morborum*, in Civitate ſua ſingulis annis graſſatorum, Ægrotorumque iſtis correptorum ac mortuorum, an. 1699. inchoatam, ad præſentem usque, quotannis continuarunt.

legi poteſt Jac. Thomaſius in pecul. *Diſſert.* qua Epicriſin & collationem inſtituit cum Chriſtianorum doctrina, mundi interitum ſtatuente. Vid. quoque Hier. Magius, qui de *exuſtione mundi* ſingularem librum ſcripſit, & quæ Alphonſus Pandulphus ex omnibus, tam Gentilibus, quam Chriſtianis Scriptoribus, *libro de fine mundi*, congeſſit.

3 Ceterum, quod globum terraqueum attinet, impoſſibile non eſt, illum has vices ſubire. Quomodo diluvium toti huic globo accidere potuerit, ſubtiliſſima methodo demonſtravit Nicolaus Stenonis, *in Prodromo Diſſertationis ſuæ de ſolido, intra ſolidum naturaliter contento.* Qua ratione illorum argutatiunculæ retundi poſſunt, qui Mathematicis rationibus univerſalitatem diluvii impugnant. Quod fecit ſingulari libro Iſaacus Voſſius, quanquam nomen Diſſertationi non propoſuerit. Ita quoque igne conflagrare poſſe globum terrenum ſimili ratione non eſt impoſſibile, ſi æſtuaria illa ſubterranea vires acquiſiverint, & vicinas partes, maxime inflammabiles, corripiendo totum tandem globum incendant. Cum enim maxima terræ pars metallica ſit, imo ea, quæ centro propiora ſunt, ipſiſſimum metallum fuſum exiſtimem, impoſſibile non eſt, colliquatione partium metallicarum facta, corticem hunc externum, quem terram vocamus, cum appendicibus ſuis, facile in cineres abiturum. Fuit quoque Carteſius in illa ſententia, terram ſucceſſu temporis mutari in ſolem poſſe, quod fieret forte hac conflagratione; ſolem vero mutari in terram vel planetam poſſe, ubi maculæ, quas ſenſim attrahit, prævaluerint, ut corpus ſolare cruſtam aliquam terream ſibi obducat. Illa hic obiter de corruptionibus corporum & maſſarum univerſi dicta ſunto, in quibus ſenſu ſuo quemcunque abundare patimur, ab experientia nihil adjuti, ſola enim ſuſpicione tantum quædam divinamus, cum unius hominis, & multorum millium, ætates non ſufficiant ad has obſervationes. Objecti enim vaſtitas, & infinitas, & longinquitas, & diuturnitas, magna ſunt philoſophantium obſtacula, qui in particulis tantum ſæpe laborant, & vix ſapiunt, quoniam univerſi hujus connexio illos latet. Unde multæ dependent operationes, multa phænomena naturæ, in quorum cauſis inveniendis ætatem & vitam conſumimus, oleumque & operam perdimus. Quæ difficultas magnorum corporum, eadem minimorum eſt, nam & in horum temporibus obſervandis maximus profecto labor eſt. Quis fungi unius noctis propaginem ſatis mihi explicet, & texturam ejus aliquot horis elaboratam, ut pene viſui petere poſſet, niſi cognitioni noſtræ quaſi ſponte ſubduceret natura. In vita Ephemeri inſecti, quam Joh. Schwammerdammius Belgice deſcripſit, quæ non miracula obſerves?

4 Pertinet quoque huc doctrina de Termino vitæ humanæ & de vita proroganda, & longævitate Patriarcharum, circa quæ argumenta plurimæ occurrunt difficultates, integris Diſputationibus & Libris a quibusdam deductæ. *De Vita & Morte* Matth. Flacius Jun. Librum ſcripſit non contemnendum.

De Termino vitæ Joh. Beverovicius Viros doctiſſimos ſui temporis exercuit, qua Theo-

Theologos, qua Medicos, quorum Reſponſa ſingulari volumine (Leidæ A. 1636 *in 4to*) ſunt congeſta, & lectu digna ob varia dubia, omni ex parte mota. *(c)*

Quod *longævitatem Patriarcharum* attinet, aliorumque hominum, legendi ſunt Verulamius in ſua *Hiſtoria vitæ & mortis*, Joh. Henr. Heideggerus peculiari *Diſſertatione*, quæ habetur in ejus *Patriarcharum hiſtoria*, & Henr. Meibomius Jun. in ſingulari *Epiſtola de longævis.*

Quod *vitam prorogandam* attinet, Medicos habemus, qui ex artis ſuæ principiis integros libros eo de argumento ſcripſere. Phyſicis quoque rationibus & Medicis uſus eſt, in libro ſæpius laudato, Verulamius, cujus liber multarum aliarum cogitationum ſemina tradere videtur. Ita enim omnia complexus eſt generali ſua contemplatione, ut ſingula ejus libri viam ſternant ulterioribus cogitationibus. Hier. Cardanus quoque *libro 2. Θεογνώσων*, qui occurrit in *Operum* ejus *Tomo 2.* argumentum hoc de vita proroganda tractat. Legi quoque poſſunt *Acta Anglicana Regiæ Societatis p. 1179.* ubi de eodem argumento diſſeritur.

Poteſt hic quoque diſquiſitio inſtitui *de tempore, quo cadavera vel hominum, vel brutorum corrumpi ſolent.* Joh. Marcus Marci quidem vitam etiam cadaveribus reliquam facit, ac per tempus aliquod ſatis longum incorruptibilia ea manere poſſe credit, quoniam exiſtimat, ecſtaſin pati poſſe homines, quæ annos plures durare poſſit, unde corpora hominum cadaveribus ſimilia quidem videantur, revera autem vivant. vid. *Philoſophiæ vet. Reſtit. P. 4. ſubſect. 1. & 2.* Multa hinc deducit paradoxa, quæ ſuo loco relinquimus. Videatur quoque Chriſt. Frid. Germannus in *libro de Miraculis mortuorum*, Lipſ. A. 1670. edito. Quod corpus totum, vel corporis partes aliquas, incorruptibiles, attinet, ego multa hic ſuperſtitioſa & fabuloſa ſubeſſe exiſtimo. Ceterum exiſtimantur cadavera violenta morte peremtorum inconſumpta manere, cujus rei exemplum memorabile extat apud Melchiorem Adamum, *in vitis JCtorum in vita Huttenі p. 17.* Ipſe Huttenus ad Arnoldum de Glauberg, JCtum Francofurdienſem, ſcribit: *Rem admirandam, & cujus prope nullius fides capax ſit, vidiſſes, quartum jam annum defoſſum corpus non conſumptum, non putrefactum, totam adhuc faciem cognoſcibilem, quin etiam ſanguine commaduit attactum. En igitur innocentiæ teſtimonium.* Fuit ille Joh. Huttenus e familia Uldarici, in prælio quodam occiſus, de quo prolixior ibi narratur hiſtoria. Quid arte fieri poſſit, non jam moramur. *Theod. Kerckringius* hodie ſuccinum ita temperat, & coquit, ut tota cadavera, quanta quanta ſunt, ejus circumfuſione a corruptione præſervet. 5

Habet infantem undiquaque ſuccino circumfuſum, quem adhuc integrum & ſine corruptione ſervat, fœtum item bimeſtrem.

(c) Præter Beverovicianam Schediaſmatum *de Termino Vitæ* Syllogen, alia etiam Lipſiæ an. 1691. *in 8.* curante Hieron. Dicelio, Prof. Publ. prodiit, in qua Dan. Henrici Theologi Lipſienſis, Liber de Argumento iſto integer, aliorumque Theologorum Lutheranorum, Æg. Hunnii, Joh. Majoris, Balth. Menzeri, Juſti Feurbornii & Joh. Guilh. Bajeri, de eodem Diſſertationes, junctim exhibentur.

CAP. VI.

DE MOTV CORPORVM ET PARTICVLARVM IN CORPORIBVS.

§. 1. *Motus doctrinam recentiores Mathematice explicant, & ex ea, poſt Epicureos, omnia ferme Phænomena naturalia deducunt. Sed Principium hoc eſt inſufficiens. 2. Ariſtoteles intricatiſſime de eo philoſophatur, diſtinctius autem & luculentius Carteſiani, quorum doctrina, ex ipſo Carteſio & Dan. Lipſtorpio, fuſe proponitur. 3. Subjungitur ejusdem cenſura, quædam dubia, quædam falſa in ea eſſe, oſtendens. 4. Motus variæ ſubdiviſiones. 5. G. G. Leibnitii theoria Motus abſtracti, & hypotheſis Phyſica, huic ſuperſtructa, commendantur. 6. Nec non Scripta de Motu Joh. Alph. Borelli, quocum Franc. Wilh. L. B. de Niiland, ferme eadem docet. Wilh. item Petti nova hypotheſis, & Joach. Jungii de Motu MStum. 7. E ſola Motus doctrina omnia naturæ Phænomena non poſſunt explicari. 8. Pauca de Quiete, & Inteſtinis motibus particularum in ſolidis quieſcentibus, e Rob. Boylii de his Scripto, adduntur. 9. Doctrinæ de fermentatione in Phyſicis & medicis utilitas, ac Scriptores præcipui.*

1 AD affectiones externas MOTVM & Quietem referunt vulgo Phyſici. Affectio enim externa corporis naturalis eſt moveri & quieſcere. De motu hoc multa dici poſſunt, & ſunt, qui omnes naturæ operationes in eo fundant. Recentiores methodo Mathematica plane hic procedunt, ut, poſitis definitionibus, petita aliqua ſive poſtulata tradant, his impetratis regulas certas, vel axiomata, conficiant, quibus, ut certis & indubitatis, explicari poſſe putant ea, quæ habemus in natura phænomena, omnesque naturæ operationes. Hinc formam, & formales actiones & vitales, deducunt, & quicquid præterea in corporibus activum eſt. Epicurei e veteribus primi ſunt, qui motum particularum horſum, vorſum, ſurſum, deorſum, motum concurrentiæ, &c. animo concipiebant, ut inde corporum rationem demonſtrarent. Subtiliter illi quidem multa de hoc motu diſſeruere, & quæ uſum aliquem obtinere poſſunt in demonſtratione rerum, ſolo tamen illo principio fruſtra confidimus, ut *Cap. de Secta Epicureorum* pluribus diximus. Videri quoque Joh. Franciſcus Grandis poteſt, in ſingulari *Diatribe adverſus Epicureos*, ad Gaſſendum, eorum defenſorem, ſcripta.

2 Ariſtoteles quoque multa de motu tradit, imo naturam per principium motus definit. In toto vero hoc argumento, quod in Mathematicorum ſcholis tractandum erat, Metaphyſicis ſpeculationibus omnia involvit, ut certe, quid velit ſibi, expeditu admodum ſit difficile. Quis enim Oedipus ſatis mihi explicet illam motus definitionem: *Motus eſt actus Entis in potentia, quatenus in potentia?* Infinitæ ſunt hic Interpretum ſpeculationes, ipſis verbis Ariſtotelicis intricatiores. Nihil attinet in re

inani

inani tempus & operam perdere. Longe diſtinctius Carteſius motum nobis definit: *Motus eſt translatio unius partis materiæ, ſive unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.* Vid. ejus *part. 2. principiorum Philoſophicorum, §. 25.* Hinc *quies*, motui contraria exiſtens, nihil aliud eſt, quam *ejus abſentia, ibid. p. 27. & 37. Determinatio motus eſt, qua mobile a termino a quo, ad certum terminum ad quem, promittitur. Communicatio vel propagatio motus eſt actio, qua motus ex una parte materiæ in aliam, vel quieſcentem, vel tardius aut aliter motam, transfertur.* Atque hæ definitiones ſunt expediti ſenſus, quas capere quilibet poteſt; explicant enim naturam motus localis, extra quem nullus alius datur, quanquam Ariſtoteles motum localem ab aliis quibusdam ſpeciebus diſtinxerit, quales ſunt augmentatio & diminutio, generatio, corruptio, &c. Quæ ipſæ ſpecies tamen motu locali peraguntur, &, ſi recentiores audimus, omnis ejus formalis ratio in particularum motu, ejusque determinatione conſiſtit, quod tamen ſuo loco nunc relinquimus. Nos quidem, materiæ generationem & compactionem mediante motu tali fieri, agnoſcimus, ſed determinationem iſtius motus a ſublimiori principio dependere exiſtimamus. Poſtquam has definitiones motus in ſolido collocavit Carteſius, poſtulata hinc aliqua & axiomata format, quæ diſtinctius ordinat DAN. LIPSTORPIVS *in ſpeciminibus Philoſophiæ Carteſianæ.* Petit enim, ut (1) concipiamus vacuum ſpatium, ſeu corpus, quod motus aliorum corporum nulla ratione impediret, nec juvaret; (2) petit, ut duo corpora perfecte dura, & a reliquis omnibus ſic diviſa, concipiantur, ut eorum motus a nullis aliis circumjacentibus impediretur, nec juvaretur; (3) petit, ut dua illa corpora perfecte dura, & a reliquis omnibus diviſa, inter ſe indirectim, a ſiniſtra verſus dextram, committantur; (4) petit, ut in iis magnitudo & velocitas accurate examinentur & ſeorſim ſpectentur; (5) petit, ut, depoſitis ſenſuum præjudiciis, pura mente conſideretur, quid futurum ſit in eorum mutuo concurſu; (6) petit denique, ut, veritate diſtincte percepta, Philoſophi conſiderent, eſſe a ratione plane alienum, propter ſola ſenſuum præjudicia & experientias, in medio heterogeneo, & ope corporum non exacte durorum, nec perfecte ſolidorum, factas, ea, quæ a puro intellectu clare & diſtincte percipiuntur, in dubium revocare.

Hinc Axiomata & regulas communes deducit: (1) Deus omnium eſt motuum, qui ſunt eruntque in mundo, cauſa generalis. (2) Deus in principio mundi materiam creavit, & tantum motus illi impreſſit, quanto illi opus fuit ad rerum productionem, quam hactenus conſervat. (3) Hinc eſſe, quod omne corpus, quantum in ſe eſt, in eodem ſtatu maneat ſimplex & indiviſum, nec unquam, niſi a cauſis externis mutetur. (4) Et ſic id, quod quieſcit, perſeveraturum ſemper in quiete ſua, niſi externo impetu loco pulſum fuerit. (5) Ubi vero corpus aliquod moveri cœpit, tamdiu moveri eadem celeritate, quamdiu nihil occurrit, quod vel imminuit, vel ſiſtit, ejus impetum. (6) Ex eo porro educit, omnem naturam eſſe conſervatricem ſui, & nihil tendere ad ſui ipſius deſtructionem. (7) Omnem motum ex ſe ipſo eſſe rectum,

rectum, & ideo circulariter mota tendere ſemper, ut recedant a centro circuli, quem deſcribunt. (8) Corpus motum, alteri occurrens, ſi minorem vim habeat ad pergendum ſecundum lineam rectam, quam hoc alterum ad ei reſiſtendum, nihil amiſſurum de ſuo motu, ſed ſolam motus determinationem perditurum. (9) Si occurrat corpori minus forti ad reſiſtendum, quam ipſum ſit ad movendum, tum illud ſe commoturum, & tantum de ſuo motu amiſſurum, quantum in alterum corpus transfert. (10) Si occurrat corpori æquali, & æque velociter mobili, ſolam motus determinationem amiſſurum. (11) Si vero occurrat corpori plane æquali, ſed quieſcenti, utrumque ſui effectus partem fortiturum dimidiam, h. e. partem ſui motus communicaturum cum reſiduo reflectendam.

3 Hæc ex mente Carteſii Lipſtorpius prolixe proponit in libro, a nobis laudato, quod pleraque Mathematicæ veritati inniti videntur. An vero in Phyſicis pro abſolute veris & demonſtrativis habenda ſint, non parum dubitationis eſt. Nam aliqua vel ex hypotheſi tantum dicuntur, e. g. nullum motum ceſſare ſemel inceptum, niſi propagetur eadem quantitate, omnem materiam ſubtilem recedere a ſua Sphæra per lineam rectam, quod circa nos vacuum nullum ſit, in quo moveri poſſunt corpora, ut proinde difficilis ejus probatio ſit. Quædam ex iis falſa omnino eſſe videntur, e. g. motus certa quantitate mundo inditus, ut nullus novus oriatur, ſed tantum tranſeat de uno corpore in aliud, & quantum uni accedit, tantum alteri decedat. Inſtantias plurimas dedit Ludovicus Beaufort *in Cosmopœia divina pag. 65.* Unicus ille animalium ſpontaneus motus falſitatis arguit hanc hypotheſin. Cum enim animalia, antea quieſcentia, incipiunt ſubito vehementer moveri, quæritur, a quo talis motus iis communicetur, & cui decedat. Denique quis neget, corpus aliquod immediate moveri poſſe ab aliquo Spiritu, Angelo vel Dæmone? Homo quoque, immediate a mente excitatus, ſe libere determinat ad motum, vel quietem. Hæ poſtremæ ſunt, ſed validiſſimæ objectiones Beaufortii: Nam ad ceteras regeri non pauca poſſunt. Ideoque ex his ſpeculationibus, plane Mathematicis, & a materia abſtractis, tantum afferendum eſt ad naturæ phænomena demonſtranda, quantum ipſa natura admittit. Multa quidem notionibus noſtris præſupponere poſſumus, quæ ſatis quidem expedita nobis videantur, multum tamen difficultatis habeant, ubi rei ipſi applicueris. Certe, quæ de propagatione motus ſemel incepti, Carteſiani tradunt, inſignem & apertiſſimum habent in natura uſum; ſtatuendum tamen eſt, eum aliquando etiam ceſſare poſſe. Omnis enim motus propagatur cum gradu aliquo deficientiæ ad quietem.

4 Motus varie ſubdividi poſſunt, & ſecundum varios reſpectus conſiderari. Nam ſecundum gradus alius eſt, vel celer, vel tardus, vel mediocris. Secundum cauſas eſt vel ſpontaneus, vel violentus, vel inſitus, vel propagatus. Secundum terminos alius eſt vel rectus, vel circularis, vel mixtus. Rectus iterum eſt vel horizontalis, vel perpendicularis, vel obliquus. Ex his variæ aliæ ſpecies oriuntur, tractatio, vectio, ſuctio, frictio, pulſio, truſio, curſus, volatus, natatus, reptatio, preſſio, volutatio,

tatio, rotio, refractio, diſtillatio ſive evaporatio, diſcombinatio, ſerratio, terebratio, & ſi quæ ſunt his cognatæ ſpecies aliæ.

Non ita pridem GODFR. GVILH. LEIBNITIVS *Theoriam motus abſtracti, ſeu rationes motuum univerſales, a ſenſu & Phænomenis independentes*, edidit, qui exiguus libellus magna Induſtria omnem motus rationem, ſecundum omnes figuras, poſitus, modos, explicat, ut profecto plus ille perfecerit exiguis iſtis foliis, quam alii vaſtis libris. Huic *Theoriæ* ſuperſtruit *Hypotheſin Phyſicam novam*, in qua Phænomenorum naturæ plerorumque cauſas ab unico quodam univerſali motu, in globo noſtro ſuppoſito, neque Tychonicis, neque Copernicanis aſpernando, repetit. Plena ſunt omnia ſubtili ingenio, & in multis quaſi ex abdito eruit nonnulla, de quibus non cogitarunt alii. Hanc ſuam doctrinam Societati Anglicæ dedicavit, quæ in pretio quoque habuit, & recudi a Typographo ſuo fecit. In *Actis Societatis* quædam habentur Joh. Walliſii ad ejus *Hypotheſin* monita, quæ illic legi poſſunt. 5

Non ita pridem etiam IOHANNES ALPHONSVS BORELLVS, *(f)* Prof. Piſanus, Mathematices Phyſicesque peritiſſimus Vir, ac ſingulari judicii & ingenii acumine in naturalibus pollens, *de vi percuſſionis* vaſtum librum edidit in 4. acutum & laborioſum, in quo omnem illam motus doctrinam ad certas quasdam regulas revocavit, in multis cum Carteſianis convenientes. Quibus regulis ſemel poſitis, procedit deinde ad demonſtrationem multorum in natura phænomenorum, ac ſpecialibus exemplis illuſtrat, quæ generalibus regulis conceperat. Dignus ſane eſt liber ille, qui cum Carteſio Leibnitioque jungatur, ut ita collatis omnium ſententiis videamus, in quibus conveniant, in quibus differant. Omnibus certe in illo genere Scriptoribus palmam præripit, & nil ferme addi poteſt ejus ſubtilitati. Poſt Borelli Tractatum editum Franciſcus Wilhelmus, Liber Baro de Nüland, in *Elementis* ſuis *Phyſicis*, vel *novæ Philoſophiæ principiis*, in multis Carteſio contradixit. Nam Carteſium motus naturam non intellexiſſe ait, per ſe nullum motum circularem dari, corpora circulariter mota non conari recedere a centro, regulas quoque motus habet, cum Borellianis in multis convenientes, quod ſe inſcio tamen contigiſſe memorat, Borellum tamen ipſum para- 6

(f) Joh. Alph. Borelli, Neapolitani, Acad. Piſanæ Mathematici, *Tractatum de Vi Percuſſionis*, Bononiæ an. 1667. *in 4.* editum, &, cum *Reſponſionibus ad animadverſiones Stephani de Angelis*, auctiorem Leidæ an. 1686. *in 4.* recuſum, *Librumque de Motionibus Naturalibus, a gravitate pendentibus*, Regiojulii an. 1670. & Leidæ an. 1686. *in 4.* impreſſum, excepit tandem *Opus de Animalium Motu poſthumum* Bipartitum, Romæ An. 1680. & 1681. *in 4.* publicatum. Recenſus ſingulorum prolixiores quære in Ephemeridibus iſtorum, quibus lucem aſpexere, temporum Literariis, quarum Loca Corn, a Beüghem, *in Conſp. I. Apparatus ad Hiſt. Liter. Noviſſ. p. 60. 61.* ſuggeret. Joach. Jungii *Phoranomica*, ſeu *Doctrina de Motu Locali*, cujus, etiamnum ineditæ, honorifica etiam mentio, in Henr. Oldenburgii *Transactt. Philoſ. Soc. Angl. M. Apr. A. 1669. p. m. 148.* & G. G. Leibnitii *Theoria Motus abſtracti p. 33.* eſt injecta, Hamburgi an. 1688. ni fallor, *in 4.* curante Henr. Sivero, Prof. Gymnaſii Mathematico, & Autoris diſcipulo, prodiit, a Siveri autem ſucceſſore, Balth. Menzero, ibid. an. 1699. *in 4.* denuo eſt recenſita, & Joh. Ad. Taſſii *IV. Opuſculis Mathematicis* adjecta.

logismorum nonnullorum accuſat in motus demonſtrationibus. Ceterum & ipſe Borellus *de motu animali* librum, quem editum nunc eſſe audio, promiſit, quo forte non minus ſubtilia & curioſa continebuntur. Quæ in natura contingunt generationes & fermentationes, ex hypotheſibus ſuis ſatis concinne explicat. Supereſt & Joach. Jungii *Lib. de Motu* poſthumus, quem diſcipulorum aliquis Editioni paratum ſervat. Urgent hanc vehementer Angli, a quibus magni Jungius æſtimatur. Et fuit ſane Vir ſublimis ingenii, quique naturalium rerum cauſas, accuratiori, quam vulgo hactenus factum, oculo inſpexerat, ac multa ad Mathematicas leges revocaverat. *Novam Hypotheſin Motus Elaſtici* Wilh. Petrus e Soc. Reg. Angl. adjecit Libello ſuo *de Uſu duplicatæ proportionis in ſingularibus quibuſdam*, Londini A. 1674. *in 12mo* excuſo. Multa is habet curioſa, quæ ſpectant ad doctrinam Motus, cujus varia proponit Experimenta ſpecialia, duplicando Motuum propoſitiones. Quæ de primo motore apud Peripateticos ſunt controverſiæ, legi poſſunt apud Berirgardum in *Circulo Piſano*, ubi & de motu projectorum prolixe agitur.

7 Mihi quidem non videntur omnia illa indiſtincte poſſe ad motus doctrinam referri naturæ Phænomena. Utut enim ſubtiliter iſta ſint excogitata, non tamen omnes abſolvunt rationum numeros. Eſt præterea aliquod in natura ſuper illos motus conſtitutum principium determinans, quod qui non obſervat, in ſpecialibus nonnullis exemplis, is nihil videt. Borellus iſtis ſuis Regulis explicare ſe tamen non poteſt, niſi concedat, eſſe particulas quasdam in natura, quæ per ſe ipſas moveantur, & moveant alias. Ad id extremum demum deveniendum eſt, ſive ſit illud materia ſubtilis, ſive aliud quod in natura ſpiritale principium.

8 Reſtat nunc, ut etiam de QVIETE aliqua dicamus. *Quies nihil aliud eſt, quam abſentia motus, in quo ſtatu corpora per ſe ſunt, motus vero illis accidit.* Atque hic, ſi argumentum hoc preſſius conſideremus, profunda ſane illa inquiſitio eſt, quæ corpora quieſcant, & quatenus quieſcant, an, cum tota quieſcant, etiam partes eorum moveantur. Quod ſi rem recte conſideraverimus, nullum corpus tam denſum & ponderoſum inveniemus, in cujus, ut ita dicam, viſceribus, & abſtruſis receſſibus, non dentur inteſtini quidam particularum motus. Nemo rem illam attentius conſideravit, quam Rob. Boylius *in Diſſertatione de inteſtinis motibus particularum in ſolidis quieſcentibus*, ubi exemplis gemmarum, vitri, lapidum, marmorum, lignorum oſtendit, tot affectionibus iſta corpora eſſe obnoxia, ob inobſervatum quendam motum particularum, in illis deliteſcentium, quæ, cum in motu ſunt, vel provocantur a vicinis corporibus, particulas ſibi connexas iterum movere incipiunt. Illuſtria ſunt exempla illa, quæ de maculis in gemmis notat ad ſolis motum mobilibus.

9 Pertinet huc etiam doctrina *Fermentationis*, quæ maximi in Phyſicis uſus eſt, cujusque veram indolem ac naturam quisquis accurate ſciverit, eum perfectiſſimum rerum Naturalium habebo Indagatorem. Omnes enim naturæ mutationes, alterationes, generationes, corruptiones, non niſi fermentatione fiunt. Ejus artifex ſola atque unica eſt Chymia illa ſublimior, quæ flammis agentibus, modo naturæ æmulo, par-

particulas corporum quieſcentes novit excitare, ut in alium ſtatum deducantur, ipſamque ſpeciem naturalem, vel corpus, in aliud transmutent. Fermentatio, ſive a cauſis externis, ſive ab internis, oriatur, unica eſt & fœcundiſſima morborum genitrix. Ratio ejus plane abſtruſa eſt. Pauca de illa habent Veteres, quæ Herm. Conringius & Mart. Schoockius, in Diſſertt. de ea adferunt. Thom. Williſius, magno labore, in cellis vinariis & cereviſiariis, variis Opificum officinis, Experimenta, Fermentationis doctrinam illuſtrantia, collegit, ſed, quia principia quinque, ab omnibus aliis Phyſicis diverſa, ſtatuit, ſententiam ſuam impugnari vidit, tum ab Anglis, tum a Mart. Kergero, Germano, cujus libellus, Witeb. 1663. *in 4to* editus, non eſt omnino contemnendus, & multa attulit Williſio prætermiſſa. Febres totæ in fermentatione conſiſtunt, quam ſi quis compeſcere norit, his facile medebitur. Qua de re diligentiſſime actum a Williſio *in Diatribis II. de Ferment. & Febribus.* Ziegleri Scriptum *de Fermentatione rerum omnium Germanicum* Titulo, magnifica multa pollicenti, haud reſpondet. Non res enim dat, ſed verba, obſcura ſæpe & ænigmatica, nec experimentis ſua confirmat, quæ tamen unice hic deſiderabantur.

CAP. VII.

DE QVALITATIBVS.

§. 1. *Motus Qualitas eſt non tantum externa, ſed etiam interna.* 2. *Peripateticorum doctrina de Qualitatibus exploditur.* 3. *Pleræque Qualitates a ſitu, figura, motu & miſtione, oriuntur, quod diverſis oſtenditur exemplis.* 4. *Diviſiones Qualitatum Peripateticæ.* 5. *In ſpecie agitur de Raritate & Denſitate.* 6. *De Humiditate, Siccitate, Fluiditate, Firmitate, Mollitie, Viſcoſitate, Flexilitate, Rigiditate, Lævitate, Aſperitate.*

VIdimus de motu, quæ quidem præcipua eſt inter qualitates corporum naturalium, quoniam, ut vidimus, recentiores nonnulli ſuper ejus hypotheſi omnem doctrinam Phyſicam exſtruunt. Maluimus tamen nos diſtinguere, methodum vulgatam ſequentes eorum, qui motum affectionem externam faciunt corporum, & diſtinguunt a qualitatibus reliquis, quas internas vocant, a forma illa ſubſtantiali ſua procedentes, quanquam & motus poſſit eſſe internus, atque adeo inteſtinus, ut, quieſcente ſolido, vel toto corpore, quædam tamen particulæ ejus in continuo motu ſint, ut *cap. priori diximus.* Quod ſi obſervaſſent ii, qui motum affectionem externam faciunt, cautius puto diſtinxiſſent ſpecies motus. Accedit, quod qualitates omnes illæ, quas obſervamus in corporibus, non ſine motu fiant. Fiunt enim pleræque ſola partium translocatione, quæ nihil aliud eſt, quam motus, ideoque nunc cum meris larvis & chimæris res eſt, fictis ſcil. illis Entitatibus, quas ſchola Peripateticorum introduxit, formæ ſuæ ſubſtantialis prolem, ut ii quidem putant, non degenerem. 1

Quod ſi Ariſtotelicos jam rogamus, quid ſit Qualitas, perbellam nobis definitionem moliuntur; *qualitas* ſc. *eſt, qua res qualis dicitur.* Multum ſane hac definitione 2

tione profecimus. Idem eſt, ac ſi quis interrogatus: quid eſt humor, calor, frigus? reſponderet: eſt id, quo quid humidum, calidum, frigidum eſt. Multæ in Peripateticorum Scholis ſunt diſputationes de qualitatibus illis. Disquiritur ſcil. an ſubſtantiæ ſola ratione diſtinguantur, an qualitates primæ ſint, an ſecundæ? an qualitas qualitatem producere poſſit; quæ omnia cum dicuntur, nuda aliqua vocabula & notiones audimus, nihil rei. D. Thomas qualitatem melius tamen diſinivit per *modum ſeu determinationem ſubſtantiæ*, quod propius ad recentiorum doctrinam accedit. Ii enim ſatis demonſtrarunt, qualitates illas omnes eſſe relativas & reſpectivas, & referre ſe, vel ad alia corpora, vel ad noſtros ſenſus, quod innumerabilibus exemplis illa illuſtravit Rob. Boylius *in lib. de orig. form. & qualitatum*, ut cornea illi fibra ſit, qui diſſentire ab eo velit. Nugatoria itaque omnia illa ſunt, omnes illæ diſputiunculæ Peripateticorum; an educantur e ſubjecto qualitates? an ex uno in aliud migrent, an qualitates intendi poſſint & remitti? Hinc, cum de cauſis alicujus proprii vel inſoliti affectus quæritur, ſpecifica vel occulta qualitas ſolet prætexi, quarum primo nihilo ſumus doctiores, altera nihil dicitur. Ideo enim quærebatur, quod occulta qualitas inter cauſas allegari poteſt, ut *ſequenti Cap.* videbimus.

3 Natura itaque Qualitatum in eo conſiſtit, quod ex diverſo materiæ, ejus particularum, motu, quiete, quantitate, ſitu, figura formentur: nihil enim tam abſtruſum eſt, quod eorum ope non eruatur. Clavis feram penetrat & aperit ob figuram illam, ſine aliqua peculiari forma. Ita particulæ penetrant interdum ſola figura ſua, atque hac ratione agunt, quod nos adſcribimus certæ formæ. Mercurii ſublimati particulæ interimunt hominem, non ob qualitatem aliquam venenatam, ut quidam autumant, ſed quod particulæ ejus ſumme acutæ compungant tenerrimas viſcerum partes, unde ex infinitis vulnuſculis tandem inflammationes ſequuntur, & ipſa mors; crudus vero Mercurius nihil horum efficit, cum alia ſit partium figuratio, nec aciem ſalinam habet. Videmus, quam ſolo motu ſæpe mutentur res, ſola applicatione diverſorum corporum. Aqua marina ſola partium agitatione colorem mutat. Videmus liquores limpidiſſimos, una miſtos, in momento alios colores acquirere, vel nigreſcere, vel rubeſcere, vel inter ſe exæſtuare. Sic cyathus, aqua tepida ſi impleatur, & foliorum ſenæ manipulus immergatur, mox, mixtione peracta, aliquot olei tartari, guttulæ infundantur, tota illico aqua rubeſcet, cum nullus inſit aquæ, foliis, aut oleo rubor. Pomum, qua parte percuſſum eſt, ſapore & colore immutatur. Fructus halicacabi digitis tactus amareſcit, antea dulcis, ubi certe nemo ſomniare poterit de nova qualitate, vel immiſſa, vel emiſſa. Fuit non ita pridem inter Anglos, qui duo ſicca ea proportione miſcere novit, ut, qua velit hora, in incendium apertum erumpant & flammam concipiant, quod factum ſola particularum miſtione fuit. (*) Hæc & ſimilia exempla magno numero apud Boylium, in eo, quem laudavimus, libro, legi poſſunt, &, qui ejus Diſſertationes in Compendium traxit, J. Bapt. du Hamel *in libro de corporum affectionibus, c. 1. & 2.*

(*) Hanc artem etiam calluit Morhofius, ſibi tamen ſub fide ſilentii concreditam.

Qui

Qui Regi Angliæ eam aperuit, præmium magnum reportavit, &, ut nunquam divulgaret, ſub pœna Capitali ei injunctum eſt.

Deſcendendum jam nobis eſſet ad qualitatum illas ſpecies, quas vulgo faciunt Peripatetici, & alii Philoſophi. Quoniam vero inter illas quædam ſolent ad elementa referri, quæ *primæ* ob eam cauſam dicuntur & *Elementares*, aliquæ ſecundum ſenſus diſtinguuntur, unde qualitates etiam *ſenſibiles* dicuntur, reſervabimus earum uberiorem tractationem iſtis capitibus. Hic tantum eas recenſebimus qualitates, quas ex materia dependere præcipue volunt, & ad ſenſum tactus alias referre. Inter eas eſt *gravitas* & *levitas*, de quibus agemus *cap. de aëre, & terra; calor & frigus*, de quibus agemus, quando ad *caput de igne* perveniemus. 4

Supereſt primo *Raritas*, quæ eſt qualitas tactilis, per quam inter alicujus corporis particulas multum materiæ heterogeneæ intercedit, ſive illa ſit aqua, aër, ſive materia ſubtilis. Talia corpora ſunt ſpongia, vapores, tophus, &c. Hic ſimplex eſt iſtius qualitatis conceptus & rei conformis. Contra *Denſitas* eſt, qua corporis particulæ ita ſunt ſibi junctæ, ut parum materiæ heterogeneæ iis intercedat, ut aurum, Mercurius, marmor. Hinc eſt, quod valvæ arida tempeſtate facile claudantur, ægre, humida & pluvioſa, quod clavis ferrea candefacta foramen ſuum non ſubeat, quod frigida ſubit; quod multum materiæ heterogeneæ intercedat. Ita quoque in Thermometris aër condenſatur & rareſcit, materia ſubtili ſubeunte per poros vitri. Digbæus ſubtilius philoſophatur in hac affectione corporum, quam neceſſe eſt, quæ ipſi tanti fuit, ut totam doctrinam Phyſicam illi ſuperſtrueret. Sed de ejus ſententia in ſuperioribus diximus. 5

Inter has qualitates porro eſt *Humiditas*, per quam corporis alicujus particulæ facile alterius corporis ſuperficiei manifeſte adhæreſcunt, & in poros ejus leniter penetrant, ut aqua, vinum & oleum. Cui contraria *Siccitas* eſt, cujus particulæ non facile adhæreſcunt, ut ſabulum, Mercurius, qui tamen ratione auri qualitatem hanc deponere videtur. Illi enim adhæret, illud penetrat. Referenda huc eſt *Fluiditas* & *Firmitas*, de quibus integrum librum ſcripſit Rob. Boylius, cui tit. *Hiſtoria Fluiditatis & firmitatis*. Quo libro omnia corpora ad examen vocantur, quæ vel natura ſunt fluida & firma, vel per artem fieri talia poſſunt. Chymici enim eas qualitates pro arbitrio ſuo poſſunt exigere & reducere. In natura maximum illud, & miraculo ſimile eſt, aquam fluidam in momento ſiſti poſſe & firmitatem acquirere, de quo pluribus dicemus, cum *de Calore & Frigore* agemus. *Mollities* cum flore coincidit, eſtque qualitas, per quam particulæ alicujus corporis ita ſibi adhærent, ut facile ſuo loco dimoveri, tactuique undiquaque cedentes in omnem dimenſionem & figuram variari poſſint. Huic affinis eſt *Viſcoſitas*, per quam mobile eſt corpus & molle, non vero cum fluore. *Flexilitas* eſt, per quam corporis alicujus particulæ, ſalvo inter ſe ſitu, cohæſione & vicinia, multæ ſimul in aliam plagam, poris variatis, converti poſſunt. Qualia ſunt fila metallica, vimina recentia, membranæ, &c. *Rigiditas* eſt, per 6

quam corporis alicujus particulæ ita ſibi adhærent, ut poros ſuos variari, niſi per partium quarundam rupturam & ſeparationem, non admittant, ut chalybs induratiſſimus, teſta ovorum, &c. *Lævitas* eſt, per quam corporis alicujus ſuperficies ita eſt conformata, ut particulæ ejus æquali protuberantia, ſine ſenſibilibus poris ac anfractibus, conſiſtant, tactumque nihil remorentur. Talia ſunt ſpeculum, metallum politum, glacies &c. *Aſperitas* eſt, per quam corporis alicujus ſuperficies ita eſt comparata, ut particulæ ejus inæquali protuberantia emineant, porosque & anfractus, quibus tactum ſenſibiliter remoratur, admittat, ut ſunt cortices arborum &c. Notandum tamen eſt, illas qualitates omnes ſecundum ſenſus noſtros ſe ita habere: nam ſi microſcopium quis inſpiciat, illa, quæ læviſſima oculis videntur, tamen per ſpecilla ſcabra apparent & inæqualis ſuperficiei. Ratio eſt, in iis, quæ poliuntur, polituram illam fieri per pulveres duriſſimos, quorum grana ita duci nequeunt, quin ſulcos quosdam poſt ſe relinquant. Videri id ex puncto acus poteſt, quam depinxit nobis, ſecundum apparentiam in *ſuo Microſcopio* Rob. Hookius. Et hæc aſperitas ſuperficiei, quanquam ſenſibus noſtris non appareat, negari tamen non debet. Non enim ſenſus noſtri ſufficiunt ad corporum affectiones detegendas, & in iis ſæpe hallucinantur. Polita corpora fortius, quam aſpera, agere & reſiſtere putat Ant. le Grand *in hiſtoria naturali*, exemplo cultrorum & enſium, qui, ærugine obducti, minus ſcindunt aut penetrant, quam dum politi nitent, quod ratione aciei verum non eſt. Nam hæc, utut tenuiſſima & rectiſſima ad viſum, habet tamen quandam ſcabritiem ac ſuperficiem ſerratam, cujus beneficio ſectio perficitur.

Harum Qualitatum & ſimilium cognitio, multum prodeſt ad phænomenorum naturalium rationes inveniendas. De quibus in progreſſu pluribus agendi locus erit. Miſſis itaque Qualitatibus manifeſtis, ad occultas progredimur.

CAP. VIII.

DE QVALITATIBVS OCCVLTIS.

§. 1. *Doctrina de Qualitatibus occultis e Phyſicis eſt eliminanda, etſi certiſſimum ſit, plurimas dari qualitates Phyſicas, omnibus Naturæ ſcrutatoribus occultas & imperveſtigabiles. 2. Alb. Kyperi ineptæ illarum diviſiones exploduntur. Omnes ad ſenſus referri nequeunt. Judicium de exemplis illarum generale. 3. De Sympathiis & Antipathiis, & Curationibus, quæ his innituntur, Morborum Medicis,* Theatro *item Scriptorum hujus Argumenti* Sympathetico, *ac* Medicina Magica *Sam. Boultoni, cenſura. 4. De Transplantationibus Morborum, unguento Armario, pulvere Sympathetico. Ken. Dighai, & Franc. Joh. Burrhi artificio humorum oculis reſtituendorum. 5. De Tranſfuſione ſanguinis, & J. Bapt. Dionyſii infauſtis circa hanc conatibus. 6. De Curationibus per tactum Regum Galliæ & Angliæ, Enſalmadorum Hiſpaniæ, Prolis ſeptimæ Maſculæ, Americanorum, Valentini Greatreak Hyberni, &c. it. de Flagellatione, actus Venerei Incentivo. 7. De Induratione & Invulnerabilitate*

tate corporum, magica potius, quam naturali, a Joh. Ern. Burggravio inepte defenſa, à Gabr. Naudæo autem perperam negata, nec non de Imaginibus Talismanicis, illarumque Hyperaſpiſte, Jac. Gaffarello, & gladiis, (qualem Guſt. Adolph. R. Suec. habuiſſe fingitur) ſub certa conſtellatione confectis. 8. De Faſcino, quod argumentum J. C. Frommannus illuſtravit. 9. De Virgula divina, Metallorum Indice. 10. De Antipathiis generalia quædam, & ſpecialia de Caſei Averſatione, Cadaverumque cruentatione. 11. Veræ Qualitates occultæ ſunt, quæ humano ingenio ſunt imperveſtigabiles.

VEnimus ad QVALITATES OCCVLTAS, vexatiſſimum Phyſicorum argumentum, de quibus multa dici poſſunt: Eæ vero per ſe e Phyſicis eliminandæ ſunt: quid enim rei cum qualitatibus occultis eſt ſcientiæ, quæ docet rem per cauſas cognoſcere. Aut itaque non eſt ſcientia Phyſica, aut non docet rem per cauſas cognoſcere, ſi qualitatibus occultis locus eſt. Phyſices ſcil. negotium eſt, ut demonſtret, ineſſe affectiones rebus, idque per cauſas debet facere. Jam autem qualitates occultæ ſunt non Entia, nihil enim illo termino dicitur; quare ridiculi profecto ſunt, qui cauſam alicujus affectionis rogati, qualitate occulta nos abſolvunt, quod idem eſt, ac ſi dicant, ignorare ſe ejus rei cauſam. Terminus ille itaque eſt, cum multis aliis ejusdem farinæ, Magnetismis, Antipathiis, Sympathiis; &c. modeſtum ignorantiæ obvelamentum. Quod cum dico, ſaltem eos reprehendo, qui pro cauſis hos terminos allegant, illos vero plane non reprehendo, qui ineſſe ajunt corporibus qualitates, quas perfecte cognoſcere non poſſumus, atque ideo revera occultas, quas negare velle ſummæ eſſet impudentiæ & arrogantiæ. Et ego quidem hunc magiſtrum viderim, qui omnium cauſas manifeſtas dare ſe poſſe confidat. Fortaſſis nobis ſunt plures qualitates occultæ, quam credant aliqui Lyncei naturæ Speculatores, qui in extremo tandem deficiunt, & univerſali aliqua cauſa ignorantiam ſuam ſalvant. Carteſiani in materia ſubtili vexatiſſimarum quæſtionum effugium inveniunt, aliqui in Archæo quodam univerſali aut ſpiritu mundi, aliqui ad Deum ipſum recurrunt, quem vel formam rerum informantem faciunt, vel aliquas primas indidiſſe materiæ creatæ proprietates, exiſtimant, quæ adhuc dum durant. Ita profecto eſt, ut omnes ferme qualitates ultimo in occultas nobis deſinant: nam etiamſi ab Elementorum qualitatibus (ſi tot eſſent, quot vulgo volunt) manifeſtæ deduci poſſent, res tamen æque dubia eſſet, unde Elementa iſtas ſuas qualitates poſſiderent. Qualitates, quæ ex diverſo materiæ ejusque particularum motu oriuntur, & manifeſtæ nobis dicuntur, ſi attentius ſpeculatus fueris, aliqua ſui parte erunt occultæ; quædam enim ex illis, vel ad certam motus ſpeciem, nobis cognitam, deduci non poſſunt, vel occultum eſt, quid particulas moveat, cur aliæ aliæque ſpecies alium atque alium particularum motum ament, ac aliter aliterque determinentur. Idcoque in plurimis ad ordinationem Dei in primæva creatione recurrendum eſt, quod, ejus ſc. directione, ſpecies variæ hoc vel illo modo formentur. Præterea multæ quoque qualitates ſunt in natura, quæ ſenſus noſtri menſuram excedunt, ob objecti vaſtitatem

1

tem

tem vel infinitatem. Veroſimile enim eſt, multas corporum, a nobis remotorum, eſſe operationes, quarum effectum interdum percipimus, cauſas vero indagare non poſſumus. Poſſunt quoque in maſſis corporum, quatenus ſcil. maſſæ ſunt, eſſe peculiaria quædam, quæ intelligere nos non poſſumus, qualis in mari eſt fluxus & refluxus, & multa alia, quæ jure poſſunt inter qualitates occultas referri. Quantum itaque eſt, quod ſcimus de rebus, in ſuperficie & cortice rerum hæremus, & ne quidem hunc totum pernoſcimus.

2 Producamus tamen hic aliquas qualitatum occultarum, quæ vulgo eo nomine ſalutantur, & monſtremus, eas vel non eſſe occultas, ac ad manifeſtas poſſe reduci, vel eſſe ſuperſtitioſas & falſas, vel eſſe occultas. Quomodo ſubdividi qualitates occultæ debeant, aliqui ſunt ſolliciti, interque eos *Alb. Kyperus.* Sed quæ poſſunt eſſe ſpecies rei, quæ per ſe occulta eſt? Ille tamen dividit a ſubjectis qualitatum propriis, ut alias faciat mineralium, alias plantarum, alias animalium, quæ rurſus ſubdividuntur; ſed ita pene totam Phyſicam ad qualitatum occultarum titulum revocabimus. Aliter dividit ex Adjunctis, unde facit alias Sympathicas, alias Antipathicas, illas ob convenientiam & ſimilitudinem, unionem præſtantes, has ob diſconvenientiam & contrarietatem, a ſe invicem ſecedentes. Sed ad has claſſes omnes tamen referri non poſſunt. Aliam diviſionis rationem ſumit ab effectis, ubi alia occulta qualitas eſt attractiva ferri, alia cathartica ſive purgans in medicamentis, alia deleteria in venenis, alia aliud quid præſtans. Quam diviſionis rationem ſi ſequimur, quot erunt qualitates occultæ, tot erunt ſpecies qualitatum occultarum; nam in qualitatibus occultis nihil, præter effectum, videmus, & ex hoc, cauſa non cognita, qualitatem occultam eſſe judicamus. Superſtitioſa hæc & inutilis diligentia eſt, ac parum refert, quo ordine illa proponantur. Rectius forte quis faceret, ſi ad ſenſus noſtro referrentur qualitates occultæ, ad quos tamen omnes referri non poſſunt: quædam enim corpora mutuas inter ſe invicem affectiones habent, quæ ad ſenſus noſtros non referuntur, quales ſunt e. g. tractio ferri a magnete, converſio acus magneticæ ad polum. Hæc enim quanquam viſu percipiamus, non tamen ad viſum proprie referuntur, ceu partem aliquam ſuæ operationis. Præſtat itaque ſine diſcrimine illas enarrare.

Exempla Qualitatum occultarum, uti dixi, magnam partem fabuloſa ſunt, magnam partem fundatas etiam in natura rationes habent, quædam etiam revera titulum iſtum merentur. Eorum Syllogen aliquando collegit Mich. Watſonius *in Unione Sapientiæ P. II. Sect. 3. c. 1.* quorum vel rationes ipſe dat, quanquam non ſemper adæquatas, vel, ut ridicula & falſa explodit. Sed minuta illa miſſa faciemus, ac notioribus tantum inſiſtemus.

3 Primo loco ponemus *Sympatheticas* & *Antipatheticas* operationes. Sympathia & Antipathia Termini generales ſunt, & nihil aliud, quam Termini, ſi iis cauſam aliquam ſufficientem exprimere volumus. Alioquin negari non debet eſſe in natura rerum

rerum fundatam aliquam corporum convenientiam & disconvenientiam, ſecundum quam multa fieri phænomena in natura poſſunt, ut ita revera cauſa illa poſſit aſſignari, ſi modo conſtet modus ille, quo corpora illa ſibi conveniant vel non conveniant. Nam quanquam Termini illi pure relativi videntur, termini tamen ejus relationis reales ſunt & fundamenta. Ut itaque hac ratione aliquid realitatis agnoſci debeat, cum omnes ceteræ qualitates pene in ſola relatione & modo conſiſtant. Nihil itaque diximus, niſi modum illum ſimul demonſtramus, & digitum eo intendimus, ut percipere illum poſſimus. Innumera ſunt, quæ ad has claſſes univerſales pertinent Sympathiarum & Antipathiarum, ut vaſtis etiam libris ea proponantur. Nam, ſub *Theatri Sympathetici* titulo, Norimbergæ A. 1662. *in 4to* prodierunt, edentibus Endteris, omnes illi Auctores, qui de Antipathiis & Sympathiis ſcripſerunt, uno libro collecti. Et verſatur quoque eo in argumento Athan. Kircheri liber, Amſt. 1667. excuſus *in 12mo*, cui titulus: *Magneticum naturæ Regnum.* Sed in *Theatro* illo infinita ſunt mendacia & aniles ſuperſtitiones, quam Camarinam aliquis nolim moveat. Sylveſtri Rattray *Aditus ad occultas Sympathiæ & Antipathiæ cauſas inveniendas, per principia Philoſophiæ naturalis, ex fermentorum artificioſa Anatomia hauſta, pateſactus*, qui in *Theatro* hoc occurrit, nil omnino habet, quod Titulo iſti ſatisfaciat. Exhibetur illic Catalogus rerum & Actionum Syn- & Antipatheticarum, temere e ſecretorum Scriptoribus congeſtus. Nihil cauſæ innititur, quanquam Titulus promittat, cujus pollicitationem ex fermentorum doctrina falſam & abſurdam eſſe, res ipſa oſtendit. Nulla autem fœcundior his nugis eſt, quam Ars Medica. Illa enim, ut imperitis hominibus, mulierculis & olitoribus, ſomniis & incubationibus, primam ſuam originem debet, ita factum eſt, ut multa immigraverint in illam, quibus ſola patrocinatur ſuperſtitio, cujus præſidio multa interdum feliciter effectum ſortiuntur, ſupplente perſuaſione noſtra, vel natura, quæ expectabantur a nugaciſſimis remediis. Interdum caſu fit, ut in iis veri aliquid deprehendatur. Spectant ad hanc Claſſem curationes Sympatheticæ & Magneticæ, per transplantationes, inſitiones, irrorationes, quas deſcribit Samuel Boulton in libro Anglico, cui titulus: *Medicina Magica, ſed tamen Phyſica*, quo in libro rationes adducere laborat, & principia, unde tales vulgo creditæ operationes oriantur. In quibus tamen principiis ponendis magna nobis dubitatio eſt. Nam, quæ ille pro principiis & Axiomatibus habet, illa non minus dubia ſunt, ac ipſæ operationes. Multa ſane poſſunt adverſus illa adferri magni ponderis dubia. Quæ enim ille pro veris & indubitatis ſupponit, illa non ſunt extra omnem controverſiam poſita, aut ita demonſtrabilia, ut pro principiis haberi debeant. Quis enim demonſtrabit nobis, inter ſanguinem, ſudorem & excrementa, corporaque, unde illa depromta ſunt, eſſe quandam mutuam paſſionem & actionem. Certe ad Experimenta provocare, ex iis fidem his principiis aſſerere, non poſſumus, ob ſummam operationum inconſtantiam & incertitudinem, cum certi interdum eſſe non poſſumus, an non caſu interdum aliqua eveniant, quæ illi ex principiis his deducunt.

Transplantationes quod attinet, ſunt multi, qui mirabiles earum effectus pollicentur, ſed revera, quid præſtitum ſit a multis, non apparet. Febricularum curatio- 4

nes ajunt interdum feliciter iis factas, ſed earum facilis eſt etiam per naturam curatio, ſolamque abſtinentiam & perſuaſionem, ſi leves illæ ſint, nec inveteratæ. Ut falſo itaque transplantationi adſcribatur, quod ſua ſponte evenit; neque illa cauſarum hic eſt connexio. Vid. Andr. Tenzelii *Medicina Diaſtatica* & Jac. Lupii liber, cui tit. Schatzkammer der Natur; qui Autores mutuo ſe exſcribunt, & in quibus magna talium rerum farrago continetur. Pleni ſunt omnes ſecretorum & arcanorum Scriptores; ſed in iis pene, quot lineæ, tot ſunt mendacia. Ad hanc Claſſem unguentum Armarium & pulvis Sympatheticus Digbæanus, e vitriolo confectus, quoque pertinet. Id unguentum Armarium etiam veteribus in uſu fuiſſe, cognoſcas ex Barthio, *Adverſ. colum. 1770.* A plerisque habitum ſemper fuit pro re diabolica & magica, vel ſaltem impoſtoria, donec tandem Kenelmus Digbæus, in libro ſuo *de pulvere Sympathetico* naturales rationes in medium attulit, quibus qualitercunque ſalvat illas operationes, adducta magna exemplorum farragine, quorum non omnis certa fides eſt. Extiterunt & alii Autores, qui ea de re Diſſertationes ſcripſerunt. Pulveris tamen illius vires Ant. Deuſingius, Medicus Groninganus, in dubium vocavit, ſcripto ſuper hoc argumento peculiari libro. Sed infeliciter contra illum militant, & ille, & Joh. Frid. Helvetius (Homo exigui judicii, & circumforaneæ tantum doctrinæ) *in Theatridio Herculis triumphantis*, Hagæ A. 1663. *in 8vo* Belgice edito. Mihi quidem ſi ſententia promenda eſſet, dubia admodum res tota videtur. Quod Digbæum enim attinet, ſcio, admodum credulum fuiſſe illum, nec experimentorum fides mihi adeo certa eſt, ut qui noverim, aliquos nullo cum fructu eo uſos. Quod ſi ſucceſſus aliquis interdum apparuit, potuiſſet naturæ id beneficio fieri, quæ ſua ſponte ad vulnerum conſolidationem properat, ut in animalibus fieri videmus, modo ab injuria externi aëris cuſtodiantur, quod & hic faciendum eſt. In brutis certe videmus, parum turbare externi aëris injurias vulnerum, etiam gravium interdum, curationem. Idem certe hic fieri mihi videtur, quod in reſtitutione oculorum, quorum humores digitis expreſſi erant. Eos ſe reſtituiſſe per ſingularem aquam Chelidoniæ, gloriabatur Franciſcus Joſephus Burrhus, cujus extat ſuper hoc argumento *Epiſtola*, quod alii poſtmodum ſimplici aqua fecere, reſtituente natura eos humores, non arte.

§ Neſcio, an huc referam eam, quæ fit per *transfuſionem ſanguinis*, curationem; (*g*) ea enim per priores operationes extendere ſe poteſt. Alius enim ſanguis iterum ſuccedit, qui ſanguis, ſi purior eſt, neceſſario immutationem aliquam facit in corpore. Non pauca ejus rei ſpecimina cepit Joh. Bapt. Dionysius, Medicus Regius Gallus,

(*g*) De Transfuſoria Medicina diu noſtra ætate eſſe diſceptatum, & ſcripta in utramque partem prodiiſſe plurima, nemo ignorat. Quæ cum omnia recenſeri Inſtituti ratio haud permittat, ſolam jam commendamus, quæ ceterorum nucleum, in folia pauciſſima contractum, exhibet, Joh. Chriſtoph Sturmii, Philoſophi Acad. Altorfinæ eximii, *Diſſertationem de Transfuſi Sanguinis Hiſtoria, Methodo ac Artificio, Effectis item & Phænomenis*, Academicam, Altorfii an. 1676. *in 4.* excuſam. Cujus judicium de illa cum Morhofiano pene congruit.

Gallus, quæ extant *in Actis Philoſophicis Anglicis*, ſed, poſtquam triſtior eventus bonam ſpem deſtituit, communi quaſi ſuffragio receſſum ab iſto arcano eſt, & bono Dionyſio ab aliis Medicis lis mota de homicidio, a quo tamen is abſolvere ſe omnibus argumentis laborat. Ceterum res illa vetuſtior eſt, quam vulgo creditur, nam, ſub initium hujus ſeculi, anno 1618. jam tum ANDR. LIBAVIVS ejus mentionem fecit, &, ſi recte memini, apud Marſilium Ficinum, *in libro de vita cælitus comparanda*, aliqua legi ejus generis. Sed deſerenda tamen non eſſet res meo judicio, nec ſpernenda, & in maleficis, aut morti damnatis, capienda ſpecimina; non enim deſtituitur veriſimilitudine, ſed, in experimentorum defectu, quilibet in ſe periculum fieri grave exiſtimat. Sine fermentatione miſtio illa ſanguinis diverſi non erit; ubi enim diverſi generis humores conveniunt, ſanguis corruptus miſcetur cum ſano, aut cum reſiduis illis humoribus parata erit fermentatio, ut ſolent alias diverſi humores facile in fermentationem abire, & per eam tandem uniri. Id forte etiam fieri poſſet in hac mixtura. Verendum tamen eſſet, ne nimia illa fermentatione tota vita ſimul expellatur.

Referri etiam huc debet ea, quæ fit per *tactum manuum*, Curatio, qualis a Regi- 6
bus Angliæ & Galliæ facta, certas morborum ſpecies curare perhibetur. In cauſis ejus inquirendum merito eſt, num vere id fiat, an vero Sophiſma aliquod politicum intercedat; ſolet enim Aulicorum fucus in Axiomate Regio exaggerando non eſſe infrequens. Quod a Veſpaſiano factum eſt, Grotius *lib. de Verit. Relig.* ſpeciali gratiæ divinæ adſcribere non dubitat. Adrianum ſimulato egiſſe, ipſe Spartianus fatetur. De Regibus Galliæ & Angliæ prolixe egi in Diſputatione mea, cui titulus: *Princeps Medicus. (b)* In Gallis (quorum curationis hiſtoriam Andr. Laurentius peculiari *de Strumis* Libello deſcribit) certe rem non eſſe absque fuco, facile oſtendunt fabulæ illæ de Ampla cœlitus miſſa, cujus efficaciæ illam potentiam adſcribunt in Regibus. Pro Angliæ Regina, Eliſabetha, Guilielmus Tooker ſingularem librum ſcripſit, quo idem chariſma ipſi adſcribere, & conquiſitis undecunque argumentis aſſerere labo-

 rat,

(b) Sententiam Morhofii, *in Principe Medico*, Roſtochii an. 1665. edito, & in *Volumine Diſſert.* Hamburgi an. 1699. recuſâ, miraculoſas eſſe Regum Angliæ & Galliæ curationes arbitrati, refutandam ſibi ſumpſit D. Joh. Joach. Zentgrafius, Prof. Acad. Argent. Theologus, *in Bipa Diſſertat. de Tactu Strumoſorum Regis Franciæ*. Witteb. A. 1669. habitarum, *Diſp. II. §. 2. & ſeqq.* Ipſum etiam Autorem eandem mutaſſe, ex *b. l.* facile perſpicies. Narrationem de Valentino Greatreate, aliisque Medicis ſeculi elapſi Θαυματέργοις, prolixiorem & accuratiorem, judicio de iisdem cordato illuſtratam, Joh. Nicol. Pechlini, Conſiliarii & Archiatri Holſatici, nobis amiciſſimi, *Obſervationum Phyſico-Medicarum Liber III. n. 31. & 32. p. 476-493.* exhibet. Commendatur inter iſtos, nomine licet ſuppreſſo, & Joh. Thamſenius, Ripenſis Cimber, Mercator in vicinia noſtra Huſenſis, ac dein Fridrichſtadienſis, qui Miraculis hujusmodi Medicis quamplurimis, circa an. 1681. inclaruit. Vir pius & honeſtus, cujus Hiſtoriam, Libello peculiari Vernaculo, Lipſiæ an. 1691. *in* 12. impreſſo, traditam, fuſius quoque repetiit Gottfr. Arnoldus, *in Opere Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Hæreſcologicæ* Germanico, *T. III. c. 24. p. 242. 243 & T. IV. Sect. III. n. 18. p. 775. 776.* nec non in *Vitis Fidelium* Vernaculis, Halæ an. 1701. editis, *p. 1091-1103.*

rat, exagitatus eam ob cauſam a Delrio, *lib. 1. c. 3. quæſt. 4. Disqq. Mag.* & Balzacio, *in Principe ſuo, §. 63.* Sunt hodie in Hiſpania *Enſalmadori*, vel *Salvadori*, vel *Saluta-dores*, qui vi orationum, ſaliva, halitu, tactu, ſuctione, morbis medentur, de quibus peculiari libro *de Enſalmis* egit Emanuel de Valle de Moura, Hiſpanice ſcripto, & conferri quoque poſſunt Mart. Delrius *L. 1. Disquiſ. Mag. c. 3. qu. 4.* Theoph Raynaudus *de Stigmatibus ſacr. & prof. Sect. II. c. 4. p. 317.* & Pet. Pomponatius *in Lib. de Incantat. c. 4.* Idem ajunt de prole ſeptima maſcula, citra interruptionem nata, ſtrumas curandi facultate ſc. eam præditam, cujus rei veritatem teſtatur Vir alias minime vanus, Thomas Williſius, *in Anatome cerebri c. 20. p. 159.* ſed omnem rem ad perſuaſionem refert. Apud Americanos talem per ſuctionem & tactum curandi modum frequentem eſſe, teſtatur Barlæus *in Deſcriptione rerum ſub Mauritio geſtarum in Braſilia p. 204.* Fuit non ita pridem apud Anglos Nobilis quidam Hybernus, VALENTINVS GREATREAK, qui multas curationes inſtituit morborum graviſſimorum ſolo tactu & compreſſione, quarum hiſtoria peculiari libello edita eſt Londini anno 1666. in 4to, ac inſcripta Rob. Boylio, qui aliquod tamen eis pretium ſtatuit. Addita ſunt præterea multa teſtimonia, tam ægrotorum, quam Virorum Illuſtrium. Sed is Londino excedere juſſus eſt autoritate Regia, forte, quod invidioſa illa Regi curatio eſſet, qui ipſe tactu curat. Memorat etiam notabiles quasdam obſervationes, de morbis tactu & frictione curatis, Henricus Oldenburgius *in Actis Societatis Philoſophiæ p. 206. & ſeqq.* ex communicatione Boylii, quem vide *in lib. de Utilitate Experimentalis Philoſophiæ, Sect. 2. c. 15.* ubi rationes ejus rei fuſe proponit. Omnes ſcil. motus animales, vectionem, lationem, ſuccuſſionem deducit. Refertur & ibi de quodam fabro ferrario, qui manu ſua ventrem mulcens vomitionem parare poterat, ſi nates mulceret, laxiorem alvum, ſi pedes, levamen a podagra. Henricus Morus, in *Diſcurſu Anglico de Enthuſiaſmo*, Enthuſiaſtus naturaliter tactu curare poſſe credit, ſuasque rationes *p. 42.* recitat. Forte & huc referri poſſit, quod aliqui actum venereum exercere non poſſint, niſi probe fuſtigati, cui tamen rei rationes Phyſicæ ſubſunt, quas legere poſſumus in ſingulari Joh. Henr. Meibomii de hoc argumento *Epiſtola*, cui additæ ſunt Henr. Meibomii filii *Obſervationes quædam*, uti & Thomæ Bartholini, in Editione tertia Hafnienſi A. 1670. *in 8vo.*

7 Ad occultas qualitates aliqui etiam referunt, quod corpora animalium vel herbis, vel rebus arte factis, aut imaginibus Aſtrologicis, miniri poſſint contra vim externam, gladiorum ſectiones, aut globulorum ictus, de qua re multæ circumferuntur hiſtoriæ, quas aliqui pro veris habent, aliqui in dubium vocant, Poſſibilitatem ejus rei voluit oſtendere Joh. Ern. Burggravius in ſuo *Achille Panoplo redivivo, ſive Panoplia Phyſico-Vulcania, qua in prælio Philoplos in hoſtem educitur ſacer & inviolabilis.* Raritas argumenti facile invitet Lectorem, qui tamen admiſſus mire ſe ludi videbit ineptis & alienis digreſſionibus, paralogiſmis perpetuis, quique nihil minus, quam id, probant, cujus gratia liber ille ſcriptus erat. Mea quidem ſententia operæ pretium non tulit Gabriel Naudæus, qui *in libro ſuo de ſtudio militari, lib. 1. ſect. 32.* eum (non

(non a Burggravio, ſed ab alio, huic gratificaturo, uti oſtendit, ſcriptum) refutat; habet tamen multum doctrinæ iſta Diſſertatio, quæ ab ovo repetit originem hujus opinionis, qua poſſibile habetur, invulnerabiles aliquos fieri poſſe. In eo autem diſplicet, quod rem totam neget, quam factam tamen fuiſſe veriſimile eſt, niſi velimus omnium hiſtoriarum fidem in dubium vocare. Et ego quidem, non niſi ope Dæmonum, hoc factum fuiſſe, crediderim, in quam ſententiam difficulter deſcendit Naudæus, non magnus rerum, quas omnes pro vanis & fictis habet, Dæmoniacarum æſtimator. Prolixe illic de ſigillis, characteribus, & Taliſmanicis imaginibus, agit, quibus obtinere aliqui voluere hanc corporum ſuorum ſoliditatem. De Taliſmanicis imaginibus multa alias fabulantur nonnulli, tanquam iis magna effici poſſint miracula, ſemperque illæ fuere inter ſuperſtitionum ſupellectilem ab Orientalibus ad nos propagatæ. Tota earum ratio & operatio ex influxu ſtellarum deducitur, aut ſpiritus cujusdem mundani informatione. Integri ſunt ſuper hoc argumento Libri conſcripti; præ ceteris vero legi hic poteſt Jac. Gaſſarelli liber Gall. cui tit. *Curioſitates Inauditæ*, A. 1650. *in 8.* editus, qui omnia corraſit, indigna relatu, quæ ad patrocinium illis præſtandum pertinent. Nuper ille in linguam Latinam converſus eſt, & notis variis, etiam Elenchticis, auctus a Greg. Michaëlis. Sed & jam ante in Gallia a nonnemine, teſte Sorello *in Bibliotheca Gallica*, erat refutatus. Extat etiam Jul. Reichelti *de Amuletis* liber. Fabulantur quoque de gladiis, ſub certis conſtellationibus fabricatis, quibus miracula præſtari aliqui poſſe credunt. In vita Joh. Bapt. Morini Aſtrologi, quæ *Aſtrologiæ* ejus *Gallicæ* præfixa eſt, refertur, talem habuiſſe gladium Guſtavum Adolphum, Regem Sveciæ, quem Morinus ab aliquo ſibi venditum emerit; quæ ego tamen mendacia eſſe exiſtimo. Ceterum quod ſolidationem corporum attinet, illa quibusdam naturalibus etiam mediis fieri poſſe creditur, quorum ego ſimplicitatem ſatis mirari non poſſum, qui in corporis cujusdam naturalis poteſtate credunt eſſe poſitum, ut textura cutis & carnis noſtræ immutetur, quæ immutatio ſi fieret, corneam totam & calloſam cutem iis eſſe oporteret, qui hoc præſidio utuntur, quod tamen factum fuiſſe non audivimus, neque poſſet iſta immutatio tam ſubito, & tam brevi tempore fieri, ac poſtea cutis redire in priorem ſtatum. Abſurdi itaque omnino ſunt, qui id fieri putant poſſe, vel Ægagropila, vel aliis quibusdam herbis, quarum omnium diligentiſſimam mentionem facit Frommannus, *in libro de faſcinatione.* Legi quoque poteſt Georg. Hier. Welſchii *liber de Ægagropila*, qui fortaſſis ea de re plenius tractat, nam mihi tantum aliqua pars iſtius libri lecta eſt. Sigillis & imaginibus per ſe nihil efficitur, niſi majore aliqua potentia armatis. Valde itaque vereor, ne Dæmon aliquis ſub iſtis larvis lateat. Si principia Campanellæ, aut Joh. Marci Marci ſequeremur, facile talia ſalvari poſſent, vel per ſenſum illum Univerſalem Campanellæ, vel per Ideas Marcianas; ego tamen ab illis opinionibus manum potius amoverim, veritus *ignes ſuppoſitos cineri doloſo.* Noſtri inſtituti non eſt, pluribus de iis hic agere, alioqui integri voluminis res eſſet. Vid. Chiffletii *Commentarius in Macarii Abraxas*, ubi multa de iis ſigillis, aliisque magicis ineptiis. Pleni ſunt talium etiam nugarum libri Henr.

Corn. Agrippæ *de occulta Philoſophia*, Coſtaben Arabis, *Tr. de Ligaturis Phyſicis*, ab *Arn. Villanovano Lat. verſus*, Bernh. Penoti *Denarius Medicus*, & Conſtant. Albini, Villanovenſis, *Magia Aſtrologica, ſeu Clavis Sympathiæ VII. Metallorum, & VII. Selectorum Lapidum, ad Planetas*, Pariſiis A. 1611. edita, qua ratio conficiendi ſigilla, ad varios effectus obtinendos, una cum precibus, characteribus, ſimilibusque ineptiis, recenſetur. Impugnavit iſtam characterum efficaciam Ol. Borrichius in Diſſ. peculiari *de Cabala Characterali*, Hafn. A. 1649. *in 12.* excuſa.

8 Doctrina *de Faſcino* ad hanc quoque claſſem pertinet, de qua perculiaribus libris agunt Leonh. Vairius & Gutierrus, ac noviſſime poſt illos, J. Chriſt. Frommannus, Med. D. & Prof. Coburg. vaſtiſſimo libro, Norib. A. 1675. *in 4to* edito, quem omnium ſuperſtitionum anilium Pandectas dixeris; non facile enim quicquam prætermiſit. Et ille quidem faſcinum, ſecundum omnes ſenſus, pertractavit. Hic aliqua vere naturalia ſubeſſe exiſtimem, uti oculorum faſcino, multa tamen in illis ſuperſtitioſa, multa Dæmoniaca ſunt. Non audiendi certe, qui ad Operationes naturales omnia iſta referunt, cum Morini, Aſtrologi Galli, Filius, qui totum Orientem peragravit, ut omne genus artium Magicarum addiſceret, hasque naturales eſſe, Libris editis ſe demonſtraturum promittit.

9 De *virgula divina* etiam hic agendi locus eſt, de qua multa dubia ſunt, an naturalis illa ſit operatio, an Dæmoniaca. Mihi quidem, ut verum fatear, non liquet. Nam cum de rei ipſius veritate nondum ſim certus, fruſtra in cauſas inquiritur. Eſt vero virgula illa bifurcata, unius anni proles; hanc exſcindunt aliqui, non ſine magicis incantationibus & ceremoniis, ex Corylo aliqui, aliqui ex aliis arboribus, illas decerpunt, aliqui indiſtincte e quibusvis arboribus. Georg. Agricola, diligentiſſimus rerum metallicarum Scriptor, rem non ſine concurſu Dæmonis peragi putat. Solent quoque diem ſolſtitialem ſectioni huic deligere, quod equidem ſuperſtitioſum non eſt; nam & in aliis, vel herbis, vel arboribus, tale tempus cum fructu obſervatur. Conſiſtit enim tum in vigore ſuo rerum natura, calore ſolis & rectis ejus radiis excitata. Figuram ejus exhibet Pet. Molinæus, *Phyſicorum lib. 5. c. 7.* ubi modum quoque deſcribit, quomodo teneri debeat, & admoveri locis illis, quibus ſuſpicio eſt, latere venas metallicas. Quod ſi arbores tales, e quibus exſcindi debet furculus iſte bifurcatus, excreverint in fundo metallico, rei aliqua veriſimilitudo eſſet, verti poſſe ad vapores virgam. Sed ad metalla, extra ſuas venas conſtituta, verti virgulam, res mira ſane, ſi vera eſt. Miror, non plus experientiæ hic dari, & adeo latere iſtius rei fidem. Extant *Diſputatiuncule* aliquæ Joh. Sperlingii & Theod. Kirchmaieri *de hac virgula*, quæ tamen nihil novi nos docent, & pactum cum Dæmone implicitum ſubeſſe, cum Georg. Agricola, agnoſcunt.

10 *Antipathiarum* etiam multa ſunt exempla, quorum aliqua fabuloſa ſunt, aliqua naturalibus cauſis expediri poſſunt, aliqua inter veras occultas qualitates referenda.

Fabu-

Fabuloſa ſunt, quæ de pelle lupi & ovis referunt, fabuloſa quoque multa alia. Medici interdum multa talia obſervant in ægrotis, aut in iis ſubjectis, quibus Medicinam adhibent. Mirabilia enim earum Antipathiarum exempla paſſim invenimus. Sunt, qui ad campanæ ſonitum deliquium patiuntur, ad gladium evaginatum animo concidunt. Fuit apud Anglos fœmina, quæ, tonitru audito, vomebat, & alvo laxabatur, quod fieri forte ob conſternationem potuit, & accidere talia potuere, ſi mater, in utero geſtans, iſtis quondam rebus perterrefacta, earum ideas fœtui impreſſit; unde plurimas antipathiarum ſpecies ortas ego crediderim. De averſatione caſei in quibusdam mira quoque eſt ratio, conatus tamen ad cauſas naturales eſt reducere Mart. Schookius, ſingulari libello *de averſatione caſei*, Groningæ A. 1668. *in 12mo* edito. Solet quoque hæmorrhagia cadaverum inter ſingularia Antipathiæ ſpecimina referri, quæ opinio adeo firmas radices egit, ut inter ſigna judicialia quoque nonnullis admiſſa fuerit, & quædam judicii divini ſpecies habita, quibus ego temere non acceſſerim; facilis eſt enim cadaverum, violenta morte percuſſorum, cruentatio ſpontanea. Recens enim ſanguis eſt, & nullo morbo correptus. Tuetur tamen hanc ſententiam Joh. Marci Marci *in Philoſophia vet. Reſtituta, toto cap. de hæmorrhagia cadaverum.* Olim in judiciis majorum noſtrorum magni æſtimata fuit illa probatio, ut patet ex iis, quæ ſuperſunt nobis, legibus vetuſtis.

Ad occultas Qualitates, quæ vere tales ſunt, referri debent omnes illæ, quæ 11
proveniunt ex objecto, quod ſenſibus capi non poteſt, vel ob vaſtitatem ſuam, vel ob remotionem nimiam. Non enim eſt credibile, cum videamus, minutis etiam corporibus, imo corporum partibus, ineſſe affectiones, non ineſſe illas totis maſſis & globis, e. g. toti maſſæ aqueæ, toti maſſæ aëreæ, globis hujus univerſi, quorum corporum omnium operationes deprehendi a nobis non poſſunt, quibus fortaſſe multa adſcribi debent, quæ fieri in natura videmus, nec tamen ad certas cauſas reduci poſſunt. Poſſunt quoque in magno hoc aëris Oceano diſſeminatæ eſſe multæ corporum particulæ, quæ, hoc vel illo motu accedente, varias mutationes faciant, vel in aliis corporibus, vel in noſtris quoque, quorum cauſæ deprehendi non poſſunt. Unde ego exiſtimo, accidere ſæpe animalibus, hominibusque morbos quosdam inauditos & inſolitos, quibus curandis Medici omnia fruſtra adhibent conſilia. Quam vim vaſta illa corpora, per aërem diſperſa, vel in terrenum hunc globum totum, vel in aliquas ejus partes, aut certas quasdam ejus maſſas, terram videlicet & aquam, aërem, animalia & homines, habeant, definire non poſſumus, fallente nos experientia & obſervationibus, quas longinquitas temporum facile eludit. Nam de Aſtrologicis dogmatibus non omnia credere poſſumus, quanquam nec omnia rejicere. Fortaſſis enim aliqua per revelationem, majoribus noſtris factam, pervenere ad poſteros, aut hodie innoteſcunt, vel bonorum, vel malorum ſpirituum, proditione. Nam quæ Salmaſius, in *Diatribe* ſua *adverſus Aſtrologiam*, contra naturales etiam effectus aſtrorum affert, inepta ſunt, & nullius ponderis. De his plenius agit, & primus eſt, cui de argumento hoc dicere in mentem venit Rob. Boylius in libro *de Syſtematicis vel Cosmicis*

micis rerum qualitatibus, & in altero, *de ſuſpicionibus Cosmicis*, quibus plura continentur, hanc doctrinam illuſtrantia. *(i)*

CAP. IX.
DE MAGIA.

§. 1. *Magiæ Naturalis exiſtentia oſtenditur. Discrimen veræ a falſa. Illa nihil aliud eſt, quam Phyſica ſecretior operativa, & naturæ imitatrix.* 2. *Thom. Campanella & Joh. Marcus Marci Magiæ Naturalis nomine, ad vetitæ patrocinium, abutuntur. Scriptorum Cabaliſticorum & Chymicorum lectio diſſuadetur, obſcuritasque culpatur. Magiæ diviſio.*

1 VIdimus priori Capite aliqua de Qualitatibus occultis, reſtat, ut jam aliquid etiam de MAGIA dicamus, quam dari naturalem nemo negare auſit, niſi qui in Phyſicis omnia ita explorata eſſe putat, ut nihil ſit occultæ Qualitatis. Quod cum falſum eſſe priori capite viderimus, & plus ſit qualitatum occultarum, quam forte credimus; omnino quædam Phyſices etiam pars erit, quæ circa illas verſabitur. Verulamius, *lib. 3. de augmentis ſcientiarum*, quandam Phyſices Metaphyſicam conſtituit, quæ occupata ſit in contemplatione formarum, atque in relatione ad illas. Magiam ille eſſe Phyſices partem exiſtimat. Metaphyſicæ enim Phyſicæ Magiam ſubordinat, eſtque, illo definiente, *Magia ſcientia, quæ cognitionem formarum abditarum ad opera admiranda deducat, atque, quod dici ſolet, activa cum paſſivis compingendo, magnalia naturæ manifeſtat.* Eſt itaque Magia nihil aliud, quam Phyſica abſcondita, quam qui agnoſcunt, certe potiſſimam Phyſices partem in abſconditis verſari concedere debent. Talis itaque Philoſophia cum detur, & paucis, quos æquus amavit Jupiter, cognita ſit, iis ſc. qui admirabilibus inventis humanum genus locupletarunt, non putandum eſt, omnes illos, qui naturalis magiæ nomen mentiuntur in libris, magna pompa conſcriptis, eſſe ex eorum hominum familia. Multi enim Thyrſigeri ſunt, pauci Bacchi. Superſtitioſæ enim obſervationes de Sympathiis & Antipathiis rerum, atque de occultis & ſpecificis proprietatibus, & frivola utplurimum experimenta, potius occultandi artificio ac larva, quam reipſa, admiranda, ut loquitur Verulamius, non abſolvunt ſplendidum Magiæ nomen; ac tantum diſtare Verulamio videntur a vera Magiæ ſcientia, quam libri Rerum geſtarum Arthuri ex Britannia, & hujusmodi Heroum umbratilium, a Commentariis Julii Cæſaris. Manifeſtum enim eſt, Cæſarem majora revera patraſſe, quam illi de Heroibus ſuis

(*i*) Rob. Boylii Scripta *de Cosmicis rerum Qualitatibus, & Cosmicis Suſpicionibus*, h. l. commendata, nec non *de Temperie Subterranearum & Submarinarum Regionum, Fundoque Maris*, Schediaſmata, *Introductioni ad Hiſtoriam Qualitatum Particularium* annexa, Anglice prodierunt Oxoniæ an. 1670. *in 8vo*, Latine autem (Interprete Morhofio noſtro, qui Nomen tamen ſuum in Verſione iſta, uti, in *Prolegomenis Polyhiſtoris* hujus, a nobis jam eſt monitum, profiteri noluit) Hamburgi an. 1671. *in 12mo.*

ſuis confingere auſi ſunt, ſed modis faciendi minime fabuloſis. Hujusmodi doctrinas eleganter comparat fabulæ de Ixione, eamque levem & degenerem Magiam naturalem ſimilem facit ſoporiferis quibusdam Medicamentis, quæ ſomnum conciliant, atque inter dormiendum læta & placentia ſomnia immittunt. Cum enim ſpectra quædam objiciant & larvas proprietatum ſpecificarum, velut cœlo lapſarum, his occupati homines a veris cauſis indagandis abſtinent. Eſſe quædam, ut in omnibus ſcientiis, ita & in Phyſica, recondita, colligere multis indiciis poſſumus, ac ita mihi ſemper viſum eſt: aliqua poſſe ſciri in natura, eam tamen ſcientiam non omnibus eſſe utilem; ideoque Deum, qui providentia omnes res humanas tractat, etiam in eo proſpexiſſe hominum ſaluti, quod non omnibus ingeniis velit etiam obvia occultiora quædam naturæ miracula, quibus illa abuti poſſint, ſi ſibi relinquerentur. Fabrica divina & univerſi hujus conſtructio, ut ubivis operantis Dei veſtigia perſentiſcere poſſimus. Videmus in natura multa mirabili & occulto modo fieri, omniaque illa opera generationem omnium corporum, in quibus indagandis utut vexemus cerebrum, utut ſæpe nobis blandiamur ſpecie aliqua conceptus, obſervabimus denique, nobis, quo plus progreſſi ſumus, plus reſtare vitæ. Sollicitanda tamen interim natura eſt oculis emiſſitiis, omnia venanda, omnes perquirendi ſinus, an alicubi deprehendere poſſimus naturæ proportiones in mixturis corporum, prima corporum elementa, & rationem conſtitutionis eorum. Idque non ſola inani ſpeculatione efficitur, ſed manus injicienda operi eſt, & ad naturæ methodum, quam diligentiſſime nobis obſervandam, inſtituenda imitatio. Quare recte Verulamius partem alteram operativæ Phyſicæ facit, cum alteram feciſſet Mechanicam, ſapienti ſane in eo uſus conſilio. Ubi itaque continua operatione mirabiles quosdam in natura effectus produximus, perſiſtendum iſto incœpto eſt, ut fabricare nobis certa principia poſſimus. Neque enim principia prius nobis præſupponenda ſunt, antequam de effectis ipſis nobis conſtat. Vehementer enim falli poſſumus, &, uno poſito abſurdo, ſequentur infinita.

THOMAS CAMPANELLA, ſagaciſſimi quidem ingenii Vir, ſed qui ultra ſpeculationes in natura non proceſſerat, ut occulti aliquid ſapere videretur, viam commentus eſt, qua mirabilibus & inauditis arcanis fidem faceret. Ut ergo, quicquid magicarum rerum eſt, ſalvaret, etiam earum, quæ non ſine ſpirituum & dæmonum interventu agi creduntur, *de ſenſu rerum libros tres* præmiſit quarto, qui *de Magia* inſcribitur. In quo mirabilia multa proponit, ultro jam ex iſtis, quæ poſuerat, principiis, fluentia. In quibus tamen omnibus, cum quantivis pretii eſſe quis credat, nihil ſolidi & veri ineſt. Quam multis enim mirabilibus concluſionibus principia illa occaſionem ſuppeditant; aëri ineſſe ſenſum, aërem affici rebus præſentibus futurisque, atque nobis eas communicare; aërem eſſe vehiculum ſententiarum, quæ animalibus ſunt incluſæ? Quo uno principio poſito, omnibus prædictionibus, faſcinationibus, omnibusque præſtigiis, fundamentum ſuppoſitum eſt. Imo ex hac Magia, multa fieri poſſe miracula & transmutationes corporum, exiſtimat. Sed illum tantum in imaginariis rebus verſari, facile videas ex illo exemplorum apparatu, quæ

paſſim adducit: Sunt enim omnia illa multam partem ficta & fabuloſa & ex lacunis traditionum anilium, aut ſcriptorum de ſecretis, petita. Multa poſſunt ad longe alias cauſas referri, quam Ipſe retulit, quoniam effectus ipſos & rationes operandi non ſatis exploratas habuit. Ioh. Marcvs Marci cum eo ſane in multis conſpirat, & quicquid Campanella e ſenſu ſuo rerum educit, hic ex Ideis ſuis exſtruit. Sed rectius ſane faciemus, ſi imaginaria illa relinquamus, præoccupant enim animum præjudiciis, & rectioribus contemplationibus, ſuper ipſa operatione fundatis, eum ſubtrahunt. Eadem ex cauſa ſuaſerim, ut a Cabaliſticis Scriptoribus manum abſtineamus, de quibus magna quidem fama eſt, inprimis *de libris MSS. Esdræ*, quos Judæi adhuc poſſidere dicuntur. Utut enim forte aliquid iis ſubſit, non tamen omnes in ſenſibus occultis perveſtigandis ſunt Oedipi. Ideoque relinquenda ſunt ænigmata Scriptoribus ſuis, & non legantur, quia nolunt intelligi. Quod ſi quis exactum & multis laboribus exercitatum habeat ingenium, diſcere fortaſſis aliquid ex iſtis libris poſſet, ſed magno, ut puto, temporis diſpendio, magnaque animi afflictione. Quod idem dictum velim de Autoribus Chymicis; quanquam enim transmutatio metallorum inter ſumma Magiæ ſecreta ſit, a quibusdam indubiis poſſeſſoribus ejus arcani, multis ænigmatibus & verborum ſenſuumque ambagibus, deſcripta, oleum tamen & operam perdes, ſi vel totam ætatem huic ſtudio inſumſeris, & tamen internecinis vigiliis & laboribus tandem nihil profeceris. Ideoque intemperantiæ ſpecies quædam eſt, plus ſcire velle, quam poſſis ſcire. Nolo hic quicquam dicere de Magiæ diviſionibus in *cæleſtem, ceremonialem, naturalem, dæmoniacam*, & exempla, quæ a vulgaribus Phyſicis etiam referuntur, hic cumulare. Integri ſuper hoc argumento libri conſcripti ſunt. Videantur Mart. Delrii *Diſquiſitiones Magicæ*, Mericus Caſaubonus *de fide rebus naturalibus & civilibus, vel habenda, vel non habenda*, Henr. Kippingius *in Inſtit. Phyſic. l. 2. c. 7.*

CAP. X.

DE PRINCIPIIS IN NATVRA MECHANICIS.

§. 1. *Qualitates Corporum, a Motu & Figura oriuntur, e Principiis Mechanicis ſunt explicandæ. 2. Factum id a Joh. Walliſio in Controverſia, cur Aqua in loco naturali non gravet? a Carteſio in Operationibus Brutorum explicandis.*

1 CUm viderimus maximam partem Qualitatum in corporibus fugere ſenſum, & intellectum, ideo ſinamus eousque tectam hanc naturæ faciem, usque dum ſolertia noſtra aliquid ex ea detegamus, & contemplemur altera ex parte naturam, quam ſc. ſenſibus patet, per affectionem aliquam externam. Summa & princeps omnium affectionum eſt motus. Figura quoque operationibus in natura multis dat originem. Ideoque veriſimile eſt, ex figura & motu maximam par-

partem qualitatum manifeſtarum, in quantum manifeſtæ ſunt, demonſtrari poſſe. In quo tamen etiam magnos ingenio noſtro limites poſitos eſſe videmus. Eousque enim iſta noſtra procedit ſpeculatio, quousque ſenſum non excedunt corpora. Ideoque oculi ipſi, utut ignei, & ſpecillis armati, in minimis corporum deprehendendis vacillant, & ſuſpicaci ingenio ſupplent, in quibus minima non reſpondent ſenſui. Atque hæc principia vere ſunt principia mechanica. Mechanica enim conſiſtit in motu & figura. Ex utriusque enim combinatione diverſa tot pulcherrima artis ſpectacula naſci videmus, ut negari non debeat, naturam ſimili motu procedere in corporum ſuorum formationibus, & in effectibus ſuis producendis. Nemo hoc luculentius depinxit nobis, quam Leibnitius in *Theoria* ſua *Motus abſtracti*, in qua mira brevitate recenſet, quam varia fieri poſſint in natura per combinationem figuræ & motus; & Borellus, *in libro de vi percuſſionis*, eo proceſſit, ut in ipſis minimis etiam particulis agnoſceret diverſitatem harum figurarum, ut quasdam vectis habere figuram diceret, quasdam cuneorum, & ex varia figurarum iſtarum miſtura inexſpectatos ſæpe effectus ſubſequi. Sic quod vitrum rotundæ formæ rumpi poſſit tono conſono, imputandum eſt minimis vitri particulis, quæ tenues quædam ſunt armillulæ inflexiles, quæ motu totius corporis, vel potius materiæ ſubtilis aut æthereæ, quæ in ſpatiis vitri habitat, conſtringuntur, usque dum frangantur. Vid. pluribus Borellus *in lib. citato.* Sed ſubtilior eſt illa Philoſophia, quam ut demonſtratio ejus Mechanica in ſenſus incurrere poſſit. Nihilominus tamen intentata ejus conſideratio facit, ut ſuſpicionibus etiam ſcopum noſtrum feriamus, quæ interdum multis magnisque inventis occaſionem præbuerunt. Sic multi ſunt in natura mirabiles effectus, de quorum cauſis acerrima diſputatio eſt, diſtractis in varias ſententias Scholaſticis & Phyſicis naturæ Practicis, quæ tamen ſæpe ſolo Mechanico quodam principio, aut neceſſitate diſpoſitionis cujusdam, vel ſuperficiei, vel totius corporis, feliciter expediri poſſunt.

Magna controverſia fuit, *cur aqua non gravet illum, qui ſub aquis ambulat, cum tamen magni ponderis moles illi incumbat.* Hic varia commenti ſunt nonnulli, aliqui cauſam dedere, quod aqua in naturali ſuo loco non gravet. Nunc litem illam ſolide & eleganter decidit Joh. Walliſius in *Diſcurſu* ſuo Anglico *de gravitate & gravatione*, in quo ex principiis Mechanicis demonſtrat, non poſſe aliter rem ſe habere. Carteſius operationes animalium omnis generis ſoli diſpoſitioni organicæ adſcribit, quæ tamen omnia formis ſuis Peripatetici. Hinc omnia illi admirabilia brutorum opera deducunt. Vid. Anton. le Grand *in libro de cognitione Brutorum.* Et aliquam ejus rei veriſimilitudinem eſſe oſtendunt ſtatuæ illæ a quibusdam confectæ, quæ vocem humanam imitari potuerunt, qualem Albert. Magnus confeciſſe dicitur. 2

CAP. XI.
DE MVNDO.

§. 1. *De Mundo in Phyſica ſpeciali agendum.* 2. *Mundi triplex acceptio. De Materia ejus, & conſtituendi (Nihilo ſcil. vel Chao,) & conſtituti, ſententiarum varietas.* 3. *Æternitas ejus a Philoſophis Ethnicis, & Hæreticis quibusdam, credita. Argumenti pro iſta Ariſtotelici, e Motus doctrina deprompti, Refutatio.* 4. *Sententiæ Platonicorum, Ariſtotelicorum, Stoicorum & Epicureorum, de coæternitate Dei & Materiæ, Mundique ex hac ortu, recenſentur & conferuntur, addito de ſingulis judicio.* 5. *Mundorum Infinitas & Pluralitas, ab Epicuro, Metrodoro, & aliis Veteribus, propugnata, ab Ariſtotele futilibus impugnatur Argumentis. Fauent illi etiam Origines, Cabaliſtæ Judæi, Nic. Cuſanus, Card. & e Recentioribus, Nic. Copernicus, Guilh. Poſtellus, Thom. Campanella, Gal. a Galilæis, Carteſius, aliique Philoſophi, omnes Stellas fixas Soles, Planetas vero Terras, eſſe, perſuaſi. Ex profeſſo eam defendit Jord. Brunus, vivicomburio eam ob cauſam affectus. Obſtant illi dubia Theologica, quibus Campanella ſatisfacere conatur. Inutramque partem complura hic ab Autore, ab illa haud admodum alieno, afferuntur.* 6. *Argumenta, quibusnonnulli, ſepoſita revelatione, e rationis lumine, novitatem mundi evincere conantur, ab Hiſtoriæ Antiquioris defectu, & artium novitate, petita, uti & aliud, quo, Interitum ejusdem eſſe poſſibilem e Naturæ ſenio ac defectibus oſtendere allaborant, juſto infirmiora eſſe monetur.* 7. *Commendantur Scriptores varii de Mundi Origine & Conformatione, quos inter de Ocello Lucano, Pythagorico, fuſius agitur.* 8. *Carteſianorum de Fabrica Mundi, ejusque ratione, ſententia recenſetur, addito judicio.* 9. *Scriptores de variis mundi Syſtematis Aſtronomici. Ath. Kircheri* Iter *per Orbes Cæleſtes* Ecſtaticum. *Mundi diviſiones ſupervacaneæ.* 10. *Controverſia de Aquis Supracæleſtibus non eſt fori Theologici. Proprie ſic dictæ non dantur, ſed intelliguntur per eas Aquæ nubium.*

1 POſtquam conſideravimus generalia Philoſophiæ naturalis, perveniendum jam nobis eſt ad ſpecialia corpora. Et, quoniam de principiis & affectionibus corporum in communi egimus, nunc inter corporum ſpecies primum ponemus MVNDVM, cujus tractationem quidam ſolent ad extremum reſervare, cum in Phyſica ſpeciali non niſi de Specialibus agi velint. Sed, cum omnes ſpecies, ſimul ſumtæ, ſint mundus, ac omnes illæ ſpecies, quatenus non aliquo Syſtemate ſunt concinnatæ, aliquid habeant ab ipſis ſingulis ſpeciebus diverſum, ſc. affectiones quasdam ex ipſa Syſtematica coordinatione emanantes, neceſſarium eſt, ſeorſim de eo agi, ac parum refert, ſive id primo, ſive poſtremo loco, fiat.

2 *Mundum* cum dicimus, controverſum eſt, quid eo Termino denotemus: nam vulgari acceptione, non eſt unus hujus Termini ſenſus. Aliqui globum hunc terraqueum intelligunt tantum, excluſis reliquis partibus; aliqui Syſtema totum Planetarum, eſtque illis mundus, qui terminatur planetis, inter quos & terra eſt, circumvolutus circa centrum ſuum, Solem. Aliqui complexum omnium corporum telluris

ſis hujus, planetarum, omniumque Stellarum fixarum, dicunt, cum mundum dicunt. Nos ultimo ſenſu accipiemus, & primum enarrabimus ſententias veterum Philoſophorum, de hujus Univerſi, quatenus in illo ordine apparet, cauſis. Et quidem etiam hic, quemadmodum in reliquis corporibus, conſiderare poſſumus materiam & formam. Quod Materiam attinet, alia erat mundi conſtituendi, ſcil. *nihil negativum.* Quamvis quidam hic chaos ſubſtituant, dicantque, mundum mediate ex nihilo conditum eſſe. Quæ ſententia, cum contradictionem invehat, dicunt tandem, modum ex nihilo per indiſpoſitionem factum. Quod *nihil*, an non ſit *aliquid*, expendendum eſt. Alia eſt materia Mundi conſtituti, quæ ſecundum Carteſium magnum illud ſpatium extenſum eſt, omnibus ſpeciebus ſubſtans. Ceterum multæ hic ſunt veterum recentiorumque controverſiæ, de iſta prima mundi materia, & vidimus jam tum in *primo cap.* varias Auctorum ſententias. Ex revelatione nobis conſtat, mundum quidem conditum eſſe, ac habere principium; ſed de matera prima nihil conſtat, ideoque vel ratione ipſa percipienda eſt, vel videndum, quid e veterum Philoſophorum ſententiis, a fide & ratione non alienum, exſculpi poſſit.

Hic vero ſe Oceanus aperit infinitarum diſputationum. Quoniam enim illi 3
ſpeculationibus ſuis relicti erant, ac nihil illis revelatum, ubi pedem figerent, non invenerunt. Id tamen ratione ſibi aſſequi viſi ſunt, quod æternum aliquod agnoſcant in mundo. Deum enim & materiam omnes æternam agnoverunt, e quacunque demum Philoſophorum familia fuerint. Ac fuere inter Chriſtianos etiam Hæretici, qui idem dixere, eo freti argumento, quod nusquam apud Moyſen dicatur, Deum creaſſe cœlum & terram ex nihilo. In eo autem fuit magna ſententiarum diverſitas, *quando* & quomodo aſpectabilis ille mundus ortus fuerit. ARISTOTELES totum hunc, quantus eſt, æternum facit, & ſemper cum Deo exiſtentem, unico hoc & palmario, ut ſibi videtur, innixus argumento, quod ſc. motus non poſſit eſſe, niſi æternus. *Motus*, inquit, *eſt actus mobilis, qui requirit movens & mobile exiſtens. Vel igitur motus ſemper fuit, vel incepit aliquando.* Si ſemper fuit, habet, quod vult, Ariſtoteles, ſemper enim movens & mobile ſimul natura fuerunt cum motu. Si aliquando incepit, antequam inciperet, mobile & movens, vel erant, vel non erant. Si non erant, ergo facta ſunt aliquo motu præcedente primo, & ſic dabitur motus prior primo, quod eſt abſurdum. Si erant, & tamen unum non movebatur, & alterum non movebat, vel utrumque erat proxime potens, vel non erat. Si erat, nulla videtur ratio, cur movens non moveret, & mobile non moveretur; ſi non erat, ergo redacta ſunt ad potentiam proximam aliquo motu, & ſic iterum dabitur motus prior primo. Dicendum eſt ergo ſecundum Ariſtotelem, motum eſſe æternum, ſimulque primum motorum, & mobile ipſum, i. e. cœlum. Hoc quidem Ariſtotelis argumentum ſatis ſubtile eſt, ſed tamen non conficiet eo hujus univerſi æternitatem. Facile enim reſponderi poteſt Ariſtoteli quærenti: *cum nullus exiſteret motus, unde fit, ut extiterit aliquando, & quæ ejus cauſa eſſe potuit?* Conceſſa enim ejus hypotheſi, quod motus requirat movens & mobile, dicendum eſt, motum non ſemper fuiſſe, ſed aliquando incepiſſe; & ante primum motum fuiſſe quidem primum motorem, non autem mobile.

Ad id, quod quæritur, *an utrumque, priusquam daretur motus, eſſet proxime potens?* reſpondendum eſt: Mobile, cum nullo modo exiſteret, non fuiſſe proxime potens; Potentem vero fuiſſe motum, qui omnia habuit ad movendum requiſita. Non ſequitur tamen ex hoc, motum ſemper fuiſſe. Tale enim argumentum nihil concludit in agentibus liberis, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſunt non agere. Neque demonſtratur hoc Argumento Ariſtoteſico unus numero motus æternus & continuus, ſed probatur fuiſſe ſemper aliquem motum in infinita corporum multitudine, neque fieri potuiſſe, ut omnia ſimul quieſcerent. Atque ita Ariſtoteles de mundi hujus conſtitutione judicabat.

4 PLATO itidem Deum & Materiam ſtatuebat æternam, quorum neutrum ſit alterius procreatrix cauſa. Materiæ neceſſitatem maximam omnes ſectæ dabant, Deo libertatem tanto minorem quisque ex iis ſectis, quanto arctius cum materia connecteret aut ei immergeret. Plato credidit, mundum ex libro Dei cum materiæ congreſſu exititiſſe. Platoni itaque maxime, inter Philoſophos Gentiles, liberrimum agens Deus eſt; cum Ariſtoteles & Stoici fatalem aliquam neceſſitatem hujus nexus inter Deum & materiam ſtatuerent. Platonicis itaque Deus fabro ſimilis eſt, a ſylva ſua per vaſta ſpatia diſtracto; hic, quamdiu volet, quieſcet, ubi cupido veniet exercendæ artis, movebit ſe ad ſylvam, & inſtrumentis ſuis tantum ejus fabricabit, quantum aptum eſt recipere Ideas ſuas. STOICI Deum plane mundo immergebant, & faciebant eum formam mundi informantem, cum Ariſtoteles faceret formam aſſiſtentem. Illi autem ita immerſum putant omni materiæ, ut nulla plane illi libertas competat; fati enim vinculis irretitus eſt, ut naſſa piſces. Solus inter eos Plato rectius quid ſenſit, quanquam ipſe & materiam æternam faceret, & pervicaciorem, quam ut in omnibus pro lubitu Deus operari potuerit, & mundum, ſemel conditum, nunquam interiturum ſtatuerit. Stoici mundum quidem interiturum credebant, ſed per vices tamen iterum exoriturum. Quanquam enim & Cataclyſmum & Ecpyroſin ſtatuebant, negabant tamen unquam a modo ſeparari ejus animam, priſtinum illud ſyſtema ſuum iterum elaboraturam. Imo Ariſtoteles ipſe, *lib. 1. de cælo c. 10.* eos, qui jam ipſius tempore, per vices diſſolvi mundum & redintegrari diſputabant, revera mundi æternitatem adſtruere judicat, ætatibus tanquam per circulum redeuntibus. Eorum ſententiam Jac. Thomoſius ſub figura Ovi & Gallinæ, in circulo poſitorum, repræſentat. EPICVRVS plane in alia receſſit, & mundum credidit ortum a ſe ipſo, luctantibus ab æterno tamdiu atomis, donec ad extremum illa, quantumvis temeraria, libratio, formam exprimeret mundi. Atque hæc materia mundi a Deo illi deſerta habetur, quem, a materia æterno privilegio adjunctum, ſua ſolum beatitudine frui jubet. Inter hos globos, fortuita Atomorum libratione congeſtos, fortunam quaſi intermediam ſtatuit Epicurus, i. e. neceſſitatem quandam materiæ, omnem rationem excludentem. Et hæc quidem abſurdiſſima ex omnibus Sectis ſententia eſt, & omnium impiiſſima, quæ quidem ſubtilitatis aliquid habere videtur, in iſto Atomorum motu curioſius explicando; ſed, cum in ipſis principiis impingat, non poſſunt hinc niſi infinita

finita abſurda ſequi, quanquam is in quibusdam ſatis ſit argutus. De variarum Sectarum, circa originem mundi, ſententiis, vid. Berirgardum *part. 3. Circ. Piſano 2. & 3.* & Jac. Thomaſium *in Exercitationibus de Stoica mundi exuſtione, Diſſ. 2. 3. 4. 14. 16. 17.* In quibus agit de Ariſtotelica, Platonica, Stoica, mundi æternitate, & de Deo Stoico, forma mundi informante. Et illæ quidem ſunt ſententiæ præcipuorum Philoſophorum de origine mundi & conſtitutione ejus prima, e quibus tantum capere poſſumus, quantum revelationi non repugnat, modo in eo nobis temperemus, ne quid ſtatuamus temere, quod ſacris literis adverſari ulla ratione poſſit. Nam de æternitate materiæ nihil nobis affirmandum eſt, de modo ipſius conditionis hujus univerſi tantum ex Platoniſmo capiemus, quantum non contrariatur ſacris literis. Liberrimam ſcil. voluntatem divinam ex eo retinere poſſumus, abjicere vero iſtam materiæ æternitatem & pervicaciam. Stoicorum Hypotheſes in eo rejiciendæ, quod Deum ita adſtringant ad materiam, ut omnia in illa agat. Epicuri ſententia de Atomis non omnino abſurda eſt, imo multum ſubtilitatis habet, ſed tamen in ea conquieſcere non poſſumus. Fortuitus ille particularum concurſus totus profanus eſt, & contra rationem introductus.

Illud Epicuri dogma, quod non unum, ſed infinitos mundos ſtatueret, preſſius 5
a nobis conſiderandum eſt, cum, ad hanc ſuam ſententiam ſtabiliendam, non vulgaribus utatur rationibus. Quando vero is plures mundos ſtatuit, non putandum eſt, eum intelligere mundos eo ſignificatu, quo ſc. illo termino denotatur complexus omnium orbium cœleſtium, ſed intelligere illum tantum ſingulares illos globos, quos mundos vocat, & infinitos ait per vaſtum hoç ſpatium ſparſos. Etiam Metrodorus olim dicebat, tam eſſe abſurdum, dari mundum unum in infinito, quam in latifundiis unicam ſpicam reperiri. Cui ſententiæ, extra Epicuri ſcholam, eo vetuſtiores fuere addicti, ut proinde exiſtimandum non ſit, primum Epicurum ejus ſententiæ autorem eſſe. Contra illos diſputat Ariſtoteles, ſed futilibus argumentis. Nam & oſtendere nititur, mundum ita eſſe unum, ut eo plures eſſe non poſſint, quam ſententiam ne Chriſtiani quidem Philoſophi approbant. Quid enim prohibeat, Deum poſſe plures mundos creare, ſi velit? Quam leve illud argumentum eſt: ſi dantur, inquit, plures mundi, terra unius feretur ad terram alterius naturaliter vel violenter. Non primum, alioquin violenter in perpetuo centro detineretur: violentus eſt enim ille terminus, unde fit motus naturalis, non ſecundum, quia ſi movetur violenter, ibi etiam quieſceret violenter, quod falſum eſſet, ſiquidem ibi eſſet in centro. Præſupponit hic Ariſtoteles unum commune toti univerſo centrum, illi vero, qui pluralitatem mundorum tuentur, tot centra agnoſcunt, quot mundos. Nec ulla ratio eſt, quare, ſi plures terræ eſſent, mutuus inter ſe collapſus fieret. Terræ enim, extra orbem ſuum poſitæ, vel ut Carteſius loquitur, vorticem, intra ſe cohibent ſui materiam, nec evagari illam patiuntur, ut nullus itaque ejus metus ſit, quod metuit Ariſtoteles, qui rationem gravitatis recte penetraſſe non videtur. Nam vel ex ejus ſola ratione perſpecta refutabitur argumentum. Non enim eſt inſita quædam qualitas & virtus gravitas,

vitas, aut ad terram ſolam debet reſtringi, ita ut virtus illi inſit magnetica, quæ pura Chimæra eſt. Proprie enim nihil grave, nihil leve eſt in natura, ſed prout, vel magis, vel minus, cedit prementi athmoſphæræ, ita diverſitas aliqua in pondere obſervatur, quod extra hunc locum aliter ſe haberet. Hæc Ariſtotelis argumenta, ut inania ſunt, & nihil probant, nollem tamen contrariam ſententiam meam facere, ut quæ multas involvit difficultates adverſus ſacræ Scripturæ authoritatem. Quod ſi per mundos intelligamus corpora diverſa, quæ in hoc univerſo occurrunt, non eſt, quod magnopere ſententiam illam reprobemus. At Ariſtoteles, cum mundum unum dicit, totum hunc complexum omnium ſtellarum & telluris intelligit, tellure pro centro univerſi ſuppoſita, cujus ſententiæ abſurditas jam ſatis ſolide demonſtrata a Mathematicis eſt. Et forte ſic unitatem mundi ſtatuere poſſumus, etiam cum plures ſtatuimus. Ariſtoteles eo magis pronus in ſuam ſententiam fuit, quod putaret, aſtra habere quintam quandam Eſſentiam, ſubtilioremque, quam ut materia eorum terræ eſſe ſimilis poſſit. Sed & hoc in dubium vocarunt Mathematici, & accedunt iis quoque e Phyſicis nonnulli, qui aſtra, præcipue Planetas, ſole excepto, corpora eſſe putant, terreno corpori non adeo diſſimilia. Id Galilæus dixit, quanquam timidius, & ex parte quoque Carteſius, qui tamen plus materiæ æthereæ & ſubtilis illic agnoſcere videtur. Sed, utut ſit, qui in illa ſententia ſunt, a pluralitate mundorum videntur non alieni; multos enim ſoles & terras ſtatuunt, quod dum faciunt, plures mundos agnoſcunt. Galilæus & Carteſius omnes ſtellas fixas habent pro ſoiibus, qui circumpoſitas habeant terras ſuas, ſive planetas, ob nimiam longinquitatem, & mutuatitium lumen, nobis non ſpectabiles. Quemadmodum enim Sol noſter circumpoſitos ſibi habeat Planetas, cum quibus unum Syſtema, vel mundum planetarium, conficit, ita veriſimile illi dicunt eſſe, omnes Stellas fixas, ceu Soles quosdam, ſua habere peculiaria Syſtemata, quod qui dicunt, neceſſario debent multos mundos agnoſcere, rem ſane demonſtratu & creditu facilem, ſi cum Scriptura res tranſigi poſſet. Ea ſola difficultas ergo eſt, *an illic homines habitent, an pro illis Chriſtus ſatisfecerit*, ſi illic exiſtant. Quibus dubiis obviam ire laborat Thomas Campanella in *Diſquiſitionibus Phyſiolog.* adeo in hanc ſententiam proclivis, ut & e quibusdam Scripturæ locis ſtabilire tentet theſin ſuam & ex ſanctis Patribus. Ad Theologica illa argumenta reſpondet, Deum cum terræ incolis fœdus pepigiſſe, ejusque ſolum memoriam voluiſſe extare, de ceteris nos ſecuros eſſe poſſe. Fortaſſis & illic homines ſanctos innocentesque, & in ſtatu incorrupto, remanſiſſe quis dixerit, ut ſatisfactione Chriſti non indigeant, quanquam Origenes, acris plurium mundorum propugnator, Chriſtum per orbes ſucceſſive natum paſſumque fuiſſe, dixerit. Is enim mundos innumerabiles, æternis ſibi ſeculis ſuccedentes, credidit, ex veteri Gentilium, vel antiquiori Philoſophia illud dogma mutuatus. A quo neque Judæorum Cabaliſtæ abhorrent, ut judaizare hac in parte etiam videatur Gvilh. Poſtellus, *in lib. de nativitate Salvatoris ultima.* Superiori Seculo JORDANVS BRVNVS, Nolanus, ſingulari libro illud dogma reſuſcitavit, plauſibilibus ſatis argumentis in medium adductis, qui tamen ſcripti ſui audaciam miſer vivicomburio luit. In quo injuriam illi factam exiſtimo, quia aperte

ex

ex eo quidem libro Atheiſmi convici non poteſt; idque dixit, quod ante eum Cardinalis Nicol. Cuſanus docuerat, & Copernicus, ejusdem ſententiæ Patronus, a quo ſibi ereptam queritur ſuæ opinionis prærogativam. Is enim ſententiam ſuam prior edidit, cum differret adhuc Jordanus Brunus. Argumenta ejus libri hæc ſunt præcipua: cœlos non eſſe, ſed æthereum unum ſpatium circa omnia aſtra; ſicut circa tellurem & ſolem, duo item eſſe aſtrorum genera, ſoles & tellures, nullam eſſe Univerſi finitatem aut ultimam mundi ſuperficiem, neque tellurem, neque ullum quippiam corpus eſſe in medio, cometas eſſe planetas omnino & tellures, ſeu mundos, eſſe ex perfectionis hujus mundi pluralitatem mundorum, omnes mundos eſſe diſſolubiles, eſſe plura ſpecie diſtincta infinita in infinito univerſo, in infinito ſpatio infinita eſſe finite mobilia, infinitos eſſe ſoles, ſeu infinitas fixas Stellas, & Tellures ſeu Planetas, & non eſſe compertum Planetarum numerum circa hunc Solem, neque ſpectabilem circa alios, univerſum eſſe infiguratum, mundos vero neceſſario figuratos & finitos, tellurem ita eſſe aſtrum maculoſum, & in cœlo poſitum reſpectu lunæ, quemadmodum luna reſpectu telluris, tellurem totam habitabilem eſſe, intus & extra. & innumerabilia animantium complecti, tum nobis ſenſibilium, tum occultorum, genera. Hæc ille prolixe eo in libro argumentis ſuis deducit, de quibus liberum eſto omnibus judicium. Certe multa ſunt in illo homine arguta & ſubtilia.

De Mundi exordio aliqui etiam ex ſignis argumentantur, quibus tamen non in- 6
eſt magna probandi ratio. Certe fabricatorem mundi hæc machina, ſummo ordine diſpoſita, præſupponit, quo tempore autem ille ortus ſit, natura ipſa nos docere non poteſt. Aliqui argumentantur de novitate mundi ex defectu hiſtoriæ. *Si mundus æternus eſt*, inquiunt, *omnique principio caruit, cur non hiſtoriæ ſuperſunt? Cur artes omnes tam noviter ſunt inventæ?* nam earum omnium inventarum tempora & Autores conſtant nobis ex hiſtoriis, quæ certe conſtare non deberent, ſi tam antiquus eſſet mundus. Quibusdam reſponderi poteſt, etiam eſſe aliquot gentes, Chaldæos & Chinenſes, qui longiorem annorum memoriam, in faſtis ſuis, conſignatam habent, quam ex ſacrarum literarum computo cogi poſſunt. Quod Chinenſes attinet, Martinus Martinius, ſagaciſſimus rerum Chinenſium indagator, adeo ſe hic torquet, ut, quomodo nodum ſolvere hunc poſſit, neſciat. Ab altera parte ſtat ſumma Hiſtoricorum Chinenſium & accurata fides, qua accuratiorem nulla gens hiſtoriis ſuis adhibuit, ab altera S. Scripturæ Auctoritas. Martinius certe rem intricatam & perplexam relinquit. Sunt porro multa obſtacula, quæ Hiſtoriæ defectum efficiunt. Nam potuere diluvii eruptione, velut aquis letheis, multa mergi. Artium quoque ſunt periodi per intervalla redeuntes, neque credendum eſt, quod nunc inventum eſt, olim, vel non eſſe inventum, vel non potuiſſe inveniri. Migrationes gentium, bella, peſtes, incendia, multa confundunt & tollunt, ut vix aliquarum rerum memoria ſuperſit. Non eſt itaque hoc ſatis idoneum argumentum pro novitate mundi. Id quoque non firmum argumentum eſt, cum, ut interitum mundi oſtendant poſſibilem, e naturæ defectibus argumentantur, & miror, hoc argumentum Antonio Grandi placere potuiſſe, quod ſingulari & erudito libro oppugnavit Joh. Jonſtonius *de naturæ conſtantia*,

ſtantia, Amſtelod. A. 1634. *in 12.* excuſo, ubi omnia defectuum naturalium argumenta ſingulatim explicat, ſingulaque refutat.

7 Quæ porro ſpectant ad doctrinam de Mundo, ejus origine, totaque coordinatione, ea prolixe explicantur a Berirgardo, *part. 2. Circ. Piſ. 1. 2. 3. 4.* ubi digreſſio ſingularis inſtituitur de literarum S. autoritate, circa mundi originem, quæ magno uſui eſſe poteſt in hoc argumento. Quod argumentum de æternitate mundi ſpectat, legantur Caroli Emanuelis Vizzanii *Commentarii in Ocellum Lucanum de Univerſi Natura;* qui Ocellus Lucanus, Pythagoræ diſcipulus, ante Ariſtotelem, hoc ipſum ſcripſerat, quanquam & ſuſpicio eſt quorundam, hanc doctrinam fuiſſe ab Ariſtotele deſumtam, & ab invido deinde ſubjectam, ficto nomine Ocelli Pythagorici. Fieri enim non potuiſſe arbitrantur, ut ille liber Ariſtoteli non lectus fuerit, aut inſpectus, qui tamen opinionem illam de mundo æterno non ſibi adſcribit. Citatur tamen Ocellus a Philone *lib. de mundo non interituro.* Legi poteſt & Beaufortius *in libro de Coſmopœia divina*, ubi ad mentem Carteſii c. 1. Geneſ. explicat. In Scriptoribus Rabbinicis, Cabaliſticis, & ejus farinæ hominibus, multa habentur ſomnia, & ineptæ de mundi hujus concinnatione & conformatione opiniones, quas hic legere aut congerere non eſt neceſſum. Videantur Auctores Cabaliſtici, uno volumine comprehenſi, interque eos Franciſci Georgii *liber de Harmonia mundi.* Vid. & Henricum Morum *in Conjecturis ſuis Cabaliſticis.* Multa ſunt quoque Fratrum Roſeæ Crucis ſomnia, quæ libro ſingulari explicuit Ægidius Gutmann, cui tit. Offenbahrung Göttlicher Majeſtät.

8 Carteſiani, in mundi Syſtemate ordinando, alia quadam ratione procedunt. Illis, in prima mundi creatione, Deus dicitur univerſam corporis molem ex nihilo produxiſſe. In ſecunda (nam illi duas quaſi creationes faciunt) communem illam & informem materiam diviſit in plures velut provincias, variis eam formis & figuris ornavit, diverſasque facultates ei conceſſit, non ſine materiæ motu. Communis omnium materia, in mundi origine, vehementi motu fuit agitata, qui hodie cum materia perdurat. Partes ejus materiæ minutiſſimæ & magis concitatæ primum fecerunt elementum, quod, inſtar pulveris aut ſcobis tenuiſſimæ, ex aliarum partium abraſione, profectum eſt. Cum exilia iſta corpora motus impreſſioni non obſtent, neque alia aliis ſint implicita, ſed omnino diviſa, quam citiſſime ea moveri neceſſum eſt. Secundum elementum prodiit ex infinitis fere & minutiſſimis globulis, qui minus perniciter cientur, & prima agitatione quaſi tornati fuere, ac mutuo contactu ſpatiola quædam reliquere non omnino vacua, ſed primi Elementi velut polline completa. Tertium Elementum continet communis materiæ partes craſſiores & ramoſas, alias aliis implicatas, quæ conceſſere in terram, Planetas, & Elementa vulgariter ita vocata, quæ ex tertio illo elemento conſtant. Jam illis primum elementum, in centro cujuspiam mundi, ſeu vorticis, inquieto motu agitatum, globulos æthereos in rectas lineas protrudit, qui, cum viſus organum feriunt, luminis & caloris ſen-

ſenſum procreant. Illos globulos majores eſſe ajunt, quo longius a ſole, ſeu centro mundi, diſtant. Cœleſtis materia, quæ globulis ſecundi elementi conſtat, circa centrum commune tota in orbem vertitur, &, quantum poteſt, a centro abire nititur, &, niſi proximi vortices obſiſterent, magis magisque recederet. Globuli illi cœleſtes, colliſione mutua attriti, minus, quam ante, loci occupant, cumque jam aliquantum a centro ſui vorticis receſſerint, primum elementum, ut mole minimum, ſic raptiſſime incitatum, medium locum, ab ætherea ſubſtantia relictum, implet, major enim eſt & uberior primi elementi copia, quam globulorum anfractibus vel interſtitiis complendis ſufficiat. Quod igitur reliquum eſt hujus tenuiſſimæ ſcobis, in medium vortices confluit, & ſolem efficit, cujus partes tenuiſſimæ & diviſæ ſeorſim inſtar flammæ moventur, atque ætheream ſubſtantiam in rectas lineas undiquaque premunt, in qua preſſione luminis natura illis conſiſtit. Ita flamma, in medio noſtri vorticis, aut cœli, accenſa, pabulo non eget, neque enim alieno ſubjecto, ut ignis noſter, inſidet, neque in vicinum aëra diſſipatur, ſed tamen hæc materia ex aliis in alios vortices, commeat. Jam unaquæque ſtella ſibi proprium vorticem, aut cœlum vindicat, & in illius medio celerrime agitur. Unicuique vortici ſui ſunt poli aut cardines, circa quos vertitur, ſua eſt Ecliptica, ſeu maximus circulus, quem motu ſuo deſcribit. Alii vortices aliis ſunt majores, atque ita diſpoſiti, ut quam minime ſe impediant. Is itaque vortex, in quo ſumus, quique planetas complectitur, ſex aut pluribus vorticibus ita circumdatur, ut motum, ſibi impreſſum, quam poteſt maxime, tueatur. Primum elementum, per interſtitia globorum recta propulſum, &, qua celerrimus eſt motus, nempe ab Ecliptica unius vorticis, emiſſum, facile ſubibit alium vorticem per eas partes, quæ ſunt polis proximæ, ubi minor eſt reſiſtentia, hinc ad centrum illius vorticis confluit, ut vortex id; quod deperditum eſt, reſarciat. Itaque per polos hujus cœli, ex aliis vorticibus, materia primi elementi continenter elabitur, & ad polum oppoſitum properaret, niſi materia ſecundi elementi obſtaret. Secundi elementi materia in orbem quidem agitur, ſed in alios vortices non prorumpit. Hæc ſunt Carteſianorum de Syſtemate mundi cogitata, e quibus compendio quodam propoſuit eorum doctrinam J. Bapt. du Hamel *de Conſenſu V. & N Philoſophiæ lib. 1. cult.* Et ſane plena quidem ſubtilitatis eſt hæc ſententia, ſed habet tamen & permulta dubia, neque ita demonſtrata eſt a Carteſio, ut res ita ſe habere poſſit, quæ tota ſuſpicionibus ingenioſis nititur. Interim ille phænomena nonnulla cœleſtia ſatis feliciter his hypotheſibus ſuis explicat.

9 Quod varia mundi Syſtemata attinet, notiſſimum eſt, differre in eo, tum Aſtrologos, tum Phyſicos. Et Phyſici quidem eam rem ad ſe pertinere non putant, quo ordine, quave ſerie corpora mundana ſe exhibeant. Aliter Syſtema ſuum diſponit Ptolomæus, aliter Copernicus, aliter Tycho, de quibus videantur libri Hypotheſeon Aſtronomicarum, Galilæus Galilæi *in Dialogo de mundi Syſtemate*, Dan. Lipſtorpius *in Vero Mundi Syſtemate*, Petrus Gaſſendus *in Aſtronomia ſua*, Ant. Deuſingius *in vero mundi*

Syſtemate; præ omnibus v. J. Bapt. Ricciolus *in Almageſto ſuo novo*, quod Opus rei Aſtronomicæ Pandectas dixeris. Nobis enim hic extra inſtitutum noſtrum poſita eſt hujus rei tractatio. Qui imaginarias ſpeculationes velit ſupra natura & conſtitutione omnium orbium cœleſtium, is legat Athan. Kircheri librum, cui tit. *Iter Eſtaticum*, in quo, ſub ficto quodam itinere per cœli orbes, Duce Angelo Cosmiele facto, narrat, quæ ſibi illic viſa ſint. Et hunc ego librum optimum e Kircherianis eſſe, nec ſine ingenio ſcriptum, exiſtimo. Apologiam pro illo, contra Religioſorum quorundam cenſuras, Caſp. Schottus, Jeſuita edidit. Quantum ad uſum Phyſicum, mundum ſolent dividere (1) in ſpecies generabiles & ingenerabiles, ſive perpetuas & mutabiles; (2) in ſupralunares & ſublunares: (3) in cœlos & ſtellas; (4) in tria elementa, ut diſtinguunt Carteſiani. Sed, me judice, ſupervacaneum eſt, hic nimis eſſe ſollicitum: quomodo enim ſatis accurate diſtinguemus, quorum conditionis & naturæ ignari ſumus.

10 Eſt & hic locus quæſtioni *de aquis ſupracœleſtibus*, de quibus magna controverſia eſt, magna opinionum ſunt divortia, quæ enarrata legere poſſumus apud Bened. Pererium *in Comment. ad cap. I. Gen.* Lud. Beaufortium *in Coſmopœia divina, ſect. 2. c. 1.* Sunt, qui partem Heterodoxias hodie faciunt, ſi quis negare auſit, aquas dari ſupracœleſtes, eo ſenſu, quo ipſi accipiunt. Adeo Theologi hanc litem etiam ad ſe pertinere putarunt, quos ſatius eſſet manus abſtinere ab iis doctrinis, quæ per ſe e ſacris literis principia ſua & auctoritatem non habent. Certe res inexplicabilis eſt, fingere aliquas aquas, extimam cœli ſuperficiem circumdantes, quæ illic nulli uſui eſſent, & ratione nulla ibi concipi poſſunt. Cum enim figura mundi extrema non uno aliquo termino contineatur, & Mathematici ad oculum demonſtrent, ſtellas eſſe corpora, non cœlo, ut plano alicui, infixa, ſed diverſis altitudinibus a ſe remota, & inter ea minima viſu altiſſima, concipi non poteſt, quomodo aqua hic quaſi ſuperfundi poſſit, atque omnes orbes circumdare. Malim itaque cum illis facere, qui aquas ſupracœleſtes interpretantur eas, quæ ſupra eam cœli partem ſunt, quam regionem aëris vulgo dicunt, eas ſcil. quæ nubibus continentur. Notum enim eſt, vocem *cæli* apud Hebræos etiam aëris regiones denotare, cum vocant *pluviam cæli*, *aves cæli*. Quales aquæ etiam aliis corporibus poſſunt circumdari, ut ita, reſpectu terræ noſtræ, etiam illæ aquæ, quæ in Athmoſphæris orbium cœleſtium continentur, aquæ ſupracœleſtes ſuo modo dici poſſint.

CAP. XII.

DE COELO ET STELLIS.

§. 1. *Ariſtotelis de Cœlo commenta explodiuntur. Cœlum viſibile eſt ſubſtantia aëris tenuiſſimæ, Empyreum merum figmentum, locus autem beatorum humano ingenio imperveſtigabilis.*

2. *Stellæ*

2. Stellæ ſunt, vel Planetæ, vel Fixæ (quibus etiam Sol accenſendus.) Planetæ, uti in luna obſervatum, corpora ſunt compoſita terreno ſimillima. 3. Stellarum Fixarum natura parum explorata. Veteres eas cum ſole igneas eſſe credebant. Stoici ac Pet. Bourdin vapores maris pabulum illis aſſignarunt. Non ſunt corpora ſimplicia. Sol Honorato Fabri aurum liquidum. 4. Variæ de Stellis novis & Cometis ſententiæ. De Stanisl. Lubienicii Theatro Cometico *ſequius, de Joh. Hevelii autem* Cometographia *præclare, judicatur. Cometæ ab Ott. Guerikio, & aliis, prædicti. Effectus illorum naturales. Solis & Lunæ maculæ. 5. Planetæ plures, quam ſeptem. Saturni & Jovis ſatellites. 6. Nec Aſtrorum omnium (uti contrariæ de Sole, Saturno, Marte & Luna, docent obſervationes) Figura eſt Sphærica, nec omnia moventur. Motus duo contrarii abſurde iis afficti. 7. Luna lucem tantum mutuatitiam habet, forte & Venus. 8. Via Lactea, Ariſtoteli falſo Meteorum credita, innumeram continet ſtellarum multitudinem. Fort. Liceti figmentum duplicis Viæ Lacteæ. Cometæ multi illic orti. 9. Aſtrorum, & Lunæ præſertim, in terreſtria influxus aſtruitur. Ant. Mizaldi de hoc ſcripta, parum accurata. De Artis Aſtrologicæ principiis, certitudine controverſa, Adverſariis (inprimis Cl. Salmaſio,) & Patronis Phyſicis, Placido de Titis, J. Bapt. Morino & Thoma Campanella, judicium.*

DE COELO apud Ariſtotelem mirabilia ſunt commenta, quorum fides, nec per revelationem, nec per argumenta demonſtrata eſt, ut itaque mirum ſit, ſupereſſe hodie, qui velint ejus ſententiis applicare animum. Cœlum ei eſt ſubſtantia æterna & ſimplex; tribuit etiam illi ſoliditatem plus, quam adamantinam; facit memorabile & incorruptibile. Soliditatem in cœlis probat, quoniam, attrito aëre ab eorum latione, calor & lumen generatur, & his orbibus ait infixas eſſe ſtellas, claves aliquos, & eorum motu moveri, quo certe quid ineptius dici poſſit, non video. Ac miror *J. Bapt. Morinum*, Aſtronomum e recentioribus Gallum, in eo aſſentiri Ariſtoteli, & nunc in tanta rei Mathematicæ luce voluiſſe defendere, quaſi vero Deus, ad Archimedis inſtar, vitream aliquam Sphæram conficere neceſſe habeat. Hinc opus ille habuit motoribus ſuis, quos ad machinas ſuas alligaret, ut canes nos ſolemus machinæ verſatili, qua veru circumducitur. Nolo ejus argumentis, aut refutationibus illorum, immorari. Non enim operæ pretium facturi ſumus. Legantur, quæ in utramque partem diſceptantur ap. Berirgardum *Circ. Piſ. 5. P. 2.* Nobis *cœlum nihil aliud eſt, quam ſubſtantia aëris tenuiſſima, ſeu illa ſit ſpecie diſtincta ab illo aëre, qui terram ambit, ſeu ejusdem cum illo naturæ.* Quantum ratiociniis probabilibus colligitur, non niſi gradu aliquo differt ab hoc aëre, qui terram ambit. Puerile itaque eſt, imaginari ſibi hic certum aliquem orbem, vel ſphæram, vel concavum aliquod, cui aſtra ſint infixa. Ubique cœlum eſt, &, tam illud, quod terram circumdat, quam quod reliquos corporum cœleſtium globos. Cœlum, quod vulgo *Empyreum* vocamus, eſt itidem inter ſuavia ingenii noſtri commenta; locum autem determinare velle, ubi *ſedes beatorum* ſit, noſtræ non eſt res ſapientiæ. Non enim determinato tali loco indiget Deus, ſed, ubicunque vult, cœ- 1

lum ſuum facit. Ubi Deus, ibi cœlum, ſedes illa beatorum. Quomodo enim in manu Domini ſint animæ piorum, id a ſenſibus & ſpeculationibus noſtris longe eſt remotum. Vid. Gisb. Voëtii de hoc argumento Tractatus, Gorichemi A. 1666. *in 8vo* editus.

2 STELLAS quod attinet, quas Ariſtoteles definiebat partes denſiores ſui orbis, de iis etiam pronunciare nihil nos certi poſſumus, quamvis tamen diſcrimen manifeſtum ſentiamus inter Planetas & Stellas fixas, in quarum numerum recentiores Mathematici etiam Solem referunt. Planetæ enim, quorum naturam ex vicina nobis Luna perdiſcere poſſumus, non videntur differre a corpore hoc telluris, & ex ſuis quibusdam elementis compacti. hic telluris elementis non diſſimilibus. Ideoque ſvavia illa ſomnia ſunt, quæ nonnulli ſibi imaginantur, de ſimplici aſtrorum indiſtincte omnium natura, & compoſitionis omnis experte. Id enim in luna oculis, tubo armatis, manifeſte perſpicere poſſumus, eſſe illic partes quasdam ſolidas & fluidas, quod jam ad compoſitionem demonſtrandam ſufficere poteſt. Quanquam fabulis accenſeam, quod refert Gaſſendus, *in vita Peireſcii*, de Cornelio Drebelio, qui tubum parare potuerit, quo oppida & fortalitia lunaria potuerit conſpicere.

3 De Stellis fixis major eſt dubitatio, an illæ adeo ſint ſimplicis naturæ, ut quidam volunt. Carteſius in eo pene cum Ariſtotele ſentit, quod faciat Solis & Stellarum fixarum partes ſimpliciſſimas. Veterum Philoſophorum ſchola aſtra omnia faciebat ignea, aliqui Solem ferro vel lapidi candenti aſſimilabant. Epicurus quoque in ea ſententia erat, in qua explicanda Gaſſendus operam ſuam impendit. Idem Stoici quoque dicebant, qui tamen illis pabulum conficiebant ex vaporibus maritimis. Qua in ſententia ſatis quidem illi abſurdi. Vid. Jac. Thomaſii *Diſquiſ. ſing. de vaporibus nutrimento ſiderum*, quæ inter *Exercitationes* ejus *Stoicas* una eſt. Eandem quoque ſententiam defendit peculiari libro Pariſ. A. 1646. *in 8vo* edito, Autor Anonymus (Petrus Bourdin,) cui tit. *Sol flamma, ſeu de Sole, ut flamma eſt, ejusque pabulo*, in quo mira, ſed inepta, diligentia. pabulum Solis, ſecundum zonas & regiones aëris, diſtinguit. An vero Solis, & ceterarum Stellarum fixarum, ſubſtantia adeo ſimplex ſit, res disquiſitione digna eſt. Sane non veteres tantum, ſed & recentiorum nonnulli, miſtum corpus eſſe fatentur, quod certe heterogeneas partes ſibi habeat additas, ut e maculis videre licet, ac videtur ignis illis eſſe cum viſcida ſubſtantia quadam miſtus. Quam ob cauſam Honoratus Fabri, Solem, ſi aliquid e mixtis ſublunaribus, hactenus cognitis, non niſi aurum liquidum, pronunciat. De ea re prolixius agimus in *Diſſertatione* noſtra *de Sole igneo.* Videatur etiam Franciſcus Patritius in *nova* ſua *de Univerſis Philoſophia*, *lib. 15, an ſidem ſint ignes & lib. 19. de Sole*, ubi prolixius de eo argumento agitur.

De cetero, quod ſtellas attinet, non niſi per conjecturas dicere poſſumus. Supervacaneum itaque eſt, hic quærere de materia vel forma ſtellarum, cum nihil ea de re determinare poſſimus.

Arifto-

Ariſtotelicorum ſententia erat, nihil generari, nihil corrumpi poſſe in cœlo. 4
Sed illa fabula eſt jamdudum exploſa, cum aliud arguant Cometæ & novæ Stellæ, niſi forte cum Ariſtotele omnes Cometas velimus habere pro ſublunaribus. Quod novas ſtellas attinet, ex ſententia Carteſiana earum origo a macularum diſſolutione pendet, quæ ita aliquando ſideri ſuperinducuntur, ut omnes illius radios ſua denſitate aut duritie impediant, ſi vero ſtella liberetur iis maculis, novæ ſtellæ imago appareret, quæ forte ante multa ſecula non viſa fuerat. Alii exiſtimant, viciniorem poſitum in cauſa eſſe, ut ſtellæ appareant, olim non conſpicuæ. De Geminiani Montanari, Mathematici Patavini, Obſervationibus, de duabus ſecundi fulgoris ſtellis in Argo Navi, Bayero B. & V. ſignatis, quæ A. 1667. penitus evanuerunt, atque, ne veſtigio quidem relicto, e cœlo deceſſerunt, paucis poſt annis evulgatis, v. Car. Patini *Lyceum Patavinum p. m. in vita Montanari.* Qui & pluribus circa alias ſtellas obſervationibus, in Opere, quod molitus eſt, Italico, *de l' Inſtabilita del Firmamento*, confirmare id voluiſſe perhibetur. Secundum Carteſii ſententiam ſtellæ nonnunquam in planetam & cometam degenerant, quod quomodo accidere poſſit, perſpicue Ant. le Grand *in Hiſtoria ſua naturali, part. 3. art. 7. n. 5. & art. 11.* docet, ubi de Cometarum generatione agit. Sed ea omnia ſolis in contemplationibus conſiſtunt, nec certis argumentis demonſtrari poſſunt, ideoque incertum eſt omne, quicquid de hoc negotio docetur, diſputatur, ſcribitur. Quæ ad rem Cometicam pertinent, & varias eruditorum ſuper Cometarum ortu ſententias, vaſtiſſimo libro congeſſit STANISLAVS LVBIENICIVS, cui tit. *Theatri Cometici* fecit. Sed liber ille naturam ſubjecti ſui imitatur. Uti enim Cometæ compacti ſunt ex vaporibus & fumis, ita liber ille multa habet inutilia, & ab argumento aliena, cui caudam tam longam fecere Epiſtolæ variorum præter rem accumulatæ & inſertæ. Habemus & IOH. HEVELII (qui unus hoc ſeculo omnium Anteceſſorum diligentiam in laboribus vicit cœleſtibus, imo cœlum & ſtellas in accuratiorem redegit ordinem, Mathematicis ac Mechanicis principiis omnia ſua ſuperſtruens) tum *Prodromum Cometicum*, tum *Cometographiam*, ſive ingenioſum de Cometis opus. Ejus ſententiam, quoniam liber ad manus non eſt, exponere hic nequeo. Niſi fallor, cauſam ortus Cometarum refert ad Planetarum effluvia, extra ſuam Athmoſphæram inque unum corpus, conglobata, e quibus Cometæ Lunares, Solares, Joviales, naſcantur. *(k)* Ex quo principio aliqui Cometarum ortus etiam prædicere auſi ſunt, & quidem non infelici conatu, ejus rei exemplum de *Anzuto* Gallo, qui ex Obſervationibus ſuis motum, tam primi, quam ſecundi Cometæ, præ-

(k) Sententiam Joh. Hevelii de Ortu Cometarum ex Planetarum Effluviis, & perſpicue propoſuit, & adverſus Pet. Petitum (Cometas ſidera eſſe ſemilucida, ſtelli reliquis Ὁμοίους & coæva, ſed, certa demum annorum periodo abſoluta, viſui noſtro iterum iterumque obvia, ſtatuentem) egregie aſtruxit, Joh. Chriſtoph Sturmius in *Diſſ. Cometarum Naturam. Motum & Originem, ſecundum duas hodie Celebriores Joh. Hevelii & P. Petiti Hypotheſes, declarante*, Altorfii an. 1681. *in 4to* edita. Quo Anno ibidem & altera Mathematici ejusdem Celeberrimi, &, in immenſa iſta Scriptorum de Cometis multitudine, tmice a nobis jam commendan-

prædixit, & in paucis fefellit, extat *in Actis Regiæ Societ. Anglicæ*, cui Schematiſmum is ſuum transmiſerat. De Ottone Gverikio, Conſule Magdeb. referunt, eum ex thermoſcopio prædixiſſe ortum alicujus Cometæ. Generantur autem Cometæ, non in orbe ſublunari, ut voluit Ariſtoteles, ſed inter ipſas ſtellas fixas, unde falſo ab Ariſtotele inter Meteora referuntur. De Cometarum præſignificationibus non eſt hic differendi locus. Aſtrologi antiquum ſuum obtinent, & in omnibus arcana quædam venantur. Mutationes quasdam naturales per eos contingere, non eſt omnino improbabile. Non enim ſine impreſſione magna eſſe poteſt, ſi tam vaſtum corpus extra ſuos vortices feratur. Editæ ſunt ſuper hac controverſia variæ a variis Diſſertationes, quas in *Theatro* ſuo *Cometico* congeſſit Lubienicius. Virorum Doctorum contra Aſtrologorum, de Cometis non niſi infauſta portendentibus, ineptas Diſſertationes collegit, & junctim edidit, J. Andr. Boſius. Eodem ſpectant J. Georg. Grævii *Or. de Cometis, contra Vulgi Opinionem, eos eſſe malorum nuncios*, Trajecti A. 1665. *in 4to*, cum Andr. Dudithii libello ejusd. argumenti, excuſa, Gotfr. Wendelini *Teratologia Cometica*, & Vinc. Gvinifii, Jeſuitæ, *Or. de Cometæ Felicitate*, quæ in *Allocutionibus* ejus legitur. De Solis maculis & Lunæ legendus eſt Hevelius in ſua *Selenographia*. Cartelii ſententiam perſpicue exponit Ant. le Grand *loco citato, art. 9.*

5 Planetarum numerus ad ſeptenarium vulgo reducitur, in quo tamen falli nos oſtendunt Teleſcopia; habent enim inter Planetas nonnulli ſatellites quosdam, ut vocant, qui quaſi Planetarum Planetæ ſunt. Saturnus ex tribus ſtellis compoſitus videtur, ut ex varia ejus facie colligi poteſt, jam enim rotundus eſt, jam ovalis ſeu cum angulis, quæ ſunt lunulæ quaſi duæ, quibus utrinque ſtipatur. In hoc Syſtemate Saturni explorando Chriſtianus Hugenius multum temporis impendit, qui *Ephemeridas* certas eorum motuum conſignare laboravit. Etiam Jupiter habet Satellites, quas Circum Joviales vocant, quanquam alii novem ſibi detexiſſe viſi ſunt. De iis videantur Galilæus in *Nuncio* ſuo *Sidereo*, & Simon Marius *in Mundo Joviali*. Forte & plures in vicinia ſunt Planetæ, nobis hactenus inobſervati.

6 Peripateticorum ſchola omnibus aſtris figuram Sphæricam ineſſe exiſtimabat, ſed falſum id eſſe hodiernorum Aſtrologorum experientia docet. Vidit enim Galilæus Galilæi, &, poſt ipſum innumeri alii perſpicaces ac lyncei Viri, teleſcopio inventō, id in Planetis jam fefelliſſe, atque inde incertum quoque in ipſis ſtellis fixis factum. Sol namque ſpectatus fuit ovali figura, de qua videatur Chriſtoph. Scheinerus *in Sole Elliptico*. Saturnus duabus lunulis vel anſis ſtipatus apparet, quanquam id ſphalma viſus

mendandi, prodiit, huic jungenda, *an & quæ mala Cometa nuperus Terris, aut illaturus ipſemet influxu Phyſico, aut aliunde juſto Dei judicio inferenda portendere ſaltem & præſignificare credendus ſit, ea, quæ Chriſtianum decet Philoſophum, libertate decernens, &* Κομητομαντείας vanitatem luculenter oſtendens. Quæ &, ex ipſis Theologis, Joh. Olearium, S. Lit. in Acad. Lipſ Profeſſorem, eodem Anno, in *Diſſ. de Mantice Cometica*, lectu digniſſima, Antagoniſtam invenit dexterrimum.

viſus eſſe poteſt, ob vicinitatem Satellitum, quos adeo diſtincte, ob nimiam diſtantiam, videre non poſſumus. Mars inſtar montis turbinata figura ac pyramidali conſpicitur. Luna anfractuoſa tota eſt, partibusque eminentioribus ac depreſſioribus tumet ac ſubſidet, de qua antea egimus, & legi poteſt Hevelius, &, qui ante illum ſcripſit, Galilæus *in Nuntio ſuo Sidereo.* De ſingulis vide Matthæum Hitzgarten in *detectione dioptica corporum Planetariorum*, & Lipſtorpium *in Copernico Redivivo c. 3.* Stellas omnes moveri, Peripateticorum Schola ait, recentiores autem vehementer dubitant. De Planetis dubium quidem non eſt, ſed de ſtellis fixis magna eſt diſputatio inter Copernicæos & alios, quorum illi terram moveri aſſerunt, ſtellis fixis in extrema ſphæra, ac Sole in centro univerſi, jugiter quieſcentibus. De qua ſententia videbimus *cap. de Terra.* Quod ſingulorum Planetarum motus attinet, docent nos libri Aſtronomici, qui hypotheſes ſuas prolixe ſatis proponunt. Ab externo principio illos, & omnes ſtellas, moveri Ariſtoteles credebat, & quidem ab intelligentiis, quæ orbibus ſuis, veluti rotæ cuidam, affixæ, ſemper illos volverent, ut Diogenes dolium ſuum. Sed inepta ſunt argumenta, quibus illa confirmantur. Id quoque falſum eſt, quod duos contrarios motus aſtris tribuerint. Serio enim id defendere velle, non eſt fide dignum, ac aliqua ratione veriſimile. Ex hypotheſi Mathematica, ad intellectum quarundam demonſtrationum, talia fingere licitum eſt. Id vero ad Phyſicas veritates transferri non debet. Sicut enim nullum corpus ſimul ad dextram & lævam moveri poteſt ſine motu interrupto, aut ipſo corpore rupto, ita de ſtellis illud ne cogitando quidem concipi poteſt, ſolique tarditati corporis, cujus motus ad aliud comparatur, adſcribendum eſt. Huic figmento originem dat fabula de raptu Sphærarum, ſe mutuo ambientium, ubi exteriores tyrannidem exercent in ſubditas ſeu inferiores, cum potius omnes ſtellæ libero gaudeant motu, ita tamen, ne ordinatis ſuis ſemitis excidant.

Dubitari etiam de Stellis ſolet, *an omnes lucem habeant propriam.* Ac de Sole quidem, & Stellis fixis, res expedita eſt: de Planetis dubitari ſolet, quoniam, quæ proxima nobis luna eſt, ſub Eclipſi, ubi nimirum præpeditur terræ interceſſione, quo minus Sol apertos in eam radios derivare poſſit, obſcuram & ſubruffam lucem retinet, quæ tamen ipſa lunæ non vernacula eſſe, ſed per reflexionem peregrinæ lucis excitari creditur. Nimium ſimplices ſunt, qui ex eo credunt, lunæ lumen ineſſe proprium, quod Scriptura ſacra illam *lumen minus* vocet. Nam ea appellatio lunæ etiam competere poteſt, quatenus mutuatitio lumine ſplendet. Quomodo res ſe cum aliis Planetis habeat, definiri humano ingenio non poteſt, num illis inſita quædam lux ſit, aut omnis mutuatitia. Certe Venus æque phaſes ſuas monſtrat, ac luna, ut itaque veriſimile ſit, non aliam eſſe corporis ejus conſtitutionem, quam quæ eſt corporis lunaris. De cetero verum ego exiſtimo, quod Rob. Boylius, *in libro de Coſm. qualit.* ait, in motibus corporum cœleſtium nimium nos eſſe credulos, & rectiorem nobis ordinem atque accuratiorem imaginari, quam is revera eſt. Neque enim hypotheſes Aſtronomicæ adeo fallere non poſſunt, ut, quæ extra Syſtema Planetarium ſunt, certitudine Mathematica determinent. 7

8 *Galaxia*, ſeu *via lactea*, Ariſtoteli olim inter meteora recenſebatur, & vapor aliquis credebatur, cum tamen obſervationes hodiernorum Aſtrologorum doceant; eſſe numeroſam fixarum ſtellarum multitudinem, quæ ita ſibi ſint vicinæ parvæque, ut incertam ac quaſi nebuloſam lucem aſpectui relinquant, quas immenſo ſpatio a nobis, & a ſe invicem, remotas rationes opticæ ſatis docent. Certe ſola illa via lactea probabilitatem faciat eorum ſententiæ, qui multa & infinita Syſtemata Planetaria ſtatuunt. Humanum enim ingenium ſuccumbit cogitationi iſti, ſi ad tam vaſta corpora dirigitur, & in eorum utilitatem & neceſſitatem inquirit, cui fini tam vaſta corpora, tam innumerabilia, ſi illi vacua, & non niſi ad ornamentum cœli inventa. Vid. Schemata viæ lacteæ apud Galilæum *in Nuncio Sidereo.* Id vero lepidum eſt de Fort. Liceto, Ariſtotelis magno defenſore, qui, ut ſalvaret ejus ſententiam, quam de via lactea habet, duplicem facit viam lacteam: aliam aëream, aliam ætheream. Ne ſcil. Ariſtoteles mendacii argueretur, tam monſtroſam ſententiam comminiſci voluit, quæ, ne minima quidem rei veritate, probabilis poteſt reddi. Unde enim orirentur vapores adeo conſtantes hyberno tempore, ubi maxime ſerenus aër eſt, & quid opus eſt duplicem illam ſtatuere, cum nullus inter ætheream & aëream illam Galaxiam nexus eſſe poſſit. Veterum ſententia erat, animos Heroum ſedes ſuas illic capere, qua de re prolixe Manilius & Scaliger *in Comment. in Manilium.* Obſervatum eſt, Cometarum multorum natales circa hanc Galaxiam fuiſſe, quod argumento eſt, multa illic quaſi conſtipata eſſe corpora, quæ, ob nimiam illam vicinitatem, extra orbitas ſuas interdum ferantur. Sententias varias *de via lactea* uno libello congeſſit Ludolph. Georg. Lundenius, Helmſtadii A. 1665. *in 4to* excuſo.

9 Locus hic quoque eſſet, de effectibus Aſtrorum diſſerendi, an eorum aliquis in terreum globum ſit influxus. Eum eſſe naturæ non repugnat, & ratio ſana ſuadet, & aliqua etiam experientia teſtatur. Una luna indicio eſſe poteſt, magnam eſſe vim ſuam in aëris alterationibus & aquæ, fruſtra hoc negante Iſ. Voſſio *in libro de Motu marium & ventorum*, quem vel ruſtici & nautæ refutent. Marium enim motus & aëris, vel dirigente, vel miniſtrante illa, fiunt, modo nobis non ſatis intelligibili. Unde accidit, ut, quæ vulgo obſervata habentur, non ſint tam certæ veritatis, ut fallere aliquando non poſſint. Poſſunt enim aliæ æque potentes cauſæ intercedere, quæ effectum interdum ſuſpendunt, quem alioquin, poſitis iisdem principiis, conſecutum fuiſſe vidimus. De Sympathia lunæ cum corporibus terreſtribus Anton. Mizaldus ſcripſit ſingularem librum Gallicum, (*Secret de la Lune*, Pariſ. 1571. *in 8vo*) De Planetarum ceterorum viribus in *Planetologia* ſua (Lugd. Gall. 1551. *in 4to*) idem ſcripſit, ſed ſunt illa ex vulgaribus fabulis collecta & corraſa. Idem quoque *Aeromantiam* ſcripſit; in qua de Tempeſtatum præſagiis agit: qui liber digna indignaque miſcet. Et pleraque certe ejus viri inanibus potius opinionibus, quam ſolidæ demonſtrationi, innituntur. Quid ſtellis in animos hominum, in mores & in fortunas eorum liceat, res eſt perplexa, & non ſatis dijudicata. Principia certe artis Aſtrologicæ, unde nata primum ſint, dici non poteſt. Eorum veriſimilitudinem refutare

futare non eſt res operoſa, ut illi, qui integris libris hoc fecerunt, parum glorlæ hinc, me quidem judice, habeant. Sunt Joh. Picus Mirandula, Tob. Wagnerus, Frid. Spanhemius *in Dubiis Evangelicis* (quanquam Is tamen argumentis eruditioribus pugnat,) Claud. Salmaſius *in Diatribe de Aſtrologia antiqua*, qui totus in ratiociniis ſuis ineptus eſt, & Grammaticis potius, quam Philoſophicis argumentis, pugnat. Aliquid tamen iis ſubeſſe veri experientia teſtatur, ut facile perſpiciet, qui rem ipſam tentabit. De principiis res ſe, ut velit, habeat, quæ ego exiſtimarim per revelationem aliquam hominibus fuiſſe communicata. Temperamenta moresque hominum ab interno dependent principio. Ideoque facile fieri poteſt, ut a Planeta aliquo concitetur in homine illa vis, quæ ad tale temperamentum, talesque mores diſponat, & iſta quidem aſtra non operantur, per ſe & primario, ſed per conſequentiam. De Fortunis hominum multa puto eſſe incerta, ut illa, quæ ad naturam pertinent, aliquam veri ſpeciem habeant, quod in morbis ad oculum videre poſſumus, qui ex lunæ poſitione & configuratione, vel augeri, vel decreſcere, ſolent. Fuit quidem Placidus de Titis, qui, *in Aſtrologia ſua*, (in qua ſatis eſt ſubtilitatis, parum ſolidæ demonſtrationis, influxus ſtellarum rationibus Phyſicis voluit demonſtrare; is enim ex luce ſtellarum, variisque radiorum configurationibus & temperaturis, voluit quasdam concluſiones deducere, pro determinatione quorundam effectuum. Joh. Bapt. Morinus quoque, *in Aſtrologia Gallica* ſua, pene iisdem principiis inſiſtit, & vehementer ſe torquet in diſtinctione domorum cœleſtium, dignitatibusque & debilitatibus Planetarum ex Phyſica vel Mathematica demonſtrandis. Sed omnis illa res in meris hariolationibus conſiſtit, & eo majus operæ pretium fecit, qui ingenioſius ſuſpicatus eſt. Thom. Campanella, ingenioſus alias talium diſciplinarum rimator, *libros 7. Aſtrologicorum* ſcripſit, quibus ſe Aſtrologiam, omni ſuperſtitione Arabum & Judæorum eliminata, phyſice tractaſſe ait, ſingularemque librum addidit *de Siderali fato vitando*, quo ſane fatum fato eluſiſſe videtur, ſed ſolertiam tamen ſuam ea in re prodidit.

CAP. XIII.

DE ELEMENTIS.

§. 1. *Cognitio noſtra globi Terraquei ſuperficiaria tantum eſt. Terra & Aqua prima miſtorum ſunt Elementa.* 2. *Errant, & qui Elementum unicum ſtatuerunt, veteres (quoque Ariſtotelem ſententiam hanc illis affinxiſſe, credit Pet. Ramus,) & Philoſophi corpuſculares, qui infinita. Minimorum miſtionis ratio inexplicabilis.* 3. *Veſtiganda ſunt Elementa corporum, non remota, quorum ingens eſt obſcuritas, ſed proxima. De principiis Chymicis, & Rob. Boylii* Chymiſta Sceptico, *judicium.* 4. *Nec non de tribus Elementis Carteſii.* 5. *Examen doctrinæ, de 4. Elementis, ac 4. primis eorum Qualitatibus, Ariſtotelicæ, Honoratique Fabri pro hac Argumentorum.* 6. *Ad Miſtionem duo*

Elementa requiruntur contraria, ſiccum & humidum. 7. Scrutinii Miſtionis neceſſitas. Trica de illa Ariſtotelica Veterum doctrina ſanior. Mixtionis Chymicæ cum Naturali collatio. 8. Mixtionis variæ ſpecies & diviſiones. 9. J. Bapt. Helmontii & aliorum, opinio de Aqua, Elemento unico, rejicitur. 10. Scriptores de Elementis legendi.

1 A Cœlo in terram deſcendimus, tanquam orbem noſtrum, omnium parentem & matricem, circa quem tantum hæret Philoſophia naturalis, imo circa cujus corticem tantum occupata eſt. Quantum enim phænomenorum naturalium apparet, vel circa ſuperficiem terræ, vel in regione illa aëris, ſuperficiei terræ proxima, vel in corporibus animalium, vel in plantis; id tantum qualecunque objectum eſt noſtræ Philoſophiæ. Ceterum circa interiora hujus globi, & ſpecierum illic in abdito latentium, profunda nobis eſt ignorantia ac inſuperabilis, cum nemo, vel oculis, vel ingenio, pertingere eo queat. Quantum enim rerum metallicarum ſcimus, id vel alienæ fidei debemus, vel incertis quibusdam experimentis, inſtitutis circa illa corpora, e matrice ſua eruta, & artis acceſſione, & peregrinorum agentium applicatione quaſi in novam formam redacta, ut mirum non ſit, ſi in iſtorum corporum natalibus adeo cœcutiamus, & neſcio, qua imaginaria Elementorum miſtura qualitercunque ignorantiæ noſtræ ſubveniamus. Quando jam itaque ſpecierum, vel corporum, ad hunc terreſtrem globum pertinentium, conſtitutio inquirenda eſt; ſolemus primo de principiis illorum eſſe ſolliciti, internis ſc. illis, quæ in conſtitutionem eorum ingrediuntur. Jam ergo, cum globum hunc conſideramus, duas in illo invenimus maſſas præcipuas, & conformitate quadam naturæ ſuæ collectas, *Terram* ſc. *& Aquam.* Iſta duo corpora, ut univerſalia, intuemur, ac ſenſu comprehendimus. Quare veriſimile eſt, primas eſſe materias eorum, quæ ex terra, producta ſunt, & ſumma quædam elementa, quæ ad mixtionem ex ipſa texturæ ſuæ ratione apta videntur. Satis ergo, ut arbitror demonſtrari poteſt, remotiſſima corporum principia eſſe ſalutanda.

2 Non enim audiendi ſunt, qui unum aliquod principium ſtatuerunt, quod fecerunt e veteribus Philoſophis aliqui, ſunt enim, qui aquam, ſunt, qui terram, ſunt, qui ignem, ſunt, qui aërem faciunt principium corporum. Contra eos argumentis ſatis ſtringentibus pugnavit Ariſtoteles, recte demonſtrans, contrarietatem debere ineſſe principiis. Unitatem vero nihil habere in ſe contrarii. Quanquam Petrus Ramus, *in prælectionibus ſuis Phyſicis*, Ariſtoteli imputet, cavillationem aliquam, ut qui noluerit intelligere ſententiam veterum. Demonſtrat enim illic, non ſtatuiſſe veteres unum aliquod homogeneum principium, ſed partibus diſſimilaribus ſcatens. Ideoque, cum Aquam dixere unum elementum, id agnoverunt quaſi principium aliquod & gluten partium, ſed tamen & alias partes & principia agnoverunt. Idem de iis dicendum, qui reliqua, aërem, ignem & terram, unicum elementum habuerunt. Fuerunt & alii, qui infinita corporum principia ſtatuebant. In ea ſententia fuere

Cor-

Corpuſculares Philoſophi, qui non aliam corporum miſtionem agnoſcebant, quam ex Atomis, diverſa inter ſe figura & forma præditis. Contra quos etiam pugnat Ariſtoteles, quos & ego ab hac doctrina eliminandos eſſe cenſeo. Naturam enim ultra ſuos terminos producunt, & principia in iis ſedibus quærunt, in quibus ſenſui ſunt imperveſtigabilia. Quanquam enim non diffitear, multa corporum phænomena dependere á minimarum particularum conditionibus: tamen id affirmare non poſſumus, miſtionem corporum talem vel talem eſſe, ob minimas particulas, ita inter ſe comparatas. Et quanquam corpora per extremam reſolutionem in ejus naturæ particulas abire poſſint, non ſequetur tamen ex eo, ab initio ſtatim adfuiſſe tales particulas, quæ corpus iſtud conficerent. Poſſunt enim diverſa quædam corpora, velut principia, eſſe in tertia quadam ſpecie conſtituenda, ubi non eſt tam de particulis inquirendum, quam de ipſis corporibus diverſis, quibus accidit in tales vel tales particulas reſolvi, vel ita per minima ſua miſceri. Quod ſi itaque cognoverim duo illa principia, ultra contemplationem eſt noſtram & ſenſuum apprehenſionem, quomodo minima iſtorum corporum ſeſe complectantur. Id enim ſponte ſua evenit, & eſt quidam nexus & relatio corporum quorundam inter ſe, nullo nobis ingenio explorabilis, quam permittere naturæ debemus, ſatis docti, modo principia ipſa cognoverimus.

Quo magis ergo a ſenſibus receſſerimus in doctrina Elementorum, eo minus 3
certitudinis ſe nobis offert. Animus enim, a materia abſtractus, ſpeculatione quadam, in ſe reflexa, multa concipiet, quæ tamen adeo abſolutæ veritatis non ſunt, ut in his acquieſcere poſſimus. Et id forte poſitum eſt extra ingenii noſtri conditionem, ut Elementa rerum πρώτως prima definire ulla cogitatione poſſimus. Abeundum enim eſt ad aliquas notiones abſtractas communes, univerſales, quibus tamen nihil effectum eſt, quam ut ingenioſa aliqua veriſimilitudine exprimamus ea, quorum veras rationes aſſequi non poſſumus. Nihil itaque nimium, aut a re ipſa alienum, dixero, ſi hunc Phyſicorum laborem Siſypheum dixerim, & in ſe redeuntem, ac incertum. Sufficit nobis, ſi in mixtionibus corporum ea indagare poſſimus principia, quæ illa immediate conſtituunt, & tum, ut puto, officio noſtro egregie functi fuerimus, relicta imaginariis & Cathedrariis Philoſophis illa, quæ viget in ſcholis, infructuoſa contemplatione & altercatione. Sic multa ſunt e corporibus naturalibus, imo pleraque, quæ ex principiis iſtis communibus Elementaribus quomodo compacta ſint, nulla ratione perſpexeris. Ac poſſunt forte aliqua proplora corpora dari, ex quibus proxime componitur corpus aliquod, quæ rectius quis Elementa dixerit, quanquam non ſint iſtius ſimplicitatis, quam vulgo tribuunt Elementis. Certe Chymicorum principia in quibusdam propiùs ferire ſcopum videntur, quam quæ vulgo habentur de Elementis dogmata: ſed tamen & in illis multa ſpeculationibus incertis ſunt ſuffulta, & generali aliqua notione nos æque in obſcuro retinent. De iis *Parte I.* egi aliquanto prolixius, unde repeti poſſunt, in quantum ad præſens negotium pertinent. Nolim tamen facile omnia probare, quæ adverſus tria illa principia affert Boylius *in Chymiſta ſuo Sceptico*, cujus ſcripti ſcopus omnis in eo verſatur, ut mon-

ſtret, non eſſe adæquata illa principia, & eſſe iis aliqua priora, quod poſterius equidem non negaverim, ut qui exiſtimem, nobis in cognitione rerum naturalium non opus eſſe ſubtilibus illis principiis, quæ ſenſu dijudicari non poſſunt, quanquam illa forte revera dentur, ſed Philoſopho naturæ Practico conſideranda potius eſſe principia in ordine ad miſtionem, qua parte quo ſagaciores erimus, magis in viſcera naturæ penetrabimus, quam ſi extra eam abducti, ad ſubtiliora quædam & altiora animum extollamus, de proximis ſecuri. Hinc nihilo doctiores ſumus in Phyſicis his ſpeculationibus, & vincimur interdum operariorum experientia.

4 Tria illa Carteſii Elementa ſatis ſunt ſubtiliter excogitata, quanquam 3. illa ex uno reſultare videantur. Vult enim, mundi initio totum Univerſi ſpatium a materia creata, ex cubis conſtante, fuiſſe occupatum, quorum ſinguli cum circa axem converterentur, ita ſuperficies tornata fuit, ut pars in globos abierit, pars in quædam ramenta, pars denique in ſtriata quædam corpuſcula, ex hujusmodi ramentorum plexu contexta. In quibus ſingulis magnis dubiis locus relinquitur. Nam a quo motus ille turbinationis eſt? cur potius in unam, quam in aliam partem? denique videndum, an non motus unius cubi motum alterius impediat, & an ramenta deciſa ita convenire poſſint, ut nullas vacuitates relinquant, quas Carteſius tamen penitus rejicit. Præterea omnia hæc hypothetica ſunt, & nullis neceſſariis rationibus ita demonſtrari poſſunt, ut aſſenſum nobis extorqueant.

5 Quod vulgatam illam doctrinam de Elementis attinet, ſciendum eſt, illam non eſſe adeo antiquam, ut quidam exiſtimant, cum Ariſtotele antiquiores longe alia ſenſerint, quibus aliqua ex iis in Elementa aſſumta ſunt, non autem eo ordine quatuor illa, quæ quidem ſatis ſollicite ab Ariſtotele diſpoſita ſunt, & ferme ad numerum & pondus omnia revocata, ne quid ſc. periret e principibus illis 4. qualitatibus, quas velut ſatellites adjungit ſuis Elementis; cum tamen & ipſa Elementa, quatenus Elementa, & Qualitates iſtæ Elementares multum habeant difficultatis. E recentioribus hanc Ariſtotelis doctrinam magno molimine & apparatu, & doctius, quam ceteri ejus Interpretes, propoſuit Honoratus Fabri, *Tom. 2. Phyſ. Tr. 5. lib. 2.* cujus tamen argumenta eodem labore & ingenio, quo adſtruuntur, deſtrui poſſunt. Ut quaternarium Elementorum nobis probet, argumentum ducit a primis 4. qualitatibus, &, ut primas qualitates probet, argumentum ducit a primis 4. Elementis, harum 4. qualitatum receptaculis. Ut itaque demonſtratio hæc in circulum abeat, & principium ſuum petat. Neque enim ulla ratio nos cogit, has qualitates abſolute primas facere, cum & aliæ eſſe poſſint non minus primæ, atque iſtæ, quas ſi quis negare velit ineſſe πρώτως corporibus ſuis, non difficilis illi labor futurus ſit. Quam enim ob cauſam debet eſſe aqua frigidum in ſummo, terra elementum ſiccum in ſummo, cum certe demonſtrari ſatis poſſit, aquam, cum ſumme frigida eſt, quaſi in aliam ſpeciem abire, & formam ſuam deponere, quando ſc. in glaciem abit, quod fieri, interventu alterius corporis, veroſimile eſt. Ut itaque ſummum frigus per ſe non inſit aquæ, ſed fortaſſis terræ, ut quibusdam placuit, inprimis Bernhardino Teleſio, qui calorem & frigus

frigus duo Elementa ſtatuit, quorum ille cœlo, & corporibus cœleſtibus, competit, hoc terræ, quæ duo mutuo inter ſe concurſu, actione & reactione, conficiant nobis corpora naturalia. Ne quid nunc dicam de qualitatibus ipſis, in ſe conſideratis, quarum natura omnis in relatione ad noſtros ſenſus ſubſiſtit, & in modo aliquo materiæ, unde nulla probatio deſumi poteſt ad quaternarium Elementorum numerum conſtituendum. Si enim illæ Qualitates nec ſimpliciter primæ ſunt, ſi multæ aliæ ſunt Qualitates, quæ æque primæ poſſunt ſalutari, (nam ideo hæ primæ dicuntur, quoniam primo inſunt Elementis,) nulla ratione ex iis probari poteſt quaternarius numerus Elementorum, ſine manifeſta petitione principii. Ubi negavero quaternarium Elementorum, negavi etiam primas illas qualitates, quatenus primas; ubi has negavero, ſimul negabo quaternarium Elementorum. Eandem firmitatem habent reliqua illa argumenta, ab Honorato Fabri adducta, ſc. ex illarum primarum qualitatum conjugatione, vel combinatione. His enim negatis eo ordine, quo ſtatuuntur, fruſtra ſumus ſolliciti de earum conjugatione vel combinatione. Neque triplex ille corporum ſtatus quaternarium nobis probabit. Sunt, inquit Honoratus Fabri, duo ſtatus oppoſiti, tertius medius; oppoſiti, ſunt ſpirabilis & durus, medius vero liquidus. Spirabilis ineſt aëri, durus terræ, liquidus aquæ. En tria Elementa! Ut autem hæc inter ſe uniantur, communi ac primæva fibula indigent, quam facit ignem. Ergo jam per illum ſic demonſtrata habemus 4. Elementa; cum tamen illi reſponderi poſſit, non eſſe nobis opus ſtatibus illis ad quaternarium Elementorum demonſtrandum. Quæ enim dura ſunt, ſunt dura per ſe, quæ liquida, liquida, neque eſt illorum oppoſitio hic in examen vocanda. Spirabilitas aëri plane accidit, nec ad corporum compoſitionem quicquam facit, quibus aër vel in ſuperficie hæret, poros pervadit, corpori per partes adhærens, non autem commiſtus. Quod autem igne fibulatore illi tres ſtatus opus habeant, neque id ſatis apparet, cum, ad diverſas partes conglutinandas, ſufficere humor poſſit, vel aqua. Ignis autem, quem aliqui ne ſubſtantiam quidem eſſe volunt, nulla manifeſta ratione dici poteſt ingredi in ſubſtantiam corporis, ut qui corpora potius deſtruat, ſi vehemens ſit, niſi in quantum motu ſuo movere primum particulas diverſarum partium poteſt usque dum intra ſe recedant & comprimantur, atque ita uniantur, quam unionem ignis, ut inſtrumentum parare poteſt non ut Elementum. Præterea multa ſunt corpora, quæ mediante frigore miſcentur, nec fibulatore igne indigent.

Hæc, uti dixi, omnia problemata ſunt, & in utramque partem diſputari poſſunt, in quibus cuivis liberam ſententiam relinquendam eſſe exiſtimo, ut qui una hypotheſi non plus proficiet, quam altera, modo id ſciverimus, principia eſſe diverſa & contraria, quorum miſtio nobis corpus aliquod conſtituat. Illa enim neceſſario ſupponenda ſunt, ſi miſtionem in natura admittamus. Eam autem eſſe, ſenſus noſtri nos convincunt, & ſevera illa ignis anatome. Illa elementa naturæ ſunt ſiccæ & humidæ; Non facile enim miſtio inſtitui poteſt, niſi habeamus corpora ejus naturæ. Sicca ſunt diſcontinua; humida partes habet continuas & contiguas, quæ quaſi glu- 6

tine

tine quodam colligant particulas diſcontinuas ſicci, iisque ſibi aſſociatis maſſam unam conficiunt, quemadmodum e. g. videre eſt in gypſo pulveriſato, cui aqua affuſa in lapidis ſoliditatem partes adunat.

7 In hujus miſtionis natura bene cognoſcenda pars magna, imo unica, Phyſices ſita eſt, huic explorandæ omnis impendenda opera eſt. Nam, quantum illius ſcimus, tantum etiam de natura ſcimus. Quid ſi Peripateticorum ſcholam conſulimus, Deus bone! quantæ hic ſunt tricæ, quam varii, ſed inanes, conceptus de alteratione & commutatione elementorum? quanta hic eſt qualitatum primarum, ut vocant, & quam ſollicite quæſita diſtributio & proportio? quæ cum ad unguem omnia perdidiceris, nihilo doctior meliorque, in cognoſcenda rerum natura, evades. Cum Ariſtotelici omne negotium in qualitatibus ſuis ponerent, veteres tamen ante Ariſtotelem Philoſophi rectius ſenſere. Statuebant illi primas aliquas ſubſtantias ſimplices, liquidas omnes, alias magis, alias minus, pro naturali partium adhæſione. Ex portionibus ſimplicium ſubſtantiarum, aliarum cum aliis copulatione, mutuoque complexu, fabricabantur ſemina ſpecierum compoſitarum, quæ, ſuſcepto paulatim incremento, perficiuntur. In ſubſidium ſuæ miſtionis demonſtrandæ vocarunt etiam particularum figuras, quæ omnia arguunt, oculatiores illos fuiſſe, quam Ariſtotelicos. De miſtione, ſecundum Ariſtotelem & antiquos, vid. Beringardum *Circ. Piſano 25. P. 3.* ubi prolixe admodum, & allatis exemplis, doctrinam eorum explicat, inprimis e Chymicorum operationibus. Chymia enim vera miſtionis addiſcendæ ſchola eſt, ſive reſolvamus corpora in ſua principia, ſive commiſtione & conjunctione diverſorum corporum nova quædam producta efficiamus, quæ quanquam ſpecies nolint appellare Phyſici, ſunt tamen ab ipſis non magnopere diſtinctæ, cum videamus, naturam eodem modo procedere, ut nos procedimus in artificialibus productis, in quibus tamen omnia naturalia ſunt, quoniam agentia ad patientia applicantur, eorumque operationes mutuæ ſoli naturæ relinquuntur. In eo vero natura artem ſuperat, quod perfectiori & lentiori modo agat, quem ſi imitari arte poſſemus, eadem ratione, eodem gradu, miſcere corpora poſſemus.

8 Miſtio illa corporum fieri variis rationibus poteſt. Fieri enim mixtio poteſt vel reſpectu corporum mixtorum, vel ratione modi, quo miſcentur. Reſpectu corporum mixtorum, miſtio diſtingui duplici via poteſt, ſcilicet in eam, quæ fit per conjugationem, vel quæ fit per proportionem. Per conjugationem intelligitur certa mixtura quorundam principiorum talium, quæ iterum triplici ratione variat, (1) ratione numeri, ut cum unum corpus componitur duobus, aliud tribus, aliud 4. aliud 5. principiis; (2) ratione ſpeciei, ubi quanquam ſit conjunctio ejusdem numeri, non ſit tamen ejusdem ſpeciei; (3) cum differunt inter ſe, & ratione numeri, & ratione ſpeciei. Solis his miſtionibus, absque concurſu imaginariæ cujusdam formæ, produci poſſunt varia illa corpora naturalis mundi, cum ſemel natura præparatas habet varias illas materias, quibus mixturæ illæ fiunt. (2) Mixtura principiorum etiam proportione variare poteſt, ſeu diverſis quantitatibus diverſorum principiorum, vel par-

partium, inter ſe miſtarum. E. g. ſi quantitas unius ſe habeat, ut quinque ad decem, alterius, ut quinque ad quindecim, & iterum alterius, ut quinque ad viginti, &c. vel ſi in uno ſit proportio quinque ad ſex, in ſecundo ſex ad 7. in tertio 7. ad 8. per quas proportiones mixtura innumerabiliter variari poteſt.

Ratione modi conjunctionis omnia corpora miſceri poſſunt, vel per mediationem, vel per contactum. Omnis contactus, ſive compoſitorum, ſive Atomorum, non alia ratione fieri poteſt, quam qua reſpondet illarum figuris, cujus tres modos concipere poſſumus, (1) per contactum in puncto, ut cum duæ particulæ globulares, vel alio modo gibboſæ, ſibi occurrunt. (2) ſi per contactum in plano, ut in conjunctione triangularium, vel quadrangularium laterum particularum; (3) per contactum in concavo, ut quando particula admittitur in concavo, vel in foramine, particulæ alterius. Primus modus vocari poteſt oppoſitio, ſecundus applicatio, tertius receptio, vel intruſio, qui ultimus modus exprimit nobis miſturam per mediationem. His generalibus quibusdam notionibus Mathematicis concipi ratio miſturæ poteſt: in quibus tamen ita acquieſcere non poſſumus, ut jam interiorem miſtionis naturam recte percipiamus. Nam latitant in principiis & corporibus ipſis occultæ quædam conſenſiones & diſſenſiones, quibus fit, ut aliqua miſceantur, aliqua miſceri repugnent, quæ humano ingenio explorari non poſſunt, ſola autem experientia diſci.

Qui unum Elementum ſtatuunt, rationem miſtionis non intelligere videntur, 9
aut ſi illud unum videtur, revera habet in ſe partes heterogeneas & diverſas, ad miſtionem aptas. Quidam e veteribus aquam ſtatuebant Elementum commune omnium, quam doctrinam reaſſumſere Joh. Bapt. Helmontius, Henr. de Rochaz, ac alii nonnulli. Helmontius ad experimenta provocat, quo falli tamen ipſum certum eſt. Quod enim oſtendit, ſalicem omne ſuum incrementum ex aqua habuiſſe, falſum ego puto. Aquæ enim, quæ ad rigandum adhibebatur, immiſtæ erant particulæ heterogeneæ, ab aqua diverſæ, quæ non minus, quam aqua, ſalici aliquid contulerunt.

Quod ceteras illas de Elementis controverſias attinet, quas nulla dies compo- 10
net; de iis præcipue legi velim J. Bapt. du Hamel *de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ*, Berigardum *part. 2. & 3. Circ. Piſ.* & Honoratum fabri *loco ſuperius citato*, qui, ſepoſita ſcabritie illa Scholaſtica, & illa terminorum ſtribligine, elegantius, ſecundum Ariſtotelis & veterum Philoſophorum mentem, philoſophantur, eorumque rationes & momenta inter ſe componunt. Caſp. Contareni, Cardinalis cetera doctiſſimi, *Libri V. de Elementis, & eorum miſtionibus*, Peripatetìcis & Platonicis principiis potiſſimum indulgent, ſed parum habent, quod ſapiat interiorem aliquam ἀκρίβειαν. Prodierunt Leidæ A. 1633. *in 12.* Sperlingiani, vel Sennertiani, quaternarium quidem Elementorum numerum retinent, ſed diverſa tamen ab Ariſtotele in nonnullis ſentiunt. Eorum de Elementis doctrinam Henr. Schævius ſcripto peculiari, adhuc ἀνεκδότῳ, impugnavit. Exſtat & Corn. Drebbelii *de Elementis liber*, in Lingu. Germ. quoque converſus, Magiſtri rerum naturalium & artificialium inſignis, quique multis magni Arcani Philoſophici poſſeſſor fuit habitus. In eo multa arcana

innuit rariſſima, quæ ex Elementis poſſint confieri, mirabilesque in natura effectus habeant. Multa habet de natura ventorum, pluviarum, aliorumque meteororum, inprimis autem laudat Quintam ſuam aëris Eſſentiam, miræ, in refocillandis ægris, & reſpirationibus ſub mari ſublevandis, efficaciæ. Deſcriptionem ejus quandam vid. in Monconiſii *Itinerario*, *P. II. p. 33.* ubi, uti & *p. 40.* plura de Drebbelio, ejusque genero, D. Kauffero, omnium Arcanorum Soceri, poſt mortem illius reliquorum (longe enim plura cum ipſo expirarunt,) poſſeſſore, leguntur.

CAP. XIV.

DE LVCE.

§. 1. *Lux in Principiorum & Elementorum naturalium numerum a Franc. Patritio, aliisque, relata.* 2. *Controverſia, an lux ſit ſubſtantia, vel accidens, adductis partis utriusque Autoribus & argumentis, prolixe ventilatur. Autor ſubſtantiam credentibus favet, & J. Bapt. Hamelii ſimul de pabulo ſolis ſententiam rejicit.* 3. *Pergitur in aſtruenda, contra Carteſium, Iſ. Voſſium, aliosque, lucis & radiorum ſolarium ſubſtantialitate, diluendisque illorum objectionibus. Obiter quædam de vermiculo Acari adduntur.* 4. *Lucis Natura imperveſtigabilis. Nihil tamen ineſt divini. Male prætexitur Irradiationibus, Curationibus, Prædictionibus, aliisque Actionibus & Præſtigiis ſuperſtitioſis aut Magicis.* 5. *Inquiſitio in cauſas Luminis lapidis Bononienſis, lignorum putridorum, carnis agninæ, aliorumque corporum in tenebris lucentium. Thomæ Bartholini* Lib. de Lnce Animalium *commendatur.* 6. *Cauſæ viſus acutioris Noctuarum, hominum quorundam, aliorumque animalium, noctu videntium.* 7. *Adamas Regis Angliæ mirabiliter lucens & ſcintillans.*

1 POſtquam de Elementis generatim egimus, veniamus nunc ad corpora illa, quæ Elementa vulgo habentur. Et in eorum ordine primum merito ponimus LVCEM, qua nihil eſt in tota natura admirabilius, &, quo magis ſenſibus noſtris patet, eo magis natura ejus obſcura eſt. Quidam, ſequuti doctrinam Moſaicam, lucem illam primigeniam, quam Deus condidiſſe primo dicitur, vel ut quintum aliquod Ens, quatuor Elementis ſuperadditum, atque ea in ordinem redigens & miſcens, habent, vel inter ipſa Elementa referunt. Ac fuere inter Philoſophos veteres ejusdem aliqui ſententiæ, quam omni conatu reſuſcitare laborat Franc. Patritius *in Nova de univerſis Philoſophia*, quo in libro, ut ipſe titulus innuit, per lucem & lumina ad primam cauſam aſcendere laborat. Idem quoque pro principio præcipuo agnoſcit Auctor ille, qui ſcripſit *Enchiridion Phyſicæ reſtitutæ.* Joh. Amoſus Comenius quoque inter principia ſua recenſet. Quorum ſententiæ equidem non omnino refragabor, ut quæ ſatis eſt veriſimilis, & autoritate etiam ſacrarum literarum fundata.

Multa

Multa tamen paſſim adferuntur dubia, & integris libris agitantur, de natura 2
lucis, an ſc. illa ſubſtantiis, an accidentibus, accenſenda; quod ultimum ſi verum eſſet, non recte inter principia referretur. Si omnia ea argumenta, quæ ab utraque parte referuntur, recenſere velimus, non exigui certe laboris res eſſet; ſunt enim & numero multa, & ſubtilia. Ariſtoteles inter qualitates refert, & Carteſius e recentioribus Philoſophis, nullam vult eſſe ejus diſtinctam naturam, niſi quod ſolo motu fiat, ideoque, ſecundum illum, inter accidentia numeranda eſt. Illi enim lux eſt motus, quo corpora luminoſa materiam ſubtilem quaqua-verſum, ſecundum lineas rectas, a ſe propellunt, quo conatu globulos ſecundi elementi circumjacentes premit, e quibus Inferiores in ſuperiores impingunt, ac ultimi demum, qui corporis lucidi ſuperficiei incumbunt, materiam ſubtilem, omnia ſpatia inter partes aquæ, aëris, terræ, replentem propellunt. Alii contra ſubſtantiam eſſe volunt lucem, inter quos e Recentioribus nominandus Kenelmus Digbæus, qui, *Tract. I. de natura Corporum c. 6. 7.* prolixe de hoc argumento agit, lucemque ignem rarefactum eſſe, imo generari, corrumpi, & in pulverem præcipitari poſſe, aſſerit. Quod non credo. Potuerunt enim alia corpuſcula adventitia iſto igne illuc attrahi & calcinari. Præcipuum ejus argumentum eſt ejus cum igne convenientia. Controverſiam hanc vaſtiſſimo libro in utramque partem exſecutus eſt Franc. Maria Grimaldus *in Phyſico-Matheſi de lumine, coloribus & iride*, Bononiæ A. 1665. *in 4.* excuſa. Ubi *lib. 1.* afferuntur experimenta & rationes pro ſubſtantialitate luminis, *lib. 2.* diſſolvuntur argumenta in primo adducta, & probabiliter ſuſtineri poſſe docetur ſententia Peripatetica de accidentalitate luminis. Pro ſubſtantialitate luminis præcipua ſunt argumenta; quod reflectatur, quod fieri non poſſet, ſi non corpus eſſet, quod radii ſolares concentrari in ardentiſſimum ignem poſſint. Ut ſunt in Gallia artifices, qui ſpecula parare poſſunt, quibus ſolis, etiam hyberni, radii ita per refractiones multiplicari poſſint, ut ignem pariant, qui metalla & lapides in momento liquare poſſit, cujus rei teſtis eſt du Hamel, *lib. de Affect. c. XI.* Quod certe fieri ſine corporeitate radiorum nequit. Idem procedere etiam in radiis, e calente fumo ſpeculo uſtorio exceptis, teſtatur Honoratus Fabri. Qui in contraria ſententia ſunt, ut potiſſimum argumenta afferunt, pro accidentalitate luminis, quod, ſi lumen corpus ſit, impoſſibile ſit, ut mittatur per poros compactorum corporum, quale vitrum eſt, ut momento temporis diffundatur; ſic etiam eventurum, ut venti diffiarent corpuſcula illa lucida, ut ſol non ſufficeret infinitorum illorum corpuſculorum expulſioni: Impoſſibile eſſe, ut per unum aliquod punctum poſſint transmitti tam diſtincti, & varii variorum corporum colores, quod præ ceteris urget If. Voſſius, ſubſtantialitatis luminis Impugnatur. Nam inter illum, Pet. Petitum, & Joh. Brunium integris libris illæ controverſiæ agitatæ ſunt. Sed tamen eorum argumenta non ſunt ejus certitudinis, ut alteram illam ſententiam plane evertant, quanquam, ut verum fatear, turbare poſſint non nihil J. Bapt. Hamelius, præſtantiſſimus ſane Philoſophus, & qui omnium Auctorum recentiorum ſententias bene inter ſe contulit, poſtquam in *Aſtronomia ſua Phyſica* illam de accidentalitate luminis ſententiam

ſecutus erat, in *libro de Affectionibus c.* XI. ita immutat ſententiam, ut ſubſtantiale quoddam effluvium, cum perpetua motione conjunctum, exiſtimet. In *libro de Aſtron. Phyſica* mediam ſecutum opinionem ſe dicit, quæ inter ſubſtantiam & motionem eſt, ſed illa nihil aliud eſt, quam qualitas, atque adeo merum accidens. In poſterioribus autem cogitationibus ſubſtantiam eſſe lumen agnovit, quod ſua mole donetur, quod cum diſpendio atque imminutione corporis lucidi fluat, quod omnes corporum affectiones ſubeat, & iisdem legibus ac cetera corporum moveatur, quod ejusdem cum igne originis ſit. In quo quidem recte illum ſentire exiſtimo, ſed, quod exiſtimet, lucem, cum diſpendio atque imminutione corporis lucidi, fluere, id probari mihi non poteſt. Nihili enim mihi videtur iſta contra ſubſtantialitatem luminis objectio, quod impoſſibile ſit, corpus lucidum indefinenter corpora lucida ſpargere, absque ſua conſumtione, cum iſta actio evibrationis radiorum, in Sole præcipue, ſemper perpetua ſit & conſtans, atque intra certum ambitum finiatur, extra quem corpuſcula illa lucida non divagentur; ideoque continua eſt illa radiorum expulſio, qui eadem via, qua expelluntur, recipi poſſunt, ut nihil tandem de ſubſtantia Solis pereat. Quare mirum mihi viſum fuit, potuiſſe in illam ſententiam incidere virum doctiſſimum, ut aliquo pabulo Solem indigere credat, quo reficeretur ignis deperditus, in eo ſequens Stoicorum ſententiam. Putat ille, non ex terra ſolum, ſed ex planetariis etiam corporibus egredi pingues quosdum halitus, quos in ignis ſui pabulum attrahat Sol, unde macularum ortum in Sole eſſe exiſtimat, quod mihi certe contra ordinem naturæ factum videretur, qui neutiquam credere poſſum, aliquod vicinorum illorum corporum, & quidem craſſiores fæces, in Solis globum poſſe recidere. Neque certe illo figmento opus eſt, cum ſibi poſſit conſtare per ſe lux, per eosdem canales revertens, quibus emittebatur. Eſt enim Sol quaſi fomes & receptaculum omnis lucis Syſtematis hujus Planetarii, in quo vivimus, &, quemadmodum e mari procedunt fluvii & vapores, qui in pluvias reſolvuntur, iterumque ad mare tendunt, eodem modo a Solis corpore emittitur lux, & intra illud iterum recipitur. Nihil itaque obſtaculi eſt ab hac objectione.

B Cum Carteſius lucis naturam in ſola motuum pulſione conſiſtere dicit, certe non ita expedita res eſt, ut quidem Ant. Grandis exiſtimat, qui neminem e Philoſophis, tam veteribus, quam recentioribus, melius lucis naturam, quam Carteſium, explicuiſſe contendit. Nam quanquam dici illa & animo fingi poſſunt, tamen, ſi quis urgeat motum ipſum, & rationem motus, non pauca inveniet dubia, quibus, quomodo extricare ſe poſſit, non video. Si enim corpus lucidum pellit globulos circumſtantes, quæritur, quomodo pulſio iſta fieri poſſit, aut quomodo ſola iſta pulſio lucem nobis facere poſſit, absque emanatione ſubſtantiæ alicujus. Fieri id modo quodam repræſentativo, ut in ſpeculis fieri ſolet, nihil eſt dicere, cum quæri amplius poſſit, quomodo repræſentatio illa corporis lucidi concipi poſſit, absque communicatione ſubſtantialis effluvii. Igitur non eſt adeo perſpicuum Carteſianum illud de luce dogma. Reliqua dubia contra ſubſtantialitatem lucis allata, non ſunt iſtius firmitatis,

mitatis, ut illi quidem putant. Quod enim ajunt, radios ventis debere diffiari, ſi eſſent corpora; Reſp. vel deficere ſenſum noſtri viſus in eo, vel obſtare pulſionem illam radiorum continuam, quanquam illa non ſit adeo fortis, ut variato medio reſiſtere poſſit. Hinc videmus, radios, per vapores & craſſiorem aërem cadentes, infringi, prohibente tranſitum illum rectum craſſitudine materiæ, unde parallaxes oriuntur. Videmus id quoque in vitro, reflecti radios, ut tandem in centrum concurrant, qui per aërem paralleli iviſſent, ex quo ſubſtantialitas radiorum, ut puto, ſatis demonſtrari poteſt. Venti enim, qui in infima aëris regione plerumque verſantur, non poſſunt inhibere vim tantæ pulſionis, quæ ultra hanc athmoſphæram in Sole potentiſſima eſt, ex quo æqualiter omni ex parte propelluntur radii. Quanquam tamen neque dicere nos poſſimus, annon in ea regione, in qua venti dominantur, inflectatur ille radiorum curſus rectus, quos projicere in alios locos venti non poſſunt, cum æqualis ſit lucis circumfuſio, &, ſicubi radii alicubi intercepti ſunt, illi ne pelli loco poſſint, obſtat univerſalis illa & conſtans pulſio. Quod per vitrum radii tranſire poſſint, non eſt argumentum eorum accidentalitatis. Nullum enim eſt vitrum tam compactum, ut poros non habeat, quicquid etiam neget Voſſius; licet illi craſſiori aëri forte non ſint penetrabiles, luci tamen non obſiſtent. Imo experimento demonſtratum eſt, etiam liquores aliquos transſudare vitrum poſſe, ut aliquo in loco obſervat Borrichius. Quod in inſtanti moveantur radii, non eſt quoque ad argumenta accidentalitatis referendum; non enim puto, ſenſum viſus adæquatam eſſe motionis lucidæ menſuram, cui quanquam in inſtanti moveri videatur, tamen falli ille poteſt, & in ipſa illa celeritate tamen ſucceſſiva aliqua ratio movendi concipi. Atque id colligi poteſt e corporibus lucidis, non juſta diſtantia a viſu noſtro remotis; ab iis enim radii evibrati tandem deficiunt, usque dum corpus ipſum lucidum in nebuloſam aliquam ſubſtantiam converti videatur. Ex eo itaque, quod terminum hujus motus videamus, colligere licet, non eſſe motum pure ſimultaneum, ſed ſucceſſivum. Quod enim per gradus diſtinctæ lucis viſioni eripitur, per gradus motum fuiſſe concipi poteſt. Ut itaque graduale illud lucis incrementum & decrementum iſtam motus ſucceſſionem ſatis exprimat. Solum illud Voſſii argumentum ſubtile eſt, & magnæ difficultatis, cum ait, impoſſibile eſſe, ut corpora lucida, e vaſtis corporibus, ſpatio magno interjecto, effluentia, in uno aliquo puncto Mathematico cameræ obſcuræ, vel oculi noſtri, ſubſiſtere poſſint. Cui reſp. ideo ſubſtantiam lucis omnium eſſe mirabiliſſimam, quæ ad naturam ſpiritalem proxime accedere videtur, unde adductæ gentes divinitatis characterem in illa quæſiverunt, & omnium ſagaciſſimæ Heliolatriam pro cultu religioſo habuere, quæ certe inter omnes minime abſurdæ ſunt, & vix aliam viam, ſibi relictæ, ſequi potuerunt, vid. Joh. Franc. Grandis *Diſſertatio* elegans *de divinis nominibus ſoli attributis.* Cum itaque, poſt ſpiritalem ſubſtantiam, nihil ſit in natura excellentius luce, nemo mirari debet, eam in tam arctum locum compingi poſſe, quod certiſſimum ſummæ ſubtilitatis argumentum eſt. Quod ſi ſenſus noſtros hic in judicium ducimus, certe ſuccumbere illi tantæ ſubtilitati videntur, qui in minimis vermiculis tam mirabilem

ſtructuram, adeoque perfectam & concinnam, videre per ſpecillum poſſunt, cum non videant, extra ejus adminiculum. Si quis *Acari* vermiculum conſideret, punctum nudo oculo videbit, & motum ægre deprehendet; at per ſpecillum miriſicam videbit variorum membrorum ſtructuram, adeo elegantem & concinnam, ut mirari quis ſatis non poſſit, cumque antea punctum tantum videret, nunc videt partes tot extra partes. Quod ſi itaque, in corpore tam exili ea tamen varietas & diſtinctio eſt, ac minima hujus corpuſculi pars tamen ſubſtantia, mirum profecto non eſt, in uno aliquo puncto lucido (quod ego tamen non Mathematicam dixerim) poſſe tot corporum colores contineri. Qui per pulſionem & motionem naturam lucis exponunt, illi profecto habebunt, quod agant, ſi ad hypotheſes ſuas phænomenon hoc explicare debeant; quæ enim confuſio uno in puncto oriretur, ſi ſola pulſio propagare lucem, & cum luce colores, deberet?

4 Atque hæc quidem de Luce, velut in tenebris palpitantes, philoſophamur. Ultra humanum ingenium eſt ejus vera ſolidaque demonſtratio. Metiri quidem radios ars nos docet, & ex eorum combinatione, vel refractione, mirabilia phænomena producere, quæ omnia certa ſunt & ſatis explorata, ac Mathematicorum regulis definiuntur. At, in natura lucis exploranda, vel omnes Argi & Lyncei cæci ſunt. Non poſſum tamen illorum ſententiæ accedere, qui divini aliquid luci omnino ſubeſſe exiſtimant, atque hinc operationes ſuas, quas fieri per irradiationem ajunt, ſalvant. Ita ſunt, qui credunt, radios ſtellarum certarum quaſi figi arte poſſe in certis metallis & lapidibus, qui item irradiatione ſua medeantur morbis, & vim illam ſtellarum, quæ in luce conſiſtit, ſuo miniſterio in homines transfundant. Hinc infinita ſunt figmenta Talismanicarum Imaginum, Amuletorum, Periaptorum, hinc tot virtutes tribuuntur gemmis nonnullis, in quibus nihil niſi ſuperſtitionem deprehendere poſſumus, quantocunque conatu defendat hanc doctrinam Joh. Marcus Marci, in gratiam Paracelſi & Helmontii. Eidem principio ſuperſtruuntur tot artes curioſæ & prædictiones nonnullarum rerum. Sunt, qui in cryſtallis, ſpeculis, unguibus oſtendunt imagines certas, vel perſonarum, vel certarum rerum aut actionum, quales præſtigias nonnulli audent excuſare, & naturam lucis diviniorem & præſciam eventuum, ac conſciam, omnium eorum, quæ aguntur, effectricem, prætexere, quos facile nos ſibi ſapere patimur. Nobis ſecurior & certior ſapientiæ via placet.

5 Pertinet doctrina quoque huc de Luce variorum corporum. Sunt enim in natura corpora quædam, quæ apta nata ſunt per ſe lucere, præcipue in tenebris, e. g. *Lapis Bononienſis*, qui Soli expoſitus ad tempus aliquod ita lumine imbuitur, ut in tenebris luceat, de quo videantur *Acta Soc. Anglicæ p. 375. & 362.* ubi & de aliis corporibus lucidis examina inſtituuntur. De Lapide, qui *Oculus Mundi* dicitur, &, prout magis vel minus aqua imbuitur, transparens fit, ſimulac vero humor evaporat, priori calori reſtituitur, experimenta, ratione variationis ponderum, varia vid. in *Hiſt. Soc.*

Digitized by Google

Soc. Regiæ p. 230. Edit. Angl. De vermiculis lucentibus in oſtreis agitur *in Act. Angl. p. 203.* De Muſcis lucentibus in Jamaica *ib. p. 706.* In iisdem *p. 611.* multa de ligno, de piſcibus lucentibus, uti & *p. 581.* ubi demonſtratur, lumen iſtis demi poſſe ab exhauſto aëre. Scil. in vaſe vitreo, cui aër ſubtrahi poteſt, lignum putridum, ſubducto aëre, non lucet, aëre iterum admiſſo lucet. Cauſam hujus ſi quis indagare velit, mire certe vexabit ingenium. Quod Lapidem Bononienſem attinet, is a Sole, vel igne, lucem illam accipit, ut vel ex eo appareat, aliquid ſubſtantiæ ineſſe lumini, neque ſolo motu rem expediri. Habet enim lapis Bononienſis forte talem ſuperficiei texturam, ut diu ſervet lucem, ſed in quo res iſta proprie conſiſtat, nemo fortaſſis accurate determinabit. Quod ligna putrida, ſquamæque piſcium, luceant, id adſcribunt Carteſiani itidem partibus celeri & inteſtino motu agitatis. Id enim fieri ajunt in putredine, quæ fermentationem novam præſupponit. Fermentatio vero nulla absque aliquo calore eſt, magis vel minus ſenſibili, unde lucem ſequi poſſe verosimile ſit. Carnis agninæ, in tenebris lucentis, cauſa non ſatis indagari poteſt, quanquam illa anſam dederit THOMAE BARTHOLINO, ut integrum librum *de luce animalium* conſcriberet, ſatis curioſum & doctum. Plurima enim illic habet ſingularia lucis animalium exempla, ſed, in cauſis ejus indagandis, nec per illum, nec per alios, multum profecimus. Additus illi libro eſt Conr. Geſneri rariſſimus quondam libellus *de raris & admirandis herbis lunariis & rebus noctu lucentibus.*

Hinc eſt, quod aliqua etiam animalia noctu videant, & homines nonnulli noctu 6
in mediis tenebris diſtincte legere poſſint characteres ſcriptos, ob lucem aliquam oculis inſitam. Et ii quidem ita videre videntur, quod ſc. luce oculorum ſuorum illuſtrent ſimul, & medium, & objectum, ad certam quandam diſtantiam. Quoniam enim viſio fit, non ſolum per receptionem radiorum objecti lucidi & colorati, ſed & per emiſſionem radiorum, ex oculis evibratorum, veroſimile eſt, quibusdam hominibus & animalibus validiores eſſe radiorum evibrationes, quam ſunt corporum lucidorum vel coloratorum, ut ex eo fieri poſſit, illos in tenebris nonnunquam videre, cum ex ſomno experrectis collecti vapores moveri derepente incipiunt, quod & in quodam, cum febri maligna laboraret, factum fuiſſe notat Boylius. Animalia, quæ noctu vident, ut noctuæ, validam habent ex oculis evibrationem, unde fit, ut de die minus videant, quoniam ſolis lux turbat radios oculorum, quemadmodum majus lumen obfuſcat minus.

De corporibus lucidis, per artem factis, quæ idem præſtant, quod lapis Bono- 7
nienſis, infra pluribus agendi locus erit. De Adamante ſingulari, qui nunc penes Magnæ Britanniæ Regem eſt, multa adfert, ratione lucis ejus, ſingularia experimenta Robertus Boyle *in lib. de coloribus.* E quibus illud memorabile eſt, quod duro corpore, ut tegula aut ferrei ſtyli acie, aut digitis ipſis, arctius preſſus radiet, & ſcintillas emittat, igni admotus, aut accenſæ candelæ, tenuem, ſed debilem admodum & momentaneam, lucem ſpargat. Quod exemplum illuſtrat illam noctuarum viſionem debiliorem de die, fortiorem de nocte. Idem Adamas, affrictus panno, fere

ut

ut lignum putridum lucebat, at terreno aut duro corpori, cum motu celeri & reciproco, affrictus, vegetiorem multo lucem vibrabat, quam etiam aquæ immerſus diu retinuit.

CAP. XV.

DE COLORIBVS.

§. 1. *Colores propago lucis. Diſtinguuntur in Reales & Emphaticos. Reales certo quodam ſenſu dari, contra Carteſianos, oſtenditur. 2. Ariſtotelici ab Elementorum mixtione, & Chymici a ſulphure ſuo, colores omnes derivantes, refutantur. Scriptores de coloribus, Franc. Maria Grimaldus, Iſ. Neutonus, Rob. Boylius. 3. Ratio albedinis, nivis exemplo illuſtrata. Cenſura de Gotfr. Vogtii* Diſſ. contra nivis albedinem. *4. Ratio nigredinis & Colorum mediorum.*

1. DE COLORIBVS hoc loco agere malui, quoniam lucis propago ſunt, quam alio quodam minus conveniente. Vulgo ad titulum Qualitatum ſenſibilium referunt etiam colores; ſed rectius, me judice, ad lucem illi referentur, quanquam alii ipſam lucem ad qualitates ſenſibiles referant. Colores vulgo diſtinguuntur in *Reales* & *Emphaticos*, quam diſtinctionem aliqui exſibilant, inprimis Carteſiani, qui nullos putant eſſe Reales colores, rei ſc. inſitos, ſed omnes habent Emphaticos, ſc. qui formentur tantum in ſuperficiebus corporum per refractionem radiorum lucidorum, eorumque in ſuperficie modificationem. Ita nullum putant ineſſe corpori colorem, ſed lucis appulſu tantum apparere. Quod quanquam negari non poſſit, exiſtimo tamen, diſtinctionem illam non eſſe rejiciendam, ut exprimamus colorum gradus, quos in corporibus obſervamus. Nam certe negari nequit, ineſſe quibusdam corporibus peculiarem illam & perpetuam ſuperficiei diſpoſitionem pro hoc vel illo colore, qui ad diſtinctionem alterius, qui vel adventitius eſt, aut momentaneus, aut facile ſeparabilis, realis dici poteſt. Ita e. g. aurum fuſum perpetuo, quamdiu in ſtatu illo manet, flavum colorem habet, per ſpiritum ſalis in minimas particulas ſolutum nigrorubicundum colorem obtinet, ſed igni iterum ſubjectum fuſorio priſtinum colorem recuperat. Unde apparet, colorem illum perpetuo eſſe auro naturalem atque realem. Emphatici vero colores illi poſſunt appellari, qui non perpetuo inſunt rei, ſed ex certo poſitu & motu varias ſortiuntur radiorum in ſuperficie corporum reflexiones & refractiones, ut in collis columbarum & anatum fit, aliisque corporibus naturalibus. Illud interim certum verumque manet, colores omnes formari pro ratione diſpoſitionis ſuperficierum, ita, ut quædam corpora vix unquam mutent ſpeciem coloris, quamvis ſubinde gradus admittant, ut in pannis e. g. rubris apparet, aliisque tinctis, quædam omnes colores pro diverſa vel viſus, vel lucis, applicatione, recipiant, quod in priſmate potiſſimum videre eſt.

Peri-

Peripatetici, cùm colorum naturam nobis demonſtrari petimus, ad Elementa 2
ſua nos ablegant. Ex eorum ſc. miſtionibus putant illi varietatem colorum oriri. Sed Apollo nobis ex iis erit, & Phyllida ſolus habebit, qui modum nobis monſtrare poterit, quomodo iſta Elementorum miſtio gignere nobis varietatem colorum poſſit. Chymici quoque nonnulli indiſtinctè ſulphuri ſuo originem & naturam colorum adſcribunt, non felicius ſane, quam Peripatetici. Satis enim habebunt, quod agant, ſi explicatius proponere ſententiam ſuam jubebuntur. Nam imaginatio aliquo conceptu non patiuntur ſe abſolvi, qui accurate in rerum cauſas inquirunt. Ne quid enim dicam de incertitudine ipſorum trium principiorum, de qua prolixe egit in *Chymiſta ſuo ſceptico* Boylius, vellem aliquis rationem doceat, quomodo omnes colores ex principio ſulphuris, vel oleaginoſitatis, oriri poſſint, cum & cetera duo principia non ſint ſine colore, aut certe colorem habere poſſint. Id quidem concedi poteſt, quosdam colores eſſe cum quibusdam rebus connexos, ut ex eo facile induci poſſimus, quo credamus, eas eſſe cauſas talium colorum, cum ſint potius ſubjecta. Ita ſulphurea & oleoſa in rubrum colorem facile abeunt, imo omnia olea chymica, vi ignis expreſſa, rubent, aut, ſi non rubent ab initio, tractu temporis rubeſcere incipiunt. Omnia diuturna quoque digeſtio rubrum ſolet colorem inducere, quod non a ſulphure, aut oleaginoſo principio, per ſe evenit, ſed ab agitatione partium per ignem, qui in illo figere aliquas ſui particulas videtur, & colore iſto flavo vel ſubrubro tingere, ut videmus in oleis ac ſpiritu etiam vini, qui per magnam ignis violentiam pelluntur, fortius aliquod & rubicundius Empyreuma induci, ſeu hoc fiat a partibus ſpirituoſis vehementius agitatis per ignem, ſeu a fæcibus forti illo ignis pulſu ſimul ſubvectis, & aduſtione quadam ſpiritus ſubtiliores inficientibus, cum contra, quæ leni igne ſolent evaporari, Chryſtallinum plane & album colorem ſoleant acquirere. Videmus ſpiritus varios miſtos, & olea, per ſe nullius coloris, ex miſtione certum aliquem colorem in momento acquirere, ut hinc pateat, non ſoli ſulphuri adſcribendam eſſe tincturam corporum, quanquam pati nos poſſimus, ut vel Elementis, vel propriis Chymicis, aliquid in hac parte imputetur, quod tamen inter cauſas colorum veras adæquatas poni non poteſt, quorum primi natales a luce, ejusque varia reflexione, repetendi ſunt Qua in re forte prodeſſe poſſunt, quæ Franc. Maria Grimaldus, *in ſua Phyſico-Matheſi de coloribus* habet. Longe vero ſubtiliora ſunt, quæ Is. Newtonivs, Medicus Anglus, non ita pridem circa colorum phænomena obſervavit, qui ſingulorum rationem accuratam, e principiis Opticis, deducere laboravit, cujus tentamina referuntur *in Actis Soc. Angl. noviſſimis*. De cetero, quæ ad colorum doctrinam pertinent, tam in abſtracto, quam in concreto, toto libro *de Coloribus* diligenter explicuit Robertvs Boylivs, in quo de coloribus, non tam de naturalibus, corporalibusque principiis, quam de artificialibus, & ex miſtura certorum liquorum comparatis, magna induſtria agit. Quæ compendio complexus eſt Hamelius *lib. de Affectionibus c. 12. & 13.* Initia quidem tantum Hiſtoriæ de coloribus naturalis Boylius exhibuit, ſed plura tamen docuit, quam qui vaſtos de eo argumento libros ſcripſerunt, omnibusque aliis eſt accuratior.

Quod album colorem attinet, oritur ille ex continuitate corporis diaphani in- 3

terrupta. Sic aqua in ſpumam agitatur, vitrum cryſtallinum, ignis vi calefactum, & aqua reſtinctum, tot fiſſuris ſolvitur, ut candidum appareat, vitrum contuſum in partes minutiſſimas candidum apparet. Unde ratio albedinis patet; alba enim quæ ſunt, innumeris particulis conſtant, quæ cum ſint pellucidæ, tamen, ob figuram aut exiguitatem, lumen, ſeu quædam ſpecula, regerunt. Duo ſc. Boylio judice, ſunt, quæ corpori albedinem conciliant, primum, ut parvas habeat & innumeras ſuperficies, quæ ſic lucem excipiant, ut illam, velut totidem ſpecula, reflectant, adeo ut, nec refractione, nec umbrarum permiſtione, ut in aliis coloribus fit, lux ipſa diluatur; alterum eſt, ut lex pene tota, quæ in corpus incidit, reflectatur, nulla intus ſubeat, aut intra poros coërceatur; ſic enim alba corpora confuſam velut lucis imaginem exhibent. Exemplum primi modi manifeſtum in nive videmus. Illæ, quæ prius erant, guttulæ aquæ diaphanæ, in ſumma iſta tenuitate congelaſcunt, & ſunt per ſe ſingula nivium fragmenta perſpicua, ſed compactæ & turbatæ inter ſe, ob varias minimorum figuras ſpeculares, candidæ apparent, cum lux in ſingulis ſuperficieculis terminatur & reflectitur. Hanc ob cauſam Gotofr. Voigtius, *in Diſſert. de nivis albedine*, nivem albam eſſe negat, quod non ſit realis in illa color, ſed emphaticus, qui tamen eo oſtendit, ſe interiorem colorum naturam non ſatis habere exploratam.

4 Ex natura albedinis patet & ratio nigredinis. Nam, ſi alba corpora partes ſic habent aptatas, ut incidentes radios magna copia extrorſum regerant, nigra vel pauciores reflectent, vel multo plures intra cœcos meatus recondent, aut propter partium aſperitatem, in qua Democritus rationem nigredinis ponebat, radii, repetitis intra partes corporis reflexionibus, fracti, & variis umbris diluti, ita langueſcent, ut viſus organo nullum motum imprimant. Quæcunque certe nigredinis cauſa ſit, id manifeſto obſervare poſſimus, nullos vel pauciſſimos a nigro corpore radios reflecti. Nam in crepuſculo corpora nigra conclavis alicujus plane non videmus, alba autem videmus, quoniam lucem, etiam tenuem, reflectunt. Eam ob cauſam dici poteſt, nigrum colorem proprie non videri, niſi per accidens, quoniam radios nullos ſpargit, per quos fit viſio. De ceteris coloribus, eorumque generatione, hic fuſius non diſſeremus, quoniam vulgares etiam libelli ad nauſeam talia inculcant. Qui accuratius de iis judicare velit, pictorum tabernas adeat, ac ex iis colorum miſtiones diſcat. Omnes enim ab albedine, nigredini permixta, oriuntur, quanquam & inde ſubmiſtiones aliquæ ſint, quæ varios poſſunt ſine nomine colores producere.

CAP. XVI.
DE IGNE.

§. 1. *Ignis a Luce denſitate tantum differt.* 2. *Ignem corpus eſſe, contra Carteſium, Dav. Gorlæum & Iſ. Voſſium, inter accidentia referentes, docetur, veterumque & recentiorum conſenſus allegatur. Rob. Boylii Tr. MS.* de Igne *eo con-*

conſumptus. 3. Ignis Sublunaris fictitius. Ignes ſubterranei. Ignes potentiales. Incendia ſpontanea. Arcana Incendiariorum inveſtiganda. 4. Joh. Mayow de eſſentia Ignis Nitro-aërea, ejusque per miſtionem cum particulis ſulphureis propagatione, opinioni proponitur & confirmatur.

PRæmiſſa de Luce doctrina, ad IGNEM veniò, quem inter Elementa numerari pene coquis ipſis notum eſt, licet ex horum claſſe Hier. Cardanus, Clem. Timplerus, Franc. Patritius, Adr. Heerebordus, Lamb. Danæus, Caſp. Bartholinus, Henr. Nollius, Dav. Gorlæus, Ath. Kircherus, Joach. Jungius, Thom, Williſius, aliique Philoſophi, illum ejiciant. A luce differre non videtur, niſi denſitate aliqua, ut ſit luce quaſi ſolidius quoddam corpus, & quaſi ſuſtentaculum aliquod & fomes lucis. Qui lucem corpus eſſe ſtatuunt, neceſſario etiam ſtatuere debent, ignem eſſe corpus. Eam enim ob cauſam lucem inter corpora referunt, quod habeant ignem rarefactum. Qui Cabalæ aliquam autoritatem agnoſcunt, non fortaſſis, quod pueri in faba, reperiſſe ſe credere poſſint, ſi obſervaverint, apud Hebræos lucem & ignem eadem voce efferri. Lux enim illis אוֹר, Ignis אוּר vocatur. In altero punctum illud diſtinctivum quaſi ventri vocis immerſum eſt, in altero voci ſuperius apponitur, quo innui poſſit, illic materialem magis eſſe ignem, in altero magis abſtractum. 1

Carteſianis, quoniam lux nihil niſi motus eſt, ignis quoque nihil aliud, quam motus eſt, atque ideo non inter ſubſtantias, ſed inter accidentia, refertur. Hæc ſententia jam ante Carteſium Davidi Gorlæo, *in Exerc. Philoſoph.* defenſa fuit, qui, *Exerc. 17. Sect. 3.* multis argumentis probare illud laborat. Carteſii quidem argumenta non ſunt alia, quod ſc. præter motum, nihil in igne concipi poſſit. Nam, cum particulæ alicujus corporis varie agitantur, & mutuo atteruntur, tactui noſtro propter discontinuationem dolor accidit. In ligno, aliisque cremabilibus, propagato & continuato motu, qui in ſcintillam per affrictionem validam introductus eſt, exturbantur humida, atteruntur reliqua ad cineres usque ad calcem, qui ad talem motum ſunt inhabiles. Similiter in aliis corporibus motum talem aliquem excitari poſſe ajunt, quem ignem vocant. Hinc calorem etiam ab igne non diſtinguunt. Illum in animalibus non niſi a pulſu cordis derivant. Ignis culinaris ex ſilice per motum excitatur, & propagatur in materiam habilem, ita ut in pinguibus ac humidis flamma ac lux in vapore tali accendatur. Ita ſcil. illi de igne philoſophantur, quos ego ſenſu ſuo abundare facile patior, modo non exiſtiment, ſe ita ſententiam ſuam demonſtrare, ut ab illa abire piaculum ſit. Ego quidem malim inſiſtere veteri ſententiæ, & inter corpora referre ignem, ex quorum claſſe ſolus ille motus eum non emovebit. Neque enim ſtatim inferendum eſt, cum nos nihil præter motum videmus, non ſubeſſe aliud quoddam hujus motus ſubjectum. Vetuſti Philoſophi omnes ignem inter corpora retulerunt, eumque primum elementum fecerunt. Pythago- 2

ras, ab igne primum factum eſſe mundum, cenſebat. Empedocles in factione mundi dicebat, primum ſecretum fuiſſe ætherem, deinde ignem, poſt terram, ſolem ex igne, reliqua circa terram, quæ ſunt condenſata, coiiſſe ex reliquis. Plato igni peculiarem etiam figuram adſcribit, ut omnibus elementis. Bernhardinus Teleſius, inter recentiores, adeo ignem corpus eſſe vult, ut inter duo elementa ignem cum frigore ponat. Propendere etiam in hanc ſententiam videtur ſagaciſſimus naturæ indagator, Robertus Boylius, *qui Experimentis quibusdam novis* oſtendit, poſſe partes ignis & flammæ reddi ſtabiles ponderabilesque. Vidit ille & obſervavit corpora aliqua pondere aucta fuiſſe, quibus nihil præter torturam ignis acceſſerat. Unde probabiliter colligi poteſt, aliquam acceſſionem ex ipſo igne corporibus factam fuiſſe, niſi quis dicere velit, compactiora corpora beneficio ignis reddita per propiorem partium ad ſe acceſſionem, & eam ob cauſam ponderoſiora facta. Ut videmus corpus interdum gravius fieri poſſe ſe ipſo, exemplo pumicis, qui integer levior eſt, quam in pulverem contritus. Vid. ſuper hac controverſia de accidentalitate vel ſubſtantialitate ignis Iſ. Voſſius *in libro de natura & proprietate lucis, c. 2.* qui inter accidentia refert, & adverſus illum Pet. Petitus, qui in contraria eſt ſententia. Argumenta utrinque ſubtiliſſima adferuntur. Vellem ſupereſſet *Tractatus* Rob. Boylii *de igne*, qui igne conſumtus eſt in incendio Londinenſi. Is fortaſſis multa nos docere poſſet, quæ aliis in mentem non veniſſent.

3 Ignis ſublunaris Peripateticorum figmentum eſt, cujus ſi aliquis locus aſſignandus eſt, ut ceterorum elementorum, circa ſolem, vel in ſole potius ipſo, quærendus eſt, quanquam & ſubterranea habeamus æſtuaria, & integra ignita maria, ut in incendiis montium ſæpe videmus, de quibus infra pluribus agemus. De variis ignis operationibus multa dici poſſunt, in quibus ingenii ſolertiam paſſim exercent Philoſophi naturales, ſed nobis illa non omnia poſſunt excuti. Præ ceteris commendo hic Honoratum Fabri *lib. 2. Tract. 5.* ubi propoſitionibus doctis, & Mathematica methodo concinnatis, ignis operationes explicat, & imprimis, quæ ad corpoream ignis naturam demonſtrandam pertinent, ſollicite conquiſivit. De ignibus potentialibus, quos vocant, multa ſunt ſubtiliſſima, tum ab aliis inventa, tum multa ſuperſunt ab aliis invenienda, e quibus, & damno & commodo hominum, multa extundi poſſunt. Opportunum eſt hic monere, fuiſſe aliquem apud Anglos, qui duo ſicca corpora, ſed pulveriſata, ita miſcere potuerit, ut, quo puncto temporis ipſe vellet, in flammam manifeſtam erumperent. Ita enim proportiones Corporum illorum temperare noverat. Quare non eſt impoſſibile, oriri ſæpe poſſe incendia ex cauſis occultis, nobisque incognitis, nulla noſtra culpa, quorum aliqua proferuntur exempla ab Autore aliquo Gallo, qui ſuper incendio quodam, quod in Gallis contigit, Diſquiſitionem edidit, cujus Summa recenſetur in noviſſimis *Ephemeridibus*. Veriſimile eſt, doctrinam hanc multum illuſtrari poſſe, ſi quis omnia Incendiariorum arcana penetrare poſſet. Sunt enim homines, qui naturæ beneficia in infames ſæpe uſus convertunt, abominabiles quidem, & ſuppliciis digni, quorum tamen periculo poſſit

augeri

augeri res Phyſica, ſi ab Inquiſitoribus eorum ſufficiens adhibeatur diligentia Ita Athan. Kircherus, *in lib. de peſte*, fatetur, ſe inquiſitioni veneficorum præfectum, magna didiciſſe ſceleſtæ hujus artis arcana, nunquam a ſe in lucem edenda, ſed quæ tamen ſibi magno in rerum naturalium cognitione ſubſidio fuerint.

De ratione, qua ignis propagetur, ſingularis eſt ſententia IOHANNIS MAYOW, 4
Angli, J. V. & Med. Doct. Is, ut eſſentiam ignis conſtituit in ſpiritu nitro-aëreo, ita etiam, propagationem flammæ ejus beneficio fieri, ait. Spiritus nitro-aëreus illi ſummum eſt & ſubtiliſſimum in natura, quod præcipue ſedem ſuam habet in corpore ſolari. Illic particulæ nitro-aereæ, motu velociſſimo exagitatæ, corpus ſolare igneumque chaos illi conſtituunt, hinc illas particulas ſumme volatiles ſuperiori aëris regioni incumbere ait, ibidemque, pro diverſo earum ſtatu, diſtincta, ſeu ignis, ſeu frigoris, elementa conſtituere. In lumine vero ſolari rem haud multo ſecus habere ſe exiſtimat, ac in illius radiis, ope ſpeculi uſtorii collectis. His particulis nitro-aëreis ubi obviant particulæ ſulphureæ, accenſio fit, ideoque, ad ignem ſublunarem conflandum, particularum ſulphurearum & nitro-aërearum affluxum perpetuum eſſe debere contendit, atque id pabulum vocat ignis. In ignibus autem cœleſtibus rem aliter ſe habere putat; illos enim motus ſuos, ſemel inſtitutos, ſine particularum ſulphurearum ope, in æternum continuare, unde & ignis, in ſpeculo uſtorio collectus, ſine ſulphurearum conſortio ipſi eſſe creditur. Quanquam ego exiſtimem, etiam ex aëre illas poſſe particulis nitro-aëris copulari. Hinc facile propagationem ignis demonſtrat; nam particulæ nitro-aëreæ ſulphureæque, in motu igneo conſtitutæ, quamplurimas alias, atque iſtæ inſuper alias ejusdem molis eadem velocitate, exagitant. Hæ particulæ accenſæ, ut motus ſuos augeant, corpus aliquod aliud, in motu conſtitutum, ſociant, quod earum motum promovet & intendit. Scil. particulæ ſulphureæ, ab igne in partes minutiſſimas diviſæ, in particulas nitro-aëreas, particulis aeris inſitas, impingunt, easque in ſpatiola ea impellunt, in quibus materia ſubtilis motu velociſſimo circumgyratur. Particulæ autem nitro-aereæ ſulphureæque intra ſphærulas, quæ a materia ea circumrotata deſcribuntur, impulſæ, ab eadem protinus impelluntur, motuque ſuo aucto foras protruduntur. Hæc, ut verum fatear, ſubtiliſſime ſunt excogitata ab illo, quorum veritas pulvere pyrio amplius poſſet demonſtrari. Hic enim particulæ ſulphureæ particulis nitroſis immediate, & per minima, miſtæ ſunt, ideoque ſubitanea ejus eſt deflagratio. Cui ſi humidi aliquid miſcueris, ob partes discontinuatas, lentior erit deflagratio, cum ſtrepitus aliqua continuatione. In reliquis corporibus, in quibus rariores ſunt particulæ ſulphureæ, aut heterogeneis multis permiſtæ, lentius erit incendium. Hinc ligna viridia difficulter incenduntur, arida vero ſubito flammam concipiunt & deflagrant, quoniam vicinior illic eſt particularum ſulphurearum & nitroſarum poſitus, nec cum heterogeneis iis multum luctandum.

CAP. XVII.
DE FRIGORE.

§. 1. *Calor & Frigus ad omnes naturæ operationes concurrunt.* 2. *Frigus non ſolum ut qualitas & privatio, ex mente Ariſtotelis, Cardani & Carteſii, eſt conſiderandum, ſed etiam ut poſitivum aliquid.* 3. *Joh. Mayow frigus a particularum Nitro-aërearum motu languidiori, J. Bapt. Hamelius & Seb. Wirdigius a Spiritibus frigorificis, derivant. Experimentum de congelatione Boylianum. Congelatio per pulveres certos artificialis. Vera cauſa Frigoris ſunt corpuſcula ſalina.* 4. *Thom. Hobbeſii ſententia, frigoris & congelationis cauſam ventis tribuens, refutatur, liberque Rob. Boylii* de Frigore *commendatur.* 5. *Frigoris effectus varii, præſertim aquæ attenuatio. Cenſura de J. Am. Comenii* Lib. de Frigore. *Frigus & Glacies arte poſſunt produci. Inſecta, hirundines, ciconiæ, imo & homines nonnulli, poſt diuturnam congelationem, reviviſcunt. J. Nic. Pechlini Lib. hujus argumenti commendatur.*

1 COntrarium calori FRIGVS eſt, & ſecundas ab illo partes merito ſibi vindicat, utpote, quorum miniſterio utitur, in omnibus pene operationibus ſuis, natura. Quare non ſine cauſa Magnus Baco Verulamius frigus & calorem vocat dextram & ſiniſtram naturæ, neque omnino abſurdus eſt Bernhardinus Teleſius, qui calorem & frigus duo ponit in natura principia activa, de quorum pugna inter ſe & victoria naſcantur corpora, & plurima naturæ phænomena; quæ enim ex illis pars palmam obtinuerit, alteram partem ſibi ſubjugat, atque ita, vel corpus aliquod conſtituit, vel aliud quoddam naturæ phænomenon.

2 Eorum, quæ ad frigoris naturam pertinent demonſtrandam, ſubtiliſima plane & recondita ratio eſt. Poteſt autem varie conſiderari frigus, primo quatenus qualitas aliqua eſt, tum meram relationem denotat, & ratione ſenſus noſtri determinatur. Prout enim tactus noſter incurrit in corpora, quorum minima vel non moventur, vel tardius moventur, quam particulæ noſtri corporis, e diverſitate illa motus judicamus, rem eſſe frigidam, quæ tamen per ſe nihil aliud agit, quam quod ex lege motus agere debet. Ideoque frigus, quatenus qualitas eſt, Ens eſt mere reſpectivum. Conſiderari poteſt ſecundo frigus, ut privatio caloris, & tum nihil aliud denotat, quam abſentiam iſtius motus minimorum in aliquo corpore, qui ineſt corpori, quod calidum vocamus. Sunt nonnulli, qui omne frigus habeant pro ſola privatione, ut ſit nihil aliud, quam caloris abſentia, qua etiam ſententia Hier. Cardanus eſt, qui putat, ſolo caloris diſceſſu corpora refrigeſcere, non minus ac aër redditur obſcurus, ſolo corpore luminoſo abeunte. Ariſtoteles inter qualitates ſuas hæret, cumque definitionem illum rogamus, illam audimus, quod ſit qualitas, quæ congreget homogenea & heterogenea; qua definitione quid dicere velit, obſcurum admodum eſt. Ille enim congregationis actus, ut vocat, quomodo frigori adſcribi poteſt? Quod ſi qualitas eſt ſola, quæ actio ejus erit in congregatione homogeneorum & heterogeneorum?

neorum? Carteſium ſi audimus, is nobis ex materia ſubtili ſua ſubveniet, quaſi ex inſidiis quibusdam, vel ut θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Is enim ſtatuit ſubtilis materiæ, ſive ætheris, partes majusculas, & validioris motus opifices, calorem procreare, minuſculas & debiliores frigus efficere, ut per illum frigus nil aliud ſit, quam inſenſibilium partium, vel quies, vel tardior motus. Ideoque & illi non niſi privationem frigus eſſe videmus. Verior eſt illorum ſententia, qui poſitivum aliquid intercedere in frigore exiſtimant, ita, ut, præter abſentiam motus, accedat novum aliquod, vel novæ quædam particulæ, quarum miſtione tam mirabiles mutationes fieri videmus. Quis enim exiſtimet, ſola privatione pluvias in nives & grandines mutari, aquam in glaciem, niſi nova aliqua cauſa accedat, vera & realis? Quam ſunt varii & admirabiles frigoris effectus, quomodo rumperentur vaſa metallica, ſi ſola motus ceſſatio ſufficeret ad frigus determinandum? Eſt itaque frigus, varia conſideratione, aut qualitas, ſive Ens reſpectivum, aut privatio, aut poſitivum aliquid.

Joh. Mayow, cujus ſuperiori capite mentionem fecimus, ut de natura caloris ſubtiliter admodum, ita & de natura frigoris, differit. Spiritus enim ejus nitro-aëreus, e ſolari corpore recedens, motu paulo remiſſiori commovetur in media aëris regione, cum a ſole remotiſſimus eſt prope polos, veroſimiliter a motu circumgyrationis prorſus ceſſat, & tum alterum illud frigoris elementum (ita vocat, pene Teleſio in eo ἐμόψηφος) conſtituit. Hic ait hoſpitari particulas nitro-aëreas copia ſatis ampla, quæ congelationem vaporum & guttularum pluviarum efficiant. Hæ particulæ aëreæ, illic ob frigus imprægnatæ & graviores factæ, valde rigidæ evadunt, ut jam, non inſtar telorum erectæ, ſed rotatim, moveri incipiant. Hæ particulæ cum deſcendunt, probabile eſt, eas non recta deorſum, ſed oblique verſus polos deferri, cum continuus vaporum aſcenſus in regione meridionali, ob calorem ibi intenſum, aërisque rarefactionem, rectum deſcenſum impediat, a polis autem eas oblique revertentes verſus meridiem iter tenere, usque dum ad terram deveniant. Unde rationem ait dari poſſe, cur ventus ſeptentrionalis maxime ſiccus frigidusque ſit, in quantum ſc. aërem, particulis nitro-aëreis gravidum, ſecum rapit; quanquam tamen & experientia notum ſit, non ſeptentrionalem tantum ventum, ſed & contrarios, frigus inducere, quod ex poſitu regionum determinandum eſt. Nam quibus ad Auſtrum ſurgunt montes altiſſimi, nivibus tecti, iis Auſter frigora inducit. Atque hanc aëris continuam eſſe circulationem, Mayowius putat, ut particulæ aëreæ ſpiritu nitro-aëreo armatæ in altum tollantur, ibidemque eodem denuo imprægnatæ, inde ad inferiora revertantur. Quicquid jam ſit de hac ſententia, ſeu ſpiritum illum nitro-aëreum ſtatuamus, ſive non, illud manifeſtum eſt, deportari per aërem corpuſcula, quorum interventu congelatio fit, & frigus oritur, idque poſitivum illud eſt, quod in frigore reperiri diximus. Neque abſurdum eſt, cum J. Bapt. Hamelio ſtatuere ſpiritus aliquos frigorificos. Non enim exiſtimandum eſt, illic tantum eſſe ſpiritus, ubi calor eſt: nam & frigida corpuſcula æque celeriter moveri poſſe, vel paulo etiam tardius, nihil vetat, ſive per ſe illa moveantur, ſive ventorum, aut materiæ ſubtilis vehiculo.

Video

Video etiam Seb. Wirdigium, in ſuo *de ſpiritibus* libello, frigus quoque inter ſpiritus referre, quo referri meliori jure poteſt, quam tenebræ. Talia corpuſcula revera ad frigefactionem requiri, oſtendit luculento experimento Boylius. Is enim, aërem folle ventilans, nullam mutationem ſenſit in thermoſcopio, ſimul ac vero nivem & glaciem orificio appoſuit, ſtatim, ubi afflavit thermoſcopium, aër in illo fuit congelatus vel condenſatus. Imo ipſa artificialis congelatio id oſtendit, & arcanum illud Ducis Mantuæ, qui pulverem habet, certo modo præparatum, qui poſſit aquam media æſtate vertere in glaciem. Cujus naturæ forte is quoque pulvis fuerit, cujus mentionem facio *in Epiſtola de Scypho vitreo rupto*, qui aquam in tam ſolidam ſubſtantiam convertere potuit, ut cryſtalli inde & gemmæ potuerint efformari, genuinis non multum diſſimiles. Id quidem difficulter dici poteſt, quanquam ipſam hiſtoriam ſatis veram pucem, quippe quam ex ore Boylii ipſe habeo. Cauſa itaque frigoris & congelationis eſt corpus aliquod novum, & principium aliquod ſalinum, quod per minima miſcetur aliis corporibus, liquidis præcipue, quæ minima illa corpuſcula facile intra ſinus ſuos recipiunt; tum liquidæ partes cujusvis miſti, vel humidi, quæ congelare itidem poſſunt, ita ut in nonnullis locis ligna quoque ipſa congelare ſoleant, imo lapides rumpi.

4 Apparet itaque ex eo, quam inepta ſit & abſurda ſententia Thomæ Hobbeſii, qui, *in libro de corpore, cap. 28. art. 6. 7.* omnem rationem frigoris & congelationis ponit in motu aëris directo, quem ventum vocat, a Sole productum, primum ſub ipſa ſolis ſphæra & linea, & hinc propagatum ad utrosque polos. Quam rem ut demonſtret, ſchema aliquod ob oculos pingit, quomodo ſc. per Solem moveatur aër, aëris motus, ſeu ventus, moveat deinde aquam, usque dum ſub locis polo vicinis in grumos quosdam condenſetur, atque ita congeletur. Quæ certe ſententia, utut ad ſpeciem ingenioſa videatur, tamen falſiſſima eſt, & in ipſius effectus demonſtratione plane inexplicabilis. Ne quid enim dicam, quam non ſit illud ſatis certum, omnem ventum a Sole fieri, veritati plane repugnat, ad frigus & congelationem ventum requiri, ut cauſam, quanquam concomitans interdum eſſe poſſit, ut putem, Hobbeſium fallacia cauſæ hic ſibi impoſuiſſe. Exemplum, quod affert de ſufflatione forti ex ore compreſſo, illam frigus efficere, cum halitus ex ore aperto ſit calidus, nihil probat. Qualis enim aër externus eſt, qui ſemper frigidior eſt intra fauces concluſo, talis ille ſentitur pulſus a flatu oris exeunte. Eſſet vero calidus ille flatus, ſi aër eſſet calidus, ut obſervare in hypocauſtis & balneis poſſumus, ubi aër ore compreſſo protruſus non infrigidat, ſed magis calefacit. Jam vero explicet nobis Hobbeſius, quomodo venti a Sole producantur; certe non poſſunt aliter, quam per calorem produci, & eo in loco, ubi producerentur, oporteret eſſe intenſiſſimum frigus, quod tamen eſt illis in locis, ubi motus iſtos oportet decreſcere, ut longius propagatos. Ergo debet aut aliud quid accedere ex iſto loco, quo appellunt, quod congelandi potentia illos imbuat. Miſerum quoque eſt reſponſum ad inſtantiam illam de artificiali congelatione, ubi dicit, ventum aliquem exire nive & contuſis ſalibus,

qui

qui tranſiret vitrum vel metallum, & quidem inſenſibiliter. Quæ certe manifeſto ſunt falſa, ut vel uno hoc experimento refutari poſſet tota ejus doctrina. Reclamat etiam experientia. Longe penetrantius frigus eſt aëre tranquillo, quam turbulento & ventis commoto, imo congelaſcunt aquæ in ipſis penetralibus domus, in ipſis vaſis vitreis, etiam hermetice ſigillatis, quo ne tenuiſſimus quidem ventus poteſt accedere. Non immerito itaque ſagaciſſimus Rob. Boylius exagitat illam Hobbeſii ſententiam *in Appendice libri* iſtius, quem *de frigore* conſcripſit, Londini A. 1665. *in 8vo* Anglice editi, & adeo accurati, ut parum addi poſſe videatur. Multa, & plus quam ducenta experimenta inſtituit circa varios liquores, quorum ſumma capita referuntur *in Actis Soc. Angl. Edit. Lipſ. Latine p. 61 & 35.*

Frigoris effectus varii ſunt, aliqua corpora condenſat, aliqua attenuat, in ali- 5
qua nullam plane efficaciam habet, quod accidere oportet, ob ſingularem corpuſculorum diſpoſitionem. Aër condenſatur, aqua attenuatur & diſtenditur, ut ex eo patet, quod valida etiam vaſa lapidea & metallica rumpantur, ſi aqua iis infuſa congeletur. Imo notandum eſt, bombardas majores rumpi poſſe, ſi aqua, illis infuſa, in glaciem mutetur. Ex quo apparet, particulis, aquam ſubeuntibus, Elaterem ineſſe. Hinc etiam eſt, quod aqua glaciata levior ſit aqua non congelata. Ceterum omnia illa nimis prolixa ſunt, quam ut hic poſſint recenſeri. Vid. Boylius, &, qui in compendium eum traxit, du Hamel *in libr. de affect.* Scripſit & IOH. AMOS COMENIVS *librum de frigore*, de quo operoſe hic nolumus differere, non enim eſt iſtius *ἀκριβείας*, quam habet liber Boylii. Habetur *in Actis Societatis Angl. p. 195.* experimentum novum, oſtendens, quomodo in momento notabilis frigoris gradus poſſit produci, ſine uſu nivis, glaciei, grandinis, venti, aut nitri, idque quovis anni tempore. Paratur id materia quadam ex ſale Ammoniaco extracta. Eorund. *Act. p. 313.* adferuntur quædam remedia contra frigus. Ubi mihi recordatio in mentem incidit cujusdam Artificis, qui jactabat, ſe corpora humana, vel contra Novæ-Zemblæ frigora munire velle. De glacie artificiali multa reperiuntur curioſa in *Experimentis Florentinis, a cap. 34. ad 42.* quorum aliqua recenſentur *in Actis Angl. Societ.* recentioribus, nondum in Latinam linguam converſis, p. 1020. De corporibus inſectorum illud memorabile eſt, illa non interire per frigus, ſed ad auram tepidiorem reviviſcere, quod & de hirundinibus & ciconiis memoriæ produnt. Sunt, qui hiſtoriis quibusdam, quas a fide dignis hominibus acceperunt, inducti, exiſtiment, ſimilia in hominibus aliquibus facta fuiſſe, qui non per horas, ſed per dies aliquam multos, &, ſi recte memini, menſes, aqua ſuffocati & congelati, iterum in vitam revocati fuerint. De quibus Exemplis vid. clariſſimi Collegæ D. J. Nicol. Pechlini, *liber de Aëris atque Alimenti defectu.* Refert quoque Beckerus, ſub finem *Diſputationis de frigore*, anno 1618. Nobilem Matronam Wenzelikiam, Treſtii in Moravia Dominam, famulum, quarto poſt congelationem die repertum, ad vitam hoc modo revocaſſe. Primum corpus gelidæ aquæ impoſuit, usque dum glacies e corpore evocata, corporique obducta fuit, poſtea in locum calidum transportavit, orique infudit calidum aromatibus conditum juſculum, ut ita reſpirare tandem cœperit, & ad vitam redire. Neſcio, an fide digna

ſit hiſtoria, nam, nec unde habeat, refert Autor, neque ſatis circumſtantias alias examinat. Credo illum ex Comenio *de frigore* cepiſſe.

CAP. XVIII.

DE AERE.

§. 1. *Aër Diogeni Apolloniatæ Deus, & rerum omnium materia, Rob. Hookio, aliisque modernis, Tinctura tantum aliqua particularum Terraquearum. Diſtinctio horum inter Aërem ſive Athmoſphæram & Ætherem, admitti poteſt, modo utrumque corpus eſſe concedant. Vacuum, abſolute tale, arte produci poſſe negatur. 2. Unde varia aëris conſtitutio, ſalubris præcipue & inſalubris? 3. De Condenſatione & Rareſactione aëris Bernh. Varenii & Rob. Boylii obſervationes. 4. Thermometra, ad inquirendam iſtam, inventa, vel a Corn. Drebbelio, vel a Rob. Fluddio. Variæ horum ſpecies recenſentur. Fluddius omnem ſuam in iſtis fundat Philoſophiam. 5. Aër grævis eſt, etiam in loco naturali, non minus, quam aqua. Falſum eſt, Elementa in loco proprio non gravare. Cur aqua non gravet in fundo maris? 6. Modi aëris grævitatem explorandi. Baroſcopia ab Evang. Torricellio inventa. Variæ illorum ſpecies ac Phænomena. Iſ. Voſſii Aëroſcopium, & Ott. Guerickii Virunculus, Baroſcopio incluſus (qui, an Cometam prædixerit, dubitatur,) ventos & tempeſtates præſagiverunt. Quod etiam herba Chinenſis Chiſung, facere perhibetur. 7. Conſilium de Aëromantia iſta, per experimenta crebra, ad aliquam perducenda certitudinem. Laudantur Principis cujuſdam Germani* Tempeſtatum Ephemerides. *8. Nautarum, Ruſticorum, Metallicorum, præſagia tempeſtatum. Talia Aut. Mizaldus in* Aëromantia *colligit. 9. Hygroſcopia humiditatis ſiccitatisque aëris præſaga. Variæ illorum ſpecies. Cur idem præſtent cornua cervina in Aula Taurinenſi?*

AD AEREM accedimus, cui aliqui plus, quam Elemento, aliqui minus, quam Elemento, tribuunt, aliqui ne quidem inter ſpecies corporum locum relinquunt. E veteribus Diogenes Apolloniates aerem Deum fecit, ſi Ciceroni *lib. 1. de natura Deorum* credimus. Auguſtinus, *lib. 8. de C. D. c. 2.* vult, illum aerem agnoviſſe pro materia omnium rerum, & compotem divinæ rationis. Theodoretus quoque & Euſebius ajunt, illum ſtatuiſſe denſum aerem & rareſcentem mundos gignere. Sic autem ajunt feciſſe mundos, aut factos putaviſſe, univerſo motu huc atque illuc, & rarefacto, & condenſato, ubi coincidebat, quod denſum erat, feciſſe conſtipationem, & ſic reliqua ſecundum eandem rationem leviſſima ordine ſurſum ſumto feciſſe Solem. Quæ coincidunt pene cum Carteſii dogmatibus, cujus varii vortices videntur ad ejus imitationem conficti. Aliqui ne quidem inter certas ſpecies

numerare voluerunt aerem, eſtque inter illos etiam Rob. Hookius, qui *in Micrographia ſua* ſtatuit, aerem nihil eſſe aliud, quam tincturam & ſolutionem quandam particularum, ex terra & aqua prodeuntium, quæ in æthere exſolvuntur, & continenter moventur, fere ut parum ſalis aut pigmenti multum aquæ inficit. Atque, ut hoc pigmenti arte poteſt ſeparari, ſic aer ab æthere ſecernitur, atque ita, ſecundum ejus ſententiam, aer nihil aliud eſſet, quam particulæ aqueo-terreæ diffuſæ, quarum ſuſtentaculum eſſet æther. Quæ tamen ſententia vera eſſe non videtur. Nam hyemis tempore particulæ iſtæ, maximam partem aqueæ, in aquam concreſcerent; liquidæ enim particulæ, aliis junctæ, primum in guttas, hinc in glaciem, verterentur. Accedit, quod continuitatem hujus corporis, & quendam fluxum ad menſuram revocare poſſimus, quod fieri non poſſet, ſi corpus eſſet non continuum, vel discontiguum. Qui aerem non habent, niſi pro effluviis aqueo-terreis, illi, athmoſphæræ nomine contenti, quicquid reliquum eſt, ætheris nomine complectuntur. A qua ſententia nec Boylium alienum eſſe video, qui, fumum intra vas vitreum cogens, exhauſto prius aere, ſubſidere fumum obſervavit inſtar aquæ undulantis, quique admoto igne in Cylindrum ſe erexit, iterum recidentem igne ſubtracto. Alii ætherem ab aere differre nolunt, niſi ratione puritatis, cum quibus nos non multum litigabimus, modo nobis concedant, eſſe aliquod corpus craſſius, aliquod rarius, quod globum hunc terraqueum ambit, ſeu jam ſpecie diſtincta ſint illa corpora, ſeu gradu tantum differant. Nam plane vacuum eſſe, non facile aſſerendum, neque ullis inſtrumentis id ita poteſt demonſtrari, ut nullus dubitationi locus ſit relictus. Vitro certe aerem excludi poſſe, experientia nos docet, an æther vero excludi poſſit, vel alia quædam materia ſubtilis, dici non poteſt, cum videamus, aliqua in illis ſpatiis fieri, quæ non poſſunt concipi fieri in vacuo, quanquam aliqua, quæ aerem videntur propius tangere, abeſſe poſſint. Ita aeris exhauſtio extinxit lumen in corporibus lucentibus, de quo videantur Experimenta Boylii *in Actis Societ. Regiæ p. 474. Edit. Lipſ.* Ceterum, quod abſolute vacuum dici poſſit, nec aere, nec æthere, plenum, dari non poteſt, niſi forte velimus illud agnoſcere in lacrymis vitreis, ſeu vitro ſtillatitio (Springgläſern) quarum accuratiorem examinationem inſtituere paſſim Autores Anglici, Merettus *in notis ſuper Anton. Nerum de Arte vitriaria*, præcipue vere Hookius *in Micrographia*, ſua, e quibus collegit, ſuis Obſervationibus additis, Collega noſter clariſſimus, D. Sam. Reyherus in *libro ſuo de Aere.*

Ex heterogenearum particularum mixtura oritur varia aeris conſtitutio, hinc ille vel ſalubris eſt, vel noxius, vel gravior, vel levior, vel ſalſior, vel nitroſior, vel ſulphuratus magis, prout illa loca, quibus imminet, ſe habent. Unde & corpora, eum aerem ſpirantia, variis mutationibus ſunt ſubjecta, prout ſcil. ille ratione loci, acceſſus & receſſus ſolis, mutatur. Hinc obſervat Baco Verulamius, *in Hiſtor. vitæ & mortis*, eos, qui in montanis habitant, quoniam aerem ſpirant puriorem, vivaciores eſſe iis, qui in vallibus habitant, aut in locis paludoſis. 2

Aër rarefieri & condenſari poteſt. Cum enim ſpongioſus ſit, habeatque vacua 3

ſpatia, ut per compreſſionem demonſtrari poteſt, poteſt aliquando minus, aliquando majus ſpatium occupare. Condenſatur vel per frigus, vel per compreſſionem violentam. De condenſatione per frigus *ſuperiori cap.* egimus. Condenſationis per compreſſionem exemplum habemus in ſclopeto pnevmatico, in quo aer, referente Bernh. Varenio, *Geograph. general. lib 1z. c. 19.* adeo condenſari poteſt, ut ſexageſimam tantum partem prioris ſpatii occupet. Rarefactio aeris fit vel per calorem, vel per certas aliquas machinas. Si Varenio credimus, dilatari poteſt aer, ut ſpatium occupet ſeptuagies majus, quam antea, quanquam Boylius, *lib. de vi Elaſtica aëris, Experim. 36.* affirmet, ſe ad dimidium tantum iſtius gradus pervenire potuiſſe, cujus fides exploratior eſt, quam omnium aliorum, quia in aeris gravitate, vel levitate exploranda multum temporis conſumſit, & ad eam ſubtilitatem rem redegit, ut menſuram proportionis inſtituere potuerit, ſecundum quam aer, vel condenſetur, vel rarefiat.

4 Ad hanc rarefactionem vel condenſationem aeris inquirendam, inventa ſunt ſingularia quædam inſtrumenta, quæ *Thermometra* appellantur, quorum inventionem aliqui CORN. DREBBELIO, Batavo, magno in Phyſicis & Mathematicis Artifici, aliqui ROBERTO FLUDDIO, tribuunt, qui ſane illorum inventor videri vult, & in iis quaſi omnem Philoſophiam ſuam fundat. Nam in ſingulis paginis pene apud illum occurrunt eorum imagines, commode incommode adductæ. Is in potentia condenſante & rarefaciente, Septentrionali vel Auſtrali, ut loquitur, cauſam omnium naturalium operationum collocat, atque hoc velut inſtrumentum habuit rarefactionis & condenſationis demonſtrandæ, imo totam quaſi ſphæram, cum omnibus ſuis circulis, in hoc inſtrumento ob oculos poſitam eſſe voluit. Sed, ut multa in illo Autore Enthuſiaſmum potius, quam demonſtrationes, ſapiunt, ita & in hoc ignoſcendum illi eſt, ſi genio ſuo paulo liberius indulſerit. Thermometrorum variæ ſunt ſpecies. Simpliciſſima ſunt, quibus Fluddius utitur, & ruditer diſtincta. Subtiliores modos Recentiores invenerunt, & ex iis Boylius, cujus deſcriptionem communicavit nobiſcum J. Bapt. du Hamel *de corporum affectionibus lib. 1. c. 4. n. 14.* Nam in vulgaribus illis Thermoſcopiis multus errori locus relictus eſt. Simplicia thermometra conſtituunt phialæ vitreæ, quarum extremitas aquæ immerſa eſt, in quibus externus aer, aquæ incumbens, alterationes ſuas aeri interno communicare poteſt. Prout enim aer externus, vel gravior fit, vel levior, & per conſequens, vel rarior, vel denſior, ita aquam ſibi ſubjectam pellit, atque hæc iterum aerem incluſum aquæ. Alia thermoſcopia ſunt utrinque clauſa, in quæ externus aer non tantum impreſſionis habet, quanquam aliqui exiſtiment, certiora in iis ſumi poſſe caloris & frigoris documenta, quæ non ita accurate obſervari poſſint in iis thermometris, quorum extremitas vaſi aqua pleno immerſa eſt. In iis enim aer externus, pondere ſuo gravans aquam, ſibi ſubjectam, pondere ſuo turbat ſubtiliora caloris & frigoris indicia, ad quæ cognoſcenda aer, intra vitreos canales incluſus, ſufficere poſſit, cum frigoris & caloris externi tanta vis ſit, quæ penetrare ſtatim vitrum poſſit, ut exigua iſta aeris portiuncula eodem modo afficiatur, quo exterior aer, quanquam ipſe in ſua ſubſtan-

ſubſtantia penetrare vitrum non poſſit. Materia enim ſubtilis, aeris quaſi vehiculum, iſtarum alterationum & motuum propagatrix quædam eſt, cui nihil pene claudi poteſt. De Thermoſcopiis illis refert Monconiſius, *in ſuo Itinerario*, Robert. Boylium integrum Tractatum ſcripſiſſe, ſed quem ego hactenus non inveni, nec in Indicibus librorum, ab eo conſcriptorum, conſignatum memini. Eſſet ſane operæ pretium, ſi quis talem in ſe laborem ſuſcipere velit, quem Boylio nemo poſſet melius in ſe ſuſcipere. Utut enim multum vulgo confidant Phyſici in iſtis inſtrumentis, non pauca tamen urgent eas demonſtrationes dubia, in quæ ulterius inquirendum eſſet. Habentur paſſim aliqua apud Boylium, in ejus ſcriptis *de vi aëris Elaſtica*, & *in Actis Soc. Angl.* Hamelius, *lib. 1. de affection. corpor. c. 4.* ex Boylii ſcriptis collegit, quæ ad hanc doctrinam pertinent, adjectis ſimul iconibus. Legatur & Sam. Reyheri *Diſſ. de aëre, cap. 2.* ubi de aliquot eorum ſpeciebus agit. Vid. porro J. Chr. Sturmius *in Collegio ſuo Curioſo, Tentamine 9. & in Auctario ad illud Tentamen* Franciſcus Lana quoque *in Prodromo all' Arte Maeſtra, c. 7. & 8.* ubi novas aliquas thermoſcopii inventiones habet.

Aer vulgo levis habetur, ſed is gravis eſt, & æque gravat corpora ſibi ſubjecta, 5
ac aqua. Qui enim ſtatuunt, elementa in ſuo loco non gravare, falluntur. Et in toto, & per partes, elementa gravant. De Aqua vulgo creditur, non gravare illam corpora, ſibi ſubjecta, vel potius corpora in aqua verſantia, ut ſi quis Urinator, in fundo maris ſtans, non obſervat aquam ſuperincumbentem ſibi eſſe gravem, quanquam moles aquarum a capite, ſeu ad ſuperficiem aquæ, extans longe ſuperet pondere ipſum corpus. Hinc ſolent ad illud confugere: *Elementa non gravare in locis propriis, in aliis vero non naturalibus gravare;* quod falſum eſt. Nam, ſi vaſtum aliquod vas ſit aqua plenum, in illius fundo homo jacens non gravabitur, nec tamen eſt aqua in loco proprio, ſi quis vero in utre, vel vaſe, portaverit aquam, ſatis ſentiet ejus pondus. Cauſa vero, quod in fundo maris non gravet aqua, eſt partium fluentium continuitas. Illæ enim, ſibi junctæ, & ſe mutuo ſuſtinentes, quaſi fornicem faciunt, & pondus illud intra ſe quaſi reflectunt, quod ſatis ſentiretur, ſi locus in aqua dari poſſet aqua vacuus, vas forte aliquod, cui per foramen aliquod immitteretur aqua. Eodem modo res ſe habet cum aere; nam & ille gravis eſt, & quasdam gravitatis ſuæ vices habet, ut levior alio tempore ſit, alio gravior.

Iſta gravitas aeris variis modis exploratur. Aliqui per lances explorant, ut ve- 6
ſicas ſuillas, nunc inflatas, & aere multo confertas, nunc flaccidas, ad bilancem examinent. Excogitatum quoque ſingulare quoddam inſtrumentum, quod *Bareſcopium* vocant, cujus inventio prima tribuitur EVANGELISTAE TORRICELLIO, Magni Ducis Hetruriæ Mathematico, qui ſingularem de eo invento *Epiſtolam* divulgavit. Hinc ad alios quoque dimanavit idem inventum, & a multis tentatum eſt, cujus hiſtoriam accurate deſcribit Sturmius *in Colleg. Curioſo, in Auctario tertii Tentaminis.* Solet in hoc Baroſcopio, pro aqua argentum vivum adhiberi. Illud orificio, quod apertum eſt, infunditur, & hinc inverſum vitrum vaſculo, quod argento vivo impletum

pletum eſt, immergitur, clauſo prius orificio, ne aer ingrediatur, dum immergitur. Solent aliqui tubum vitreum, non vaſculo alicui immergere, ſed ab altera parte incurvatum ita liberum relinquere, quomodo Hookius, in *Micrographia ſua*, Baroſcopium ſuum efformavit, addito quodam indice, qui gradus levitatis & gravitatis oſtendat, pondere aliquo ductus. Schematiſmum ejus Baroſcopii, qui Hookium non habet, videat apud Reyherum *in Tract. de aëre c. 11.* vid. quoque Sturmius *in Collegio curioſo Tentam. 3.* ubi plures habet Baroſcopiorum Schematiſmos. Obſervatum eſt in Baroſcopio, quanto altius illud in aerem evehitur, conſcenſis altiſſimis montibus turribusque, tanto magis deprimi Mercurium intra tubulum, & contra tanto altius aſcendere, quanto id profundiori loco conſtitutum eſt, item, cum ſerenior aer eſt, & purgatior, depreſſiorem eſſe, cum pluvioſus, aut nubilus, & tempeſtates minatur, altius evehi in tubulum Mercurium. Hujus Baroſcopii beneficio aliqui tempeſtates præcognoſci poſſe exiſtimant, & Is. Vossivs *lib. de motu marium, c. 29. Aeroſcopium* conſtruere docet, quod a nemine, ut inquit, hactenus obſervatum eſt. Certe idem hydrargyro fiſtulas illius implere innuit, ut ex eo pateat, a Baroſcopio illud non eſſe diverſum. Obſervaſſe is ſe dicit, quando procella, vel ventus, in mari oritur, deprimi altitudinem hydrargyri, idque exacte ad menſuram ingruentis tempeſtatis, ventis vero a tellure venientibus aſcendere denuo obſervavit. Hoc inſtrumentum tantæ utilitatis eſſe exiſtimat, ut neſciat, an ullum magis idoneum ad prævidendas tempeſtates poſſit excogitari. Voſſius certe, ut a plurimis accepi, vatem quendam ventorum ſe geſſit, ac aliquoties a nautis conſultus non fefellit. Tale aliquod Baroſcopii genus inveniſſe dicitur Otto Gverikivs, Conſul Magdeb. qui in vitro, in quo humor abſconditus erat, *virmiculum* aliquem formavit, tempeſtatum ſignificatorem, quem etiam cometam inde prædixiſſe volunt; quod caſu ego potius factum exiſtimo, cum ſententia ejus de commetis, quæ illos avulſas tempeſtates facit, non videatur probabilis. Naturale aliquod Aeroſcopium exhibet nobis, ſi verum eſt, quod referunt Scriptores, herba *Chiſung*, quæ reperitur in provincia Chinenſi Quangton; ea enim nautis oſtendere perhibetur, quo menſe, & quot toto anno ſint futuræ tempeſtates; idque colligunt ex nodulis, ſive geniculis. Quo enim nodi pauciores ſunt, eo pauciores illo anno tempeſtates eſſe dicunt; ex diſtantia autem nodorum a radice ſcire aut colligere ſe poſſe autumant, quo menſe quælibet accidere tempeſtas debeat. Digna certe inquiſitione res illa eſſet, &, ſi veritas ejus conſtaret, in cauſas inquirendum. Sed fortaſſis aliquid etiam indulgendum ſuperſtitionibus vulgi, in quas proni ſunt Chinenſes.

7 Magna alioquin res eſſet, ſi præſciri iſtæ mutationes aeris accurate poſſent, & redigi fortaſſis res ad aliquas regulas poſſet, ſi tentamina talia multiplicarentur, ratione inſtrumentorum. Nam omnibus Thermometrorum, Baroſcopiorum & Hygroſcopiorum, ſpeciebus res ſimul tentanda eſſet. Tum ratione locorum; deberent enim tentamina inſtitui a multis, ſub eodem & diverſis climatibus, jam in locis montanis, jam in campis apertis, jam in vallibus, & locis ſubterraneis, jam in mari, jam in

in locis paludosis, arenosis & similibus. Tum ratione temporum experimenta capi deberent, alia sole oriente, alia culminante, alia occidente, alia noctu, silente luna vel lucente, alia verno tempore, alia æstivo, alia hyberno, alia pluvio, alia sereno aëre. Ex iis singuli Observatores diligenter variationes graduum in instrumentis observent & consignent. Inde collatio fiat singulorum, & regulæ hinc constituantur. Methodum aliquam indagandæ prænotionis talis in tempestatibus præscripserunt Angli, cujus specimen vide *in Historia Soc. Regiæ p. 1073.* Notantur illic semper variationes thermoscopiorum ad συζυγίας lunares, quas multum posse in tempestatibus verosimile est. Hoc pacto si res instituatur, credibile est, aliquid nos profecturos, nisi tædia objectorum tam variorum conatum illum superarint. Fuit & alïquis, si recte memini, Princeps Germanus, qui Ephemerides tempestatum, per annos aliquot, germanica lingua scripsit, quæ sub *Historiæ Uranologicæ Uranophili Cyriandri* titulo editæ sunt *in 4to.* Qui labor quanquam tædiosus, non tamen inutilis est. Nam ex multa & varia observatione aliquid interdum discimus. Si modo ventorum omnium causas & ortus haberemus satis exploratos, felicius etiam judicare in præsagiis illis possemus.

Nautis præcipue & Agricolis solent aliqua observari, & nautæ magnas tempe- 8
states, vel subitaneas & graves, plerumque indicio aliquo prænoscunt; Ex monte, qui Tapffelberg dicitur, in Insula Helenæ, cum exiguus aliquis vapor primum e longinquo oriri videtur, statim nautæ sciunt, eo tempestatem præsignificari atrocissimam. Ea enim nubes semper in majores sphæras se volutat, tandemque maximo impetu aërem & aquam concutit. Legatur de iis tempestatibus, & quibusdam earum prænotionibus, Bernhardus Varenius *in Geograph. Gen.* Solent, qui in fodinis laborant, multis horis præscire venturam tempestatem, pluvias, tonitrua, idque ex aeris subterranei gravitate. Cum enim omnes aeris mutationes principium suum in vaporibus terreis habeant, necessum est, tales primos deprehendi ab iis, qui sub terra vivunt. Hujus rei eadem est, quæ thermoscopiorum, ratio. Aer enim montibus inclusus, easdem variationes subit, quas in thermoscopio. Et sunt montes quidam, qui diversis temporibus aerem internum exspirant, & externum absorbent, ut in Italia mons Cæsiorum, quod a rarefactione & condensatione aeris, per accessum & recessum solis, fieri oportet. Vulgares illas prænoscendarum tempestatum regulas, rusticis & nautis familiares, junctis simul Astrologicis Observationibus, edidit Antonivs Mizaldvs, sub tit. *Aeromantiæ*, Francof. A. 1613. *in 12mo* recusæ. In quibus quanquam fabulosa multa reperiantur & superstitiosa, non tamen inutilis labor est; nam seligi ex iis possunt, quæ vero videntur similiora.

Est & alia Instrumenti species, quo aeris natura explicari solet & inde depen- 9
dentes aeris mutationes, quod vocatur *Hygroscopium*, quo humiditas vel siccitas aeris exploratur. Eorum Hygroscopiorum variæ sunt formæ, & solent ad explorationem adhiberi corpora imbibendis humoribus apta, ut sunt funiculi, chordæ, spicæ avenaceæ. In aula Taurinensi suspensa cornua cervina certum futuræ tempestatis aut mutationis in aere indicium dedere, prout in hunc vel istum mundi angulum con-

converterentur, cujus rei meminit Sturmius *in Colleg. Curioſo, Tentam. 14.* Sed illud non cornibus, verum funiculo potius, adſcribendum fuit, ipſeque autor circello ligneo, chorda tenui ſuſpenſo, idem expertus eſt, vid. eundem *ibid. Phænom. 3.* Franc. Lana, *c. 7. libri ſui*, illud bilance tentat, vid. eund. *Phænom. 3. & 4.* & Lanam ipſum *c. 8.* Cujus tamen ſal nitratum calcinatum non videtur idoneum eſſe explorandæ humiditatis inſtrumentum, quoniam totum illud corpus ſucceſſu temporis in liquorem abit, atque ita, ratione maſſæ ſuæ, ejusque conformationis, pondus acquirere videtur. Habet & Lana aliud explorandæ humiditatis Inſtrumentum. Unam enim chordam inter verticillos tendit, alteram protendit pondere appenſo, ut ejusdem ſoni ſint, unde differentiam humiditatis aereæ ex diverſitate ſoni judicat. Sed dubium & incertum illud eſſe, recte monet Sturmius *eodem in loco.* Eſt & aliud Hygroſcopiorum genus, Georgio Sinclaro (Scoto,) *in libro de hygroſcopio, Dial. 1.* vehementer celebratum, qui in ejus rei cauſis indagandis vehementer ſollicitus eſt. Fuſius hic deſcribere illud nolo, quoniam Sturmius, *eod. loco, Phænom. 6. 7. & in Auctario*, ſatis prolixe iſtud deſcripſit. Vid. & Kircherus *lib. 3. Artis Magnetica, cap. 3. p. 2.* & Schottus *in Mechanico-Hydraulico-Pneumatica P. 2. Cl. 1. c. 3. Mach. 4.* Paratur illud ex ſpica avenacea, quod experimentum eandem cauſam habere videtur cum virga ex corylo, quæ igni admota intra foramina ſponte volvitur. Idem Sturmius aliud quoddam inſtrumentum Hygroſcopicum invenit, quod deſcribit *phæn. 8.* Sed idem variatur tantum ratione aliquorum accidentium, æque enim, ut cætera, chorda dirigitur.

CAP. XIX.

DE AQVA.

§. 1. *Aqua verum eſt Elementum. Affectiones ejus, fluiditas, humiditas, figura minimorum (quam falſo cubicam Hon. Fabri facit.) 2. Frigus, cujus tamen non eſt πρῶτον δεκτικὸν. 3. Aquæ vulgares impuræ. Puræ an dentur, dubium. Salubres fore, non lethales, ſi dentur contra Hon. Fabri, oſtenditur. 4. Miſtio cum corporibus imperveſtigabilis, græcitatio, motus internus. Aqua Tameſis ſpiritum ardentem emittit.*

1 VEnimus ad AQVAM, corpus magnæ extenſionis in globo hoc terraqueo, patetque ſane ex ipſo aſpectu, eſſe hoc inter prima corpora numerandum. cum maſſam aliquam univerſalem conſtituat. Inter Elementa refertur, & a veteribus nonnullis unicum ſtatuitur Elementum, de quo ſupra pluribus egimus. Aqua, ratione texturæ ſuæ, has qualitates habet: Eſt fluida, habet enim partes facile mobiles, quam qualitatem aliqui in eminenti gradu aeri tribuunt; humida eſt, quoniam poris & vacuitatibus facile adhæret. Puncta ejus minima, ſublata omni determinatione extrinſeca, cubica facit Honoratus Fabri, quod quanquam prolixo ratiocinio Geometrico probare nitatur *lib. 2. tr. 5. prop. 20.* non video tamen adeo

adeo neceſſarias hujus aſſerti rationes. Crediderim enim, terræ potius particulis cubicam figuram eſſe aptam, nec video, quomodo cum mollitie & fluiditate conſiſtere cubica figura poſſit: De ratione enim formali fluiditatis eſt, ut protendatur materia.

Conſtituunt aliqui Aquam *πρῶτον δεκτικὸν* frigoris, putant ſc. aquam frigidam 2
eſſe in ſummo, & nullum aliud dari in natura corpus, quod magis frigidum ſit, quam aqua. Unde etiam concludunt, ea, quæ habent plus frigoris, corpora, plus habere in ſe aquæ; quod ſane abſurdum eſt, ſequens ex primo illo abſurdo poſito. Cum enim frigus non ſit per ſe ſubſiſtens aliquod, aut corpori alicui inſit vere, ineptum eſt, facere aliquam rem ſummum frigoris receptaculum, cum frigus qualitas reſpectiva ſit, ad ſenſus tantum relata. Nam quanquam in congelationibus intercedat ſubſtantia quædam, tamen non poſſumus vere dicere, illam ſubſtantiam eſſe frigus, quamvis facit, ut miſta corporibus liquidis, quietem aliquam iis inducat ſummam, ad cujus tactum cum motum nullum ſentimus, frigidam rem dicimus. Deinde, quis dicere auſit, cryſtallos, lapides, metalla, ad tactum ſatis frigida, plus aquæ habere in ſe, quia frigida nobis per tactum exiſtimantur. Nullius momenti ſunt, quæ Peripatetici, aliique Philoſophi, ſuper hoc aſſerto prolixe contendunt, quæ luculenta Diſſertatione diſcuſſit Rob. Boylius *in Hiſtoria Experimentali de Frigore, tit. 17.*

Aqua, in naturali ſuo ſtatu, parum vel nihil contrahi poteſt. Poteſt autem fa- 3
cile & valde rarefieri. Differunt Aquæ elementares ab aquis illis vulgaribus impuris; nollem tamen dicere cum Honorato Fabri, ſpecie illas differre. An vero aquæ tales puræ dari poſſint, non facile dixerim. Nulla enim aqua adeo pura eſt, quæ non aliquid uliginis admixtum habet. Aqua vero pura nulla ſapore & odore debet eſſe prædita, qualem, ſi detur, nollem ego, cum Honor. Fabri, *loc. citato prop. 22.* præſentiſſimum venenum dicere, cujus aſſerti ratio fundatur in iſta aquæ falſo credita frigoris prærogativa. Putat enim, ſuo frigore calorem vitalem extincturam, ſanguinem congelaturam, ſuaque ſubtilitate totum corporis complexum, atque adeo intimas medullas, penetraturam ope rarefactionis. Hinc dubitat, an aqua illa ſtygis, cujus hauſtu Alexandrum M. extinctum dicunt, ad puram aquam propius acceſſerit, cum ſaltem in hoc aquæ puræ ſimilis fuerit. Quo ego quidem metu bonum Honoratum facile abſolverim, ut qui exiſtimem, aquam talem, ſi detur, potius Medicinæ loco futuram, quam veneni. Nam videmus vulgo, aquas, quo limpidiores, eo ſaniores haberi, quo magis fæculentas, eo magis noxias. Exiſtimem ego, magnam refocillandi potentiam habituram aquam talem, quippe cui ineſſet purior aliquis ſpiritus nitro aereus, ſi Mayowii principiis ſtandum. Sunt ceteroquin aquæ omnes, etiam quæ limpidæ nobis habentur inviſibilibus fæcibus occupatæ, quas putrefactio detegit, poſt putrefactionem vero ſi diſtilletur aqua, non facile iterum corrumpetur, ſi vaſe bene clauſo ſervetur. Rorem, ſi putrefiat, videmus producere omnis generis vermiculos & inſecta.

4 Hæc nobis dicta ſunto de Aqua, quatenus Elementum habetur. Quomodo enim ingrediatur in miſtionem corporum, altius reconditum eſt, quam humana ſolertia indagari poſſit. Quod aquam ſpectat, quatenus maſſa integra eſt, varias habet affectiones, tam cognitas nobis, quam incognitas. Inter eas eſt gravidatio aquæ, de qua nobis ſuperiori capite aliqua dicta ſunt. Legatur de ea ſcriptum luculentiſſimum *Joh. Walliſii*, qui Mathematicis rationibus eam demonſtratum ivit. Altera affectio nobis in oculos incurrens eſt motus, qui quo manifeſtior eſt, eo magis perplexas & abſconditas cauſas habet. Intelligo autem internos motus marium, quorſum ſpectat præcipuus fluxus & refluxus, ne quid dicam de aliis incognitis & inobſervatis. Quod ſi aquæ, ſecundum proprietates ſuas & miſtiones cum heterogeneis corpuſculis, conſiderari deberent, res infinita eſſet, ſed tamen magnæ utilitatis. Singulis enim fontibus ineſt nativa quædam indoles a fundo, vel aere in illos propagata. Cujus notitiam, quanquam confuſam, proponit Leonh. Thurnheuſerus *in lib. germ. de aquis.* Notat Boylius de aqua Tameſina, illam, diu clauſam ſervatam, ſi aperiatur, ſpiritum ardentem emittere, ſeu qui tenuem aliquam flammam ab admota lucerna rapiat. Forte id adſcribendam eſt fundo ejus fluvii cretaceo.

CAP. XX.

DE MARI, EIVSQVE INPRIMIS FLVXV ET REFLVXV, FONTIBVS ITEM, FLVVIIS ET THERMIS.

§ 1. *Mare a ceteris aquis ſpecie diverſum perperam facit Honor. Fabri.* 2. *Scriptores de Mari. Ejus affectiones quædam, ſalſedo inprimis & facultas nauſeam excitandi. Remedium nauſeæ.* 3. *Maris Fluxus & Refluxus. De cauſa ejus variæ ſententiæ, cum veterum, tum recentiorum, Scaligeri, Seb. Baſſonis, Verulamii, Gal. Galilæi, Joh. Walliſii, Theod. Moreti, addito de iis, & præcipuis argumenti hujus Scriptoribus, judicio.* 4. *Veriſimillima judicatur illorum opinio, qui ad lunæ preſſionem, ac ſimul motum terræ, eam referunt. Carteſii, Joh. Walliſii & Honor. Fabri, diverſæ circa hanc hypotheſes. Iſ. Voſſii ſententia de ſole Æſtus marini cauſa, a Thoma Campanella hauſta, exploditur. Obſervationes circa illum diligenter inſtituendæ, quales Angli & Bernh. Varenius jam dederunt. Pauli Sarpii de eodem Epiſtolæ jactura.* 5. *Cauſæ inundationum, tum Maris, tum Nili, & Scriptores de iis. Diluvii univerſalis, ab Iſ. Voſſio impugnati, poſſibilitas Phyſicis rationibus a Nic. Stenone eſt oſtenſa.* 6. De Fundo Maris (*qui æque ſalſam & frigidam habet aquam ac ſuperficies*) *Lib. Rob. Boylii. Ejusd.* Hiſtoria Naturalis Maris *affecta.* 7. *De Maris, & aquarum, pondere, colore, aliisque proprietatibus, Monconiſii, Anglorum & Bernh. Varenii, obſervationes.* 8. *Fontium origo e vaporibus, pluviis*

viis & mari. Originem marinam If. Voſſius impugnat, Joach. Burſerus defendit. Salſedo ab aqua marina ſeparari poteſt. Fontes Artificiales. 9. Scriptores de fluviis ſingularibus, & imprimis de Nili origine. 10. De Aquis ſubterraneis. 11. Miſcellanea de aquis, & ſpeciatim de Thermis, earumque ortu.

MARE Honoratus Fabri facit mixtum imperfectum aqueum, in quo Elementum aquæ aliis ſenſibiliter prævalere videatur, ideoque ſpecie diverſum a ceteris aquis; quod mihi non ſatis aptum videtur. Si enim ita velimus diſtinguere corpora, pene, quot fontes, tot aquæ ſpecies haberemus. Omnes enim fontes ſingularem habent naturam quandam dependentem ab heterogeneis commixtis, & ſi aquas ita velimus diſtinguere, certe aerem etiam ita diſtinguere deberemus. Quod enim mare ſalſum eſt, illud a ſolis admiſtione eſt, quem extrahi inde poſſe per artificium, & per naturam, videmus. Salem tamen illum ſtatim ab initio creationis illi miſtum fuiſſe dici debet. Quod ſi ſtatim aqua ſpecie diverſa eſſet, facile ipſi ſpecies novas facere poſſemus & multiplicare Entia. Si communi ſale aquam communem imprægnamus, videmus ſtatim nova aliqua Phænomena, quæ in cõmuni aqua non deprehendas. Ova in communi aqua merguntur, in aqua ſalſa natant, unde ratio patet, quare majores naves non adeo per flumina navigare poſſint, quam per maria. Nolim tamen idcirco dicere, aquam, ſale imprægnatam, ſpecie eſſe diverſam a ceteris aquis. 1

Generales quasdam *Diſſertationes* de mari edidit Franequeræ A. 1651. *in 8vo* NIC. AMAMA, Sixtini Fil. quibus tit. fecit *Decadis Diſſertationum marinarum*, ſed in iis pleræque Scholaſticæ ſunt & proletariæ diſputationes. De ſalſedine maris prolixe agit HONORATVS FABRI, *Tract. 6. lib. 3.* ubi & de aliis quibusdam ejus affectionibus, quales ſunt, æſtate, fervente æſtu, mare ſalſius eſſe, unde ſub Æquatore, & Zona torrida, mare ſalſius eſſe dicit, cujus ratio hæc eſt, quod calor ſolis vapores aqueos attollat, & partes facile mobiles volatiles reddat, relicta materia craſſiori ſalina,) marinam aquam ad ignem extinguendum minus aptam eſſe, aquam marinam pinguiorem eſſe, aquam ſalſam vino dulci ſupernatare, aquam maris ad nauſeam provocare. Cujus cauſæ motui, & fœtori navis & auræ marinæ, adſcribi debent, illæ enim junctæ poſſunt concurrere ad nauſeam excitandam, quanquam & ſingulæ interdum nauſeam excitare poſſunt. (Conf. Ad. Olearii *Itin. Perſ. lib. 1. c. 2. pag. 6.* qui id ſoli motui tribuit, & Jac. Pontanum, *in Bellar. Att. p. 124.* fœtori maris id tribuentem, refutat.) Hujus nauſeæ remedium arcanum ſuppeditat Alexander de Rhodes *in Hiſtor. Tunchinenſi:* ſi ſcil. quis piſciculum, ab alio piſce devoratum, torreat, atque edat. Cujus periculum facere poteſt, qui velit. Ego fidejuſſorem boni effectus me non præſtiterim: mihi enim vel ipſe piſciculus ſatis nauſeæ faceret. 2

3 Princeps maris phænomenon eſt fluxus & refluxus ejus, cui immergitur, quo abſorbetur omnis humani ingenii ſolertia. Vid. *Diſſ.* Belmontis Cagnoli *de fluxu & refluxu maris*, Romæ habitam, & Diatr. elegantem *in cogitatis & viſis* Verulamii, nec non aliam Sorelli *in ſcientia univerſali.* Quicquid hic dicimus, per conjecturas tantum colligimus, quarum eæ ſunt meliores, quæ veroſimiliores. Antiqui varie ſe torſerunt in indagatione hujus phænomeni, & Pythagorei ac Stoici ſpiritum quendam terreſtrem excogitarunt, hujus fluxus cauſam. Eadem Platonis opinio fuit, qui aquam e tartaro, vi ſpiritus, emitti & recipi dixit. Nimirum terram, velut animal aliquod, conceperunt, quod ſpiritum emitteret & reciperet. Ariſtoteles quoque ſpiritum aliquem æſtus cauſam agnovit: ait enim, a ſole & igne ſubterraneo multum in terra generari ſpiritum, cujus vim immenſam ait æſtimandam, non tantum ex iis, quæ fiunt in magno mundo, ſed & in parvo, h. e. in corpore animalium, *lib. 2. de meteor. cap. de Terræ motu.* Jul. Cæſ. Scaliger, in hac de fluxu maris doctrina, totus fluctuat, nec, quam in partem ſe vertat, novit, aliquam tamen cauſam aſſignat dominio illi, quod luna habet in aquas, externum tamen principium agnoſcit potius, quam internum. Ita enim argumentatur: Si ab interno principio motus procedat, mare animal eſſe, quæ argumentatio non ſatis procedit. Tandem eo tota ejus ſpeculatio finitur, ut ignorantiam ſuam fateatur. Qui ignibus ſubterraneis adſcribunt cauſam illius, inconſiderate id faciunt. Non enim ab agentibus dubiis, & non perpetuis, motus tam conſtans poſſet propagari, qui, vel ipſo oculo judice, magis videtur per pulſionem fieri, quam per rarefactionem, a qua ſi procederet motus ille, tumultuarius eſſet, interruptus, nec ſibi per certa intervalla ac menſuras conſtans. Seb. Baſſo tribuit ſpiritibus quibusdam mari contentis, quorum concitatione efferveſcant aquæ, perinde, ut in animali accendi febrilem materiam videmus. Qui etiam neſcio quam animalis Ideam, de terra ſibi impreſſam, habet, ut omnes illi, qui hanc maris circumvolutionem circulationi ſanguinis in corpore humano comparant, vid. Phil. Jac. Sachſius *in Oceano Macromicrocoſmico, ſeu Diſſ. de analogo motu Aquarum ex & ad Oceanum, & ſanguinis ex & ad cor* (Uratisl. 1664. *in 8vo,)* & Franciſcus Follius a Puppio *in Recreatione Phyſica de ſanguinis ac omnium viventium univerſali analogica circulatione.* (ed. Florent. 1665. *in 8vo.*) Verulamius, acerrimus alioquin rerum naturalium indagator, vehementer hoc in argumento fluctuat; nam primum longa eſt illi diſputatio de variis motibus marium, & hinc examinat Analogiſmum cum lunæ motu, quem tamen ipſe in cauſa hujus motus eſſe agnoſcere non vult, ad internos potius aquæ motus, & generales totius orbis, quam ad ſpecialem lunæ pulſionem, confugiens. Unde de motibus maris ſexhorario, menſtruo, ſemimenſtruo, ſemeſtri, varie judicat, nec ad unum illos principium, ſed ad varias cauſas, refert, cum tamen iſta varietas hic potius turbet, quam expediat. Ut itaque longe incertiores ſimus, quam pridem. Primus GALILAEVS GALILAEI, Vir ſummi ingenii & judicii, aliquid majus animo concepit: is enim ad motum terræ retulit fluxum maris. Quoniam enim terræ globus, ſecundum ejus hypotheſes, motum habet annuum diurnum, ex eo pendere ait inæqualem illum maris motum. Aſſertionis principium

cipium vulgari experimento comprobat, quod videamus lineam rectam, ſi ab æquali motu tranſit ad incitatiorem aut repreſſiorem, aut ad repentinam quietem, illico totam concitari in unam partem, & relabi in contrariam. Hanc hypotheſin Galilæi Joh. Walliſius, acutiſſimus Mathematicus, *in Diſſ. de fluxu & refluxu maris*, quæ habetur *in Actis Anglicis p. 204.* ſumme rationalem, cauſam vocat, non excludendos tamen putat motus lunares, ad determinandas periodos æſtus marini. Quid vero contra illam Galilæi ſententiam inferri poſſit, prolixa diſputatione recenſetur apud Berigardum *P. 5. Circ. Piſ.* ita tamen, ut magnificis Elogiis ſemper eum ornet Theodorus Moretus *in Tr. Phyſico-Mathematico de æſtu maris*, Antwerpiæ A. 1665. *in 4to* excuſo, ad virtutem lunæ magneticam, & luminoſam iſtam aquarum elevationem, refert, quod nihil eſt dicere. Sonoræ enim voces illæ ſunt, quibus nihil cauſæ ſubeſt.

Id certe veroſimilius conjecturis apprehendere poſſumus, cum videamus globum hunc terreum maxima ſuæ maſſæ parte aqua circumdari & interfundi, motum maris eſſe aliquem, quia corpus fluidum eſt. Diſtinguimus etiam facile motum ſuperficialem a motu totius, qui a ventis procedit. In hoc vero motu, quando videmus, totam maris maſſam moveri, nulla deprehenſibili externa vi compulſam, qualis eſt ventorum, recte & firmiter inde colligimus, motum hunc debere procedere, vel per inclinationem totius globi, vel per pulſionem corporis, quod corpori terreo mole ſua pene reſpondet. Per inclinationem ſi fit, ejus ratio petenda eſt ex motu terræ; per pulſionem ſi fit, a nullo alio corpore, quam a luna, fieri talis motus poteſt: quoniam vicinus ille planeta eſt, & breviore circulo circa terram volvitur. Vid. Federici Delphini Lib. integrum, Patavii A. 1559. *in 4to*, editum, quo fluxus & refluxus maris cum luna convenientiam demonſtravit. Movet vero tale corpus omnia corpora, ſibi obſtantia, facile mobilia. Obſtat autem primo materia cœleſtis vel æther, motu ſuo perveniens etiam ad lunam, hinc aër gravior, quem excipit aqua, ſphærica figura ſua terram abiens. Moto itaque corpore lunari, movetur æther, movetur aër, & omnium ultimo aqua, terminus illius motionis, & quaſi ultimus in rota iſta circulus. Accedit motus illius tenor quidam & æqualitas, quam non ab alio, quam a continuo movente, vel premente, poſſe procedere ratio dictitat. Quæ in iſto motu inæqualitas eſt, poteſt & determinari obſervatione accurata. Nam, quod in fluviis, vel maribus, per inſulas interfuſis, aut inter anguſta littora coarctatis, inæqualitas quædam ſentiatur, ab altera illa inæqualitate decedens, id tribuendum eſt littoribus aut obicibus, ad quos alliduntur marini fluctus. Hæc omnia cum conſideraret Carteſius, commentus eſt facilem aliquam methodum, qua reciprocationem illam maris nobis demonſtraret. A preſſione enim lunæ, & motu cœleſtis materiæ aſcenſum & deſcenſum maris deducit. Quoniam enim vaſtum corpus luna eſt, omniaque loca corporibus repleta ſunt, igitur nova corpora non aliter admittuntur, quam ut priora ſitu ſuo detrudant, cogantque alio ſe extendere. Hypotheſin illam Carteſianam perſpicue ob oculos poſuit Ant. le Grand, *in Inſtit. Philoſ.* 4

Philoſ. P. 6. *Art.* 12. *& Hiſtoria ſua naturali*, ubi de ſpecialibus æſtuum phænomenis pluribus agit, quæ nos, cum prolixiora ſunt, hic excutere omnia non poſſumus. Ex iſta preſſione lunæ per ſe patet, & ex ſchematiſmo depicto, cur maris æſtus bis in die fiat. Luna enim verticalis alicui puncto preſſione ſua pellit aquas, quæ in extremo preſſionis ſuæ, quod quadrantem circiter globi implet, altiſſimæ, atque ita, in gyrum acta luna, per vices aqua deprimitur & tollitur. In his Carteſius ſatis, ut puto, explicuit rem totam, niſi forte e motu terræ, quem Galilæus in cauſa æſtuum eſſe dicebat, quædam aſſumenda ſint ad inæqualitates æſtuum determinandas. Satisfacere tamen non potuit Iſaaco Voſſio Carteſius, qui, *in libro de motu marium & ventorum*, (Hagæ anno 1663. *in 4to* edito,) in omnia alia dilabitur. Is enim omnes, etiam maximas intumeſcentias marium, vel a tantilla caloris aquæ intenſione produci poſſe putat, qui ſoli potius, quam lunæ, adſcribendus ſit. Videatur is *cap.* 11. 12. *&* 13. præcipue, ubi rem iſtam prolixe proponit, ratiociniis inſuper quibusdam e Stathmica petitis, quæ tamen impingere ait Walliſius in principia iſtius artis, loco ſæpius citato. Non enim ſe conſentire huic hypotheſi poſſe ait, quod inter maximum minimumque maris tumorem vix unius pedis perpendicularis intercedat diſcrimen. Walliſius itaque judicat, ſe nihil in toto libro invenire, quod ſuam ſibi ſententiam mutare poſſit. Quod hiſtorica attinet, de iis ſuſpicatur Walliſius, ea ad propoſitum ſuum torſiſſe eum potius, quam ut ſecuri eſſe poſſimus de eorum veritate. Manet itaque in illa ſententia, eſſe lunæ adſcribendam cauſam fluxus & refluxus maris, non ſoli, ideoque commune quoddam centrum gravitatis terræ & lunæ poſuit pro explicandis phænomenis illis. Scil. terra & luna corpora illi ſunt adeo connexa, ut unius motus motum alterius analogice ſequatur, luna obſervante terram, ut centrum periodici ſui motus. Ideoque conſiderari poſſe putat, ut unum corpus, vel potius ut unum aggregatum corporum, habentium unum commune centrum gravitatis, quod centrum eſt in recta linea, connectente illorum reſpective centra, ita diviſa, ut ejus partes ſe habeant in reciproca proportione ad gravitates duorum corporum. Supponit Walliſius, terram & lunam, ſimul junctas, ut unum corpus circumvolvi circa ſolem, in magno orbe motus annui, & ex hac ſuppoſitione motum æſtimat illum motu communis centri gravitatis utrorumque corporum. In Stathmicis enim, ait, æſtimari corpus, aut aggregatum corporum, moveri deorſum, ſurſum, aut quovis alio modo, quo ejus commune centrum gravitatis illo motu movetur, quomodocunque etiam partes inter ſe loca mutent. Linea itaque motus annui deſcribitur non centro terræ, ut ii exiſtimant, qui conſtituunt terram primarium, & lunam ſecundarium planetam, nec centro lunæ, ut ii, qui lunam primarium & terram ſecundarium planetam, faciunt, ſed communi centro gravitatis corporum terræ & lunæ, ut unius aggregati. Ex hac hypotheſi varietatem ille æſtuum deducere prolixis & quodammodo perplexis ratiociniis laborat, in quibus tamen non ſibi ipſi omni ex parte ſatisfacit, cum hiſtorica æſtuum cognitione ſe non ſatis inſtructum eſſe fateatur. Ideoque, ut conjecturam tantum ſuam proponit, & virorum eruditorum dubitationes ultro provocat, quarum aliquæ *in Actis* referuntur *Anglicis*,

glicis, una cum Reſponſionibus ad illas. *Vid. p. 219. 234. 255. 518.* Honoratus Fabri, *Tom. 3. Phyſices, Tr. 6. lib. 3.* magna induſtria totam hanc doctrinam proponit. Ad lunam tamen cauſam non refert intumeſcentiæ maris, ſed eam occaſionem tantum appellat, quæ certe ſubtilitas hic non eſt magnopere attendenda. Situm lunæ in cauſa eſſe dicit, ut aeris, ſuperficiem terræ ambientis, niſus ſit inæqualis. Scil. lunæ globus ſphæram gravitationis habet: Habet & terra, quarum utrarumque ſphæras gravitationis communi tangente gaudere dicit; unde inæqualitas aeris, & eum ſequentis aquæ, ſequatur. Quæ opinio non multum a Walliſiana differre videtur. Ceterum ſpeciales circa æſtus marinos obſervationes, earumque cauſas, centenis propoſitionibus, & multis ſchematiſmis, perſequitur, ut non credam, facile quenquam majore induſtria rem iſtam examinaſſe. Pro fundamento tamen hic ſubſternendæ ſunt obſervationes a variis, in variis locis, magna cum attentione, inſtitutæ. Quomodo æſtus ſecundum tabulas obſervandi, præſcribitur *in Actis Angl. Societ. p. 18.* De varietate æſtuum in Inſulis Occidentalibus Scotiæ vid. eadem *Acta p. 40.* De varietate eorum in Bermudis, (in Scotia) *p. 460. & 664.* De æſtuum vero tempore extat Epiſtola Henrici Philippi ad Walliſium *in Actis p. 540.* E quibus videmus, multum adhuc ſupereſſe in inquiſitione ipſius rei, antequam definitivam de vera æſtuum cauſa ſententiam dicere poſſimus. Jungi etiam iis obſervationibus poſſunt, quæ Bernh. Varenius notavit *in Geographia generali*, cujus nullam mentionem fieri ab iſtis Inquiſitoribus miror. Subſiſtemus itaque in generali illa ſententia, lunam vel ſolam, vel terræ junctam, & cum ea in motu communicantem, horum æſtuum cauſam eſſe, ſecuri interim de ſpecialibus illis, usque dum longa dies, & perfectior cognitio eorum, accuratas demonſtrationes manifeſtaverint. Nam, vel illis, ut manifeſtis cauſis, adſcribendum eſt hoc phænomenon, vel ad qualitates quasdam Coſmicas; nobis incognitas, recurrendum. Utinam ſupereſſet Epiſtola, quam ſuper hoc argumento ſcripſit Pater Paulus Sarpius, & adeo deſiderat Scriptor *vitæ ejus p. 132. 133. Edit. Gall.* Quod Voſſii ſententiam attinet, qui in Sole cauſam æſtuum ponit, ea non eſt nova ejus opinio, ſed ante illum prolixe Thom. Campanella, *in Diſquiſitionibus Phyſiologicis, quæſt. 20. Art. 3.* pro ſole pugnavit, ac Galilæi objectionibus reſpondit.

Sunt & alii motus maris, a Septentrione ad Auſtrum, ab Auſtro ad Septentrionem, ab Ortu in Occaſum, ab Occaſu in Ortum, de quibus Voſſius pluribus agit, & Honor. Fabri *loco citato, propoſ. 101.*

E motibus marium, ſi ſolito fuerint majores, inundationes oriuntur, quas Ve- 5
rulamius pocula lethea humani generis vocat. Eas obtingere nonnunquam videmus, an caſu, an ſucceſſione aliqua periodica, non facile definiri poteſt; nam non ſunt omnium inundationum accuratæ hiſtoriæ obſervatæ, nec obſervari recte poſſunt ab hominibus, in extremo periculo conſtitutis, quare in illis nihil definire poſſumus. Veroſimile eſt, illas interdum, ſi non ſint admodum magnæ, oriri ex nimia pluviarum & nivium mole, tempeſtatibus & procellis inſolitis, nonnunquam a vi aliqua

aliqua interna, cum ſc. aliqua quaſi fermentatio aquarum eſt. Neque enim adeo abſurdum eſt, ut putat quidem Iſ. Voſſius, *in libro de Nili, & aliorum fluminum origine* contra Chambræum diſputans, a fermento aliquo nitroſo intumeſcere Nilum. Id enim fit eo tempore, quo ſpiritus ille nitro-aereus agitare totam naturam ſolet. Voſſius vero omnem illam inundationem a continuis illo tempore in Æthiopia pluviis oriri putat, ut omnes omnino fontes. Dignum ſane eſt, accuratius inquirere, & in ortum Nili, & in inundationem iſtam. Nitroſitatis indicium eo tempore manifeſtum argumentum eſt, ex glebis terræ, eo tempore ponderoſioribus, quam ante, adeo ut incolæ exinde menſuram inundationis capere poſſint. Vide in *Act. Angl. p. 192. 193.* rationes & argumenta ſummatim enarrata, quibus Chambræus ſententiam ſuam (*in diſcurſu Gallico de cauſis Inundationis Nili*) ſtabilire conatur, quam & examinat Th. Campanella *Disquiſ. Phyſiol. quæſt. 20. art. 5. in Appendice.* Ceterum, quod ad Nilum, ejusque inundationes, ſpectat, legi poteſt Marcus Frid. Wendelinus *in Admirandis Nili*, & Joh. Bapt. Scortiæ *lib. de natura & incremento Nili*, Lugd. Gall. A. 1617. *in 8vo* editus. Videantur & obſervationes de incremento Nili in *Itinerario* Monconiſii, *P. I. p. 158. 197. & 268.* & Anonymi Lib. Anglicus, Lond. A. 1669. *in 8vo* editus, ſub Tit. *Short Relation of the River Nile.* De Diluvio univerſali naturalibus rationibus poſſibili ſupra quædam diximus, & Nic. Stenonis *prodromum libri de ſolido intra ſolidum naturaliter contento* laudavimus, qui nova quadam ratione argumenta pro demonſtranda univerſalitate illa invenit, quæ illic legantur. Sufficit nobis veroſimilitudo demonſtrata, ut habeamus, quæ opponere poſſimus temerariis ſacrarum literarum impugnatoribus. Iſaaci Voſſii certe, quanquam ſe non nominet, argumenta contra univerſalitatem diluvii non ſunt tam invicta, imo plus abſurditatis in ſe habent, quam ipſe forſitan exiſtimet. Conf. *Tr. de Diluvii univerſalitate*, Genevæ A. 1667. *in 12.* editum, cum *lib. de origine Animalium* Abr. Mylii, cujus an & ille fœtus ſit; incertum eſt, cum nomen Autoris non addatur. Quibus ex cauſis inundationes particulares contingere poſſint, & quæ olim fuerint in Belgio inundationes, ſingulari libello deducit Mart. Schokius, Groningæ A. 1652. *in 12.* excuſo.

6 Proprietatis maris, vel in genere conſiderati, vel ſpecialium quorundam, ſi omnes, quæ referri poſſunt, tractare hic velimus, non paginæ aliquot, ſed volumina, nobis eſſunt ſcribenda. Quomodo mare comparatum ſit in fundo ratione frigoris, Rob. Boyle oſtendit, e relationibus Uriniatorum peritiſſimorum, in libello *de fundo maris, & temperie ſubmaritimarum regionum*, ubi notat, falſum eſſe, quod vulgo dicitur, & a Georg. etiam Fournerio, *L. 9. Hydrograph. c. 26.* acriter multisque rationibus, ſed incaſſum, defenditur, *minus eſſe frigidum & ſalſum mare in fundo*, (*l*) cum

(*l*) Maris hyberno tempore congelati, & glaciem, & aquam glaciei proximam, dulcem eſſe, mediam modice tantum ſalſam, infimam autem, & fundo propiorem, adeo ſalſam, ut unus Cantharus, ſive IV. Libræ Romanæ illius aquæ, igni appoſitæ, & in vapo-

cum contrarium verum ſit. Illud autem verum eſt, non eſſe tam rapidum aquæ motum in medio maris, & in fundo, quam eſt in ſuperficie. Ceterum præ manibus habuit Boylius abſolutam aliquam hiſtoriam naturalem maris, cujus ſumma capita recenſentur *in Actis angl. p. 255.*

De diverſarum aquarum proprietatibus, ratione ponderum, videantur obſer- 7
vata Monconiſii *in Itinerario p. 227. 449. 278. 252. part. 2.* De pondere aquæ congelatæ vid. *eund. p. 278. part. 2.* De ponderibus aliorum liquorum *p. 449.* Quomodo aqua ponderanda ſit, methodus præſcribitur apud eundem *p. 27. & 28.* De diverſo pondere aquæ marinæ vid. *in Actis Anglicis Tranſactionem 4. p. 442. edit. Angl.* Ibid. plura habentur de diſcriminibus aquæ marinæ & fontanæ *p. 565. & 701.* De varietate colorum in maribus diverſis vid. *ead. Act. Angl. p. 496.* Multa alia, quæ ad doctrinam de mari ſpectant; tam Geographica, quam Phyſica, habentur *in Geographia generali* Bernh. Varenii *c. 12. 13. 14.* quæ omnia hic ſpeciatim enarrare non licet.

De fontibus, & eorum ortu, peculiariter quoque hic agi debebat, de quo va- 8
riantes ſunt Phyſicorum ſententiæ, tam Veterum, quam Recentiorum. Ariſtoteles fontes oriri putat ex aëre incluſo & vaporibus a ſole elevatis, inque aquam converſis. Alii ex concurſu pluviarum, vel aquarum nivalium, fontes generari putant; quam ſententiam If. Voſſius integro libro demonſtrandam reaſſumpſit, eorumque ſententiam refutavit, qui e mari oriri flumina volunt, per percolationem, ita ut ſalſugo in terra remaneat, & purior aquæ ſubſtantia ſcaturiat. Eam enim ſententiam legibus naturæ adverſam putat, & contra principia hydraulica eſſe, imo totos illos tubos ſubterraneos fictos & imaginarios habet. Percolari per terram ſalſedinem poſſe experimento alias probatum eſt, quanquam & alii modi ſint ſalſedinem illam ſeparandi. Fuit enim Gallus aliquis nobilis, qui coram Rege experimentum ejus fecit per deſtillationem. Modus deſcribitur *in Act. Angl. recentioribus p. 2048.* Ut proinde impoſſibile non ſit, ex mari poſſe oriri fontes dulces. Honoratus Fabri *Tom. 2. tr. 6. lib. 3. Phyſ. ſive, propoſ. 105.* ægre etiam adducitur, ut ex mari pervenire fontes puter, cujus rationes illic legantur, quanquam, ut mihi quidem videtur, non usque adeo iis rem conficiat. Quanquam enim verum non ſit, eſſe intra terræ viſcera tales quosdam tubos, aut machinas aliquas hydraulicas, tamen ita præfracte negari non poteſt, potuiſſe aliquos ductus ſubterraneos caſu fieri intra terræ viſcera, per quos pellatur aqua. Quod autem fontium ſcaturigines attinet, quæ e mon-

vaporem redactæ, Salis Marini unciam unam cum, ſeſquiſcrupulo, reliquerint, d. 6. Februar. An. CIↃ IↃC IIIC. in portu Kilonenſi, deprehendit Sam. Reyherus, Acad. Kilon. JCtus & Mathematicus. Vid. ejus Hiſtoriam elegantem *Novi jam Experimenti de Aquæ Marinæ Dulcedine*, in qua caufam hujus dulcedinis ab aquæ compreſſione, & ſalis gravitate, repetit, novasque rationes ſalis coquendi, & aquæ marinæ edulcorandæ, e Phænomeno hoc derivari poſſe oſtendit.

montibus oriuntur, illæ cum mari continuæ eſſe non poſſunt, alioquin aqua, quæ gravis eſt, aſcenderet, absque ullo exteriori impulſu. Fieri tamen id per accidens poteſt, ſi ſuperficies maris ſit ulterior quopiam terræ tractu, quo poſito, fieri poteſt, ut aqua maris, per laxiores ſpongioſæ terræ partes ſe inſinuans, in ſcaturigines alicubi erumpat. Mihi hac in re probaretur illa ſententia, non omnium fontium eſſe easdem origines. Aliqui oriuntur e pluviis, aliqui forte ex vaporibus liqueſcentibus, quod quomodo fieri poſſit, non abſurde exponit Fabri *l. cit. propoſ. 104.* Et memini ipſe tale exemplum, cum flueret in ſuperficie montis rivulus quidam, in effoſſione terræ nullam ſe aquam exhibuiſſe, ſed tantum vapores quosdam. Aliquos Honoratus Fabri ex aëre liqueſcente oriri putat, cui tamen aſſentiri non possum, niſi per aërem liqueſcentem velit intelligere pluviam. Aër enim per ſe non mutatur in aquam, aut meros vapores & effluvia aquea, niſi in pluvias omnes condenſentur, ad fontes producendos aptos eſſe non credo. Qui ad Angelos motores recurrunt, aut ad influxum ſiderum, illi certe præter neceſſitatem ſuperſtitioſi ſunt in natura. Quomodo per artificium fieri fons poſſit, docet nos Joh. Majow *lib. de Salnitro c. 15. p. 256.* Quo experimento evincere vult, ab aquis pluviis oriri poſſe fontes. Argumentum *de origine fontium integro libello,* (Hafniæ A. 1629. in 8.) pertractavit JOACHIMUS BURSERUS, quo omnium ſententias examinat, & dubia circa ſingulas ſententias operoſe diſcutit, qui tamen fontium ex mari ortum magno conatu propugnat & inprimis *c. 22.* maximæ illi difficultati ſatisfacere laborat, quomodo aqua marina ad fontium orificia adſcendere poſſit, quæ an hydraulicis legibus ſatisfaciant, Mathematici viderint. Jungi Burſero poteſt ſcriptor Gallus Anonymus Libelli *de origine fontium,* Pariſ. anno 1674. in 12. editi, qui utiliſſimus eſt, & Phyſicorum omnium opinionibus recenſitis & examinatis, ſuam tandem de origine illorum a nivibus & pluviis addidit. De Aquis Mineralibus vid. *obſervations ſur les eaux minerales de pluſieurs provinces de France, faites en l'Academie Royale des ſciences, en l'année 1670. & 1671.* per le Sieur de Clos, A. 1675. in 12. editas.

9 Spectat huc conſideratio fontium ſpecialium, Nili, Danubii, Rheni &c. tam ratione ortus illorum, quam ratione ceterarum proprietatum. De Tiberi Ant. Baccius tres libros Italica lingua ſcripſit. *m*) De origine Nili, hactenus abſtruſa omnia & recondita. Marcus Frid. Wendelinus, *in Admirandis Nili* Francof. An. 1623. in 8vo editis, multorum ſententias recenſet. Vide tamen, quæ affert ex nonnullis Orien-

m) Veros Nili Natales, in Regno Habeſſiniæ Gojam, Petrus Pays, Jeſuita, Teſtis αὐτόπτης, an. 1618. detexit, Gregorii autem Habeſſini, ac aliorum, ſuffragiis fuſius confirmavit Iobus Ludolphus in *Hiſtoria Æthiopica*, Francof. an. 1681. edita, *Lib. I. c. 7. & 8.* nec non in *Commentario* ad hanc *Hiſtoriam*, anno 1691. ibidem publicato. Charta ejus Æthiopiæ Chorographica, ab Arnoldo promiſſa, *Lib. I Hiſt. Æthiopicæ*, modo memoratæ, *Cap. IV.* eſt inſerta. Conf. de Nili, in regno Gojam, Fontibus brevius differentem Joh. Chriſtoph. Becmannum *in Hiſtoria Orbis Terrarum Geographica, cap. 3. P. 4. §. 16. p. 59. 60.*

Orientalibus Scriptoribus Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius *Comment. in Sotam. p. 306. 307. 308.* & Chriſtophorus Arnoldi *in notis ad eum Commentarium*, ſub finem additis, *p. 1179.* ubi promittit D. Hiobi Ludolphi Chartam Æthiopiæ, inque ea veram Nili originem. *De Rheni Alveis* videatur Phil. Cluverii ſcriptum. Sunt & multi alii, qui ſingulorum quorundam fontium hiſtoriam ſcripſere, ſed ea cura magis ad Geographos, pertinet : in quantum tamen ex iis quid capi poteſt de ortu eorum, variis mutationibus, inundationibus, occluſionibus, referri poteſt ad doctrinam Phyſicam.

Multa hic etiam de aquis ſubterraneis dici poſſent, quarum magna eſt copia 10
per viſcera terræ diffuſa, quæ multum negotii faceſſere ſolent foſſoribus, qui peculiaribus Machinis eas ab uno in alium locum transferre norunt. De earum utilitate videndus Auguſtus Hauptmann in Tract. Germ. cui tit. Waſſer-Schatz, quo demonſtrat, quantum illæ conferant ad mineralium productionem, ac Lib. alius Germ. Leonh. Thurnheuſeri, rerum metall. maxime gnari adeoque præ aliis commendandi. Cloſii, Scriptoris Galli, paulo ante jam facta eſt mentio.

Poſſent hic multa de puteis, de ſitu fontium, de æſtibus fontium, de pro- 11
prietatibus quibusdam aquarum, quatenus illæ corpori humano proſint, vel obſint, de ſignis aquæ latentis, de miraculoſis quibusdam & ſingularibus fontium proprietatibus, quarum multæ fabuloſæ ſunt, de fontibus & aquis tempeſtuoſis, de fluminum curſu, & ſimilibus, dici, de quibus omnibus legi velim Honorat. Fabri, qui ſingulari brevitate complexus eſt omnia. De aquis tempeſtuoſis videatur Kircherus *in Mundo ſubterraneo.* De Thermis multa etiam hic dici poſſent. De iis ſcripſit integrum librum Andr. Baccius, & de ſpecialibus nonnullis varii Autores egere, qui legi poſſunt omnes & examinari. Bernh. Varenius quoque admodum diligens fuit in aquarum mineralium ſpeciebus & proprietatibus enarrandis *Geogr. Generalis c. 17. toto, poſtquam c. 16. & 15.* multis de fluviis, lacubus, ſtagnis & paludibus, egerat. Multa is, in *Geographia* hac *Generali*, de terris ac maribus plene atque elegan-ter tradidit. Optandumque eſſet, ut ſimili labore Geographiam ſpecialem potuiſſet perſequi. Sed morte immatura præventus perficere opus inſtitutum non potuit. Thermarum ortum aliqui tribuunt ignibus ſubterraneis ; ſed rectior eſſe videtur ſententia Johannis Mayowii, qui Jordanum, popularem ſuum, ſequutus, Thermarum incaleſcentiam a fermentatione, in terræ viſceribus alicubi excitata, provenire exiſtimat, ita ſc. ut particulæ aëreæ, una cum aquis pluvialibus (cum quibus illæ magna copia miſcentur), in altam tellurem deſcendentes, ibidem mineræ ſalino-ſulphureæ occurrentes, æſtum admodum intenſum in eadem excitent, & demum aquarum ſcaturigines, e minera, eo modo exæſtuante, profluentes, thermas conſtituant. Vide *Tractatum* ejus *de Sale-nitro, cap. 15.* ubi de Thermis Bathonienſibus agit.

CAP. XXI.

DE TERRA.

§. 1. *Terra, imo Sabulum quoque, non eſt Elementum, ſed corpus Compoſitum. Cinis reſiduus pars ejus eſt purior, & maxime Elementaris.* 2. *Terram & cineres omnino in aquam poſſe abire, darique liquorem omnia in hanc reſolventem, contra J. Bapt. Helmontium, & alios, aquam rerum omnium materiam ſtatuentes, negatur.* 3. *Mathematicæ affectiones Terræ recenſentur, & pro motu terræ Copernicano, contra quietis ejus Patronos, nonnulla congeruntur.* 4. *Joſ. Ant. Gonzalezii opinio de duplici terra.* 5. *Terræ vis magnetica & variatio quoad Climata. Speluncæ ſubterraneæ. Fabulæ de terra Septentrionali, de qua Diſſ. promittitur.* 6. *Variæ terrarum ſpecies, ceſpites, Porcellanæ Chinenſes e terra Cretacea confectæ.* 7. *Terræ cultura. De illa conſulendi Scriptores Geoponici veteres & Joh. Evelinus. Joſ. Lucatelli nova Machina, ſimul arans & ſeminans.* 8. *E guſtu & odore terræ loca a nonnullis, ubi degebant, explorata.*

1 Accedimus ad TERRAM, quam quartum Elementum faciunt. Quomodo vero comparata eſſe illa debeat, ut Elementum nobis conficiat, certe tam eſt ambiguum, ut oſtendi illud facile non poſſit; quod enim nos terræ nomine ſaluramus, tantum abeſt, ut elementum ſit, ut ipſum potius elementatum & compoſitum. Nulla enim eſt terræ ſpecies inter omnes illas, quam ſimplicis corporis titulo honorare poſſimus, niſi quis forte ſabulum Elementum terræ nobis exprimere putet. Ajunt enim, eo puriorem eſſe terram, quo propior centro ſit, exteriorem vero hanc cruſtam eſſe metallis ſuccisque mineralium permiſtam, unde variæ ejus proprietates oriantur, quo profundius vero foſſores terram ſcrutentur, eo plus ſabuli illos invenire. Quod ego univerſaliter verum eſſe non exiſtimo, neque enim, quod uno forte in loco obſervatum eſt, perpetuam nobis regulam facit. Crediderim enim ego, plus metallici ineſſe terræ, quo magis ad centrum terræ accedimus. Quicquid vero ſcil. eſto, ſabulum illic reperiri, falluntur illi, qui id pro terreo Elemento accipiunt. Sabulum enim eſt corpus aliquod compoſitum, habetque in ſe materiam lapideam, quale ſabulum, utut in minutiſſimas partes ſit conciſum, non tamen corporis ſimplicis nomine poteſt ſalutari. Quod ſi aliquod tale corpus datur, ut certe dari debet, ſubſtantia quædam prima arida, nunquam forte id oculis exhiberi poteſt, niſi quis cineres, poſt calcinationem fortem & validam reſiduos, hoc nomine appellare velit. Quanquam & hic aliqui erunt, qui cinerem productum aliquod ignis potius, quam corpus naturale, habebunt, quibus tamen ego non accedo. Ineſſe enim revera tales particulas corporibus, nec ab igne produci, manifeſtis ſane rationibus deprehendere poſſumus. Ignis enim nihil novi producit, ſed ſeparat tantum corpuſcula heterogenea, varie inter ſe miſta, reſiduo illo, in quod imperium ſuum exercere non poteſt, quod vel cinerem, vel ſalem fixum, appellare poſſu-

poſſumus. Alius terram appellaret elementarem illam; dari enim terra pura debet, quia datur impura. Si ceſpites bituminoſos quis combuſſerit, cineres remanent, antea terra erat impura, particulis ſulphureis plena; illæ, ubi per ignem deflagrarunt, illud, quod aridum eſt, remanet, igne inſuperabile. Terram enim puram non eſſe inflammabilem volunt Phyſici, non eſſe exhalabilem, non poſſe comprimi, non poſſe liquari, qualia omnia dici poſſunt de cineribus reſiduis. Certe terræ puræ elementaris ideam non alia notione concepere. Sed illa nunc miſſa faciamus. De reliquis, quæ ad terram, quatenus Elementum eſt, ſpectant, videatur Honoratus Fabri, *Tom. 2. Tr. 5. lib. 2.* ubi de punctis minimis terræ, aliisque proprietatibus, prolixe agit.

Qui terram ex Elementorum ordine eliminant, quod ii faciunt, qui aquam 2
omnium rerum principium ponunt, ut inter veteres Thales, inter recentiores Helmontius & alii, ii inepto argumento utuntur: putant enim, quoniam terra & cineres in aquam tandem abeant, terram pro Elemento non habendam eſſe, ſed potius aquam. In quo tamen eos falli exiſtimo. Falſa enim hypotheſi nituntur, quaſi cineres & terra quævis in aquas abeant reali immutatione; quanquam enim diſpergi poſſint minima eorum per ſubſtantiam aquæ, tamen dicendum non eſt, mutari particulas illas in aquam. Quo magis mirum mihi videtur, poſſe dari menſtruum aliquod univerſale, quod omnia in aquam inſipidam vertat & ſolvat, cum naturæ ipſi repugnet, tale quid dari. In tanta enim diverſitate ſtructuræ partium in corporibus naturalibus (aliter enim vegetabilia, aliter mineralia, aliter animalia, & hic iterum aliæ ſpecies aliter texturam ſuam ſortiuntur), unum dari poſſe liquorem, omnibus corporibus ſolvendis aptum, res monſtro ſimilis videtur, niſi forte dicere velimus, eſſe aliquod quaſi gluten univerſale in omnium corporum particulis, quod liquoris hujus affuſione ſolvatur, reſiduis ceteris portionibus. Sed iidem ajunt, omnia abire in aquam, quod magis mirum videtur, & ſibi ipſi contrariantur hujus liquoris Patroni. Helmontius enim alicubi nihil remanere dicit, alicubi fæces aliquas remanere ait. Sed iis tandem fæcibus quid fiet? E. illæ generali hujus liquoris imperio non continebuntur. Ego mera hæc ſophiſmata habeo, vel ad oſtentandam doctrinam, vel ad ſuſpicionem ſecretorum artificiorum fovendam, inventa. Nunquam enim vel fando accepimus, aliquem oculis ſuis vidiſſe experimentum, quod tamen de aliis dicere poſſumus.

Terra, quatenus globum cum aqua efficit, Mathematicæ conſiderationis eſt, 3
& tum affectiones ejus a Mathematicis excutiuntur, quibus nos non immorabimur: ſunt enim extra inſtitutum noſtrum, quanquam aliquatenus eæ etiam pertineant ad Phyſicam conſiderationem. Diſquiri poteſt de Telluris figura in univerſum, de loco telluris in mundi Syſtemate, de dimenſione & magnitudine telluris, de ſubſtantia ejus & conſtitutione, de motu telluris, de quibus ſingulis magno ſtudio egit Bernh. Varenius, qui Mathematicis Phyſica miſcet. Quod Terræ motum ſpectat, is magno conatu olim defenſus eſt, & Nicol. Copernico reductus, poſtquam per tot ſecula ſententia illa quaſi obdormiverat. Eſt tamen illa veroſimillima, iisque rationibus

ſundatur, quæ pene demonſtrandi aliquam vim habent. Honoratus Fabri, præter Eccleſiaſticam autoritatem, vix aliquid opponere novit huic ſententiæ, quæ olim maximis etiam Mathematicis obſtitit, ne ex animi ſententia loquerentur, multis etiam periculoſa fuit. De motu ipſo, ejusque varietate, in vulgaribus etiam compendiis Phyſicis legitur. Triplex illius motus ſtatuitur: 1. diurnus, 2. annuus, 3. inclinationis, a Copernico. Singulorum motuum rationes explicate propoſuit Petrus Gaſſendus *Inſtitutionum Aſtronomic. lib. 3. c. 1. & 2.* Ex quo in Phyſicam ſuam excerpſit illa Fridem. Bechmannus. Rationes, tam pro motu, quam pro quiete terræ, variæ a variis afferuntur, de quibus ſingulis agere nos hic non poſſumus. Quæ pro quiete terræ a ſenſu afferuntur argumenta, ridicula ſunt & inepta. Ad ſcripturæ teſtimonia reſpondet Dan. Lipſtorpius *in Copernico ſuo Redivivo*, qui hanc litem reaſſumſit, & argumenta inter ſe contulit. Aliqua pro quiete terræ congeſſit Henr. Kippingius *lib. 4. c. 7. Inſtit. Phyſic.* ſed nullius momenti. Motum terræ diurnum, ante aliquot annos, Franc. Travaginus (Italus), e quibusdam obſervationibus, a ſe factis, in terræ motu Raguſiano, demonſtrare voluit, de quo, capite de terræ motu, agemus. Robertus Hookius non ita pridem aliam motus terræ probandi rationem inſtituit ex obſervationibus quibusdam parallaxeos, de quibus legi ipſe Autor poteſt, *in Conamine ſuo,* Latine anno 1679. *in 4to* Lipſiæ recuſo. Terræ editiora montes vocantur, de quibus Varenius videri poteſt.

4 An terra iſta, quam calcamus, eadem ſit cum antediluviana, video dubitare autorem quendam Hiſpanum, Joſephum Antonium Gonzalez de Salas, *in Diſſertatione paradoxa de duplici viventium terra,* Amſt. A. 1650. *in 4to* edita, quam ipſe *mirabilem* appellat. Putat enim, terram antediluvianam, vel plane aliam eſſe ab hac noſtra, vel ſaltem novam eſſe ſuperficiem, quæ ante diluvium non erat. Argumenta ejus excuſſit J. Henr. Heideggerus *in hiſtoria Patriarcharum, Exerc. de diluvio.* Micrælius *de Præadamitis p. 70.* ita de eo judicat: *Gonzalez de Salas hanc ſuam opinionem jactat, tanquam novum repertum, cum noſtris Eccleſiis, ſi nonnulla excipias, in quibus ſua ſibi habeat, hæc ipſa ſententia jam a Luthero ſit probata in Gen. c. 2.* De Terra & Terreſtrium corporum textura, de diverſis corporum terræ ſtratis, de productione montium, ſimilibusque, ſubtiliter admodum diſſerit Nic. Steno *de ſolido intra ſolidum naturaliter contento.*

5 Inter affectiones, quæ terræ competunt, ut globo alicui, eſt verticitas, ſive vis ad polos converſiva, vel vis magnetica. Nihil enim aliud terram, quam magnetem magnum, eſſe, dudum demonſtrare laboravit Guilh. Gilbertus in ſuo *de Magnete* libro, ut taceam aliorum experimenta. Ratione ſitus ad plagas cœli, prout ſc. pars aliqua terræ ſoli, vel magis, vel minus, vicina eſt, variæ ſunt terræ affectiones, ipſe quoque aër & effluvia, e terra emanantia, variationes ſuas ſortiuntur. Quicquid itaque variationis in terrā obſervari poteſt ratione climatum, huc pertinet, cui fini inſtituuntur obſervationes in variis orbis locis, ac methodus ejus rei paſſim præſcribitur *in Societat. Regiæ hiſtoria.* Qui Itineraria curioſiora ſcripſere, non etiam ſunt ſpernendi, e quibus Monconiſianum ceteris præſtat. Pertinet etiam huc conſidera-

tio

tio locorum ſubterraneorum, cryptarum, ſpecuum, inter quas referri debet ſpecus Baumanniana, de qua M. Henr. Eckſtormius librum ſcripſit, & D. Joh. Dan. Major alium pollicetur. Vid. & Kirch. *in Mundo ſubterraneo*, ubi plurium talium cryptarum meminit. De conſtitutione metalli-fodinarum & venarum, per quas ducuntur metalla, operæ pretium eſt accuratiorem notitiam habere. Vid. Steno, *in libro citato*, prolixe omnes illas terræ facies examinans. Aliqua ſunt terræ Septentrionali propria, aliqua Auſtrali. *De ſeptentrionali terra* mirificæ ſunt multorum fabulæ, de quibus aliquando *peculiari Diſſertatione* agam. *u*) Volunt Septentrionem primum eſſe creatum, inde ignem oriturum, qui mundum deſtruet, ibi appariturum Chriſtum in judicio, ſub ipſo polo, vel circiter, eſſe paradiſum, magnam illic eſſe auri copiam, ſedem eſſe illic ignis infernalis, habitari a Dæmonibus, in terram deturbatis.

Dicenda etiam hic quædam eſſent de variis terræ ſpeciebus. variæ enim illæ 6
ſunt, ſed earum diſtinctio in vulgaribus etiam Phyſices Compendiis ſolet haberi, ubi de mineralibus agunt. Nemo diligentius omnes congeſſit Ferrante Imperato, *in Hiſtoria ſua Naturali.* Varia etiam dici poſſent de uſibus talium terrarum, qui ſunt, vel Medici, vel Oeconomici. De ceſpitibus bituminoſis, (Torff,) Mariſcis antiquitus appellatis, vid. Barth. *in Adverſ. 221ſ.* Martinus Schokius, Vir diligentiſſimus, doctiſſimus, & multæ lectionis, (ſed cujus pleraque cura extemporali ſunt ſcripta) integro libro egit de hoc argumento, Groningæ anno 1658. in 12. excuſo, ubi multa curioſa, tam Phyſica, quam Oeconomica, continentur. Gallicum de iisdem ceſpitibus Tractatum Car. Patinus edidit Pariſ. A. 1663. in 4to. Porcellanæ Chinenſium ex terra ſingulari cretacea vel alba, per vitrificationem, conficiuntur, & falſa eſt opinio eorum, qui ex excrementis humanis, vel oſſibus, aut alia materia, fieri putarunt. Modum parandi porcellanas tradunt Kircherus *in China Illuſtr.* & Joh. Neuhoffius *in Itinerario Chinenſi.*

Add. Salmuth *Tom. 2. Rer. mem. ad Panciroll. lib. 2.* & Andr. Müllerus *in Cathaja pag. 76.*

Poteſt etiam terra conſiderari, ut vegetationis & agriculturæ ſubjectum, &, ra- 7
tione ejus, variis ſignis & qualitatibus, ejus vel bonitas, vel ineptitudo, cognoſcitur, de quibus prolixe agunt *Geoponici Auctores* veteres, quorum accuratior editio optanda eſſet, quam moliri dicuntur Angli. In Gudiana Bibliotheca Exemplar eſt collatum cum MSS. Codicibus, quod integras periodos habet, quæ in vulgatis Editionibus non reperiuntur. Jungendi ſunt illis Latini Auctores, Columella, Varro, Palladius, & ſi qui forte e Recentioribus hoc argumentum tractant. Superiori anno in

u) Ejusdem cum Diſſert. a Morhofio promiſſa, ſed non abſoluta, Argumenti Tractatum Phyſico-Hiſtoricum, ſub *Boreæ* Titulo edendum, expectari nunc a ſe jubet D. Otto Sperlingius Jun. Auguſtiſſimi Regis Daniæ Conſiliarius. VII. ejus Capitum argumenta V. *in Novis Literariis Lubecenſibus, M. Majo A. 1703. p. 113.*

in Anglia prodiit lingua Anglica Joh. Evelini *Diſcurſus Philoſophicus de Terra, quatenus refertur ad vegetationem & propagationem plantarum*, quo de omnis generis ſtercorationibus agitur. Inventa quoque, ut hoc obiter moneam, eſt nova quædam machina, quæ ſimul arare, ſerere & ſulcos componere poſſit, Londinique in Collegio Greshamienſi aſſervatur. Ejus deſcriptio habetur in ejusdem Joh. Evelini literis, quæ habentur *in Actis Angl. p. 1056. & ſeqq.* Ejus inſtrumenti Inventor eſt Eques Hiſpanus, Don Joſeph Lucatello.

8 Ceterum de terræ variis qualitatibus, quæ illi ex permiſtione heterogeneorum corporum inſunt, multa dici poſſunt, quibus ſpecialibus non immorabimur. Id ſaltem, quod memorabile videri poteſt, hic notari velim, fuiſſe homines, qui guſtu diſtinguere terras potuerint, & odore, atque ex iis certo prædicere, quo in loco verſarentur. Vid. *Diſſertationem* noſtram *de paradoxis Senſuum, c. 4.* ed. Kil. A. 1676.

CAP. XXII.

DE USU PRIMORUM CORPORUM SEU ELEMENTORUM.

§. 1. *Accommodatio Elementorum ad uſus humanos, per mutuam applicationem.* 2. *Aëris Exercitatio. Artificium Aëronauticum. Franc. Lanæ, J. Chr. Sturmii, Honor. Fabri, Rog. Bacons, Magni Pegelii circa illud Experimenta & conſilia, & judicium de praxi ejus periculoſa. Pegelii Conſilium de conclavi Medico, vario aëre replendo.* 3. *Aquæ uſus Mechanicus. Scriptores Hydraulici. Statuæ ſonantes, aliaque Inſtrumenta Muſica, aqua animata. Scriptores de Artificio liquores varios evomendi, artibusque Natatoria & Urinatoria.* 4. *Terræ uſus non tam multiplex, ac aëris & aquæ.* 5. *Ignis uſus ingens, inprimis in Chymia, cujus laudes decantantur. Artificia veterum Chymicorum, ignis ope parata, præſertim Lampades ſepulchrales perpetuæ, in quarum cauſam inquiritur. Phosphori Modernorum* (*Chr. Ad. Balduini, Joh. Kunckelii, &c.*) *Artificiales, & Scriptores de iis.*

1 Quoniam in hoc globo terreo habitamus, & circumpoſita habemus varia illa corporum naturalium genera, inque iis quotidie mutua actione paſſioneque multa fieri videmus, in eo quoque laborare nos debemus, ut & nos, applicatione mutua corporum, uſum vitæ civilis perficiamus, ſive id per principia Mechanica, ſive per naturalia, efficiatur. Primum itaque ad maſſas corporum univerſales reſpiciamus, aërem, aquam & terram, quæ tria corpora varia ratione uſibus noſtris accommodari poſſunt.

2 Quod aërem primo attinet, de ejus quibusdam utilitatibus jam ſupra aliqua diximus. Nunc, ut de quibusdam ſpecialibus [illegible] agamus, id inprimis conſideratione dignum eſt, quod aër extrahi poſſit [illegible] quibusdam ſpatiis, & beneficio hujus vacuitâ-

cuitatis multæ mirabiles operationes fieri. Multa dependent ex gravitate & levitate aëris, quæ ſi exacte ſcirentur, mirabiles poſſent ex iis effectus produci. Huic certe principio Franc. Lana ſuperſtruit illam inventionem artificii Aëronautici, de quo ſupra pluribus egimus: nunc autem addimus, idem fuiſſe artificium examinatum a Joh. Chriſtophoro Sturmio, *Colleg. Curioſ. Tentam. 10.* qui hujus rei poſſibilitatem aliquam agnoſcere videtur, alioque quodam experimento illo ſubvenit. Quod enim Franc. Lana in aëre experiri voluit, id ille in aqua tentavit, eoque modo naviculam formavit e plumbo tantæ gravitatis, ut mergeretur in aqua, huic naviculæ, per funiculum duplicem, æquali longitudine propendentem, ſphæras vitreas connexuit, aëre quidem plenas, ſed aqua vacuas, a quibus Sphæris pendula navicula libere intra aquam natavit. Hujus rei rationem ex eo deducit, quod utriusque ſphærulæ vitreæ tota ſubſtantia nobiliter eſſet levior ea aquæ mole, quæ ſingulas adimpleret, unde abſente aqua, & ſphærularum cavo ab aëre occupato, totum compoſitum e vitro & aëre, intus concluſo, levius fuit aqua, atque ideo neceſſario ſupra aquam natavit. Cum jam ſimili ratione talem navem aëream commentus fuerit Lana, putat, non impoſſibile eſſe, ut res illa procedat, modo ſphæræ illæ ita comparari poſſint, ut aër illis extrahatur. Honoratus Fabri, *Phyſices Tract. 1. Lib. 2. propoſ. 246.* per tubos amplos, aëre copioſo & compreſſo refertos, obtineri poſſe ſperat, quod Lana per evacuatos globos confectum vult. Is, occaſione illa, qua tradit, modum parandi jacula, quæ ſurſum inſtar pyriorum miſſilium ferantur, non ſulphureo pulvere, ſed aëre compreſſo fœta, inter varia alia artificia, tandem ſubjungit: *Ut autem aliquid mirabilius addam, poteſt eſſe tanta vis aëris, intra tubum majorem compreſſi, ut magnum pondus, tubo conjunctum, ſecum attollat. Hinc, ſi affigatur paulo major clavus & ſedes penſilis, in qua homo ſedeat, cum clavum ipſum ad libitum regere, & quoquo verſum torquere poſſit, ſedens impune volabit per aërem, &, quod magis eſt, aëra rurſum, intruſo Embolo, opera organi mechanici, comprimere poſſet, dum ſc. prioris impetus vi ſurſum ferretur. Hinc diu per multas horas per medium aëra ambulabit, quo nihil fere mirabilius eſſe poteſt.* Hæc Honor. Fabri ita propónit, ut invidere videatur, ſi parabile eſſet tantum arcanum: non enim explicate innuit, quomodo machina talis conſtrui poſſit. Rogero Bacono, homini ad miraculum in Phyſicis & Mathematicis perito, in *Epiſtola* illa *de operibus ſecretis artis & naturæ, atque nullitate Magiæ*, ſimile aliquod inſtrumentum indicatum fuit, ſed quod in artificiali aliquo motu fundatum eſt: *Poſſunt*, inquit, *fieri inſtrumenta volandi, ut homo ſedens in medio inſtrumenti revolvens aliquod ingenium (machinam) quo alæ artificialiter compoſitæ aërem verberent, ad modum avis volantis.* Plura illic habentur ab illo indicata artificia, ab uſu aëris provenientia. In his tamen aliquid moliri admodum grave eſt. Nam, ubi nullus rei ſucceſſus eſt, Inventor pro gloria reportabit riſum & contemtum. Excidere autem ille fine ſuo poteſt, ſi vel minima aliqua circumſtantia rem vitiaverit, imo praxis ipſa difficultates oſtendet, de quibus non cógitatum eſt, cum ſpeculationi indulgeremus. Quare & Honor. Fabri monitum ſuæ propoſitioni addit, ſe, licet theoretice loquendo hæc veriſſima ſint, nemini auctorem eſſe velle, ut peri-

culum faciat, & veniat aliquando ad praxin. Varii ſunt alii uſus aëris in organis pneumaticis, ſtatuis loquentibus, in ſonorum directione, de quibus ſingulis dicere non poſſumus. Videantur multa de iis in Sam. Reyheri *Diſſertatione de aëre.* Unicum adhuc meminiſſe operæ pretium eſt, de conclavi aliquo parando, quod repleri poſſet, quo velis, aëre, fumo, halitibus juvenum vigentium, variis item liquorum, certis morbis medentium, odoribus, ut peregrini aëris nihil accedat, quibus corpus ægrum, dum reſpiratione perpetua quaſi in ſpirituum ſuorum familiam adoptat ſalutares odores, ſanitati reſtituatur. Propoſuit illud Magnus Pegelius *in Theſaur. rer. ſelect. p. 108.* qui & *p. 123.* cujusdam navigii aërei meminit.

3 Aquæ uſus, tum mechanicus, tum naturalis, multiplex eſt. De naturali uſu non erimus hic ſolliciti. Quod Mechanicum attinet, varius ille eſt, pro ratione aquæ, vel compreſſæ vel attenuatæ, unde mirabiles operationes poſſunt in natura fieri. Eſt vero huic uſui dicata peculiaris ars hydraulica, quam hodie magnopere excultam habemus. Caſpar Schottus ſingulari libro potiſſima artificia collegit. Legi etiam poſſunt Rob. Boylii *Paradoxa Hydroſtatica.* Statuæ ſonantes antiquitus etiam factæ ſunt, mediante aqua, & docet Kircherus, *in arte ſua Muſica*, talem ſtatuam conficere, quæ ad ſolis ortum incipiat cantillare, veteri illi Memnoniæ ſimilis. Fabricarunt etiam veteres alia inſtrumenta muſica, aqua, quemadmodum noſtra aëre, animata. Talis organi meminere Vitruvius & Hero, e quibus, ſecundum illorum mentem, Syſtema hoc deſcripſit Iſaacus Voſſius *in libro de poëmatum cantu & viribus rhythmi p. 100.* quod apud illum prolixe explicatum videatur. Magnifice ſane illud deprædicat Voſſius, illudque Organis aëreis longe præſtantius eſſe contendit. Artificium hydraulicum eſt forte & illud, quo quis, epota prius aqua, omnis generis vina & liquores potuit evomere, de quo, ſi recte memini, aliqua prodidit Scottus *in Joco-ſeriis artis & naturæ.* Simile tamen huic videtur fuiſſe illud, quod Magnus Pegelius *pag. 125. Theſauri ſui præpoſuit;* ex eodem certe principio deductum. Pertinet & huc ars Natatoria & Urinatoria, cujus ſingularia notare accurate conveniret. Etmunduś Digbæus *de arte natandi & urinandi* librum ſcripſiſſe dicitur, ſed nunquam mihi videre hunc licuit. Ericius Puteanus etiam *de natatu* ſcripſit teſte Craſſo *in Elog. hom. literatorum, P. I. p. 328.* Sed & illum nunquam vidi, & fortaſſis ille, quæ artem ipſam ſpectant, non attigit. De Thermis per artem faciendis paſſim tradunt recentiores Scriptores.

4 Quod Terram ſpectat, quantus ejus uſus ſit, ſatis in propatulo eſt, inprimis in iis, in quibus ratione ponderis operationes inſtituendæ ſunt. Non tamen tam variis uſibus illa patet, quam aër, vel aqua, corpora ſubtiliora, quæ fluore ſuo omnes in partes verſari poſſunt, & eam ob cauſam multis mechanicis operationibus occaſionem dare.

5 Quod Ignem attinet, ejus uſus tantus eſt in natura, ut major eſſe non poſſit. Ille promus condus eſt omnium Secretorum, ille ſolvit corpora & componit, ne quid dicam

dicam de vulgaribus uſibus. Tota Chymia, cum omni apparatu ſuo, ad illum pertinet, qua arte divinius & præſtantius nihil excogitatum eſt: illa enim quaſi imitari opera Dei & naturæ videtur, *deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*, fingit & refingit omnia. Ignium variæ origines & formæ, & modi producendi tam varii ſunt & multi, ut magno volumine quis non ſatis explicet. Utinam Rob. Boylii haberemus eo de argumento ſcriptum, quod flammis periit, multa ab illo doceremur. Antiquis accuratiorem fuiſſe ignium cognitionem, hiſtoriæ demonſtrant, multa enim admiranda ſecretorum ignium cognitione efficere potuerunt, quæ nos imitari non poſſumus; quod manifeſtum argumentum eſt, plus illos operationibus practicis chymicis dediſſe, quam nos forte credimus. Imo lampades illæ ardentes & lucentes, in ſepulchris repertæ, teſtari ea de re poſſunt, de quibus varie a nonnullis diſſeritur, nemo autem inter illos expromere veram eorum ignium rationem potuit. Videantur omnes ſententiæ congeſtæ apud Sorellum in ſua *ſcientia Univerſali*, *Tom. 3. pag. 68.* Hermolaus Barbarus certe inter ſecreta chymica eos ignes retulit, & ex auro paratum fuiſſe liquorem oleoſum exiſtimat, qui potuerit intra vitrum concluſus & incenſus ardere & lucere, admiſſo autem aëre ſtatim extinctus fuerit, quod quidem temere dici non poteſt. Vid. Claudii Guichardi diſcurſus in libro ſuo, Gallice ſcripto, *de Ritibus funeralibus Græcorum & Romanorum*, de his lampadibus ſepulchralibus & ſubterraneis. Non crediderim ego, quod aliqui putant, illuſum fuiſſe illis phaſmate aliquo; nam certe conſtans eſt multorum de ea re traditio. Chymicæ arti adſcribendum certe eſt tale artificium, quanquam non æque in auro illud quærendum crediderim. Plura ſunt fortaſſis naturæ ſubjecta, quæ, debito modo præparata, lucem ſpargere poſſunt. Suntque variorum ſuper hac re cogitationes, quibus tamen omnibus nihil certi ineſt, niſi quod nuper admodum ab artificibus quibusdam productum in lucem fuerit per artem chymicam tale aliquod naturæ phænomenon, quod poſſibilitatem talium ignium oſtendat. Materia haud dubie nitrum eſt, e quo præparari poſſunt, quæ lucida ſunt, quanquam non adeo clare & diſtincte. Qua in ſententia confirmor a Joh. Mayovio, qui lucem omnem particulis ſuis nitro-aëreis adſcribere non veretur. Et quidem Chr. Ad. Balduinus Phoſphorum Hermeticum produxit, ſive magnetem aliquem luminarem, præparatum aliquod chymicum, quod ex aëre illuminato lumen ſuum mutuatur. Nuperrime autem alia quædam materia præparata per artem eſt, quæ, illita corpori, illud in tenebris radiare facit. Eſt & alia materia inventa, quæ, vitro hermetice ſigillato incluſa, per vices & intervalla lumen emittit, quæ propterea Phoſphori fulgurantis nomine ſalutatur. Experimentum hoc oſtendit Electori Brandenburgenſi DANIEL CRAFTIG, cujus notitiam dedit Joh. Sig. Elsholtzius in ſchediaſmate quodam *de Phoſphoris quatuor*. Ejus vero inventorem JOH. KUNCKELIUM, Sereniſſ. Sax. Electori a laboribus Chymicis, laudat Georg. Caſp. Kirchmaierus in ſua *Noctiluca conſtante*, in qua hujus inventi occaſione, multa alia de perennibus lucernis affert.

CAP. XXIII.

DE METEORIS AEREIS, PRÆCIPUE DE VENTIS.

§. 1. *Meteororum nomen inadæquatum eſt, & terræ motibus perperam tribuitur.* 2. *Meteororum aëreorum origo, extra aërem, a ſole & ignibus ſubterraneis. Foſſilium & Chymiæ cognitio ad tractationem de iis neceſſaria. J. Bapt. Hamelii Tr. de utrisque laudatur.* 3. *De ventis legendæ Verulamii (ob merita ſimul in ſcientiam naturalem commendati)* Hiſtoria Ventorum, *& Hon. Fabri de iisdem Tractatio.* 4. *Pila Æolia ventorum generationem adumbrat. Aqua ſubterranea præſentiæ illorum Index.* 5. *Ventorum variæ diviſiones & affectiones. Directe Borealis, a nautis haud obſervatus, finem mundo, uti crediut, afferet. Angeli ventorum præſides, juxta Rob. Fluddium. Vortices aërei. Anemometri inventum. Car. Malapertii de ventis Poëma laudatur.*

1 Vidimus maſſas univerſales globi hujus, aërem, aquam & terram, prima illa corpora, quæ univerſim collecta habemus. Iis, qua talibus, quatenus ſc. integræ corporum maſſæ ſunt, ſuæ ſunt quædam paſſiones, variis a cauſis excitatæ, certæ ſunt figurationes, debilesque miſturæ. Unde phaſmata nonnunquam aliqua apparent, motusque excitantur, quibus omnibus Meteororum nomen imponere placuit Ariſtoteli an adæquatum, an minus, (uti ipſi Honorato Fabri eſt viſum, mixta imperfecta vocare illa malenti) nunc non diſputo; facile enim in Terminis convenire poſſumus. Quanquam abſurdum videatur, ea meteororum nomine vocare, quæ non ſupra, ſed infra nos ſunt, ut terræ motus, qui inter meteora tamen referuntur.

2 Nos primum de AERIS METEORIS agemus: quanquam non ita diſtincta ſit ſingulorum meteororum natura, ut ab uno ſimpliciter Elemento dependeant. Quæ enim in aëre fiunt, non ex ſolo aëre proveniunt, ſed originem ſuam, partim ignibus ſubterraneis, partim exhalationibus maritimis adſcribunt. Meteora itaque aërea potius a ſubjecto, in quo ſentiuntur, vocanda ſunt. Aër per ſe quietus eſſet, niſi laceſſeretur, vel ſole, vel ignibus ſubterraneis, qui iis in locis potentiores ſunt, in quibus multæ ſunt metallifodinæ. Ideoque in illis locis longe eſt frequentior apparitio cujuscunque generis meteororum, plura ſunt illic fulgura, venti, dracones volantes, & ſimilia, velut quædam producta naturalis officinæ chymicæ. Quare meteororum talium natura intelligi accurate non poteſt, niſi cognita foſſilium & metallorum natura, & laboribus chymicis, qui circa ea inſtitui ſolent. Natura enim, in magnis illis montium furnis, idem agit, quod artifex in ſuis. Quare recte fecit præſtantiſſimus Vir, J. Bapt. du Hamel, Philoſophus & diligentiſſimus, & acutiſſimus, qui meteororum & foſſilium naturam conjunctim explicuit in ſuo *de meteoris*

meteoris & foſſilibus libro, Pariſ. in 4. edito, qui ad meteororum naturam probe pernoſcendam adeo aptus eſt, ut nullus liber majorem lucem accendat.

3 Quod ad meteora aërea attinet, principem in illis locum tenet VENTUS, commotio aëris violenta, ſenſibus facile percepta, ſed originis admodum obſcuræ, niſi quantum conjecturis aſſequimur. Nemo in eum majori diligentia & ſollicitudine, non tam inquiſivit, quam inquirere docuit, ac Magnus BACO VERULAMIUS in ſua *ventorum Hiſtoria*, quanquam tamen in multis hiſtorica ſuppediteret, quibus an ſecure ſatis credere poſſimus, non equidem dixerim. Fuit iſti Viro vaſtum & capaciſſimum ingenium, quod credo univerſæ naturæ perveſtigandæ ſuffeciſſe, niſi negotiis civilibus fuiſſet impeditus; eam tamen tradidit inquirendi methodum, ut multis ad inquirendum ſit campus uberrimus patefactus. Unica illa *ventorum Hiſtoria* incredibilem ejus ſagacitatem & diligentiam ſatis oſtendit, ad cujus ductum infinita notari & obſervari poſſunt, ad hoc argumentum pertinentia. Non eſt noſtri inſtituti, ſingula, quæ ad ſingulorum ventorum indolem pertinent, exponere, id enim tum a Verulamio, tum a Bernh. Varenio *in Geographia generali*, abunde præſtitum eſt, quibus addatur Honor. Fabri *in Phyſices Tract. 6. lib. 4. integro*, ubi, quæ ad cauſas ventorum ſpectant, & proprietates eorum, dilucide exponit. Tota origo ventorum dependet a rarefactione, condenſatione & compreſſione aëris, quæ generales cauſæ ſunt, quibus occaſio ab aliis corporibus ſuppeditatur. Nemo, quam Honor. Fabri, magis plana via procedit, minusque in hac doctrina extra viam rapitur.

4 Generationem ventorum oſtendunt aliqui per machinam, fabris ac artificibus quibusdam haud ignotam, quam *pilam Æoliam* dicunt, eſtque globus ænens, undiquaque clauſus, uno ſaltem patente foramine perexiguo. Hic ad ignem probe calefit, & immergitur frigidæ, ubi paulatim inſugit nonnihil aquæ, deinde cum operatio inſtitui debet, apponitur globus igni, ut calefiat modice, tunc aqua reſoluta exhalat, fitque ventus, qui inſtar follis, per multas horas, ignem exſuſcitare poteſt. Similiter & in natura fieri credibile eſt, aqua vel aëre, aut utraque ſimul, in anguſtias contruſis, & per exiguos hiatus exitum molientibus. Sane obſervatio illa, quæ reperitur *in Actis Anglicis p. 387. Edit. Lipſ.* idem oſtendit. Vicennali Experientia quis didicerat, quotiescunque deprehenſa in foſſione locorum ſubterraneorum aqua fuerit, nunquam fuiſſe deſtitutam aëre vel vento, aqua autem non inventa vix tantum aëris illis ſuperfuiſſe, quantum ad reſpirationem & ventilationem candelæ ardentis ſufficeret. Quando vero magna copia aquæ inventa fuerit, operariis de ea derivanda ſollicitis, ſimul ac ad illum horizontis paralleliſmum perventum fuerit, ut aqua inceperit devolvi, incluſum aërem, ſeu ventum, in aqua ſtagnante fragore adeo horribli erupiſſe, ut crederes diſplodi tormentum, tantaque violentia, ut omnia ſecum abriperet, ipſas diſſolvendo rupes, vel aliquam multum diſtantes. Ex qua obſervatione patet, aëri incluſo & compreſſo magnam eſſe violentiam, qui, ſi per tenues vias montium exeat, durare in iſto ventroſita-

tis ſtatu eo usque poteſt, dum, e latere aëris compreſſi remiſſo, in æqualem ſtatum ille ſe compoſuerit.

5 Venti quidam ſunt ordinarii & perpetui, quidam periodici, quidam ad certos cœli cardines diviſi, quidam ex imis terræ cavernis prorumpunt, quidam deſuper irruunt, ut venti ſeptentrionales. De quibus omnibus legantur Verulamius, Varenius, Honoratus Fabri, & Iſaacus Voſſius *in libro de motu marium & ventorum.* Id fortaſſis, ut ſuperfluum aliquod, memorare poſſum, quod narraſſe mihi nautas memini, nunquam ſe ventum directe ſeptentrionalem inveniſſe, ſed ſemper uno gradu, vel ad Orientem, vel ad Occidentem, inclinantem. Eſtque quædam illis perſuaſio, finem mundi futurum, cum ex ſeptentrionis angulo ſpiret. Robertus Fluddius, ut in multis aliis, ita & in his, vel fanaticus, vel ſuperſtitioſus eſt. Nam Angelos, vel bonos, vel malos, facit ventorum præſides & diribitores. Illos ſcil. quaſi in fortalitio collocat, ventos jaculantes in orbem; cum ventis veniunt omnia larvarum & morborum genera. Quod ad vertices illos aëreos attinet, qui Anglis *Spoul* dicuntur, eos nemo accuratius, iconibus etiam additis, deſcripſit quam Joh. Mayow *in Tract. de Sale-nitro cap. II.* Quantitas ventorum ſingulari inſtrumento menſurari poteſt, quod repræſentatur *in Actis Philoſophicis Anglicis p. 358.* Ubi Iconiſmus ejus ſimul habetur; ſed non eſt adeo accurate deſcriptum, ut ſatis ejus ſtructura pateat. Si quis utile dulci miſcere velit, is legat Caroli Malapertii poëma eruditum *de ventis, Lib. II.* conſtans, quod reperitur in poëmatibus Jeſuitarum, uno volumine congeſtis, ſive *Parnaſſo Poëtico Soc. Jeſu*, Antwerpiæ A. 1616. in 12. excuſo. In eo etiam ſimul Tempeſtas anni 1606. Belgica deſcribitur. Plures de ventis Autores vid. in Iſr. Spachii *Nomenclat. Philoſ. p. 624-626.* Quibus addi poſſunt Joh. Placentini & Chriſtoph. Notnagelii *de ventis inſolitis anni 1660. Diſſertationes Phyſico-Mathematicæ.*

CAP. XXIV.

DE METEORIS IGNEIS.

§. 1. *Origo illorum e terra exhalationibus accenſis.* 2. *Ignes fatui, lambentes, iſtisque ſimiles, & incendia ab his improviſa.* 3. *Cometæ, juxta Ariſtotelem & Claramontium, ſunt Meteora, juxta Anonymum mali genii, juxta Th. Bartholinum abſceſſus univerſi. Stan. Lubienicii & J. Ad. Oſiandri ſcripta de iis.* 4. *Ariſtotelis, de fulguris per Antiperiſtaſin accenſione, ſententia contra Honoratum Fabri defenditur.* 5. *Carteſius & Joh. Mayovius, fulgur & tonitru a nubium conglaciatarum lapſu derivantes, refutantur, veraque illorum origo e vaporibus ſulphureo-nitroſis aſtruitur.* 6. *Vulgi circa illa ſuperſtitiones, una cum ſententia Bodini, Helmontii & Lutheri, de Diabolo, illorum Autore, improbatæ. Miſcellæ de iisdem, ac effectibus illorum, nec non lapidibus fulminaribus, Scriptoribusque hujus argumenti, obſervationes.* 7. *Scriptores de Meteoris in genere, præcipue igneis.*

METEO-

METEORA IGNEA, quæ ita vocantur, originem ſuam debent exhalationibus pinguibus, e terra elevatis, ſeu per vim ignium ſubterraneorum, ſeu per calorem Solis. Tales exhalationes æſtatis præſertim tempore admodum frequentes ſunt, &, cum accenduntur, vel a ſitu, vel a figura ſua peculiare aliquod nomen ſortiuntur, quanquam forte nihil inter ſe differant. 1

Exhalationes viſcoſæ, quæ non procul a terra incenduntur, ignes fatui ſolent appellari, Germanis Irrwiſche, de quibus mira fabulatur vulgus, quod ſc. inſequentes fugiant, fugientes inſequantur, in præcipitia deducant, quæ tamen magnam partem ſuperſtitioſa & fabuloſa ſunt. Et ſunt illi ignibus lambentibus quaſi ſimiles, quo nomine appellantur exhalationes corporum animalium accenſæ, ut fit nonnunquam in hominibus & equis, quanquam & his ſuperſtitio miſceatur. Sunt & multæ aliæ talium ignium ſpecies, in quibus operoſum eſſe non neceſſe eſt, cum eorum accenſio ſit fortuita, & pene non differant cauſis. Sulphureæ enim exhalationes, ubi paulo vehementius motæ ſunt, ſtatim flammam concipiunt, & hi ignes noctu magis, quam die, ſunt viſibiles, quod lumen majus minus obfuſcet, quanquam & in die æque deflagrare poſſint tales vapores. Unde videmus, quam parata ſit ſæpe incendiis cauſa, præcipue æſtatis tempore; ſæpe enim in aëre, ubi minime credas, aliquid talium exhalationum deliteſcit, ſæpe incurrunt illæ in alia corpora, unde mutuo tritu ignes educuntur. Novi, nocte ſerena, tempore æſtatis, incenſum fuiſſe fœni aggerem per vapores quosdam ſulphureos, noctu in aëre vagantes, & vicinas ex eo domos conflagraſſe. Scripſit Gallus aliquis Obſervationem *de incendiis, ex improviſo ortis*, quorum nulla manifeſta cauſa eſſet. Ejus in *noviſſimis Gall. Ephemeridibus* ſit mentio. 2

Ariſtoteles Meteoris etiam *Cometas* accenſet, de quibus ſupra egimus. Is enim ſublunares omnes habuit Cometas, quod falſum tamen eſt; quanquam Scipio Claramontius, Mathematicus excellentiſſimus, Ariſtotelis partes tueri non veritus fuerit *in libro de Univerſo*, adverſus præſtantiſſimos Mathematicos, domeſticis pugnans principiis. Varias de Cometarum ortu ſententias congeſſit is, quem ſupra laudavi, Stanisl. Lubienitius *in Theatro Cometico*, omnia ad doctrinam Cometicam ſpectantia corradens. Malim ego legere Joh. Ad. Oſiandri *Diſſ.* brevem *de Stella Magorum*, in qua breviſſime omnes de Cometis ſententias recenſet. Non tamen abſunt hic ſuperſtitiones nonnullorum. Nam Anonymus aliquis, qui ſe *Mercurium Platonizantem* o) vocat, in libello, A. 1662. in 12. edito, cui tit. *Cometæ malus Genius*, demonſtrare vult, Cometas malos eſſe angelos, quemadmodum ſtellæ boni ſint angeli. Thom. Bartholinus, e ſchola Medica, naturam Cometarum explicuit ſatis quidem inge- 3

o) Sub *Mercurii Platonizantis* nomine delituit Mich. Pratnius, J. U. D. Com. Pal. Cæſ. & Marchionis Durlaco-Badenſis Conſil. Aulicus, qui eandem *Diſſ. de Cometæ Malo Genio*, tum aliis Obſervationibus, tum judicio de Cometa Anni 1680. auctiorem, Nomine ſuo præfixo, Francof. An. 1682. in 12. curavit recudi.

ingenioſe; Cometas enim comparat abſceſſibus ulcerum, *in Concilio Medico de Cometa*, Hafniæ A. 1665. edito, in quo tamen magis ingenio indulgere voluiſſe, quam veritati, videtur.

4 Inter omnia Meteora ignea omnium mirabiliſſimum eſt *Fulgur*. (de quo Lib. exſtat Hier. Cardani) & *Tonitru*, in cujus cauſis explicandis, multæ ſunt Philoſophorum fluctuationes. Id quidem manifeſtum eſt, accendi aliquos vapores ſulphureos, occultum vero, quomodo fiat iſte impetus. Peripatetici volunt, accendi fulgur per aliquam Antiperiſtaſin, quod Honor. Fabri rejicit, quanquam id ſuo tamen modo tolerari poſſit. Non ſimplicem hic accenſionem eſſe, omnes circumſtantiæ nos docent; illa enim celeritas & vibratio oculis apparens, illi mirabiles effectus, innuunt, exploſionem aliquam eſſe cum iſta occaſione conjunctam. Quod quidem negat fieri poſſe Hon. Fabri, mihi autem non adeo abſurdum videtur, qui exiſtimo, in nubibus fieri poſſe ſeparationem quandam partium, ita ut particulæ quædam ſulphureæ, vel ſulphureæ ac nitroſæ ſimul, uno aliquo loco junctim conſiſtant, circumdatæ craſſis quibusdam nubibus aqueis, quæ ſatis quidem molis circumponere poſſunt particulis incluſis, atque illas premere, ut non aliter hic teneantur, atque in tubo quodam metallico. Illæ ut accendantur, facile fieri poteſt; motu enim interno agitari poſſunt, vel extrinſecus advenire ſulphureæ quædam exhalationes, maſſam illam particularum ſulphureo-nitroſarum accendentes, quæ ſtatim cum impetu disploduntur.

5 Joh. Mayow violentam quandam concuſſionem hujus flammæ cauſam agnoſcit, ſed tamen illam procedentem a nubium ſuperiorum, condenſatarum & conglaciatarum, lapſu. In quo ille Carteſium ſequitur, qui hanc cauſam in tonitru aſſignavit. Simile illud, quod dat, plane mihi non exprimere fulguris naturam videtur; ſi ſilicum minutiſſimarum congeries immenſa concuſſione adeo valide exagitaretur, ut ex particulis ejusdem innumeris, invicem allifis, ignis ſcintillulæ pene infinitæ excuterentur, ita flamma quædam levior, per totam ſilicum congeriem propagata, ſubito accenderentur. Ita exiſtimat ille particulas nitro-aëreas, inter particulas aëreas diſſeminatas, ob violentam atmoſphæræ concuſſionem, in motum talem concitari poſſe, qui ad lucem excitandam requiritur. Sed, ut verum fatear, in his ſpeculationibus plus mihi ſubtilitatis, quam veritatis ineſſe videtur. Ex lapſu certe nubium tam inſolitas operationes deducere, res mihi incredibilis videtur, qui illum lapſum nubium plane imaginarium eſſe exiſtimo. Quanquam enim in nubibus congelari poſſunt aquæ, non ſunt tamen illæ molis continuæ, ſed per minutiſſimas partes ſparſæ, & in aëre libratæ, unde cadere non poſſunt a ſe invicem avulſæ, quemadmodum corpora contigua, ſed continua quadam inclinatione deorſum ferentur, ſine aliquo ſtrepitu notabili, unde non poteſt cauſa tonitrûs deduci prima (quanquam non negem, ad propagationem ſoni poſſe contribuere, multo minus fulgur, quod quomodo ex conglaciatorum corporum colliſione oriri poſſit, nec ſenſibus, nec ratione, percipio. Videmus ſane, & ſentimus, aërem tempore tonitrûs calidum

dum ad ſqualorem usque, quod arguit certe, particulas eſſe ſulphureas in aëre. Videmus, ſpiritus nitri & tartari, in vitro miſtos, adeo exæſtuare, ut cum diſruptione vitri diſplodantur. Cur idem non fieri poteſt in vaporibus ejusdem naturæ, qui nihil aliud ſunt, quam ſpiritus ſulphurei & nitroſi rarefacti? quid prohibet, illos in unum locum compingi poſſe intra cavum aliquod nubis denſioris, cum ipſi tum gravitatem aëris ſatis ſentiamus? videmus ipſi, quod fulgura in terram ipſam penetrent, cum quibus tamen conjunctas eſſe non videmus nubes quasdam glaciales. Si vel ſenſus noſtros conſulamus, non aliter apprehendere poſſumus naturam fulguris & tonitrus, quam ut ſtatuamus, primum materiam aliquam ſulphureo-nitroſam explodi, ſecundo ab hac exploſione ſubitanea impetum primum fieri in nubes denſas, & in omnem, quaqua patet, aërem, per quem prima illa concuſſio, multiplicatis circulis, ut in omnibus ſonis fieri ſolet, propagatur. Hinc alliſio frequens eſt, & repercuſſio ſoni ad montes & ædificia editiora, quæ multiplicata repercuſſio efficit nobis continuitatem iſtius ſoni. Ac fuit fortaſſis prima illa aëris ſub exploſione concuſſio non adeo valida, quæ dehinc ex repercuſſione ſonum tam formidabilem parit. Illuſtrat rem hanc experimentum a Varenio, *Geograph. Gen. lib. 1. p. 385.* allatum, e Davidis Frœlichii obſervatione quadam, de Hungariæ monte Carpatho. Is, in ſummitate rupis editiſſimæ, quæ etiam Alpes vinceret altitudine, tranquillum plane & ſubtilem aërem offendit, ut ne pili quidem motum ſentiret, cum tamen in depreſſioribus montibus ventum vehementem expertus fuiſſet. Exploſit illic ſclopetum, quod non majorem ſonitum primum præ ſe tulit, quam ſi tigillum, vel bacillum, confregiſſet, poſt intervallum autem temporis murmur prolixum invaluit, inferioresque montis partes, convalles & ſylvas, opplevit. Deſcendendo intra convalles, cum iterum ſclopetum exoneraret, major & horribilior fragor, quam ex tormento capaciſſimo, ortus fuit, veritusque ille eſt, ne totus mons concuſſus ſecum corrueret, & duravit hic ſonus per ſemiquadrantem horæ, usque dum abſtruſiſſimas cavernas penetraſſet, ad quas aër undique multiplicatus reſiliit. Ex iſta obſervatione ſatis patet, ſonum illum in tonitru poſſe e non adeo forti exploſione oriri, & repercuſſione tantum ita intendi. Non itaque confugiendum eſt ad imaginarios illos nubium lapſus, quos in tonitru fingit Carteſius, inductus analogia iſtius ſoni, quem nives, e ſummis montibus deciduæ efficiunt tonitrui ſimilem, e cujus tamen nivis lapſu nubium lapſum fingere non poſſumus.

6 Nullum eſt in tota natura phænomenon, quod magis attonitos reddat animos vulgi, in rerum cauſis indagandis ignari, multa quoque ſuperſtitionibus data ſunt. Quid in mentem venerit, neſcio, certe a ſuperſtitione parum abeſt, quod Diabolum faciat cauſam tonitrus, quod & Helmontius fecit. Bodinus tamen Dæmones elementares fingit, quibus, una cum Strozza, tonitrua, & meteora reliqua, adſcribit in ſuo *Theatro naturæ*. Etiam Lutherus, *in Comm. in Gen.* (ſi rectè memini,) omnia Meteora, præter Iridem & Cometam, a Diabolo eſſe dicit. Eſt & nonnullorum ſuperſtitio, per incantationes ſagarum poſſe excitari tonitrua & grandines, aliasque tempeſtates, ad quas avertendas ſuperſtitio alia remedia invenit. Contra quam

hominum opinionem profanam inſurgit S. Agobardus ſingulari quadam Diſſertatiuncula, quæ reperitur inter opera ejus, a Stephano Baluzio edita, *Tom. I. p. 145.* Legi poteſt circa naturam fulminis Gvalth. Charletoni *Inquiſitio Anatomico-Phyſica prima*, qua Anatomen pueri cœlo tacti inſtituit, Londini An. 1665. in 8vo edita, in qua multa curioſa. Solet & hic de lapidibus fulminaribus quæri, quales extare aliqui credunt, aliqui plane pro fabula habent. Sane Charletonus rem totam habet pro ficta, quæ ſi naturam ipſam conſiderare velimus, ejusque operandi methodum, non potuit generari in nubibus. Qui vulgo oſtendi ſolent, e terra plerumque effodiuntur, unde ſuſpicio eſt, radios fulminares, terram penetrantes, arenam, quam forte offendunt, in talem aliquam maſſam lapideam, per vitrificationem quandam, colliquare. Hiſtorica de fulmine multa videantur apud Voſſium *lib. 3. de ortu & progreſſu Idololatriæ, c. 7.* De variis fulminum generibus, & mirabilibus operationibus, legatur prolixius is, quem laudavi, Charletonus, & Honor. Fabri *Tr. 6. lib. 5. prop. 4.* Videantur & variæ obſervationes *in Actis ſocietatis Anglicæ p. 446.* de quadam fœmina, quæ tonitru audito, in choleram incidebat, perſeverans in vomitu & profluvio ventris, quoad durabat tempeſtas. Nec indigna lectu eſt relatio de miris fulguris effectibus Stralſundiæ *ib. p. 2084.* Artificialia etiam fulmina, ex nitro & tartaro, arte excitari poſſunt Chymica. Talc eſt auri fulminantis Phænomenon, cujus per tartarum fit præparatio. Sed & absque tartaro hoc poteſt parari.

7 De reliquis Meteoris ignitis non attinet multa dicere. Illa enim ab aliis Phyſicis prolixe ſatis tractantur, & ſunt eorum cauſæ ſatis manifeſtæ. Legi poſſunt, qui de Meteoris in univerſum ſcripſerunt, Libertus Fromondus, &, qui illo longe accuratior eſt, Nicol. Cabæus, &, poſt illos omnes, J. Bapt. du Hamel *in loco ſuperius citato.* De Meteororum cauſis Theod. Oſius, *in Sylva ſua novarum Opinionum*, (Francof. 1669. in 12.) *cap. 9.* more ſuo quædam philoſophatur, quibus non eſt ut immoremur.

CAP. XXV.

DE IRIDE, AC RELIQVIS METEORIS EMPHATICIS.

§. 1. Iris, & colores ejus, e radiorum ſolarium refractione orti, conſiderationis ſunt Opticæ. Scripta Joh. Marci Marci & Franc. Mariæ Grimaldi de ea commendantur. 2. Figura ejus circularis. Iris ſecundaria. Irides artificiales in aquæ guttis & priſmate. 3. Parhelii, & reliqua Meteora emphatica.

1 Inter Meteora emphatica IRIS præcipuum locum tenet, pulcherrimum aëris phænomenon. Circa cujus conſiderationem tota doctrina Optica impendenda eſt, tota refractionum & reflexionum doctrina huc pertinet. Mirabilis enim illa radio-

radiorum ſolis in guttis ſingulis nubis rorantis refractio & reflexio omnem colorum familiam parit, nigredine & albedine excepta. Tota itaque hujus Phænomeni conſideratio videtur ad Opticam eſſe remittenda. Nam, cum ipſo intuitu Iridis colorum iſta generatio fiat per radiorum illas reflexiones, tota ad illam doctrinam pertinet. Quæ ſpeculationes tam ſunt ingenioſæ & multæ, ut integrorum librorum materiam quibusdam ſuppeditaverint. Præcipue magna induſtria ſingula ejus argumenti delineata ſunt a JOH. MARCO MARCI in libro Pragæ A. 1648. edito, cui titulus: *Thaumantias, ſe de arcu cæleſti;* ubi de Iridum poſitu, concentricitate, variis coloribus, variis apparitionibus, de Iridibus lunaribus, halonibus, ſimilibusque phænomenis, prolixe admodum agit, & pene omnem Opticæ doctrinam, omnem de natura lucis & colorum contemplationem, exhaurit. Poſt illum nuper FRANC. MARIA GRIMALDUS, in ſua *Phyſico-Matheſi de lumine, coloribus & iride*, Bononiæ A. 1665. in 4to edita, poſt præmiſſam generalem de luce tractationem, totum librum inſumit in explicatione iridis, velut cujusdam complementi totius hujus doctrinæ, quæ omnia, ſi hic enarrare vellemus ſpecialius, multum nobis temporis inſumendum eſſet.

Duo ſunt in Iride conſideranda: Circularis illa figura, colores, & ordo co- 2
lorum. Figura illa circularis & arcuata nobis apparet, & quidem ſemicirculum æquans. Quod ſi quis eſſet in ſupremo aëre, & oculus inter ſolem & roridam nubem ſtatueretur, integrum orbem videret. Certum autem eſt, unicuique ſuam iridem videri. Iris etiam ſecundaria eſt, quando radii, infimo guttarum quadranti incidentes, poſt duas refractiones, & totidem reflexiones, ſub iisdem conjugationibus, ſub majore tamen elevationis angulo, emergunt, atque oculo incidunt. Igitur eosdem colores, ordine tamen inverſo, exhibent. Videatur quoque Honor. Fabri *tr. 3. Phyſic. lib. I. de coloribus, propoſ. 210. 207. 208. & tr. 6. lib. 4. prop. 12.* Ubi ſpeciales quasdam quæſtiones adducit & reſolvit, abſurdas autem quorundam opiniones de iride inverſa, & aliis, rejicit. Poſſunt iridis colores exprimi per artem hydraulicam, ubi eadem ratione in guttis ſingulis ſolis imago ſe conſpiciendam præbet, & colores iidem apparent. Eadem ratio vitri eſt, quod Prisma vocatur; prout enim illud varie vertitur & invertitur, colores variegati apparent, quorum productionem idem Honoratus Fabri locis laudatis docet.

Quod attinet alia *Meteora*, quæ EMPHATICA dici ſolent, qualia ſunt Par- 3
helii, virgæ, corona ſeu halo, aurora Borealis, voragO vel hiatus, de iis omnibus non poſſunt adeo multa dici, quæ non jam pridem ſint ab aliis dicta. Et ſatis eorum natura patet, ſi naturam Iridis habeamus ſatis exploratam, aut reflexionum ac refractionum doctrinam ex Opticis probe teneamus. De Parheliis vide Obſervationes *in Actis Soc. Angl. p. 953. Edit. Angl. & p. 1065.* ubi ſchematiſmus etiam additur. Videatur quoque de his omnibus Honor. Fabri *Tr. 6. lib. 4. prop. 8. 9. 10. 11.*

CAP. XXVI.

DE IGNIBUS SUBTERRANEIS ET TERRÆ MOTU.

§. 1. *Ignium ſubterraneorum exiſtentia & cauſæ diverſæ. Scriptores varii de montium ignivomorum incendiis.* 2. *Terræ motuum cauſæ (quarum præcipua eſt ignis ſubterraneus), differentiæ, ſonus mugitui ſimilis, effectus & præſagia.* 3. *Franc. Travagini obſervationes de terræ motu Raguſiano, quibus motum terræ diurnum aſtruere conatur.*

1 Solent aliqui IGNES SUBTERRANEOS, quanquam improprie, ad Meteora revocare, uti & TERRÆ MOTUM, de quibus hoc loco nobis quædam dicenda ſunt. Eſſe ignem ſubterraneum experientia teſtatur, paſſim enim ille graſſatur per totum terrarum orbem, ut ex montibus ignivomis videre poſſumus, & ex integris quibusdam torrentibus igneis, quos nuper in Ætnæ incendio obſervatos fuiſſe, fama eſt. Sunt tales ignes ſubterranei vel caſu aliquo accenſi per ignem fodinæ alicui injectum, uti a paſtoribus aliquando fodinis carbonum ignis admovetur, qui, ſemel accenſus, cum pabulum nunquam deficiat, inextinctus deinde manet, & per intervalla, prout major minorque accedit ventilatio, vel increſcit, vel decreſcit, vel etiam fulminis afflatu ignis excitari potuit, vel ex aliqua colliſione, aut effervescentia corporum, vel potuit ille ab initio mundi perduraſſe. Id certum eſt, magna eſſe in terra ignium receptacula, quæ æſtuaria vocat Kircherus in *Mundo ſubterraneo*, ubi nobis ea ad oculum depingit, quæ tamen ipſe non viderat, niſi quantum vidit in Ætnæo illo incendio noviſſimo, illo ſcil. de quo Paulus Bocco, in libro, cui tit. *Recherches Curieuſes*, magna diligentia egit. Vide & *Acta Soc. Angl. pag. 967. Ed. Angl.* De incendio Veſuviano ſcripſit Joh. Baptiſta Maſculus, teſte Craſſo *in Elog. hom. Erud. P. I. p. 353.* & Antonius Santorellus, teſte eod. *p. 295.* Vinc. Alſarii *Veſuvius Ardens*, Romæ anno 1632. Jul. Cæſ. Braccini autem *Trattato dell' Incendio, fatto nel Veſuvio*, Neapoli eod. A. *in 4to* prodiit. Scripſit &, occaſione incendii Veſuviani Petrus Caſtellus, Medicus Romanus, librum, cui tit. *Incendio del Monte Veſuvio*, Romæ Anno 1632. *in 4to* editum, de omnibus locis ardentibus, differentiis ignium eorum, ſignis, prognoſticis, remediis. Scripſit & nuper THOMAS ITTIGIUS *Lucubrationes* aliquas *de Montium Incendiis* Lipſiæ anno 1671. *in 8vo* excuſas, in quibus omnium terrarum montes ignivomos recenſet, & quicquid ab Autoribus de iis traditum eſt, colligit, tam hiſtoriarum, quam cauſarum. Qui tamen, ut apparet, Caſtellum non legit, nimisque prolixus eſt in digreſſionibus & citationibus, parum interdum ad rem facientibus. Conferri quoque poſſunt Mart. Schokii *de Veſuvio ardente* Diſputationes.

Ex

Ex incendiis ignium ſubterraneorum *terræ motus* oriri ſolet, quanquam non 2
ex ſolis, nam ex aliis etiam cauſis terræ motus oriri poſſunt. Habent tamen & illæ pro cauſa remota, ſi non proxima, ignem ſubterraneum. Quando enim halitus comprimuntur uno in loco, quando venti in ſubterraneos ſpecus intruduntur, unde exitum invenire non poſſunt, quando aquæ cavernarum capacitatem occupant totam, poſtea rarefactæ exitum quærentes; id fieri tamen non poteſt absque ope igniis ſubterranei, absque quo ſi eſſet, omnia quieſcerent. Principi itaque huic cauſæ imputandus eſt terræ motus, ceteris quaſi ſecundariis. Scripſit aliquis homo militaris, Alex. Achilles Tr. germanicum von den Grund-Urſachen der Erdbebungen, in quo cauſam illorum vere ad ſpirituum mineralium mutuum inter ſe refert conflictum. Nam qui, cum Bodino, ad Genios motores confugiunt, citra neceſſitatem ſuperſtitioſi ſunt. Sunt & multæ aliæ ſuper hac re fabulæ, quibus non eſt, ut immoremur. Terræ motuum genera ſecundum cauſas differunt. Qui a ſolo igne excitantur, omnium ſunt validiſſimi, qui ab aqua aut halitu procedunt, eundem quidem ignem præſupponunt, ſed non tam potentem & copioſum, ideoque remiſſior in illis motus eſt. Aliqui terræ motus diſtinguunt ex varietate ipſius motus, cum vel terra tremit, vel diverſi terrarum tractus invicem arietant, vel quando movetur terra navigii inſtar. Sed inutilis eſt illa diviſio, & ex accidente deſumta, quæ nullam facit veram & ſpecificam differentiam, & ſolet motus determinationem ſuam ab ipſa locorum conditione adipiſci. Solet terræ motum fragor quidam & mugitus comitari, qui ſonus eodem modo formatur, quemadmodum tonitru in nubibus, niſi, quod concluſio aëris lentius trahat ſonum, & in ſe reflectat, unde mugitui ſimilis fit, qui in tonitru per novos impetus ſemper videtur frangi. Terribilior autem ſonus omnis videtur in loco occluſo, unde fieri credo, ut lapillus, fontibus injectus, ſpecu quodam concluſis, tantos tumultus exciret, de quo tam mira vel fabulantur, vel memorant, nonnulli. Effectus terræ motui varii tribui ſolent. Ædificia evertit, facit, ut terræ tractus aliquando ſitum mutet, ut tecta inter ſe arietare videantur, ut integræ civitates abſorbeantur, ut novi lacus, vel nova flumina, prodeant, ut montes aſſurgant, ut peſtilens aliquis halitus aërem inficiat. Sunt & certa ſigna vel præſagia terræ motuum, de quibus prolixe agit Petrus Caſtellus, *in libro ſupra laudato*, e quo in Compendium traxiſſe videtur Honor. Fabri *tr. 6. lib. 2. propoſ. 22. & ſeqq.* qui & de terræ motu artificiali *prop. 30.* agit, ejusque rationes cum naturali comparat.

Ex hoc terræ motu FRANC. TRAVAGINUS argumentum nuper petiit, quo motum 3
terræ diurnum probare voluit. Is ſc. in terræ motu Raguſiano, maximo illo & memorabili, ſingularia quædam obſervavit Phænomena, quæ ille contingere non potuiſſe putat, niſi ſtatuatur terræ motus diurnus: Obſervavit ille, 1) terram motam fuiſſe ab occidente ad orientem, & reciproce ab oriente in occidentem, ita tamen, ut ſucculſionem non ſenſerit. 2) Obſervavit, canales omnes, ab oriente ad occidentem recta linea deductos, undas ſuas ſecundum eandem lineam refluas ac reciprocas habuiſſe, in canalibus vero, qui a ſeptentrione ad meridiem ducuntur, easdem undas fuiſſe laterales ab una ripa ad aliam, ſeu ab oriente ad occidentem. 3) Ob-

ſervavit, quod Campanilia, atquæ aliæ fabricæ erectiores, eodem modo vibratæ fuerint, & quicquid ex domorum laquearibus aliquo funе ligatum pependit. Id obſervavit ille Venetiis in Muſeo ſuo, cum Raguſæ terræ motus vis eſſet maxima, eo vero in loco duplicem illi motum obſervarunt, unum motum ſuccuſſionis, quo terra ab imo in altum ſuccutiebatur, & alterum motum lateralem, quo terra videbatur deferri ab occidente in orientem. Et hunc terræ motum lateralem, ut appellat is, accipit in argumentum probandi motus diurni terræ. Ab ipſo enim terræ motu, qui per ſuccuſſionem fit, illum non procedere, argumentis, e Mechanica petitis, demonſtrare laborat, ideoque exiſtimat, mota per ſuccuſſionem tam vaſta terræ portione, vorticem, in quo terra defertur, tumori huic obvium terræ ultra centrum motæ occurrere velut obici cuidam, & illum motum ab oriente ad occidentem efficere, quem durante terræ globo in ſtatu quieto, obſervare non poſſumus, quemadmodum is, qui in cymba quadam dormiens ſecundo flumine defertur, ubi vero obex objicitur cymbæ, tum demum obſervat, ex variato motu vel impedito, illum, quo antea deferebatur, qui in iſta cymba quietus aderat. Hæc fundamenta ſunt, quibus illam ſententiam ſuam ſuperſtruit, quam ut probet, varias ex Mechanica demonſtrationes adducit, quæ quidem ipſæ in ſe aliquo loco haberi merentur, ſed quoniam ipſius obſervationis non adeo certi eſſe poſſumus, ne quod forraſſis Autorem fefellerit, ideo inter conjecturas referenda eſt illa obſervatio.

CAP. XXVII.

DE METEORIS AQUEIS.

§. 1. *Natura & Phænomena nubium.* 2. *Nebulæ & pluviæ, inprimis prodigioſæ.* 3. *Speciatim pluviæ ranarum fictitiæ.* 4. *Roris, de quo Joh. Nardii Lib. commendatur, & Rabbinorum commentum de aqua maſculina Nilum fœcundante explicatur.* 5. *Cujus occaſione digreſſio inſtituitur de plantarum florumque reſuſcitatione, ope roris, aut artificiis aliis, imaginaria, & Franc. Lanæ productione illorum absque ſemine, quæ in dubium vocantur, nec non anguillarum beneficio roris procreatione.* 6. *Natura & hiſtoria productorum roris, mellis ſcil.* 7. *Sacchari,* 8. *Et Mannæ, de quo Magnenus & Salmaſius ſcripſere.* 9. *Nivis origo, figuræ variæ, Hexagoniſmus, uſus Medicus, a Thoma Bartholino expoſitus, albedo emphatica, a Gottfr. Vogtio illuſtrata, fœcundandi. Sal nivis liquida ſubito coagulans. Glacies ex nive artificialis. Spiritus vini ope nivis, absque igne, deſtillatus.* 10. *Grandinis formatio, portentoſa ſæpe magnitudo, figura ovalis, liquefactio ſubita, harumque cauſæ.* 11. *Pruinæ e rore concreto formatio.* 12. *Judicia de Scriptoribus Meteorologicis, præſertim Nic. Cabæo, Lib. Fromondo, Rob. Fluddio, Ren. Carteſio, J. Bapt. Hamelio, & Mick. Watſono.*

AD

AD METEORA AQUEA pertinet primo *nubes*, quæ *nihil eſt aliud, quam congeries halituum cum aliquo denſitatis gradu, quam aër in illa producit.* Tamdiu ſurſum tendit, quamdiu frigori occurrenti non ſiſtitur, libratur tamen in aëre, nec deorſum cadit, quoniam gravior eſt aër, ut inepti ſint, qui nubes vel a Deo, vel ab Angelo, vel ab aliqua magnetica vi, ſuſtineri putant. Nubium altitudo varia eſt, prout ipſæ graviores vel leviores ſunt. Pluvioſæ enim nubes terræ ſunt viciniores, quam ſiccæ. Varii ſunt earum colores, vel prout ſoli objectæ ſunt, vel ut aquæ, nivis, grandinis multum admiſtum habent, ſed de iis vulgares etiam Phyſici. 1

Pertinet & huc *nebula*, craſſior ſcil. nubes, quæ terræ incubat. Quas nebulas præcipue habent loca illa, quæ magnum roris vim habere ſolent, ut paluſtria & fluviatilia. Pluvia ex vapore concreſcit, cujus analogiam in aquis diſtillatis habemus. Eodem enim modo vapores aſcendentes reſolvuntur. Totus ſcil. globus terreus magnum æſtuarium eſt, unde vapores humidi ſurſum lati tandem frigore cohibente colliqueſcunt, & in guttulas conglomerati decidunt in terram, quod intra ipſa terræ viſcera fieri nonnunquam ſolet, teſtibus metallifoſſoribus. Circa ipſam pluviam, & ejus rationem non admodum multa ſunt conſideranda, res enim manifeſta eſt, & per ſe patet. Quod vero nonnulla adjuncta ejus attinet, præſagia pluviæ, ſalutiferos vel peſtiferos effectus, ventos, eas vel efficientes, vel impedientes, de iis Honor. Fabri videatur, *tr. 6. lib. 3. propoſ. 118.* Differt vero pluvia a communi aqua multis modis. Nam prout ſolum ſe habet, unde educti fuere vapores, ſi illud paluſtre vel uliginoſum, foetebit interdum pluvia, ſi arenoſum, purior erit illa, ſemper tamen plus habet admixtum ſalis nitroſi, vel alterius etiam ſalis, ſi tellus ſubjecta illo abunder. Videmus etiam in quibusdam terræ partibus pluvias maculare veſtes & corpora, ubi fortaſſis nimius ſolis æſtus plus ſalinarum particularum illis miſcuerit. Veroſimile quoque eſt, multa per aërem vagantia minima inſecta, vel eorum ova ac ſemina miſceri cum aqua pluvia, unde forte eſt, quod in papiliones mutatæ fuerint pluviæ guttæ. De quibus habetur *in Actis ſocict. Angl. p. 402. Edit. Angl.* Idem in rore obſervatum fuiſſe, monſtrant Thomæ Henshaw obſervationes, quæ referuntur *in Actis Angl. p. 25.* De prodigioſis pluviis *p)* multa a multis ſolent dici, ſed plurima in iis fabuloſa ſunt & ſuperſtitioſa. Quod & lacte, ſanguine, pluerit, id coloris tantum ſpecie fucum aliquibus fecit; poſſunt enim pluviæ multa miſceri, ſi ex terra evehatur, poſſunt contrarii nonnunquam ſpiritus ſalini, quales multi habentur in nubibus, tales colores producere, quos vulgus ex coloris ſimilitudine judicat vel lacteos, vel 2

p) De *Pluvia Prodigioſa* vide Diſſertat. peculiarem D. Val. Alberti, Lipſiæ an. 1667. & 1674. editam; de Pluvia ſanguinea Joh. Chriſtoph. Becmannum, *in Diſſ. de Prodigiis ſanguinis* in Acad. ad. Viadrum Francofurtana an. 1676. habita, *Cap. I.* Phænomena ejus a Cauſis Naturalibus ſolerter derivantem; de rubris Papilionum Excrementis, an. 1608. in Gallia pro pluvia habitis ſanguinea, Pet. Gaſſendi *Lib. II. de vita Peireſcii p. m. 66. 67.*

vel ſanguinolentos. Quod lapidibus, frumentis, muribus, piſcibus, imo vitulis etiam, pluerit, narrationes ſunt, quæ fidem ſuperant; ideoque ad aniles fabulas relegandæ. Vulgo enim facile fucus fit, in cauſæ Elenchis frequentibus.

3 Pertinet & huc illa opinio quorundam, quod ranis pluat, ſuntque, qui ſe *αὐτόπλας* teſtes profiteantur, quos tamen & ego falli credo. Joh. Marcus Marci hic iterum in Ideis ſuis præſidium quærit: putat enim, ideas, per pluviam delatas, ſtatim ut in terram cadunt, corpus ſibi quoddam ex limo fabricari. Quod certe nimis Metaphyſicum eſt, ne dicam ſuperſtitioſum. Franciſcus Rhedi, Patritius Aretinus, *in libro* doctiſſimo *de inſectis*, idem argumentum etiam tractat, cujus hæc ſententia eſt: Ranæ illæ, quas, decidente pluvia, videmus, diebus aliquot ante lapſum pluviæ, natæ ſunt, & in ſicco morantes inter dumeta & ſaxa, vel terræ cavitates deliteſcunt, &, quia terræ concolores ſunt, ſubſidentes & immotæ a pulvere haud facile diſcernuntur. Cujus ille evidens argumentum adducit, quod ſtomachum plenum cibi, & inteſtina plena excrementorum, eo ipſo, quo natæ creduntur, momento habent. Adducit & hujus ſuæ ſententiæ confirmatorem Theophraſtum Ereſium, Ariſtotelis diſcipulum, cujus libelli titulus & argumentum in Bibliotheca Photiana refertur *περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων ζώων, de animalibus ſubito apparentibus.* Mihi videtur illa valde veroſimilis ratio, cui addi hoc poteſt, odore pluviæ & roris evocari plerumque iſta animalcula, uti & lumbricos; iſtis enim ſuccis, veluti lacte aliquo, nutriuntur. Honor. Fabri *Tract. 6. lib. 3. propoſ. 115.* §. 17. ſtatuit non quidem cum pluvia decidere ranas, ſed tamen poſt lapſum guttarum generari; quod mihi certe veroſimile nulla ratione videtur. Non enim video, qua ratione pene in inſtanti corpus aliquod generari poſſit, quod habet partes ſuas organicas, & non eſt minimæ quantitatis, ut certe ſucceſſione aliqua temporis opus ſit, dum partes tot producantur. Remittit nos ad librum ſuum *de animalibus*, qui nunc non eſt ad manus.

4 Inter Meteora aquea *Ros* quoque eſt, qui parum differt a pluvia, niſi quod videatur magis imprægnatus ſpiritibus ſalinis & nitroſis. Ejus vis frequentior autumno & verno tempore, quia major tunc humor in aëre regnat, ſolis vero calor temperatior eſt, ut non ſtatim conſumat. Nubilo & ventoſo cœlo non apparet, tum quod venti vapores diſſipent, tum quod una cum nubibus elevetur. Si acrimoniam nimiam admixtam habet, nocet interdum frugibus. Tempore plenilunii major eſt roris copia, ſtatim poſt occaſum ſoli[illegible]it. De illo elegantem *Diſquiſitionem phyſicam* peculiarem ſcripſit Johan. Nardius, Florentinus, Florentiæ Anno 1642. in 4to juris factam publici, in quo libello multa curioſa, ad rorem ſpectantia, diſquiruntur. Multum autem facit ad vegetationem plantarum, & ad fœcundationem illarum, quoniam multum ſalis nitroſi admixtum habet. Hinc Cabaliſtæ rorem & pluviam vocant aquas ſuperiores & maſculinas, aquas verò inferiores, ut flumina, aquas fœmininas. Quare *Baal Tobh Haarez fol. 28. Col. 4.* de Nilo fluvio ita, vel fabulatur, vel argutatur: Deum ſingulis annis, circa ſolſtitium, M. Junio, dejicere guttam

guttam unam, pilæ magnitudine ex aquis maſculis in medium Nilum, quæ gutta ſe habeat, ut fermentum ad maſſam. Omnes enim aquas Nili efficit maſculas, ut proinde Ægyptus non egeat pluviis. Hanc guttam dicit Abrahamum precibus ſuis impetraſſe. Fabuloſum ſane illud & ſuperſtitioſum apparet, nullibi enim fœcundius eſt, quam apud Rabbinos, nugarum promptuarium. Mire tamen convenit cum illis, qui obſervant, circa ſolſtitium nubeculam aliquam primum incubare exiguam Nilo fluvio, unde effervescere ille incipiat. Quoniam tam multa heterogeneorum corpuſculorum admixta ſunt rori, reſolutione artificioſa, & ſalia, & ſpiritus inde elici poſſunt, ad nitri naturam accedentes, atque inde vis tanta vegetandi in rore eſt, ob ſummam nitri volatiliſationem, quod principium fœcundans eſt terræ; atque ita penitiſſime ſe inſinuat fibrillis plantarum. Ex ſale roris menſtruum aliqui conficere laborant, quod aurum ſolvere poſſit. Vid. Henr. Nollius *in Hermetica Medicina*, & Nardius *in dicto libro.*

Rori etiam adſcribenda eſt, ſi qua eſt, *Plantarum reſuſcitatio:* q) Notum enim 5
eſt, celebrari a Chymicis quandam plantæ e cineribus reproductionem, de qua multis dubitarum fuit, & dubia adhuc ſuperſunt de vera reali productione, quam nemo, quod quidem cognitum ſit hactenus, præſtare potuit, niſi quod hiſtoriolæ quædam circumferantur, quibus fides haberi nequit. Poteſt tamen beneficio roris bona quantitas ſeminis herbæ vel floris alicujus, per infuſionem continuam & calcinationem, ad ſolem, in vitro clauſo, ita præparari, ut, admoto poſtea igne cineri, idea floris vel herbæ, per vapores repræſentetur in vitro, quæ tamen ſpecies, remoto calore, iterum concidit. Modum illum Jac. Gaffarellus deſcripſit quodam in libro, ac inde Kircherus *in Mundo ſubterraneo, lib. 12. ſect. 4. pag. 414.* & Harsdœrfferus in

q) De Reſuſcitatione plantarum Iac. Gaffarellus egit *P. II. Curioſitatum Inauditarum. Cap. V. §. 9. pag. 97. 98. 99.* ſed ſolam Medici Poloni Hiſtoriam e Quercetano, in patrocinium ejus, allegavit. Plura de eadem Collectanea exhibet Commentator Gaffarelli, Greg. Michaelis, *in Notis ad h. l. num. 55. p. 249-251.* Phænomenon Nemoris Lavendulæ, e Salibus ſuis reſuſcitati, D. Ioh. Dan. Major, Morhofii Collega, Kilonii M. Aug. an. 1676. in Vitris duobus, Experimento ſpectavit fortuito, & eodem Anno, *in Diſſ. de Ærumnis Gigantum c. 4. §. 47. 48. 49.* fuſius deſcripſit, adjectis ejusdem Schematiſmo, ac Tetraſticho ſequenti:

En redit ex gemino memoroſa Lavendula Vitro,
Quæ prius in terram verſa ſalemque fuit.
Pulverulenta olim ſic corpora noſtra redibunt:
Et Salia arcanæ quid Deitatis habent.

Gottfr. Vogtio, Reſuſcitationem hanc impugnanti, reſponſum eſt ab Ol. Borrichio *in Sapientia Hermetis & Ægyptiorum Vindicata. Lib. II. c. 5. §. 9. p. 359-368.* Ubi fuſius ejus veritatem aſtruit ſed plantarum tamen imagines tantum, non veras plantas, hoc Artificio Chemico exhiberi fatetur. Conferri de hoc etiam Argumento meretur Henr. Meibomii Iun. *Epiſtola* erudita ad Theoph. Spizelium, *de Chemicorum Artificiis, quæ a nonnullis Phænomenis Naturalibus, Reſurrectionem Mortuorum illuſtrantibus, adduntur*, Spizelii *Conſideratione Corporis Glorioſi*, Noribergæ an. 1662. in 8. excuſæ, præfixa.

in den Mathematiſchen Erquickſtunden. Paracelſus quoque, *lib. 6. de natura rerum*, ex ligni combuſti cineribus plantam excitare docet, & modum aliquem præſcribit confuſe admodum, quo certe quid effici poſſit, dici non poteſt, nec credo ab ipſo Paracelſo fuiſſe tentatum. *Joſ. Quercetanus* refert de Medico Cracovienſi, qui pulverem habuerit ex plantæ cujusvis partibus, pluribus quam 30. vitris contentum, admota lucerna plantam, omnibus partibus abſolutam, ſuccreſcentem exhibentem. Refert & *Pet. Borellus Cent. 3. obſ. 71.* fuiſſe peregrinum quendam Pariſiis, qui in vaſibus ſigillatis roſæ, tulipæ, & aliorum florum, aqua ſemiplenis, reſuſcitationes, quinque aſſium pretio, admoto igne, oſtenderit. Habet & idem exempla alia. *Petr. Servius*, Urbani VIII. Medicus, conſpexit roſam ex cineribus uſtis, ſolerti & ingenioſo artificio excultis & elaboratis, 24. horis natam, adultam profectamque. Vid. *Tract. de Naturæ & Artis Miraculis.* His illi exemplis probant ejus rei poſſibilitatem, quam, niſi ipſi mihi aſpiciendi copia detur, non poſſum facile mihi perſuadere.

Sane, quod fumos & vapores, ideam floris repræſentantes, attinet, non præfracte equidem negaverim, poſſe talem ſpeciem exhiberi, ſed ſcio tamen, quam nobis ipſis ſæpe imponamus, ut videre nos credamus, quæ videre cupimus. Quam enim facile eſt, in fumo volubili, aſcendente, deſcendente, aliquas ſpecies ſibi imaginari, ut in nubibus ſolemus. Quod Borellus, *Cent. 3. Obſerv. p. 279.* refert, pomorum ſuccum congelatum mali figuram exhibuiſſe, id certe novum non eſt, & nihil miraculi habet. Novimus enim congelationes omnes virgatas eſſe & ſtriatas, ut videmus in vaporibus feneſtræ congelatis, quas figuras Borellus, obſervator alias non ſatis Lynceus, pro mali quadam figura potuit accipere. Simile & illud eſt, quod in conditura fructus Ribium, ſaccharo confecta, vidit multas figuras, folia ejus arboris optime referentes. Oleaginoſa enim omnia facile in tales formas abeunt, in circulos multos & globulos, quos etiam circumſpectus obſervator pro foliis arborum veneratur. Incidit hic mihi in memoriam aliud artificium Franc. Lanæ, Jeſuitæ, *in lib. ſæpius citato*, de floribus & fructibus ſine ſemine productis. Is ſc. bonam quantitatem florum de pomis aurantiis indidit dimidiæ libræ olei amygdalarum dulcium, cum exiguo alumine, qui vitro bene cuſtodito & obſervaro, Soli per menſem ſunt oppoſiti, usque dum putrefierent. Poſt menſem oleum impræ-gnatum in alia vaſa vitrea effudit, & ſepoſuit, ubi proximo vere vidit enatos flores, & poſtea media æſtate fructus, poma ſcil. minutula ejusdem coloris & odoris cum pomis aurantiis. Mira certe illa eſſet metamorphoſis, quæ plane mihi non fit veroſimilis, ut multa alia ejus Autoris.

De Plantæ reſuſcitatione ex cineribus legi poteſt Athan. Kircherus *L. 12. Mund. Subterr. Sect. 4. p. 414.* qui ipſe teſtatur, exhibuiſſe ſe Reginæ Chriſtinæ phænomenon illud, illam vero incurioſam, cum e manibus dimitteret, vitrum illud fregiſſe, & ſimul artificium perdidiſſe. Kircherus de eo integrum librum pollicitus eſt. De cetero, quæ pertinent ad hujus experimenti vel veritatem, vel falſitatem, & alia ſimilia, congeſſit ſingulari *Diſſertatione de reſurrectione plantarum* Gottfr. Voigtius, quæ

quæ reperitur in *Curioſitatibus* ejus *Phyſicis.* Notari etiam debet ſingulare illud arcanum *producendi anguillas* M. Majo, beneficio roris, quod agricolas, duobus ceſpitibus graminoſis ac rorulentis, ſibi in margine piſcinæ ſuperimpoſitis, in Belgio efficere, in itinere meo didici, referentibus id nonnullis, quibus non credidiſſem, niſi poſtea, in Abrahami Mylii ſcriptum *de origine animalium* incidens, idem illic experimentum legiſſem *pag. 101.* quod hactenus nemini e Scriptoribus naturalibus obſervatum eſt, ſi J. Bapt. Portam exceperis. Verba Mylii *in Ep. de Tranſmutat. Metall. p. 35. 39.* recitavi. Veroſimile hoc experimentum videtur, quod nullum in anguillis reperiatur ſemen, nulla organa generationis, ac multa proinde de illarum origine Scriptoribus Hiſtoriæ Naturalis fuerit Diſputatio, quæ jam ſublata eſſet, ſi veritas ſua huic experimento conſtaret.

Habet & Ros ſua quædam producta, de quibus etiam hic agendum. Eſt 6
vero inter illa primum *mel*, quod ex rore conſtare, vel in rore contineri, ſenſibus aſſequi poſſumus, ſi ſcil. vapore abeunte, obſervaverimus, ſubſidere in vaſis fundo materiam mellei penitus coloris, odoris atque ſaporis. Eſt ſcil. aliqua oleaginoſitas, ex terra per calorem elevata, & partim ex aëre decidit in caliculas florum, partim etiam per caules florum, e terra percolatur. Utrumque ſcil. aliquid ad generationem mellis, caulis floris, & ros decidens in florem, unde etiam fit, quod mella tam varia habeamus. E thymo, cityſo, ac rore marino, parantur optima mella. Mel ab apibus colligitur tantum, ut plurimis videtur, non formatur per concoctionem aliquam in earum utriculis, quod aliis placet. Mel enim, extra apum operam, a natura generari ſatis conſtat, imo & alia ſunt animalcula mellilega. Tradidit olim *Eudoxus Gnidius*, in Africa quandam eſſe gentem, quæ ſupra Syrtes & Carthaginem incolat, *Gyzanteres* vocatam, quæ hanc exerceat artem, ut flores colligat, melque copioſe ex iis conficiat. De Medicamentis ex melle, aliisque ex melle comparatis liquoribus, de melle roſcido & aëreo, quod in Indiæ quibusdam locis pluit, multa vide utiliter collecta apud Nardium, a *cap. 25. usque ad 75.*

Inter producta Roris etiam *Saccharum* eſt, quod non aliud eſt, quam mel In- 7
dicum, humana opera paratum, quanquam & ſponte ſua in Cannis naſci ſoleat, &, ubi plane maturuerint cannæ, liquidum inde exſtillet. Sed ſolent plerumque non expectare illud tempus, & cannis exprimere ſuccum illum dulcem, quem igne coquunt, ſaccharumque vocant barbara voce. De hujus ſaccharеæ cannæ cultura, omnique apparatu, ad confectionem ſacchari ſpectante, multa vide memorantem Caſp. Barlæum *in Deſcriptione rerum ſub Mauritio in Braſilia geſtarum.*

Manna itidem productum Roris eſt, quanquam alii potius reſinam arborum 8
velint. Non ubique enim reperitur, ſed vel in certo aliquo gramine, vel in certis quibusdam arborum foliis. Varias habet illud diſtinctiones ſecundum loca, in quibus colligitur, ſecundum arbores, in quibus apparet.

Manna Calabricum inter optima cenſetur. De variis ejus ſpeciebus legatur Joh. Chryſoſt. Magnenus ſingulari libro, & Joh. Nardius *de rore c. 36. & ſeqq.* Scripturus

quoque erat *Tractatum de Saccharo & Manna* Cl. Salmaſius, teſte Laur. Craſſo *in Elogiis hominum Literatorum, Tom. II. part. III.* Qui nuper demum Ultrajecti A. 1689. *in fol.* editus eſt in Appendice Soliniani Commentarii noviſſimæ editionis. Scriplit etiam *de Manna & Saccharo* Libellos peculiares Ant. Deuſingius, ſed is, more ſuo, Locos Communes potius coacervat, quam experimenta, aut aliquid de ſuo, affert. *De Sacchari & auri convenientia* Tr. edidit Joh. Tackius, Prof. Med. Gieſſenus.

9 Inter aquea Meteora etiam *Nix* referenda eſt. Eſt autem illa vaporis, non, ut Honor. Fabri vult, quædam ſpuma, ſed potius ipſe vapor congelatus. Namque nubes rorans, ſubitaneo frigore correpta, eo modo congelatur, ut in nive videmus. Quoniam enim particulæ humoris non ſunt unitæ, ſed ita diſperſæ, ut ſolent eſſe in vaporibus, ideo ſtatim frigus, occupans particulas, in multos globulos glaciales eas convertit, quæ deinde ſibi oppoſitæ varias figuras ſortiuntur, vel ſtellarum, ita ut ſinguli radii quaſi arboreſcere videantur, vel ſphærularum, inter quas ſunt aliquæ ſemiſphærulæ, coni, cylindri, quæ omnia a diverſis turbinationibus oriri Honoratus Fabri ait, quas vel admixtus halitus, vel ventus, imprimit. Totum enim caſui tribuendum eſſe hoc exiſtimat. Spicula autem rigida in nive, quemadmodum & in pruina, & radii illi arboreſcentes, eandem cauſam habent cum qualibet congelatione; ſemper enim, ubi humor rarior eſt, vel ſuperficiei affuſus, ut in feneſtris, videmus in varios radios abiiſſe materiam. Cum enim fluxus ille aquæ ſiſtitur, partes abs ſe diſcedunt, quarum contiguitas de natura fluxus erat. Abſcedentibus a ſe partibus, cum tamen humor omnis rectis conſtet particulis, ſibi junctis, in rectos quosdam ramos & radios humor videtur discedere. Sæpe etiam ventus, pro ratione pulſus ſui & fluxus ſibi coëxtendit humorem, & in ipſa coëxtenſione illum figit in glaciem. Hæc omnia explicari ſatis commode poſſunt. Quod vero hexagonam illam figuram attinet, quæ in nive conſpicitur, mirabili illa varietate ludentem, id tanti non eſſe putat Honor. Fabri, cum tamen ego maximi rem habeam momenti. Veroſimillima illa ratio eſt, quod, cum quælibet gutta ſphæricam figuram repræſenter, in omni autem congelatione fiat diſcontiguitas partium, illa autem ſubito contingat, & æqualiter premat globulos, neceſſario ſphærica illa figura diſcontinuata abit in ramos aliquos figuræ ſphæricæ proportionales. Primum enim ex globulo fit planities rotunda, preſſione enim corpuſculorum glacialium complanatur ſphæra in orbem rotundum. Eo complanato, cum partes a ſe divelluntur æqualiter, ita ut a centro verſus peripheriam ſignentur illi ramuli. Eſt tamen res magnæ multæque ſpeculationis mira illa formarum varietas & figura præciſe ſexangularis: nam ex ratione allata poterat in plures lineas diſpeſci globulus ille. Vid. Eraſmus Bartholinus in *ſing. Diſſert. de figura nivis*, (quæ ſecunda eſt in *Q q. Accad. de Naturæ mirabilibus*), & diligentiſſimus minutarum naturæ rerum ſcrutator, Rob. Hookius, *in Micrographia pag. 88.* ubi eleganti præterea diſcurſu, & plane Mathematico, illuſtrat ſexangularem illam congelandi rationem, quæ certe adeo accurata eſt, tamque affabre facta, ut

nulla

nulla ars illam ſolertiam in minimis aſſequatur, quam in natura majorem eſſe fateamur neceſſe eſt, quam ingenium apprehendere poteſt. Videmus tamen ſexangularem illam figuram naturæ familiarem in multis operationibus. Ita apis format ſibi domicilia hexagona, in cryſtallis & ſalibus easdem figuras nonnunquam deprehendimus, quas ſoli caſui adſcribere non poſſumus, cum videamus tam conſtantem naturæ proceſſum. Hæc, in genere de formatione nivis dicta, ſatis illuſtrant cognitionem ejus, in quantum illa haberi poteſt. Sunt vero multa alia, quæ circa nivem quæri ſolent, quæ integro libro proponuntur a Thoma Bartholino *in Tractatu de Uſu Medico nivis*, ubi Medica præprimis ab illo diſquiruntur, in quibus ut nos detineamur, non eſt opus. Primum, quod accidit nivi, *candor* eſt, qui nivi quidem per ſe non competit, ſed quatenus ſuperficieculæ variæ floccorum ſibi ſuperimpoſitæ, ex variæ lucis reflexione candorem aliquem oculis repræſentant, tantæ quidem efficaciæ, ut excœcare animalia hominesque poſſit, ſi frequentius in nivis conſpectu verſentur. Hinc Gotfr. Voigtius in *Curioſitatibus* ſuis *Phyſicis* problema de albedine nivis propoſuit, quam non realem ineſſe nivi ex adducta ratione exiſtimat, ſed emphaticam, cum tamen emphatici colores eo magis colores ſint, quo propius ad naturam lucis perveniant, & ex prima radiorum lucidorum miſtione oriantur *r*). Quanquam non negem, differre illos colores ab iis, qui conſtantius inhærere materiæ videntur, eſſentiæ tamen ratione nihil inter ſe differunt. Nivem agros fœcundare obſervant Agricolæ, & ratio ejus in promtu eſt, quoniam multum nitroſi ſalis ineſt nivi, ut & ſeparari illud per artem Chymicam poſſit. Nihil autem nitro præſtantius eſt ad fœcundandos agros. Refert Thomas Bartholinus de Sale quodam, ex nive confecto, qui in momento poſſit coagulare res liquidas, qualem ſe vidiſſe teſtatur Hamelius *in libro de affectionibus corporum.* Nos quidem non vidimus, ſed rem a vero alienam eſſe non putamus, cum videamus, beneficio nivis vel in media æſtate, cum additione ſalis, vel ſine eo, artificialem glaciem parari poſſe, quod aliqui etiam glacie ipſa efficiunt, ſed majorem tamen particularum glacialium copiam nivi ineſſe exiſtimarim. De pulvere coagulatorio, quo gemmæ formatæ fuerunt, vide *Epiſtolam* noſtram *de Scypho vitreo per ſonum rupto*, quæ ſi vera eſt hiſtoria, alterius originis pulvis ille eſſe videtur. Notari etiam illud cuilibet de nive poteſt, poſſe ſpiritum vini beneficio nivis diſtillari, absque igne, ſola nive alembico ſuperimpoſita, idque feciſſe Magnum Hetruriæ Ducem teſtatur J. Bapt. du Hamel, *lib. de affect. corporum, cap. de frigore.*

r) Gothofr. Vogtius, Scholarum olim Güſtrovienſis & Hamburgenſis Rector, Albedinem Nivis realem non impugnavit, *in Curioſitatibus*, uti *b. l.* traditur, *Phyſicis*, Güſtrovii an. 1668. *in* 8. & Lipſiæ an. 1698. *in* 12. excuſis, ſed *Diſſertatione Philoſophica* contra illam peculiari & ſatis prolixa, quæ Roſtochii an. 1669. *in* 8. ſeorſim prodiit. De *Figura Nivis Sexangula* conferri etiam poteſt Joh. Kepleri, Mathematici Cæſarei, *Strena* ſive *Diſſertatiuncula* ad Joh Matth. Wackerum, in Caſp. Dornavii *Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Jocoſeriæ, Tom. I. p. 751-757.* recuſa.

10 *Grando* a nive in eo differt, quod primum quidem in guttula inſenſibili congeletur, novarum deinde partium acceſſione creſcat. Primum enim ſubtiles globuli concreti, quando decidunt, ex humore, cui in deſcenſu occurrunt, ſemper novam acceſſionem habent, & quaſi novis quibusdam tunicis induuntur, ut in candelarum formatione fieri ſolet, quæ repetita immerſione novam ſemper craſſitiem acquirunt. Vulgo ſolent infimæ aëris regioni generationem grandinis adſcribere, ex eo argumento, quoniam in altiſſimis montibus nives quidem inveniantur, nunquam vero grando, quod quidem aliqua ratione verum eſt. Nam quanquam grando nivi ab initio non ſit multum diſſimilis, in deſcenſu ex occurſu particularum humidarum in ſphæricam illam figuram convertitur, quæ ſemper increſcit, prout terræ vicinior eſt. Hinc in diſſectione grandinis varias invenire licet cruſtulas, & quaſi tunicas glaciales, per intervalla ſibi circumpoſitas, pari modo, ut in candelis abſcedere ſolent tunicæ illæ ſebaceæ, e multis immerſionibus coagmentatæ, in centro autem grandinis invenire licet ſubſtantiam molliorem nivi propemodum ſimilem, quæ ſubſtantia primum principium grandini dedit. Solet interdum portentoſæ magnitudinis grando decidere, quod vel ita fit, ut ventus, cum nivem e ſublimi in inferiora præcipitat, plurimos ejus floccos ſimul compellat, & gelu in unam maſſam conſtringat, vel etiam in ipſis nubibus portiones quædam aquarum congelentur, atque ita decidant, niſi velimus ſtatuere integras nubes poſſe eſſe congelatas, & in unam maſſam per frigus conſtrictas, quarum interdum ruptura & caſus fiat; ſed rarior eſt talium fruſtorum de cœlo lapſus. Alioquin omnis grando, etiam molis majoris, ſphæricæ figuræ eſſe ſoler, vel ovalis, quod argumento eſt, non alio modo, quam communem grandinem, formari, ſed vel altius cecidiſſe, vel plus humoris obvium habuiſſe, unde craſſitiem iſtam acquiſierit. Nam ventis illud adſcribendum, quod Antonius Grandis facit, vix videtur veroſimile, tum enim hyeme frequentiores ſpectaremus grandines & majores; cum æſtate magis ſpectemus. Solet facile liqueſcere grando, quoniam humidiorem aërem inferiorem offendit, & certum eſſe argumentum frigoris ceſſaturi, ſi hyeme grando cadat poſt intenſum frigus. Indicat enim, aërem circumterraneum magis eſſe humidum, quam frigidum.

11 *Pruina* nihil aliud eſt, quam ros concretus, ut enim e pluvia grando, e vapore nix, ita e rore pruina fit. Niſi enim ex rore fieret, ex aëre cadentem videremus, quod nunquam fit, ſed quando vapor e terra ſurgit, corporum ſuperficiebus adhæret, & occurſu aëris frigidi in ſtriolas aliquas, vel ſpicula glacialia, abit, quorum baſes ſint latiores ob liquationem humoris deſcendentis. Quando enim aſſurgit vapor, cum partibus ſuperioribus allinitur, quod reſtat humoris nondum concreti, defluit in baſin.

12 Atque hæc de Meteoris in univerſum dixiſſe ſufficiat, quorum naturam putaverim ſatis eſſe declaratam, ut non opus ſit diutius his inhærere. Specialia enim omnia tangere noſtri non eſt inſtituti, & ſatis illa per ſe intelliguntur, bene cognitis generalibus. Integri quidem libri de hoc argumento conſcripti, ſed plus ſemper in illis

illis nugarum eſt, quam veræ rationis. Nic. Cabæus, *in Comm. in Ariſtotelis Lib. de Meteoris*, inter Scholaſticos & Peripateticos diligentiſſimus optimusque eſt, Libertus Fromondus, *in Libris VI. Meteorologicis*, Antwerpiæ A. 1627. in 4to excuſis, mirus nugator, quem paſſim exagitat, data occaſione, Honor. Fabri. Robertus Fluddius etiam *Meteorologiam Coſmicam* ſcripſit, ſed is more ſuo nubes & inaniá captat, παραδοξολογεῖν potius amat, quam veras rerum cauſas dare. Subtiliſſimus in iis Cartesius eſt, cujus judicio, quod Optices peritiſſimus fuerit, multum tribuitur, & unice poſt illum legendus, qui magna diligentia totam illam doctrinam excuſſit, Joh. Bapt. du Hamel *in libro de Meteoris & foſſilibus*. Eſt enim meteororum & foſſilium magna inter ſe cognatio. Multi ad meteora referunt, quæ illuc non ſpectant. Sic Mich. Watsonius *in unione ſapientiæ pag. 371.* eo refert heterogenea illa, quæ in humano corpore ſolent generari: lucem carnis ovillæ in obſcuro cubiculi angulo, aliaque prodigioſa. Sed ea ratione omnia naturæ phænomena ad meteora poſſunt referri.

CAP. XXIIX.

DE ALTERATIONE, GENERATIONE ET CORRUPTIONE CORPORUM.

§. 1. *Cenſura doctrinæ Ariſtotelicæ intricatiſſimæ de iſtis.* 2. *Inprimis ſubtilitatum inutilium de Alteratione.* 3. *Nec non de Generatione.*

Quod hoc capite nobis tractatur, id non hoc loco videbatur demum tractandum, 1
ſed potius eo in loco, ubi de elementis, & elementorum qualitatibus, agebamus. Sed quoniam illic de miſtione a nobis actum eſt, non videbatur admodum neceſſarium, multa de hoc argumento verba perdere. Nam, quæ hactenus e corporibus phyſicis tractavimus, illa ſola miſtione abſolvi poſſunt, ut & cetera illa corpora, ut non ſit neceſſum, inutilibus iſtis & perplexis liticulis Peripateticorum nos immittere, quas illi ſuper hoc argumento mira fœcunditate pariunt. Quoniam enim, velut exercitus, qualitates ſuas diſponunt, adverſus ſe pugnantes, ex varia illa qualitatum combinatione & reactione multa invenerunt ſingularia commenta, quæ ubi quis omnia magna cum moleſtia devoraverit, non inveniet tamen, quod pectus ſaturet. Quare non male fecit Joh. Sperlingius, quod ex *Inſtitutionibus ſuis Phyſicis* rejecerit alterationem illam peripateticam.

Media via procedit Honor. Fabri, qui ſemper Ariſtotelem cum recentioribus 2
Philoſophis conciliare tentat. Nam, quæ apud illum egregia ſunt, ex corpuſculari Philoſophia ad hanc doctrinam ſunt deſumta. Diſtinguit enim alterationes corporum ratione ſtatuum ſenſibilium, ut ex raritate & denſitate, ex mutatione ordinis & ſitus partium, ut cum partium poſitus diverſus, vel opacitatem, vel perſpicuitatem adfert corporibus, atque ideo illa alterat, ex figuræ mutatione in corpuſculis ſive particu-

ticulis, ex quibus corpora conſtant; id, quod probat ex Ariſtotele *lib. 1. de Generat. c. 4. text. 23.* Ex motu item & agitatione, & compreſſione & tenſione. Atque hæc omnia ſatis bene, neque opus erat ad alias qualitates confugere alterationis quaſi directrices. Ut tamen etiam Peripateticæ doctrinæ ſatisfaciat, multa circa qualitatum ipſarum potentias philoſophatur, quæ Metaphyſicis ſpeculationibus, quam Phyſicis demonſtrationibus videntur propiora, ingenioſa tamen, & ad ſententiam Ariſtotelis ſtabiliendam argute & ſubtiliter inventa. Hinc non adeo opus erat iſtis Axiomatibus: *Qualitas alterativa non agit in proprium ſubjectum: Agens poteſt eſſe magis vel minus alterativum. Ubi agens repetitur ſecundum aliam qualitatem, contrariam illi, ſecundum quam agit, illa forma eſt capax intenſionis, cujus effectus formalis major vel minor eſſe poteſt; intenſio cauſæ effectum auget ad intra & ad extra; extenſio cauſæ non auget effectum ad intra ſc. intenſive, ſecus ad extra.* Hæc omnia arguunt, neſcio quam ſuperſtitioſam ſollicitudinem, qua in demonſtrationibus Phyſicis nihil proficimus, ſunt enim vel notiones quædam generales, quas nemo in dubium vocat, vel termini quidam inutiliter multiplicati, in quorum multiplicatione admodum ſollicita eſt hæc peripateticorum Philoſophia. Quid enim opus eſt, tam ſollicite diſtinguere principia alterationis, ne dicam inepte? Tria enim principia intrinſeca alterationis faciunt, quæ ſunt 1. *privatio.* 2. *forma accidentalis vel alterativa.* 3. *Subjectum commune.* Nam absque illis terminis res tamen expediri poteſt. Privatio & forma alterativa nuda ſunt nomina, ne quid dicam de privatione, quæ nihil eſt in ſe, & inepte inter principia refertur: Communitas ſubjecti per ſe patet, quanquam & hic de ſubjecto, & varietate iſtius ſubjecti, multa eſt & intricata diſputatio. Ideoque rectius, meo judicio, faciunt, qui inconditam hanc terminorum ſylvam relinquunt, & in *figura, motu, ordine partium,* acquieſcunt. Ea enim ſub ſenſus referri poſſunt, cum cetera ſint otioſorum hominum vitilitigia.

3 De *Generatione* in communi agi etiam ſolet a Peripateticis, quæ illis definitur mutatio a privatione formæ ſubſtantialis ad formam ſubſtantialem in materia. Sed quoniam formarum ſubſtantialium exiſtentia nondum ſatis eſt demonſtrata, illis ſublatis, de tota hac definitione actum erit, ideoque non opus eſt, ut omnes illas controverſias Peripateticorum de principiis generationis, de eductione formæ e materia, de privatione, & plura alia recenſeamus. Commodior nobis de generatione agendi locus erit, ubi de *animalibus* agemus. Nam in reliquis corporibus generatione opus non habemus, quam ita generaliter accipiunt Peripatetici. Cum docent, quomodo miſtio fiat, qualitates ſuas elementares in ordinem redigunt, ex illa temperie diverſum aliquid ab elementis generari ajunt, vel elementa converti in naturam vincentis, eum in modum, quo materia combuſtibilis in ignem convertitur. Quæ tamen omnia otioſe ſunt concepta, & nulla idonea ratione demonſtrari poſſunt. Nos miſſa faciemus ſterilia illa commenta, &, poſtquam de corporibus imperfecte mixtis egimus, quæ non tam miſta, quam alterata, magnam partem dici debent, ad corpora, quæ vocant, perfecte mixta deſcendemus.

CAP.

CAP. XXIX.

DE MINERALIBUS, IN GENERE, ET AUTORIBUS, QUI ILLORUM HISTORIAM SCRIPSERUNT.

§. 1. *Metallorum & Mineralium miſtionis ratio, ejusque inveſtigandæ difficultas.* 2. *Illorum præ aliis corporibus prærogativa, & gradus diverſi.* 3. *Judicium generale de hiſtoriæ illorum Scriptoribus, & Germanorum in hanc meritis.* 4. *Joh. Webſteri* Metallographia *commendatur, & Metallographi præcipui, in tres claſſes Speculatorum, Chymicorum & Obſervatorum, diſtributi, ex iſta recenſentur.*

A Corporibus, quæ imperfecte mixta vocantur, progredimur ad illa, quæ perfecte mixta, quorum in claſſe primum ſibi locum venditant METALLA & MINERALIA. Quoniam enim illa materiæ maxime conſiſtentis ſunt, & durabilitatem aliquam ipſa particularum ſuarum textura præ ſe ferunt, arctius compacta & particulis ſuis inter ſe connexa videntur, neque tam facile deſtrui poſſunt, quam alia naturæ corpora ſubterranea. Ipſe certe locus natalis eorum arguit, plus illa ex Elemento ſuo, in quo nata ſunt, trahere, quam reliqua corpora. Maſſa enim terreſtris in eis præcipua videtur, præ reliquorum, ſi qua forte ſunt, Elementorum portionibus. Quoniam itaque rerum craſſioris ſubſtantiæ difficilior & diuturnior approximatio eſt, ideoque miſtura particularum in iis corporibus multo eſt difficilior & arcanior, quam in ceteris corporibus, quorum miſtiones deprehendi aliqua ratione poſſunt per reſolutionem vel naturæ, vel artis. At in his longe abſtruſior eſt omnis illarum miſtura, & ſicut a ſenſibus noſtris quam longiſſime corpora illa ſunt remota, in locis tenebricoſis abdita, quorſum paucis hominibus, iisque plerumque operariis & idiotis, penetrare datum eſt, ductuſque & canales naturæ per quas colliguntur eorum primogeniæ partes, tam alte ſunt radicati, mirum non eſt, ſi cœcutiat hic intellectus noſter, in obviis etiam quibuscunque ſuperficiaria contentus cognitione. Eam ob cauſam perfecte mixta, nec male ſane, vocantur, quanquam perfectæ iſtius miſtionis cognitio longe ſit imperfectiſſima, maximi tamen uſus, ſi haberi vel aliqua ex parte poſſit. Ut vel eam ſolam ob cauſam impoſſibile ego exiſtimem, ignorata mineralium natura, reliquorum corporum perfectam adipiſci cognitionem, nè quid de aſtris dicam. Illa locus ipſe ſenſui noſtro ſubduxit, reliqua corpora omnia a maſſa hac terraquea origines ſuas habent, & intra atmoſphæram globi terreni propaginem viciſſitudinis ſuæ ſortiuntur; Meteora ortum ſuum in globo terreno habent, &, ut in ſuperioribus vidimus, ſine foſſilium ſcientia non recte pernoſcuntur. Cetera omnia, quæ accidunt plantis, arboribus, animalibus, quin ex terra varias vices ſubeant, dubium non eſt. Nam & ſemina, pro ratione terrarum, quandam creſcendi promtitudinem habent, & indolem ſuam ſuſtentant, vel perdunt. Etiam in animalibus ma-

gna eſt, reſpectu terrarum, variatio, adeo ut ſpiritus huic parti terræ familiares aliter aliterque afficiant eorum corpora, ſeu propagetur ea vis per cibos, ſeu per aërem, quem ſpirando ſpiritibus ſuis ſociant. Medici certe experiuntur, magnam eſſe corporum diverſitatem, pro genio iſtius ſoli, in quo homines ſunt nutriti, vel cui per aſſuefactionem quaſi incorpôrati.

2 Sed nos forte in hac conſideratione nimii ſumus, & ad mineralia noſtra redimus, quæ ego *medullam naturæ* auſim dicere. In iis enim radices quaſi fixit natura compacta, inque ſolidum & in nucleum redacta, cum cetera corpora quaſi ſcoriæ ejus ſint, aut quædam appendices, aut quidam velut flores. Certe nullibi firmior & conſtantior eſt, quam in metallis, natura, in ceteris corporibus ambulatoria. Sunt tamen & mineralium certi gradus, neque una omnibus eſt perfectio. Aliqua enim debilius miſta ſunt, aliqua fortius & majori partium temperie, ut aurum & gemmæ, præ vilioribus metallis, mineralibus & lapidibus. In iis enim ſubtiliſſimarum particularum quaſi cribratio peracta videtur, & in tam nobilem maſſam conſolidatio arctiſſima, quæ excellentiæ iſtorum corporum optimus character eſt.

3 De iis antequam alia ſpeciatim dicamus, recenſebimus primum Autores, qui Hiſtoriam mineralem deſcripſerunt. Tanta eſt vulgo illorum Scriptorum farrago, ut omnia quis excuſſa crederet, ſi numerum aut pondus librorum ſpectaret. Sed plerique inter illos ſunt Locorum Communium Scriptores, & pauca quædam & manuaria experimenta proferunt, quæ ad noſtram mineralium intelligentiam parum conferunt. Quicquid vero ea in re præſtitum eſt, *Germanis* potiſſimum debetur, qui, occaſione multarum fodinarum, quarum ferax eſt Germania, ad opera illa invitantur.

4 Poſt omnes mineralium Scriptores Johannes Websterus, Anglus, *in Metallographia* ſua, libro Anglice ſcripto, magna diligentia collegit uno libro, non adeo ſpiſſo, quicquid apud Auctores veteres & recentiores invenire potuit, quod ad Hiſtoriam metallicam pertineret. Eo itaque velut indice uti poſſumus in Autoribus his evolvendis. Is, *cap. 2.* ejus libri, ubi de Autoribus Metallographis agit, triplicem eorum facit claſſem, commodam ſane & concinnam. Ad primam refert *Speculatores*; inter quos recenſet Ariſtotelem, Platonem, Hippocratem, Dioſcoridem, apud quos paucula quædam inveniuntur de metallis & mineralibus; Plinium ſecundum, Andream Cæſalpinum, Bernhardum Cæſium, Jeſuitam, qui collectanea vaſta, & magna volumina ſcripſerunt, nullius uſus, ad cognoſcendam mineralium naturam, vel admodum pauci. Refert & inter illos Athanaſium Kircherum, de quo (*univerſalem* illum vocans *conſcribillatorem & rhapſodiſtam*, in cujus *Mundo ſubterraneo*, mendaciis contra Chymicos pleno, nihil, præter titulum, ſit, quod promiſſa impleat) verum perhibet judicium; non enim implet expectationem illam, quam fecerat promiſſis ſuis. Magno quidem hiatu magnifica multa in *Mundo ſubterraneo* promiſit, ſed quadrat in eum illud Horatianum: *Amphora cœpit inſtitui, currente rota vix urceus exit.* Quanquam enim vaſtus liber ſit, rerum tamen inops eſt, & neceſſaria non-

nonnunquam omittit, ſuperflua multa coacervat, cramben coctam multoties recoquit, nova parca manu ſerit, multa ex aliis Autoribus deſcribit, in multis impingit, ac ipſis ciniflonibus deridendum ſe præbet. Referendi etiam huc ſunt Muſeorum ſcriptores, ut Olaus Wormius & Ulyſſes Aldrovandus, quorum ille in *Muſeo* ſuo metallicas quasdam ſpecies adduxit, hic integrum *Muſeum metallicum* ſcripſit. Sed ſunt ii Auctores non alio, quam Nomenclatorum nomine vocandi, ut qui indicant tantum res metallicas, parum de iis judicant, plus tamen conferunt utilitatis ad metallorum cognitionem, quam ſoli Speculatores. Webſterus ad tertiam claſſem Nomenclatores quidem refert metallicos, qui tamen potius ad primam eſſent referendi, quanquam Aldrovandi nullam mentionem fecerit, quem puto illi fuiſſe incognitum. In ſecunda claſſe ponit *Scriptores Myſticos* ſeu *Chymicos*, quorum iterum duas claſſes facit, primam illorum, qui de vulgari Chymia ſcripſere, quos enumerat, Joſ. Querceranum, J. Dan. Mylium, J. Beguinum, Ang. Salam, Joh. Pet. Fabrum, Henr. Nollium, Andr. Libavium, e tam vaſto numero, cum longe plures nominare potuiſſet, imo ſexcentos. Sed tamen illi ad Myſticos Scriptores non pertinebant. Ad illos, qui de Myſtica Chymiæ parte, transmutatione ſc. metallica, ſcripſerunt, refert Morienem Romanum, Arnoldum de villa nova, Albertum M. Raymundum Lullium, Rogerum Baconem, Thomam Northonum, Georgium Riplæum, Auctores *Roſarii Philoſophorum* & *Muſei Hermetici*, Mich. Sendivogium, Bernhardum Treviſanum, Baſilium Valentinum, Theophr. Paracelſum, J. Bapt. Helmontium. Sed hi longe pauciſſimi ſunt ex vaſto illorum numero. Plura nos de his Auctoribus diximus *in Epiſtola* noſtra *de metallorum transmutatione*. In tertia claſſe ponit *Obſervatores experimentales*, qui ipſi acceſſerunt fodinas, & hiſtoriam omnium operum metallicorum ſcribunt, quorum princeps eſt GEORGIUS AGRICOLA, Vir doctiſſimus, qui maxima diligentia omnem rem metallicam, omnesque operationes, perſecutus eſt, primusque inter Germanos in opere *de re metallica* (Baſil. 1561. *in fol.*) & *Lib. de ortu ac cauſis ſubterraneorum* (Witteb. 1612. *in 8vo*). cum cura hoc argumentum tractavit. Secundas tribuit JOH. MATTHESIO, qui, in *Sarepta ſua*, Concionibus quædam immiſcuit metallica. Tertias JOHANNI KENTMANNO, qui ſcripſit *Nomenclaturam foſſilium inventorum in Miſnia, aut aliis regionibus.* Hinc CASPARUM SCHWENCKFELD nominat, qui ſcripſit *Catalogum foſſilium Sileſiæ*, CHRISTOPHORUM ENCELIUM, qui librum reliquit *de re metallica*, vehementer ipſi laudatum, & ANDREAM SOLEAM, a Meiero commendatum, cujus eſt liber germanicus vom Urſprung der Metallen, qui ſub Baſ. Valentini nomine prodiit. Ceteri, quos nominat, huc non pertinent. In hac tamen claſſe, præcipuos aliquos omiſit, nempe LAZARI ERKERI, (omnium optimi & fideliſſimi obſervatoris) Probier-Buch, quo nemo luculentius ἐγχειρήσεις metallicas deſcripſit, CHRISTOPHORUM LÖHNEISEN, qui Germanica lingua von Bergwercken ſcripſit, ipſe artifex metallarius, & prolixus in eo argumento, PET. ALBINI Meißniſche Berg-Chronicke, quo in libro recenſetur foſſilium Miſnicorum hiſtoria, quam diligentiſſime, a prima origine per annos ſuos

deducta, ZACHARIÆ THEOBALDI *Arcana naturæ.* Scripſit & MODESTINUS FACHSIUS Germ. lingua librum, cui titulus; Probierbüchlein. Addi poterant alii quoque Scriptores, quos, vel non vidit, vel incuria quadam prætermiſit.

CAP. XXX.

DE VARIIS TERRARUM GENERIBUS.

§. 1. *De terris hic agitur minerali ſucco imbutis, ad quarum cognitionem commendatur Ferr. Imperati* Hiſtoria Naturalis. 2. *Argillæ in ferrum transmutatio, a Joh. Joach. Becchero credita, impugnatur.* 3. *Unde vires terrarum. Haud tantæ illæ ſunt, quantæ vulgo creduntur.*

1 Terram Elementum eſſe corporum, plerisque Philoſophis ſupponitur. Ideoque, quatenus Elementum eſt, ad mineralia & metalla non poteſt referri. Solet tamen ad mineralium claſſem referri terra, ſed, quatenus ſucco aliquo minerali imbuta eſt. Inter corpora enim ſolidioris naturæ cum primum ſe offerat terra, matrix mineralium, ea primo loco inter mineralia referenda eſt. Imbuitur autem illa variis ſuccis mineralibus, ſuntque talis TERRÆ VARIÆ SPECIES, de quibus etiam in vulgaribus Compendiis operoſe ſane a multis agitur. Vid. *Syſtema Phyſicum Gothanum.* Præcipue vero magna diligentia collegit, ex omnibus Scriptoribus metallicis, varias terrarum ſpecies, easque luculenter deſcripſit FERRANTES IMPERATUS, Scriptor Italus, *in Hiſtoria naturali*, lingua Italica conſcripta, cujus ea in re labor ita omnia abſolvit, ut vix addi aliqua poſſe videantur, niſi quæ forte in *Ephemeridibus Anglicis* habentur de quibusdam terris relationes. Et nos quoque ſupra aliqua de hoc argumento diximus, ut non ſit neceſſum, hic illa repetere.

2 Vulgatiſſima terrarum ſpecies eſt *Argilla*, unde figulina conficiuntur opera, cujus nuper *Joh. Joachimus Beccherus* voluit oſtendere in ferrum transmutationem, edito ſuper hoc argumento libro ſatis prolixo, quem ego tamen falli ſua obſervatione exiſtimo. *s*) Nam forte ſeparavit ex argilla aliquas ferri particulas argillæ interſperſas. Solet enim ferrum omni argillæ, & omnibus vulgaribus etiam lapidibus ineſſe, uti obſervavit dudum Guilh. Gilbertus *in libro de Magnete*, & præterea ipſe color flavus oſtendit, ochræ vitriolicæ teſtis, quæ ferro plerumque adeſſe ſolet, & ex Martis vitriolo quam copioſiſſime conficitur.

E ſa-

s) Ad ea, quæ Autor, non *h. l.* ſolum, ſed & *in epiſt. de Transmutatione Metallorum*, an. 1673. edita, *p. 82. 83.* adverſus Joh. Joach. Beccheri de Argillæ in Ferrum Transmutatione ſententiam, diſputavit, nonnulla, niſi memoria me fallit, regeſta ſunt a Beechero *in Supplemento Phyſicæ ſubterraneæ Secundo*, an. 1678. publicato, & nuper cum ipſa *Phyſ. Subterr.* Halæ Sax. recuſa.

E ſalibus metallicis, & præcipue vitriolo, plerumque terræ iſtæ præcipuas 3
ſuas qualitates habent, & vel ſolum vitriolum varii coloris mire ludit in tingendis terris, quanquam & quibusdam Mercuriales quædam qualitates, aut ſulphureæ, ineſſe poſſint, de quibus ſingulis hic agere nimis foret prolixum, cum, præter vulgata, & ab aliis notata, vix afferre quicquam poſſimus. Legi poteſt GERH. JOH. VOSSIUS *in Phyſiologia Chriſtiana*, qui, ut pleraque Philoſophiæ naturalis capita complexus eſt, ita & hoc in argumento collegit, quæ, vel apud veteres, vel apud Scriptores ſui temporis, inveniebat rariora. Medici quibusdam earum ſpeciebus magnam vim tribuunt, quam quidem in dubium vocare nolim; certum tamen eſt, plus ſæpe ineſſe iis rebus ſuperſtitionis, quam veræ experientiæ. Quot non de gemmis circumferuntur ſuperſtitiones, quibus tamen Viros etiam doctiſſimos paſſim implere libros videas?

CAP. XXXI.

DE LAPIDIBUS, EORUMQVE GENERATIONE, PETREFACTIONE ET CORPORIBVS PETREFACTIS.

§. 1. *Methodus detegendæ conſtitutionis corporum, præcipue ſubterraneorum, per Analyſin, commendata.* 2. *Obſervata illa eſt a Nicolao Stenonis* in Prodromo Diſſertationis de ſolido intra ſolidum naturaliter contento, *cujus prolixus exhibetur recenſus.* 3. *Stenonis, Bernh. Paliſſii, Henr. de Rochaz & Thomæ Schirlæi, de cryſtallis & lapidibus ex aqua concretis, ſententia.* 4. *Refutatur ea, &, ad generationem lapidum, cryſtallorum, metallorum, præter aquam, ſuccum etiam viſcoſum requiri, oſtenditur.* 5. *Quid de corporibus petrefactis judicandum, dubiis magnam partem, & non geminis.*

Quandoquidem Mineralia terræ producta ſunt, ideo conſiderandum nobis 1
primo erit; *an illa terræ producta dicantur, vel ratione loci, vel ratione cauſæ.* Terram autem locum præbere mineralibus in confeſſo eſt, cauſam an præbeat, incertum, ita, ut ab ea ſola dependeat. Ex ejus tamen conſideratione in aliquam cauſæ cognitionem deduci poſſumus per viam ἀναλύσεως, qua quam tutiſſime proceditur in corporum conſtitutionibus detegendis. Aliquam certe cognationem cum loco, cui connexa ſunt, habent corpora, aut aliquod facere indicium poſſunt primæ illius compactionis, minimum illud, an ex ſolido, an ex liquido, concreverint corpora, eo in ſtatu reperta; ubi figura ſuperficierum & ratio contiguitatis in corporibus in conſilium adhiberi debent, atque ex iis judicium inſtitui de prima partium illarum coagmentatione. Non memini, iſtam methodum ab ullo Phyſicorum fuiſſe tentatam, cum tamen ſimpliciſſima ſit, & maxime naturalis ac demonſtrativa. Iis enim quaſi veſtigiis quibusdam, a natura impreſſis, incedendum

dum eſt, cum alioquin diffuſa difficilisque ſit earum rerum comprehenſio. Quemadmodum ſc. in animalis naturæ cognitione procedimus, ut per anatomen indagemus primas humorum ſecretiones, liquidorum a conſiſtentibus intervalla, ichnographias ramulorum, quas natura delineavit quaſi quædam ſtamina texturæ totius corporis, poſtea nova occaſione materiæ vel conſolidanda, vel extendenda, vel novis corporibus incruſtanda; ſimili modo in productis ſubterraneis procedi poſſe nullum eſt dubium, ſi modo ita ſemel ſimulque objici oculis poſſint tam vaſtæ corporaturæ, quæ ſeculis ſolent demum elaborari, & intra terræ carceres formantur, ingenio humano non perſpiciendos, & forte non alia intelligentia cognoſcibiles, quam quæ ipſa hæc ordinavit, & primum illum motum impertita eſt.

2 Devenit tamen ad illas cogitationes non ita pridem ſubtiliſſimus Vir, Nicol. Stenonis, acutiſſimi homo ingenii, qui multa vidit in rerum natura, in quibus alii cœcutiunt. Is, occaſione quæſtionis, a Magno Hetruriæ Duce ſibi propoſitæ, de conchyliis & rebus maritimis, in locis mediterraneis repertis, Diſſertationem inſtituit *de ſolido intra ſolidum naturaliter contento*, cujus ille *prodromum* edidit, ex quo, velut ex ungue, leonem judicare poſſumus. In tota illa Diſſertatione id præcipue agit & tractat, quomodo corpora illa varia, quæ ſub terra reperiuntur, concreverint. Id ut explicet, magna diligentia conſiderat locum eorum, in quo reperiuntur, quomodo ſcil. iſte corpora includat, quibus ſuperficiebus illa contingat, an planis & lævigatis, an aſperis, an totis, an quibusdam earum partibus, e quorum omnium accurata collectione Mathematicis ratiociniis demonſtrare laborat, quomodo hæc corpora, ſecundum has vel illas ſuperficies, ita figurata in hoc loco potuerint coagmentari. Atque in iis omnibus ita procedit, ut, poſitis quibusdam propoſitionibus, quaſi Mathematicis, ſententiæ ſuæ, velut quædam concluſiones, ex iis ſequantur. Illud problema Univerſale ejus eſt, quod tota *ſecunda parte Diſſertationis ſuæ* pertractat, cujusque *in Prodromo ſuo* tantum, velut lemmatis alicujus, meminit: *Dato corpore, certa figura prædito, & juxta leges naturæ producto, in ipſo corpore argumenta inveniri, locum & modum productionis detegentia.* Propoſitiones ejus ſimpliciſſimæ ſunt, ex quibus concluſiones ſuas educit. Prima eſt: Si corpus ſolidum alio corpore ſolido undique ambitur, illud ex iis primo induruit, quod, in mutuo contactu, ſua ſuperficie alterius ſuperficiei proprietates exprimit. Hinc conſectaria ſua educit: 1) In illis terris, vel ſaxis, quæ undique circumdant & continent cryſtallos, marcaſitas, teſtas animalium, & alia corpora, levi ſuperficie prædita, jam tum induruiſſe illa corpora, quo tempore terrarum ſaxorumque, illa continentium, materia etiamnum fluida erat, adeoque ex illis colligi poſſe, non terras vel ſaxa produxiſſe contenta in illis corpora, imo ne quidem extitiſſe, quo tempore eadem corpora ibidem producta fuerunt. Colligit 2): Si cryſtallus cryſtallo, marcaſita marcaſitæ, includitur, jam tum induruiſſe contenta illa corpora, quando corporum continentium pars etiamnum fluida erat. Colligit 3), in illis terris & ſaxis, quibus teſtæ cryſtallinæ, argenti, antimonii, &c. continentur, continentia corpora jam tum induruiſſe, quo tempore con-

contentorum corporum materia etiamnum fluida erat, adeoque marcasitas primum productas esse, inde lapides, quibus includuntur marcasitæ, tandem venas minerium, quæ lapidum fissuras replent. Tertia ejus propositio hæc est; si corpus solidum secundum naturæ leges productum est, e fluido productum est. Crescit illud, dum particulis ejus novæ apponuntur particulæ, ab externo fluido secretæ. Fieri autem appositionem hanc, vel a fluido externo immediate, ait, vel mediante fluido interno, uno vel pluribus, quæ omnia eleganter illustrat, comparatione corporis humani cum productis terræ institura. In omnibus locum productionis accurate inspiciendum docet, i.e. corpora vicina, quæ ad inclusorum productorum figuras componenda.

De *crystalli productione* multa subtiliter disquirit Steno, an inter fluidum & fluidum, vel inter fluidum & solidum, an vero in ipso fluido, producatur. Nam e fluido productam esse, dubium illi nullum est, frigore tamen concretam, at e cineribus, ignis vi, in vitrum exustam negat. Putat enim, etiam absque ignis violentia fieri vitrum posse, etiam humano artificio, modo quis instituat accuratam analysin saxorum, in quorum cavitatibus optimæ crystalli formantur. Certum enim esse putat, ut ex fluido concrevit Crystallus, sic in fluidum eandem posse resolvi, modo quis verum naturæ menstruum imitari norit; fluidum autem, in quo crystallus crescit, eodem modo se habere ad crystallum, quomodo aqua communis se habet ad salem. Ejusdem sententiæ plures alii quoque sunt. Nam Bernhardus Palissy, Gallus, libro patria lingua scripto *de natura fontium, metallis*, &c. ex aquis metalla, & lapides produci vult: aquas autem duas statuit, alteram materialem, alteram congelantem. Henricus de Rochaz, popularis ejus, qui de eodem argumento etiam aliqua scripsit, aquam quidem materiale rerum principium facit, sed salem illi adjungit, principium consolidans corpora. Thomas Schirley, in peculiari *libro de causis lapidum*, eos oriri putat ex aqua & seminibus suis, quod certe est nihil dicere. Nam illa semina nos quærebamus. 3

Ut sententiam meam aperiam, nec lapides, nec metalla, e sola aqua simplici posse produci credo. Metalla, quia corpora habeo secundum mista, quæ decomposita alii vocant, in partibus suis constituentibus, primo mistis, agnoscunt fortassis liquorem primogenium, sed qui in ipsa specifica metallorum productione non apparet. Quod ad crystallorum ex aqua concretionem spectat, nondum ita illa expedita est, ut putabat Stenonius, non pauca enim supersunt dubia. Ipsa earum fragilitas testatur, minus ineſſe iis humoris, quam ipsis metallis. Bernhardus Palissy per aquam congelantem nihil aliud, quam salem intelligit, ut explicat Sorellus, aut aliquam substantiam lapidificam & incrustantem, quæ ab aquæ natura diversa est, ut vel inde pateat, crystallum non esse corpus ὁμοιομερὲς, seu similium partium. Peirescius, teste Gassendo *in ejus vita*, crassam satis communium lapidum misturam invenit, quando ex aqua limum viscosum eruit, ad contactum aëris in lapidem abeuntem. Ita poterant & in metallis diversi succi, vel terræ, sed 4

natu-

natura purioris, miſceri. Si aquarum veſtigia in cryſtallorum incunabulis invenit Stenonius, non ſequitur tamen, inde fuiſſe productas cryſtallos. Nam poterant aquæ vehiculorum vice fungi, quæ materias earum conſtitutivas ad loca illa deferrent, extra autem corpus ipſum conſiſtebant. Tum & illa aſſertio, cryſtallos poſſe per liquorem ſolvi, quia ex liquore productæ ſunt, admodum incerta eſt, cum non perpetuum ſit, ex ſolventibus rem aliquam eſſe productam, & non ſatis certum, cryſtallos ſolvi poſſe. Neceſſario itaque materia lapidum nobis reponenda eſt in ſucco aliquo ſpecifico, & per naturam ita præparato. Quod certo cum dicimus, profiteri non erubeſcimus, non ſatisfacere illam rationem curioſis ingeniis; ſed ſervanda illa eſt, usque dum meliorem doceant alii. Nam ex ſubtilitatibus illis, quas affert Stenonius, utut ſatis argutæ ſint, & mathematico plane ordine procedant, nondum tamen res confecta eſt. Quanquam id libenter concedamus, inter prima lapidum elementa aquæ eſſe præcipuam partem, ſed, cum in natura miſtionis multa conſiſtant, ideo oportet, ex ſolido aliquo principio, & ex aqua, primo materiam mediæ naturæ, inſtar ſucci eſſe inſpiſſatam, quæ poſtea in lapidis duritiem abiit, humore arctius cum particulis arcuatis unito. Aliquam certe ideam talis miſtionis in operibus gypſatis deprehendere poſſumus, quæ ſola affuſa aqua, in duritiem aliquam abeunt, non tamen ſatis conſtantem, quoniam abeſt viſcoſitas illa, quæ magis continet partes. Unde videmus, cum oleo imbuitur iſta materia, vel aqua glutinoſa, eam duritiem lapideam acquirere. In ceteris vero lapidibus durities illa & tenacitas, non ab aqua ſola, non a particulis terreis, ſed a quadam viſcoſitate eſt, in quam multis, vel circulationibus, vel aliis miſturis nobis incognitis, aquam illam natura inſpiſſavit, vel multo tritu particulas magis illi uniens, vel tertium etiam aliquod unctuoſæ naturæ, nobis incogitum, illi addens. Ut itaque ex eo appareat, nihil veroſimilius dici, quam ſi ſuccum lapideſcentem proximam lapidis materiam faciamus. Proceſſus iſte, quomodo veroſimiliter ſuccus ille producatur a natura, ſatis ingenioſe deſcribitur ab Honor. Fabri *tr. 7. prop. 7.* qui & in ceteris rariorum lapidum, communium, ut marmorum, lapidis Lydii, ſilicum, cotis, pumicis, tophi, calculi in corpore humano, texturam magna induſtria explicat.

5 Quod petrificata corpora attinet, certum eſt, eſſe quosdam fontes, qui lapideam naturam videantur induere rebus non lapideis, & oſtenduntur multa in muſeis paſſim corpora petrefacta, quæ omnia tamen ego non genuina eſſe exiſtimo. Nam & raritatem aliquam, aut novitatem, fraudibus doctis interdum venari ſolemus, ut veritatem Theologi interdum fraudibus piis. In illa omnia ſpecialius inquirendum eſt. Utut enim non negem, incruſtari quædam corpora poſſe cruſta aliqua lapidea, tota tamen, quanta quanta ſunt, mutari in lapides poſſe, res eſt creditu admodum difficilis, niſi forte tanta ſit copia particularum lapideſcentium, ut ita penetrent minimos etiam corporum receſſus, & ſingulis particulis ſe circumponant. Sed, neque tum tamen concipere poſſumus, quomodo ſubſtantia nova, & ſatis ponderoſa & multa, eidem corpori miſceri poſſit, ſalva manente ejus figura, niſi forte novæ illæ particulæ adve-

advenientes simul constringant molliores quasdam corporum immutandorum particulas. Vid. D. Joh. Dan. Majoris *Epistola de Corporibus petrefactis* t).

CAP. XXXII.
DE MAGNETE.

§. 1. *Virium ejus causam reddere arduum, quæ nec ad internam virtutem, cum J. C. Scaligero, nec ad similitudinem ejus ac ferri, est referenda.* 2. *Guilh. Gilberti* Lib. de Magnete, *ac Observatt. de virtute totius globi terrestris Magnetica, indeque enata magnetica recentiorum Philosophia, a Nic. Cabæo, Nic. Zucchio, Jac. Grandamico & Athan. Kirchero, exculta. Ren. Cartesii & Hon. Fabri, vires Magnetis ad effluvia externa referentium, sententia recensetur & approbatur.* 4. *Disquiritur, an magnes, igne candefactus, vim ferri attractivam amittat. Variatio declinationum acus magneticæ.* 5. *Judicium de Vinc. Leotaudii* Magnetologia. *Alii de Magnete Scriptores, Henr. Nicolai, Laur. Reael, Verulamius, Petitus, Joh. Frid. Herwarti de eodem ineptiæ.*

Inter reliqua lapidum genera facile palmam, ob mirabilem suam virtutem, reportat MAGNES. Occasionem certe præbuit vastis voluminibus, quibus quidem operose satis inquiritur de iis, quæ circa illum notanda sunt, e g. de *conversione ad septentrionem*, *declinatione*, aliisque mechanicis artificiis, quæ super virtute magnetis fundantur. In veris autem causis earum rerum indagandis, præter occultas aliquas qualitates, nihil magnopere scitu necessarium nos docuere. Jul. Cæs. Scaliger, mirum quantum subtilis, adeo acutum non cernit, ut veram virium magneticarum causam nos docere possit. Nihil enim aliud ab illo accepimus, quam quod ab interna potius virtute, quam externa, existimet, motum illum procedere, veluti movetur catulus ad mammillam, & anima nostra ad beatitudinem, ab intimo principio, quod summi boni appetit fruitionem. Qualis Philosophia, & quidem tam sancta, mirum, quomodo in lapides jam sit propagata. Tantum sc. abest, ut ab interna virtute procedat, ut ab externa potius illud provenire longe sit verius, ut e sequentibus videbimus. Aliqui solam similitudinem, in Sympathia, quæ inter magnetem est & ferrum, pro causa nobis venditarunt, quod certe nihil est dicere, cum sic in ceteris etiam corporibus similitudo eosdem effectus parere debeat. 1

Primus

t) D. J. Dan. Majoris, Prof. Medici Kilonienſis, *Diss.* quæ *h. l.* allegatur, *De Cancris & serpentibus petrefactis, ad D. Phil. Jac. Sachsium, Epistolica*, una cum Sachsii Responsoria *de Miranda Lapidum Natura*, Jenæ 1664. *in 8vo* prodiit. Pollicetur in ea, & breviter *p. 13. ac seqq.* delineat, *Lithologiam* sive *Tr. de Corporibus Petrefactis* integrum, quem tamen absolutum ab illo esse vix credo.

2 Primus in hoc argumento diligenter excolendo fuit Anglus, WILHELMUS GILBERTUS, qui in experimenta ſuper uno hoc ſubjecto mire accurata quinquaginta nummorum millia, ut Harvæus refert, impendit, edito in lucem libro, (cui Tit. *Philoſophia nova de Magnete, Magneticisque Corporibus, & de magno Magnete Tellure* Amſtel. 1600. *in fol.*) quo primus demonſtravit, virtutem magneticam terreſtri globo a natura inſitam, atque adeo terram magnum eſſe magnetem, ut magnes eſt parva terrella. Quæ obſervatio, quanquam integram magnetis naturam non demonſtret, viam tamen pandit ad cogitationes quasdam ſecretiores, & latius patentes. Nam ex eo id ſequitur, virtutem illam latius diffuſam eſſe, quam in ſolo illo lapide, ut fides amplius non habeatur fabulis illis veterum, neſcio quas magneticas rupes fingentium, aut cœli cujusdam plagam, & ſideris cujusdam influxum in rei hujus cauſam vocantium. Quos inter Rogerius Baconus quoque eſt, qui, in *Ep. de virtutibus Magneticis*, cœlum terræ miſcet, a cœlo virtutes iſtas derivando, cum poſſet a Terra. Statim ergo, poſt Gilbertum, quaſi nova quædam de magneticis Philoſophia cudi cœpit, ut ſunt hodieque multi homines ita animati, qui una ſuper obſervatione tota ſæpe Phyſices Syſtemata fundant. Gilbertus nihil aſſeruit, niſi quæ experimentis comprobata fuerunt. Poſtea illum tamen inſecuti ſunt Nic. Cabæus, Nic. Zucchius, Jac. Grandamicus, Athan. Kircherus, Jeſuitæ, qui vaſta de re magnetica Opera ediderunt, id præcipue agentes, inprimis Cabæus & Zucchius, ut ad principia, juxta Philoſophiæ leges, reducerent Gilbertiana experimenta. Grandamicus ſingulari Opuſculo terræ immobilitatem ex virtute magnetica demonſtrare conatus eſt. Quod ſcriptum ejus Henr. Power refutavit *Parte III. Philoſophiæ Specialis*, Lond. A. 1664. *in 4to* editæ. Kircherus, ſicut ſolet, per omnia hujus tractationis cognata ſe diffudit, nam non ſolum anteriorum ſcriptorum ratiocinia collegit, ſed & omnia, quæ in natura analogiam quandam magneticam præ ſe ferunt, eo retulit, additis variis laboribus mechanicis, ex operationibus magnetismi erutis.

3 Poſt tot tamen labores non ſatis inquiſita fuit magnetis natura, & nihilominus obſcura relicta fuerunt earum operationum principia. E modernis, Kenelmus Digbæus magnetem credidit ex atomis generari, ab utroque polo fluentibus, ac per emanationem operari, quæ ſententia mihi haud probatur. Præ ceteris aliquid ſapere hic viſus eſt *Carteſius*, latius vibrans mentis ſagaciſſimæ oculos, quam alii ante ipſum Scriptores. Obſervavit ille ſc. virtutem illam, qua ferrum attrahit magnes, aut in polum convertitur, non in ipſo eſſe magnete, niſi ſolummodo paſſive: Principium autem dirigens, & motum illum exercens, extra ipſum, vel lapidem, vel ferrum, eſſe conſtitutum. Per illum itaque pro certo poſitum eſt, externam aliquam naturam fluidam ea via ferri ab auſtro ſcil. ad ſeptentrionem, eamque poris magnetis, vel ferri, ita ſe inſinuare, ut ſimul ſecum in eandem viam dirigat, quæ poſtea etiam remanet in minimis particulis magnetis, quæ ferro affricantur. Ex eodem principio cenſenda eſt provenire virtus illa attractrix. Materia enim fluida, per magnetis poros tranſiens, dum ferrum offendit, ſimili ratione per ferri poros tranſire laborans, dum non recte ſibi oppoſitos incurrit, eos ita dirigit, ut accedere ad magnetem ferrum

rum videatur, & accedente ſubinde nova particularum copia, & poris recta via oppoſitis, particulæ illæ ſtriatæ quaſi ferrum induant, atque ita firmiter magneti ipſi apponant. Id enim certum eſt, magnetis & ferri eſſe pene eandem ſubſtantiam, unde *Honor. Fabri* magnetem facit corpus mixtum ex materia lapidea & metallica. Et hic doctiſſ. utique & ſagaciſſ. Vir eandem hypotheſin Carteſianam ſequitur, quamvis aliter proponat. Id autem ita exacte & mathematica plane ratione facit, ut in dubium vocari non poſſit, *Tract. 7. lib. 1. propoſ. 34.* Poſtquam multis aliis viam muniverat ſuæ aſſertioni, hac analogia rem demonſtrat. *Cogita*, inquit, *ſuberis fruſtum innumeris fere acubus ferreis, magnetica vi inſtructis, in parallelis, quanquam inſenſibilibus, confixum, illud haud dubie ſuos polos, ſuosque aſpectus, habebit, &c.* Quo certe exemplo elegantiſſime illuſtrare totam hanc materiam videtur, quamvis in materiam ſtriatam Carteſianam propendere non videatur. Interim tamen ſimile aliquid principium agnoſcere videtur. Sed tamen non tam generale ac univerſale, quale Carteſius. Proponit autem totam hanc doctrinam admodum luculenter & perſpicue, & plane methodo mathematica, ut ſane rectiore via & planiore nemo facile hic procedere poſſit.

Cetera, quæ ſpectant ad magnetem, declinationes ejus, diviſiones ſecundum polos, & alia, mathematica plane ſunt, vel mechanica, & ſollicite jam tum ab aliis notata. Multa præterea fabuloſa referri ſolent de magnete. Solent & illud inter obſervata referre, vim omnem ſuam deponere magnetem, ſi igne candefiat, quod tamen non usque adeo verum eſſe, produnt *Acta Philoſophica Anglica p. 406. Edit. Lipſ.* Quanquam Honor. Fabri rem extra controverſiam eſſe exiſtimat. Eatenus tamen veritas conſtat huic obſervato, quod ſcil. virtus illa attrahendi in magnete aliqua ex parte fuerit imminuta, ac potuit fortaſſis magnes ille fuiſſe validior, quam iſti, in quibus alii experimenta fecere, qui totam hanc vim omnino depoſuerunt. Nam inter magneres magnam eſſe differentiam, multi Autores notant. Ceterum in declinationibus acus magneticæ mira eſt varietas, ut eam ſæpe notavit Rob. Boylius, in exiguis milliaribus notabiliter variaſſe, cujus ille cauſam adæquatam dare non potuit. In *Actis Philoſophicis Anglicis* multæ, quæ variationem illam ſpectant, paſſim ſunt Obſervationes. 4

Scripſit & VINCENTIUS LEOTAUDIUS *Magnetologiam*, Lugd. Gall. A. 1668. *in 4to* editam, *in qua*, ut titulus habet, *exponitur nova de magneticis Philoſophia*, quæ tamen mihi quidem non multum adferre videtur novi, ſed doctrinam hanc intricatiorem, quam ante fuit, relinquere. Accurate tamen omnia illa artificia magnetica exponit, & *lib. 1. cap. 4.* prolixe agit de vi magnetica ferro communicanda absque magnete, unde probat ille totius terræ virtutem eſſe magneticam. Congeſſit quoque *Henr. Nicolai*, in exigua *Diſſ.* (Dant. 1641. *in 4to,*) varias de hoc argumento quæſtiones. *Laur. Reael*, celebris Batavorum Navarchus, Amſtelod. A. 1651. *in 8vo* edidit, Onderſinding van de Magnetſteen, en de magnetiſche Kracht der Aarden, Libellum quidem exiguum, ſed in quo experimenta non contemnenda, notisque 5

Latinis a Caſp. Barlæo illuſtratum, ab erroribus tamen ſuis haud immunem. Inter poſthuma Verulamii peculiaris reperitur *Inquiſitio de Magnete*, in qua cogitata ſua profert, & Qq. exponit, ad quas inſtitui Experimenta Magnetica poſſint, quales etiam in *Transact. Angl.* paſſim leguntur. Dn. *Petiti*, bellicis in Gallia munitionibus præfecti, *Diſſ. de Magnetica declinatione, ejusque variatione, Aſtronomiæ Phyſicæ* J. Bapt. Hamelii eſt addita. Legi etiam merentur, quæ de motu in natura magnetico *J. Alph. Borellus*, ſub finem Operis *de vi Percuſſionis*, philoſophatur. Ingenioſe ſtultus fuit Joh. Frid. Herwartus, qui *in Admirandis Ethnicæ Theologiæ myſteriis propalatis*, Ingolſtad. A. 1623. *in 4to* editis, Magnetem olim pro Deo cultum, Philoſophiamque Magneticam, & Myſterium Pyxidis Nauticæ, ſub omnibus Gentilium fabulis a ſacerdotibus fuiſſe occultata, operoſe evincere eſt conatus. Quo quidem nihil poterat excogitari ſtultius, cum ne minimum quidem apud Autt. veteres Pyxidis iſtius notetur veſtigium.

CAP. XXXIII.

DE LAPIDIBUS PRETIOSIS.

§. 1. *Gemmarum præſtantia & prærogativa præ lapidibus. Varii de illis Scriptores.* 2. *Ceteris præfertur Rob. Boylius, cujus ſententia de Gemmarum generatione, conſtitutione & ſolutione, cum Nic. Stenonio ipſi ferme communis, recenſetur.* 3. *Quid de Gemmarum viribus & motu inteſtino judicandum?* 4. *De Adamantibus, ceterisque Gemmarum ſpeciebus, nonnulla.* 5. *De Margaritis item,* 6. *Ac Coralliis, Lignoque foſſili.*

1 Vidimus plebejos lapides, veniamus ad Regios, & ob raritatem præ ceteris æſtimandos. Sunt enim ſane nobilioris naturæ & compoſitionis, neque a ſolo pretio & æſtimatione dignitatem ſuam accipiunt. Miſtio enim longe perfectior eſt, & ſingularis eorum textura arguit longinquitatem productionis, & eam ob cauſam naturam nobiliorem. Niſi enim particulæ ſubtiliores eſſent, & longo tempore longisque circulationibus naturæ excoctæ, & in talem maſſam ſubactæ, non tam ſplendida forma & durabili corpore apparerent; nulla enim alia corpora his virtutibus prædita videmus. De iis Scriptores ſunt multi, ſed innumeris fabulis referti, ut vix liqueat, quid in illis ſincerum ſit, aut pro vero & demonſtrato debeat haberi. Anshelmus Boëtius a Boot, Marbodæus, Franc. Ruæus, Hier. Cardanus, Joh. de Laet, Albertus M., integros de illis libros ſcripſerunt, inter quos Boëtii a Boot liber optimus videtur; reliqui enim miris ſunt fabulis & ſuperſtitionibus referti. Nuper etiam aliquis Thom. Nicolorius, Anglus, de eo argumento ſcripſit, qui liber in Germanicam quoque linguam converſus eſt. Ul. Aldrovandus quoque *in Muſeo Metallico* varias earum ſpecies, cum Iconibus, repræſentat, ſed is de formis & figuris earum magis ſollicitus. Prodiit ante aliquot annos liber Gallica lingua,

lingua, exiguus quidem, ſed magnæ utilitatis, ſub Tit. *Hiſtoire des Joyaux, & des Principales Richeſſes de l' Orient & de l' Occident, par le Sr. Chappuzeau*, cujus argumentum *Tranſact. Angl. p. 429. & ſeqq.* recenſent. Ex eo enim bene perdiſci poteſt res gemmaria, quoad notas loci natalitii, & rationem valoris.

Poſt illos omnes Rob. Boylius, ſagaciſſimus naturæ Indagator, ſingularem 2
libellum ſcripſit *de origine & virtutibus gemmarum*, elegantem ſatis & curioſum, cujus hæc ſententia eſt; Gemmas pellucidas aliquando ſubſtantias liquidas fuiſſe ait, quæ ſi tincturis quibusdam mineralibus, dum fluidæ vel molles ſunt, imbuantur, colores, pro ratione mineralis obvii, acquirant. In opacis gemmis, cujus generis ſunt Hæmatitæ, Jaſpides, Onyches, ſimilesque lapilli, terram, metallicis ſuccis imprægnatam, acceſſione liquoris petreſcentis, ſeu ſpiritus petrifici, in lapidis formam coagulari putat, & hos ſpiritus petrificos opinatur aliquando aſcendere in forma vaporum. Unde probabiliter deducit, non tantum diverſas virtutes medicinales talium lapidum, ſed & alias quasdam illorum qualitates, ut colorem, gravitatem. Hinc evenire exiſtimat in lapidibus alterius generis, vel Marcaſitis, vel ipſis vegetabilibus & animalibus ſubſtantiis, repertos fuiſſe alios lapides. Quandoquidem ſubſtantiæ illæ facile concipi poſſunt terræ incluſæ, dum adhuc eſſent terra mineralis vel limus, & poſtea thecæ quaſi inditæ, acceſſione petrificorum agentium, quæ eas pervaſerint. Atque hanc ſuam ſententiam Boylius, iſto in libro, prolixius explicat, in quo in plurimis convenit cum aſſertionibus Nic. Stenonis. Sed fuit ille, in *præfatione* ejus libri admodum ſollicitus, ut præcaveret ſuſpicionem plagii; nam, cum imprimeretur libellus, Stenoniana ſe nondum vidiſſe multis documentis probare illic laboravit. Sunt vero in illo libro ſingulares Obſervationes, & magis quidem ſolidæ, ut mihi videtur, quam Stenonianæ, quæ meris Mathematicis ratiociniis niti videntur, cum hic in ſubſidium vocet experimenta artis Chymicæ. Illa præcipue elegans ejus meditatio eſt, qua ſtatuit, terram plenam eſſe menſtruis, aliisque liquoribus variorum generum, e fodinis, per quas vagantur, varie imprægnatis, qui in quibusdam caſibus vice menſtrui fungi, alio vero modo concurrere ad productionem corporum mineralium, poſſint. Quin ipſam aquam communem variis mineralium effluviis infectam, ut eſt plerumque (quod Leonh. Thurnheuſerus peculiari *libro de aquis mineralibus* docet), id præſtare poſſe credit. Refert quoque, ſe caſu aliquando incidiſſe in liquorem, qui gemmas ſolvere potuerit, quod certe mihi, neſcio quomodo, a vero alienum videtur. Putaverim enim ego, rem arduam forte, & magni in natura prodigii, ſi quis id præſtare poſſet, & longe illo Alcheſto Helmontiano pretioſiorem. Quæ circa figuras gemmarum philoſophatur, pulchre illuſtrata Chymicis experimentis ſunt.

Quod vires gemmarum attinet, illæ cum ſint in abdito poſitæ, erui non facile 3
poſſunt. Joh. Bapt. Helmontius, & ejus Hyperaſpiſtes, Joh. Marcus Marci, magnam vim ipſi irradiationi tribuunt, in qua tamen tantum latere arcani, ut illi quidem volunt, vix mihi perſuadeo. Eſſe vero in illis incognitas quasdam vires, & non fa-

cile deprehendendas, vel ex iis Obſervationibus conjicere licet, quas recenſet Boylius *in libro ſuo de Quiete abſoluta corporum.* Obſervavit enim, in ipſis duriſſimis corporibus eſſe particulas quasdam, quæ moveant ſe a centro ad ſuperficiem. In *Tractatus ſui de Coloribus Appendice* refert de quadam Turcoide, in qua macula fuerit, quæ motum habuerit menſtruum, ad phaſes ſc. lunæ comparatum.

4 De ſingulis gemmarum ſpeciebus ſi agere nobis animus eſſet, toto Volumine rem non expediremus, & habemus, quos de iis libros legere poſſumus, a me ſupra indicatos. De valore earum, & ordine, omnium optime Auctor ille Gallicus egit, ut non neceſſum ſit, ex eo quædam repetere. Adamantes præ omnibus pretium habent, magis ob raritatem, quam ob naturam ceteris præſtantiorem. Nam & ceteræ illæ gemmæ ejusdem miſturæ ſunt, & pulcherrimi præterea coloris. Quænam illis ſuccedant, ambiguum eſt, quibusdam pro Smaragdis, aliquibus pro Saphiris, certantibus. Earum omnium natura, ſpecies & diſtinctiones, vel vulgares etiam Auctores Phyſici & Compendiarii recenſent, quibus innumeræ fabulæ & ſuperſtitiones ſunt permiſtæ.

5 De Margaritis, earumque piſcatione, conſulenda ſunt Itineraria Indiæ Orientalis. Habuit & Britannia quondam margaritas, multum olim æſtimatas, ſed nunc illæ ibi non comparent. Quæritur hic a multis ars majores efficiendi uniones e minutioribus, ſed vix puto illud effectum dabitur, cum ſplendor ille ſuperficiei externæ nulla poſſit arte conciliari, licet forte maſſa aliqua major inde confingi poſſit. Refert Cl. Salmaſius, in *Exercitationibus ſuis Plinianis ad Solini Polyhiſtora*, in libris illis Græcis MSS. qui de Chymia, & Metallorum transmutatione, in Bibliotheca Regis Galliæ aſſervantur, recenſeri artem aliquam conficiendi uniones artificiales. Sed illa non comparet in Cod. Altenburgenſi, cujus inſpiciendi mihi copia data eſt.

6 Coralliorum hiſtoriam Johannes Ludovicus Ganſius peculiari opuſculo pertexuit. Eorum etiam mirabilis productio eſt, & ſunt, qui obſervarunt, ea ſub aquis mollia, quod argumento eſt, ex ſucco quodam coaluiſſe. Sed in his omnibus cæca omnis philoſophandi induſtria eſt, & pene meris conjecturis abſolvuntur, quæ circa illa diſquirimus. *De ligno Foſſili* Lib. Italicum ſcripſit Franc. Stellutus, quem ſe, cum notis ſuis, denuo editurum J. Dan. Major eſt pollicitus.

CAP. XXXIV.

DE VITRO ET GEMMIS ARTIFICIALIBUS.

§. 1. *De vitro varia, inprimis, an flexibile & ductile confici poſſit.* 2. *Gemmæ e vitro artificiales. Ant. Neri* Ars Vitriaria, *& Autoris* Epiſtola de Scypho vitreo, per ſonum vocis humanæ rupto, *laudantur.*

VITRUM

VITRUM quodammodo ad gemmas etiam referri videtur, ob denſitatem & compactionem ſuam, licet arte factum ſit, quanquam & natura habeat vitra quædam foſſilia. Quod arte paratum eſt, fragile eſt. Aliqui per artem flexibile & ductile fieri poſſe credunt, & adfertur ejus rei hiſtoria quædam apud Plinium & Petronium, de artifice quodam, qui Tiberio obtulerit phialam, ex vitro tali ductili paratam. Cujus hiſtoriæ fidem aliqui in dubium, cum Chriſtoph. Meretto, vitrum ductile per artem confici poſſe negante, vocant, ſed immerito, ut opinor. Nam certe non repugnat naturæ, talia vitra confieri per additionem materiæ cujusdam viſcoſioris metallicæ, quæ tamen perſpicua ſit, ac maneat. Ol. Borrichius certe, in *libro ſuo de ortu & progreſſu Chymiæ*, pro exemplo allegat talcum illud Muſcoviticum pellucidum, quod non ita fragile eſt, ut vitra noſtra, per vim ignis parata. Chymici vitri flexibilis præparationem magno ſuo Elixiri ſolent tribuere, quod naturæ ſit viſcoſæ, incombuſtibilis & ſumme perſpicuæ, vitroque admiſtum talem ei naturam conciliet. Vixit, uti a Viro fide digno accepi, in aula *Joh. Caſimiri*, Règis Poloniæ, Nobilis Italus, qui certo quodam ſpiritu chymico vitrum frigidum ita emollire potuit, ut illi ſigilla, tanquam ceræ, imprimerentur, manuque imagines in eodem formari potuerint. Nummos aliquot, ex eo vitro confectos, Magnatibus donavit Aulicis, quod tamen poſtea ad naturam ſuam fragilem rediit. Idem artificium in Anglia etiam quibusdam nunc innotuiſſe, retulit mihi Henr. Oldenburgius. Nicol. etiam Stenonis, absque ignis opera ut vitra conficiantur, non putat eſſe impoſſibile, quod ſi verum eſſet, talia vitra ad gemmarum naturam accederent propius, ac gemmæ nihil aliud eſſent, quam vitra metallica. Noſtrum autem vitrum, quod, vi ignis, aërem, ſalem & cineres, in maſſam aliquam viſcoſam & lentam fundit, non poteſt, niſi fragile eſſe, ut omnia corpora ſunt, ſubitanea aliqua operatione fabrefacta. Non etiam miſceri ita particulæ poſſunt, ſed violenta fuſione ſtatum quaſi violentum ſortiuntur, a quo diſcedunt interdum. Levi enim aëris rarefactioni & condenſationi, vel ſono vocis etiam, videmus ad rupturam patere. Borrichius putat, ſi ſalem poſſimus habere flexilem aliquem, ductibilitatem inde acquiſiturum vitrum. Nam ſal ad fuſionem maxime confert, & ad continendas inter ſe minimas particulas. Sed, quoniam ſalis communis particulæ rigidæ ſunt, dum in igne ſunt, fluunt illæ quidem, ſed frigefactæ veteri ſuo rigori reſtituuntur, ideo non poteſt aliter evenire, quam ut fragile vitrum ſit. Quod ſi pro ſale illo communi ſal aliquis metallicæ naturæ poſſit ſubſtitui, aut ipſum illud metallum in ſalis formam redactum, non dubito, quin res ſucceſſura ſit. 1

Sed hactenus quidem fruſtra in eo negotio laboratum eſt: quod ſi perfici poſſet, parum abeſſet, quin gemmas ipſis nativis reſpondentes perficere opera noſtra poſſemus, cum videamus in vulgari etiam vitro puriori, ſed tamen fragili, & non tam ponderoſo, quam gemmæ ſunt, adeo per artem, naturæ æmulam, poſſe effigiari gemmarum ſpecies, ſecundum colores ſuos diſtinctas, ut fallere interdum ipſos gemmarios negotiatores poſſint, ſi non ad omnia examinum genera revocent. Species ſane 2

&

& fulgor ſummus conciliari illis poteſt, non tamen durities. Et hanc quidem artem parandi gemmas fictitias tradidit *a*) ANTONIUS NERUS, Florentinus, in elegantiſſimis ſuis 7. libris *de arte vitriaria*, Italica lingua ſcriptis, quos in Latinam linguam vertit Andreas Friſius, ediditque Amſt. A. 1668. *in 12.* cum *notis*, quas Chriſtoph. Merettus, Medicus Anglus, in illos ſcripſerat. Ubi ordine omnia illa legi poſſunt, quomodo Cryſtalli, Saphiri, Amethyſti, Granati, & ſimiles, effici poſſint. Illic enim & inſtrumenta ejus artis, & omnes apparatus, prolixe deſcribuntur. Plura, quæ ad vitri naturam ſpectant, recenſuimus in *Epiſtola* noſtra *de Scypho vitreo rupto per certum vocis humanæ ſonum*, ubi memorabiles quædam occurrunt hiſtoriæ de gemmis quibusdam artificialibus, ex aqua factis, & præterea alia ſcitu digna.

CAP. XXXV.

DE METALLORUM GENERATIONE.

§. 1. *Materiam Metallorum proximam non eſſe aquam, aut ſalia, oſtenditur.* 2. *Nec argentum vivum vulgare, ſed longe probabilius Chymicorum Mercurium (cujus ab iſto differentia explicatur) ac ſulphur. Generationis metallorum diverſorum ex hiſce ratio.* 3. *Quænam ſit inter ſulphura auri, argenti, & metallorum impurorum, ſicut & vulgare, differentia?*

1 A Lapidibus ad METALLA venimus, quæ alterius plane texturæ eſſe, ipſa exterior forma arguit, plus enim viſcidi & lentoris habent, quam lapides. Quanquam enim ſunt duriſſima, fragilitatem tamen aliquam habere violentam, pondus eorum arguit, & ad metallicam naturam propius, quam ad vegetabilem accedere. Jam, *quæ metallorum origo* ſit, *quibusque rebus conſtituantur*, vexatiſſima quæſtio eſt, cum eorum natales vix humana induſtria videatur poſſe rimari. Qui aquam omnium rerum Elementum ſtatuunt, etiam metallis aſſignant, non quidem falſo, fuiſſe enim aquam remotum primum & prædominans illorum Elementum concedo, jam tamen per alterationes in naturam propiorem, materiam ſcil. viſcidam & lentam, inſpiſſatam, veroſimile eſt, quæ propinquiore cognatione metallicam naturam attingeret. Nihil itaque prodeſt nobis, ſi ſciamus vel credamus, ex aqua eſſe metalla compoſita; id enim demonſtrari ægre poteſt, ac fortaſſis fieri potuit,

a) Antonii Neri Artem Vitriariam, poſt Chriſtoph. Merettum, illuſtravit, novisque inventis ſolerter auxit Joh. Kunckelius, Chymicus haud ita pridem Germaniæ & Sueciæ, coævis plerisque ſuperior, e Cimbria noſtra oriundus, cujus *Ars Vitriaria Experimentalis* (vollkommene Glaßmacher-Kunſt) Germanico Idiomate Lipſiæ an. 1679. *in 4to.* edita, *Parte I.* Commentarium in Ant. Neri Libros, & Meretti *Notas*, Experimentalem luculentiſſimum, *Parte II.* duas experimentorum, ad Artem hanc, aliasque cognatas, ſpectantium, Centurias, in Appendice autem Hiſtoriam Gemmarum Naturalium, & quarundam Artificialium, nec non Margaritarum aliorumque ſimilium Naturæ Cimeliorum Phyſicam exhibet.

potuit, ut talis materia, lenta & viſcoſa, ſimul cum ipſa tellure creata ſit, ut neceſſum non ſit, altius procedere. Nam & nimia ſubtilitate ſæpe obliſtimus veritati. Aliqui ſunt, qui metallorum originem a ſale petunt, argumento illo ducti, quod videant corpora metallica a ſalibus poſſe diſcerpi & corrodi, aut, quod nonnulla cognatos habeant ſales vitriolicos, ac inter ſe per vices commutentur, quod tamen neutiquam eorum ſententiam confirmat. Non enim valet iſta conſequentia: quod corrodere poteſt aliquid, ex eo id componitur. Et vitriola nil aliud ſunt, quam corpora metallica & ſalina miſta temperato contubernio, non perpetuo aut radicali. Non vacat quidem res illa admiratione, quod ita corpora ſecari poſſint a ſalibus, ac patet inde magna ſalium cum mineralibus cognatio, non tamen intima, ſemper enim divelli poſſunt levi negotio, cum partes ceteræ eſſentiales cohæreant. Quæſiverunt multi in vitriolo, aliqui in nitro, cujus ſalis potentia magna eſt in fixiſſimis quoque metallis vexandis. Quare ſpiritu roris auri tinctura elici ſolet, quoniam in illo eſt ſpiritus nitri ſubtiliſſimus. Sed hic tantum abraſio eſt particularum minimarum, ipſæ vero, vel minimæ, eſſentialem ſuam miſturam retinent.

A ſalium familia ad metalla itur, inter quæ primum omnium appellari ſolet 2
argentum vivum, mirabilis profecto ſubſtantiæ, quæ mille ſe in formas fingit & refingit, quibuscunque in artibus & experimentis tractata. Id in illo præcipue conſideratione dignum eſt, nullam aliam ſubſtantiam inter metalla tanto amore complecti aurum, qui etiam pondere æqualis eſt, ſtatim enim auro unitur, idque in illo mergitur, cum cetera omnia metalla ſupernatent, id quod ex amalgamate Mercurii luculenter patet. Qui hanc ſubſtantiam inter principia metallorum ponunt, propius abſunt a vero, non tamen verum eſſe principium, uno ore omnes illi dicunt, qui Chymiam iſtam ſecretiorem profitentur, atque inter illos Lullius, qui argentum vivum inter principia metalli ponendum eſſe judicat, ſed a vulgari argento vivo diſtinguit, ut ovum fœcundum ab ovo ſubventaneo. Illi ſc. quando argentum vivum ſuum, ceu principium metallicum, requirunt, ajunt, eſſe illud corpus metallicum ſumme ductile, lentum & viſcoſum, ponderoſum, ita ut auri pondus æquet, non currens, ut vulgare argentum vivum, ſed tamen in igne ſumme volatile, &, ut uno verbo dicam, talem materiam, quæ nondum aurum & argentum, aut aliud metallum, eſt, ſed rudimentum quaſi & embryo metallicus, aurum & argentum immaturum, quod pondere ſuo dignoſci facile poſſit, ſummo autem ſtudio ab illis celatur. Hoc primum illis eſt & materiale principium, quod certe cum ponunt, nihil abſurdi comminiſcuntur. Ipſa enim compoſitio & textura metalli arguit, ex tali quadam ſubſtantia componi debere metallum. Alterum principium componens metalla *ſulphur* vocant, illudque geminum faciunt, *album* & *rubrum*, prout de albore & rubore metalla participant, vel copioſius, vel purius, vel parcius, vel impurius, admiſtum. Atque hæc perfecta metallica ſubſtantia, vel illud argentum, vel aurum immaturum, jam tum in prima ſua miſtura ſulphur commiſtum habet, ab eoque leviter digeſtum eſt, quæ ſubſtantia ſi naturæ Operario permittitur, tandem in aliquod metallum fixum abit per longas digeſtiones, vel perfectum,

ut aurum & argentum, vel imperfectum & impurum, ſi ſulphura ſordes aliquas a loco natali contrahant, atque tum ſtannum, cuprum, ferrum, &c. naſcitur. Quæ metalla plus ſulphuris impuri, & quam minimum argenti vivi, ſeu mercurii, habent, non ita ſunt ductilia, ut aurum & argentum, aurum præcipue, quod infinite pene dixerim extendi poteſt. Ab una ergo radice omnia metalla deſcendunt, tali ſcil. ſubſtantia, quæ ex binis principiis conſtitutivis leviter commiſta eſt.

3 Aurum omnium optimum eſt, & primum, antequam exaltaretur ſulphur, illud candidum fuit, ſuntque, qui putant, flavum illum auri colorem exui auro poſſe. Hujus naturam omnes inquirunt, nemo capit. Chymici inprimis, in natalibus ejus inveſtigandis, laborant, verum ſcientes ſilent, verba dant ignavi. Exſtant Abrahami e Porta Leonis, Medici Hebræi, *Dialogi III. de Auro*, in quibus non ſolum de auri facultate Medica, ſed & ſpecifica ejus ac ceterarum rerum forma, duplicique poteſtate, qua in mixtis illa operatur omnibus, operoſe diſputatur, Venet. A. 1584. in 4to editi. Nec ſpernendi Joh. Franc. Pici Mirandulani *Libri III. de Auro*, in quibus multa recenſentur transmutationum exempla. Argentum ejusdem cum auro naturæ eſt, & eodem ſulphure gaudet, ſed nondum ad ruborem excoctum. Et iſta quidem ſulphura, quæ ita vocantur, incombuſtibilia ſunt & eſſe debent, quoniam naturæ metallicæ ſunt, perfectioris ſc. & fixæ, quæ deſtrui non poſſunt & diſſipari, ut cetera ſulphura vegetabilia vel animalia, quæ in fumum abire, atque diſſipari poſſe, flamma ipſa facile teſtatur. Combuſtibile autem ſulphur ad compoſitionem perfectorum metallorum nihil facit: impura quidem metalla ex eo habent plurimum, quare deſtrui etiam facile per ſulphur vulgare poſſunt. Imo ipſum argentum poteſt deſtrui, quod indicio eſt, non tam purum, vel ſaltem minus fixum eſſe in argento ſulphur, quam eſt in auro. An vero natura, diuturna coctione, ex vulgari ſulphure poſſit fixum facere & incombuſtibile, res eſt nobis non determinanda.

CAP. XXXVI.

DE METALLORVM TRANSMUTATIONE.

§. 1. Plumbi in ſtannum, ferri in cuprum, transmutatio. 2. Metallorum imperfectorum in aurum transmutatio propugnatur, Chymicique Græci MSti, a Thom. Reineſio emendati, & Ol. Borrichii atque Autoris de χρυσοποιΐας hiſtoria ſcripta, commendantur.

1 De Transmutatione Metallorum in univerſum agere noſtri non eſt inſtituti. Multa enim circumferuntur experimenta de plumbi in ſtannum, ferri in cuprum, converſione, de quibus tamen dubiorum plena ſunt omnia. Quod plumbum attinet, id depurari coctione in ſtannum poſſe, non equidem inficias iverim, quanquam tamen ſtanni natura admodum ſit a reliquis metallis diſtin-

distincta. Nam plane illi non convenit cum argento, cum plumbo tamen maxime cum illo conveniat, omnisque massa plumbea aliquam portiunculam argenti habeat. De ferri in cuprum mutatione, de qua *P. I. c. t. §. 6.* plura in medium a nobis jam sunt allata, ajunt aliqui, aliqui negant. Lazarus Erckerus, diligentissimus metallurgus, id pro certissimo habet. Sed mittamus illa, ut vulgaria.

Hic quæstio erit; *an imperfecta metalla in aurum & argentum mutari possint?* Id 2
factum fuisse, tot historiæ testantur, quas in dubium vocare non possumus, totque libri fatentur, ut vel mire impudentes esse oporteat, qui orbi ita imposuerunt, vel homines plane pertinaces, qui fidem iis denegare velint, cum natura rerum plane non repugnet, quam verosimilitudinem nos in *Dissertatione de metallorum transmutatione* prolixe ostendimus, nec hic denuo inculcabimus. Quod argumenta inartificialia attinet, autoritatem scil. supersunt Manuscripti libri Græci variorum autorum, qui, sub ænigmatibus multis, hanc artem proponunt, habeoque apud me codicem Altenburgensem, Thomæ Reinesii manu notatum & emendatum, cum ejus Epistola de ætate & scriptis illorum Auctorum. Cetera, quæ spectant ad historiam hujus rei, prolixe executus est Olaus Borrichius in *libro de ortu & progressu Chymiæ*, & in altero *Sapientiæ Hermetis, Ægyptiorum & Chymicorum vindicatæ*, quo respondit objectionibus Herm. Conringii. Quibus addi possunt selecta quædam, & cum omnibus circumstantiis enumerata, in nostra *de Metallorum transmutatione, Epistola.* Quibus longe plura addere possemus, si res esset nostri instituti. Athan. Kircheri adversus probabilitatem transmutationis metallicæ argumenta, tam historica, quam philosophica, diligentissime examinavit, & operose solideque refutavit, Valer. Bonvicinus, *in Lance peripatetica adv. Kircherum*, Patav. A. 1676. *in 8vo* edita.

CAP. XXXVII.

DE MEDIIS MINERALIBUS.

§. 1. *Quænam ista, & cur ita dicantur?* 2. *Antimonium, ejus constitutio, ususque Chymicus & medicus. Controversia de illo forensis in Gallia. Bas. Valentini* Currus Triumphalis Antimonii, *a Th. Kerkringio illustratus, commendatur.* 3. *Succinum, cujus natales controversi terræ vindicantur, solutioque a Theod. Kerkringio, ad condituram cadaverum, facta esse perhibetur. Succinum Chinensium artificiale.* 4. *Ambra, de cujus ortu variæ recensentur sententiæ.*

MEDIA MINERALIA vocantur, quod mediam obtineant naturam inter 1
metalla & lapides, referuntque illic quidam & terras, & salia, & succos fossiles: sed rectius referuntur huc illæ Mineralium species, quæ nec perfecta metalla, neque lapides sunt, & aliquid quidem metallici habent, sed parum Mercurii. Sales & succi a natura metallica paulo longius abeunt, ideoque in ulterioram locum rejiciendi.

2 Præcipuum inter media mineralia locum habere videtur *Antimonium*, fragilis omnino naturæ, quia parum Mercurii habet, & malleari non poteſt, quanquam liquari, ut cetera metalla, poſſit. Quare recte ſemimetallum vocat Honor. Fabri, qui *Tract. 7. Phyſ. lib. 2. propoſ. 60.* ut ceterorum metallorum, ita & hujus, proprietates luculenta brevitate explicuit. Chymici, in ejus natura indaganda, multum operæ inſumunt. Aliqui enim neſcio quæ arcana transmutationum in eo quærunt, quæ tamen in illo fruſtra quæruntur, quoniam corpus eſt Mercurio pene deſtitutum, aut admodum exiguum habens, *x*) quod tamen materiale principium ſummum illis & unicum eſt. Magnæ tamen ejus vires ſunt, & multus uſus. Varias ejus formas, variaque experimenta, magno labore congeſſit Baſilius Valentinus in libro germanice ſcripto, cui tit. Triumph-Wagen des Antimonii, quem in Latinam linguam convertit Theodorus Kerkringius, & Commentariis utilibus illuſtravit, quibus Baſiliana illa Experimenta partim confirmavit, partim etiam nova adjecit. Prodiit is Amſtelod. A. 1671. *in 12.* Mirifica vi purgante pollet, tum per alvum, tum per vomitum, ad chirurgicas etiam operas mirifice prodeſt. Medicamenta & panaceæ paſſim circumferuntur, ex eo confectæ. In Gallia aliquando ad Tribunal Regis vocatum eſt, ejusque ſententia damnatum, cum illud vero Medici defenderent, iterum admiſſum fuit, ac extant ſuper hac re in utramque partem ſcripta, Gallica lingua edita. Reliqua, quæ ad illud ſpectant, ex officinis Pharmacopæorum petantur. Plura ſunt talia Mineralia, partim ſalutaria, partim venenoſa, Biſmutum, Tucia, Zincum, Arſenicum, de quibus ſingulis legi poſſunt officinales Scriptores.

3 E ſuccis, qui varii ſunt, præ ceteris commendabile eſt *ſuccinum y*) de quo lectu digna eſt Phil. Jac. Hartmanni, Prof. Med. Regiom. *hiſtoria Succini Pruſſici Phyſica & Civilis*, Francof. A. 1677. *in 8vo* edita, & varia de illo adducens Experimenta. Ejus locus natalis valde adhuc dubius. Autor libri *l' Europe vivante*, neſcio quo experimento in medium producto, ex melle oriri putat, & per quandam compoſitionem, ex tartaro & ſpiritu vini factam, poſſe diſſolvi, quod plane mihi veroſimile non videtur. Non enim diſſolvuntur corpora, niſi a ſimilibus. Quare cum gummi aliquod ſit, oportet a viſcoſitate quadam congeneri ſuccinum diſſolvi. Aliqui ex mari productum exiſtimant, quidam ex terra, quæ ſententia veroſimilior videtur, & confirmant illam animalia & inſecta terreſtria, paſſim in ſuccino reperta. Id quod D. Joh. Dan. Major, *Libro* integro *de Natalibus Succini non maritimis*, fuſius

x) Celare hic lectores nolo, Autorem, qui *b. l.* Antimonium *Corpus eſſe Mercurio pene deſtitutum, aut admodum exiguum habere*, pronunciavit, ſententiam hanc ſuam poſtmodum retractaſſe, Verbis, quæ Codici, quo ipſemet uſus eſt, MSto αὐτόχειρι ab eo in margine adjecta inveni ſequentibus: *Hæc falſa ſunt; Copioſiſſimus in eo eſt Mercurius*, Utra e duabus hisce Contradictoriis vera ſit, Chymici diſpiciant.

y) Uberius ſuam de Succino, ejusque Natalibus, Sententiam A. 1672. Autor expoſuit *in Ep. de Tranſmut. Metallorum, p. 49-53.* a Phil. Jac. Hartmanno, *Libro II. Hiſtoriæ Succini* diverſis in locis, partim calculo ſuo approbatam, partim vero impugnatam.

ſius oſtenſurum ſe eſſe, promiſit. Naſcitur vero frequenter in locis, ubi pinus & terebinthi creſcunt, quod argumento eſſe poſſit, a ſimili quadam viſcoſitate, per terram diſperſa, naſci, & a particulis maris ſalinis coagulari. Multum in eo laboratum eſt, an ſolvi poſſit, atque iterum coagulari, quod ſi fieret, res admodum lucroſa eſſet. Theodorus Kerckringius hanc ſibi artem vindicat, & integra cadavera ſuccino circumfuſo condivit, quam ſolutionem ſuccini ille ſolo regimine ignis fieri aſſeverabat, quod perſuadere tamen hactenus mihi non potui. Chinenſes, per artem Chymicam, ex pice & reſina arborum, ſubſtantiam conficiunt, ſuccino ſimillimam, teſte Martino Martinio *in Atlante Sinico.*

Inter ſuccos quoque terreſtres nobiliores eſt *Ambra*, quæ gryſia eſt, de cujus 4
natalibus varie diſputatur. Aliqui enim excrementum avium quarundam exiſtimant, alii evomi a balænis crediderunt. Videatur *Hiſtoria Ambræ*, a Juſto Fido Klobio edita. Nunc vero Angli invenerunt Ambram, ipſis rupibus in mari adnatam, unde apparet, ex ipſis lapidibus transſudare, vel e terra gigni.

CAP. XXXIIX.

DE SALIBUS, ET PRIMUM QUIDEM DE NITRO.

§. 1. *Nitri vis terram fœcundandi. Cenſuræ de Joh. Rud. Glauberi* Novo Mundi Miraculo *& Guilb. Clarckii* Hiſtoria Nitri. 2. *Joh. Mayow* Lib. de Nitro *commendatur, ejusque Philoſophemata & Experimenta quædam afferuntur.* 3. *Nitrum vitam prolongandi facultate pollet. Pulvis Pyrius e Nitro. Quis ejus inventor, Barthol. Schwartz, an Rog. Baconus?*

Sales ad metallorum familiam e longinquo etiam pertinent, de quibus nunc age- 1
mus. Eſtque inter illos merito numerandum NITRUM, quo nullus magis eſt per terram & aërem diffuſus, ut aliquibus recte ſal terræ, aliquibus ſal aëreum dicatur. Hoc certe ſale tota terra fœcundatur, & certa quadam præparatione ita aptari poteſt, ut unum frumenti granum, illo imbutum, viginti & amplius ſpicas producat. Hinc commotus Joh. Rud. Glauberus, Chymicus, in libro ſuo, quem inſcribit *Novum mundi Miraculum*, ſubjectum aliquod ac menſtruum univerſale in eo quærit, unde, neſcio quos, aureos montes pollicitus eſt. Ceterum multa ſunt in iſto libro utilia, quanquam plura ſuavia ſomnia, quibus ille ſibi & aliis impoſuit. Sed mutavit ipſe poſtmodum ſententiam. Scripſit *de Nitro* Anglica lingua Guilh. Clarckius, z) Medicus Regius, Libellum, in quo recenſet varios

z) Guilh. Clarckii *Hiſtoria Naturalis Nitri, ſive Diſcurſus Philoſophicus de Natura, Generatione, Loco, Artificiali Extractione, Virtutibus & Uſibus Nitri*, qui Anglice Londini an. 1670. *in* 8vo. prodierat, Latine etiam poſtea eſt translatus, Hamburgi an. 1675. in 8. editus.

2 Præcipuum inter media mineralia locum habere videtur *Antimonium*, fragilis omnino naturæ, quia parum Mercurii habet, & malleari non poteſt, quanquam liquari, ut cetera metalla, poſſit. Quare recte ſemimetallum vocat Honor. Fabri, qui *Tract. 7. Phyſ. lib. 2. propoſ. 60.* ut ceterorum metallorum, ita & hujus, proprietates luculenta brevitate explicuit. Chymici, in ejus natura indaganda, multum operæ inſumunt. Aliqui enim neſcio quæ arcana transmutationum in eo quærunt, quæ tamen in illo fruſtra quæruntur, quoniam corpus eſt Mercurio pene deſtitutum, aut admodum exiguum habens, *x*) quod tamen materiale principium ſummum illis & unicum eſt. Magnæ tamen ejus vires ſunt, & multus uſus. Varias ejus formas, variaque experimenta, magno labore congeſſit Baſilius Valentinus in libro germanice ſcripto, cui tit. Triumph-Wagen des Antimonii, quem in Latinam linguam convertit Theodorus Kerkringius, & Commentariis utilibus illuſtravit, quibus Baſiliana illa Experimenta partim confirmavit, partim etiam nova adjecit. Prodiit is Amſtelod. A. 1671. *in 12.* Mirifica vi purgante pollet, tum per alvum, tum per vomitum, ad chirurgicas etiam operas mirifice prodeſt. Medicamenta & panaceæ paſſim circumferuntur, ex eo confectæ. In Gallia aliquando ad Tribunal Regis vocatum eſt, ejusque ſententia damnatum, cum illud vero Medici defenderent, iterum admiſſum fuit, ac extant ſuper hac re in utramque partem ſcripta, Gallica lingua edita. Reliqua, quæ ad illud ſpectant, ex officinis Pharmacopæorum petantur. Plura ſunt talia Mineralia, partim ſalutaria, partim venenoſa, Biſmutum, Tucia, Zincum, Arſenicum, de quibus ſingulis legi poſſunt officinales Scriptores.

3 E ſuccis, qui varii ſunt, præ cereris commendabile eſt *ſuccinum y*) de quo lectu digna eſt Phil. Jac. Hartmanni, Prof. Med. Regiom. *hiſtoria Succini Pruſſici Phyſica & Civilis*, Francof. A. 1677. *in 8vo* edita, & varia de illo adducens Experimenta. Ejus locus natalis valde adhuc dubius. Autor libri *l' Europe vivante*, neſcio quo experimento in medium producto, ex melle oriri putat, & per quandam compoſitionem, ex tartaro & ſpiritu vini factam, poſſe diſſolvi, quod plane mihi veroſimile non videtur. Non enim diſſolvuntur corpora, niſi a ſimilibus. Quare cum gummi aliquod ſit, oportet a viſcoſitate quadam congeneri ſuccinum diſſolvi. Aliqui ex mari productum exiſtimant, quidam ex terra, quæ ſententia veroſimilior videtur, & confirmant illam animalia & inſecta terreſtria, paſſim in ſuccino reperta. Id quod D. Joh. Dan. Major, *Libro* integro *de Natalibus Succini non maritimis*, fuſius

x) Celare hic lectores nolo, Autorem, qui *b. l.* Antimonium *Corpus eſſe Mercurio pene deſtiturum, aut admodum exiguum habere*, pronunciavit, ſententiam hanc ſuam poſtmodum retractaſſe, Verbis, quæ Codici, quo ipſemet uſus eſt, MSto αὐτόχειρι ab eo in margine adjecta inveni ſequentibus: *Hæc falſa ſunt; Copioſiſſimus in eo eſt Mercurius*, Utra e duabus hisce Contradictoriis vera ſit, Chymici diſpiciant.

y) Uberius ſuam de Succino, ejusque Natalibus, Sententiam A. 1672. Autor expoſuit *in Ep. de Tranſmut. Metallorum*, *p.* 49-53. a Phil. Jac. Hartmanno, *Libro II. Hiſtoriæ Succini* diverſis in locis, partim calculo ſuo approbatam, partim vero impugnatam.

ſius oſtenſurum ſe eſſe, promiſit. Naſcitur vero frequenter in locis, ubi pinus & terebinthi creſcunt, quod argumento eſſe poſſit, a ſimili quadam viſcoſitate, per terram diſperſa, naſci, & a particulis maris ſalinis coagulari. Multum in eo laboratum eſt, an ſolvi poſſit, atque iterum coagulari, quod ſi fieret, res admodum lucroſa eſſet. Theodorus Kerckringius hanc ſibi artem vindicat, & integra cadavera ſuccino circumfuſo condivit, quam ſolutionem ſuccini ille ſolo regimine ignis fieri aſſeverabat, quod perſuadere tamen hactenus mihi non potui. Chinenſes, per artem Chymicam, ex pice & reſina arborum, ſubſtantiam conficiunt, ſuccino ſimillimam, teſte Martino Martinio *in Atlante Sinico.*

Inter ſuccos quoque terreſtres nobiliores eſt *Ambra*, quæ gryſia eſt, de cujus 4
natalibus varie diſputatur. Aliqui enim excrementum avium quarundam exiſtimant, alii evomi a balænis crediderunt. Videatur *Hiſtoria Ambræ*, a Juſto Fido Klobio edita. Nunc vero Angli invenerunt Ambram, ipſis rupibus in mari adnatam, unde apparet, ex ipſis lapidibus transſudare, vel e terra gigni.

CAP. XXXIIX.

DE SALIBUS, ET PRIMUM QUIDEM DE NITRO.

§. 1. *Nitri vis terram fœcundandi. Cenſuræ de Joh. Rud. Glauberi* Novo Mundi Miraculo *& Guilb. Clarckii* Hiſtoria Nitri. 2. *Joh. Mayow* Lib. de Nitro *commendatur, ejusque Philoſophemata & Experimenta quædam afferuntur.* 3. *Nitrum vitam prolongandi facultate pollet. Pulvis Pyrius e Nitro. Quis ejus inventor, Barthol. Schwartz, an Rog. Baconus?*

Sales ad metallorum familiam e longinquo etiam pertinent, de quibus nunc age- 1
mus. Eſtque inter illos merito numerandum NITRUM, quo nullus magis eſt per terram & aërem diffuſus, ut aliquibus recte ſal terræ, aliquibus ſal aëreum dicatur. Hoc certe ſale tota terra fœcundatur, & certa quadam præparatione ita aptari poteſt, ut unum frumenti granum, illo imbutum, viginti & amplius ſpicas producat. Hinc commotus Joh. Rud. Glauberus, Chymicus, in libro ſuo, quem inſcribit *Novum mundi Miraculum*, ſubjectum aliquod ac menſtruum univerſale in eo quærit, unde, neſcio quos, aureos montes pollicitus eſt. Cæterum multa ſunt in iſto libro utilia, quanquam plura ſuavia ſomnia, quibus ille ſibi & aliis impoſuit. Sed mutavit ipſe poſtmodum ſententiam. Scripſit *de Nitro* Anglica lingua Guilh. Clarckius, z) Medicus Regius, Libellum, in quo recenſet varios

z) Guilh. Clarckii *Hiſtoria Naturalis Nitri, ſive Diſcurſus Philoſophicus de Natura, Generatione, Loco, Artificiali Extractione, Virtutibus & Uſibus Nitri*, qui Anglice Londini an. 1670. *in* 8vo. prodierat, Latine etiam poſtea eſt translatus, Hamburgi an. 1675. in 8. editus.

ejus productionis, tam a natura, quam artis miniſterio, modos, verum parum præſtitit pro dignitate hujus ſubjecti, nam in natura ejus indaganda exilis admodum ipſius opera eſt.

2 Longe doctius, & magno molimine, nuper in ejus materiam inquiſivit toto libro JOHANNES MAYOW, qui oſtendit, per totam terram & aërem ſpiritum quendam, quem nitro-aëreum vocat, eſſe diſperſum, unde omnium rerum fermentationes & germinationes deducit. Ille vero nitrum ita deſcribit, quod conſtet e ſale acido, maxime igneo, & inſuper Alcali, ſeu ſalis Alcali vicem ſubeunte ſale volatili, pure ſalſo. Nam, ſi nitri Analyſis inſtituitur, ſpiritus acidus hinc primum deſtillatur, relicto in retorta nitro fixo, quod ſi ſpiritus acidus ſali cuique Alcali affundatur, ex mutua congredientium lucta generabitur, quod igni injectum promte deflagrat. Nitri ergo partes duas ſtatuit; alteram fixam, alteram volatilem, vel potius, ut rectius loquar, ſpecies, quanquam revera ſunt eadem corpora; quatenus in terra radicatur, ſal fixum eſt, quatenus in aëre circumfertur, ſal volatile eſt. Cum itaque in terra radices ſuas habeat (omnium enim ſalium fixorum ſemina in terra reſidere ait,) ab aëre promte augetur terra, quæ fixum nitrum habuit, vel ejus ſemen adhuc habet. Terra enim, ex qua omne nitrum extractum eſt, ſi aëri exponatur, per aliquod tempus, tota iterum nitroſa evadit, quod indicat ex aëre propagari nitrum, partibus volatilibus ſe iterum fixis applicantibus. Hæc ille prolixe iſto in libro exponit, ubi, quem ex nitroſis effluviis format, ſpiritum nitro-aëreum, magno labore & diligentia per operationes naturales, fermentationes, vegetationes, reſpirationes animalium, &c. circumducit.

3 Notandum & hic, quod Franciſcus Baconus obſervat *in hiſtoria vitæ & mortis*, quotidiano uſu nitri vitam poſſe propagari, quare ipſe ſemper cibis admiſcuit. Ratio ejus hæc fuit, quod inordinatos ſpirituum motus ſiſtat ac figat, a quibus tot oriuntur in corpore humano incommoda. Ex nitro, ſulphure & carbonibus, pulvis pyrius conficitur, cujus patrocinium ſuſcepit Mich. Maierus *in veris inventis Germaniæ*, ubi Germanis ejus inventionem aſſerit. Quam nec ego iis inviderem, niſi in Rog. Baconis, Angli, qui diu ante Barth. Schwartzium vixit, *Epiſtola de Operibus ſecretis artis & naturæ*, jam tum ejus mentio fieret. Quare miror, Guilh. Cambdenum, *in Reliquiis Hiſtoriæ Anglicæ*, Anglice ſcriptis, iſtam gloriam popularis ſui in dubium vocare, & Germanis adſcribere.

CAP. XXXIX.

DE SALE COMMUNI, VITRIOLO, CETERISQUE SALIUM SPECIEBUS.

§. 1. *Salis communis variæ ſpecies. Salis uſus Phyſicus & Chymicus. Judicia de Joh. Sophr. Kozackii & Bernh. Gomeſii Scriptis de illo. Vitriolum late in variis corporibus diffuſum.*

Uſus

Uſus ejus Chymicus. Scripta de illo J. G, Triumphii & J. J. Becheri. 3. *Salis Ammoniaci, naturalis pariter atque factitii, deſcriptio & uſus medicus.*

Poſſent & hic de SALE COMMUNI multa dici, quod vel foſſile eſt, vel arte productum. Solet & ipſe ſol excoquere e mari ſalem, qui per artem ſolet facilitari. De modo, quo id fieri conſuevit in Gallia, videantur *Acta Anglica pag. 1025.* Præſtantiſſimum alias illud naturæ ſubjectum eſt, ac præ ceteris contemplatione dignum, cum permultum faciat ad corpornm compoſitionem, quibus continuitatem tenui & inexplorabili inſinuatione conciliat, tam ob figuras ſuas perpetuas diſtinctas & ſingulares, quam ob alias virtutes. Quare in ipſo aëre, in ipſis etiam dulciſſimis fontibus, imo in ipſo rore ac aqua pluvia, & vegetabilibus, habitant inſenſiles ſalinæ particulæ, quæ manifeſtari per artem Chymicam poſſunt. Chymicorum multus in hoc ſale labor eſt. Nam, qui ex eo parantur per artem liquores, mirabilia præſtant in metallorum operationibus. Extat cujusdam Johannis Sophronii Kozackii *de Sale* liber, ſed oppido inſulſus, uti vere Kippingius judicat; pauca enim in illo ſunt alicujus frugis. Scripſit & Bernhardinus Gomeſius Miedal *Halographiam* quandam ſive *Diaſcepſeon de Sale libros quatuor*, Urſellis An. 1600. in 8vo editos, quorum I. de Sale Phyſico, II. de Medico, III. de Geniali, ſeu Jocoſo, IV. de Myſtico agit; ſed in quibus multa ſunt aliena & peregrina. Habet tamen etiam quædam ſic ſatis bona, quæ ad naturam ſalis explicandam pertinent. Ceterum non eſt ejusdem bonitatis ſal, & magna inter ſpecies ejus differentia. Marinum enim ceteris eſt craſſius, quemadmodum & foſſile, illud vero, quod e fluviis ſalinis excoquitur, omnibus ceteris melius. 1

Vitriolum ſal eſt metallico generi propior, cupri enim & ferri mineris connaſcitur. Sed & illud longe lateque diffuſum eſt, &, quemadmodum nitrum, ita & hoc per aërem oberrat, imo & in vegetabilibus ipſis latet. Monſtravit mihi *Theodorus Kerkringius* quantitatem non exiguam veri & genuini vitrioli, ſed admodum impuri, quod ex aëre Amſtelodamenſi inſalubri, multis aquarum ſalſarum, & ſoli paludoſi, effluviis imprægnato, machinæ cujusdam beneficio, extraxerat. E corticibus juglandis diu coctis, & in locum frigidum ſepoſitis, verum & genuinum vitriolum poteſt excoqui, quod & arguit nigredo iſta, quam ſuccus eorum contrahit. Quercus etiam multum habere vitrioli, vel ipſe ſapor prodit, & præterea, tum ex aceto, quod inde conficitur, tum ex ſale volatili in fumis ligni quercini ſupra modum mordace, poteſt colligi. E quibus exemplis videmus, quam ſint naturæ rerum inter ſe communicabiles, & quanta affinitate ſe mutuo complectantur. Ceterum magna latent in illo arcana Chymica, varia enim ex eo medicamenta parari poſſunt, multa item, quæ ad corrodenda metalla inſervire poſſunt, oleum præterea ferventiſſimum, de quibus omnibus conſulantur libri officinales. *De natura vitrioli* librum ſingularem edidit Joh. Georg. Trumphius aliquis, Anglis quoque *in Actis ſuis* laudatus. Scripſit & J. Joach. Becherus, ſi recte memini, *vitrioli* quandam *Anatomen.* Fuere quoque multi, qui in eo quæſiverunt 2

arca-

arcanum metallorum transmutatorium, & circumferuntur eam in rem integri proceſſus, ſed fabuloſa illa ſunt omnia & confiƈta.

3 *Sal Ammoniacus*, ſeu Armeniacus, naturalis item eſt & factitius, quique naturalis eſt, ſub arena invenitur, in laminas concretus, & quidem in regione Cyrenaica, colore nigricans & ſapore ingratus. Sal eſt ſumme volatilis, & maximæ in medicina utilitatis, ſi per artem chymicam tractetur. Solet etiam per artem fieri ex quinque partibus urinæ humanæ, parte una ſalis communis, ac parte dimidia fuliginis lignorum, ſimul coƈtis ad conſumtionem humiditatis. Odoris eſt gravis, qui admodum percellat nares, imo ſuffocare poſſet, ſi naribus imprudenter hauriatur. Magna enim vis ejus Elaſtica eſt, & magnopere ſe diffundit, ideoque in ſpiritibus ad ſe revocandis optimo cum ſucceſſu adhibetur. Si quod menſtruum ex eo paretur ſubtilius, eique jungantur vegetabilium olea vel ſucci, momento pene temporis per totum corpus diffundere vim ſuam poteſt, & mira nonnunquam in morbis præſtare. Sunt & ejus in metallorum præparationibus vires magnæ. Nos, miſſis ſalibus, & tota mineralium doƈtrina, ad vegetabilia nos convertemus.

CAP. XL.

DE PLANTIS ET VEGETATIONE.

§. 1. *Anima Vegetativa Ariſtotelicorum exploditur.* 2. *Vera vegetationis & fruƈtificationis plantarum ratio, ex Ken. Digbæi Diſſ. de illa, quæ ſimul commendatur, expoſita, & vitis exemplo illuſtrata.* 3. *Experimenta de Succi arborum nutritii circulatione. Laus* Anatomes Plantarum *Marcelli Malpighii.* 4. *Scriptores de plantis & arboribus varii, præſertim Hiſtorici.* 5. *Scriptores de Plantis Aſiaticis & Americanis. Abraham Cowlei Poëma de Plantis.* 6. *Oſw. Crollius & J. Bapt. Porta de figuris & ſignaturis Plantarum, Jac. Böhm* de Signaturis rerum.

1 E Tellure tandem eluƈtati, ea, quæ circa tellurem ſunt, ac in ſuperficie ejus hærent, videamus, corpora ſc. illa, quæ e ſeminibus ſuis continua appoſitione excreſcunt, quam VEGETATIONEM dicimus, quemque aƈtum Peripatetici non absque ſingulari aliqua anima abſolvunt. Ab illa enim procedere putant, quod nos nutriri, creſcere, florere, fruƈtus ferre, dicimus, &, ſecundum illas varias alterationes partium in plantis, varias huic animæ vegetativæ facultates adſcribunt, facultatem ſc. nutritivam, auƈtricem & generatricem. Talem animam vegetativam ſingulis plantis & arboribus eſſe ſpecificam volunt. Sed non opus eſt ad animas hic recurrere, cum demonſtrari nulla ratione tales formæ poſſint. Sufficit hic organica corporum compoſitio, quæ ſuccum nutritium hoc vel illo modo admittit. Hinc reƈte Honoratus Fabri, ſingulari libro, eleganti & curioſo, *de plantis*, Pariſ. A. 1666. *in 4to* edito, *lib. 1. prop. 18.* ait, quod forma plantæ nulla ſit entitas abſoluta, quod illa extra plantam ſubſiſtere non poſſit, & quod proprie non producatur.

Magnam

Magnam huic vegetationi lucem affert liber KENELMI DIGBÆI *de vegetatione* 2
plantarum, e Lingua Angl. in Lat. converſus, quo eleganter proceſſum nutritionis & accretionis e ſemine demonſtrat, cujus Diſſertationis argumentum *libro ſuo de immortalitate animæ* inſeruit. Tota illa Diſſertatio ſubtiliſſima eſt, & cum accuratione legi meretur. Mathematica demonſtratione enim ob oculos ponit, quomodo a primo ſeminali puncto partes extra partes procedant, partim ſalibus aëreis aut terreſtribus evocatæ, partim preſſione aëris & humoris externi, partim calore ſubterraneo, quæ omnia hic ſingulatim explicare, nimis eſſet operoſum. Videatur Auctor ille, & cum ipſo conferatur Honor. Fabri, qui partes plantarum, quæ ſucceſſione excreſcunt, optime delineavit, &, ut exiſtimo, maxime ad mentem Digbæi. Sive itaque ex ſemine, ſive ex bulbo, ſive ex radice, procedat germen, ita creſcit, ut ſuccus terreſtris primum ſe inſinuet poris ſeminum & radicum. Primæ partes madefactæ e latere quodam intumeſcunt, & vicinas pellunt, atque ita primum fit ruptura tunicæ, quæ ſemen includit, & tenues quidam proceſſus, in centro ſeminis delineati, incipiunt ſe exerere, atque ita, ſuppeditato ſemper novo ſucco, continua ſemper eſt particularum pulſio, hincque rami novi ſuccedunt, & folia, & tandem ipſi fructus vel ſemina, quæ quaſi novæ iterum plane ſunt, novo quodam umbilico, matrici ſuæ, innatæ. Totum autem corpus plantæ materiam ſuam debet ſucco illi terreſtri, ſalibus quibusdam imprægnato, aut particulis etiam ſulphureis. Unde demum fructus naſcuntur tam varii ſaporis. Poſtquam enim humores inſipidi, per truncum & ramulos delati tandem, ubi ad ſecundam concoctionem veniunt, incipiunt quaſi in ſe ipſis fermentari, & continua illa circulatione in pulpis ſuis motum promovente, ardore ſolis particulæ ſulphureæ tandem ſubigunt aqueas, & cum illis novum aliquem liquorem ſapidum conſtituunt. Quod in vite manifeſte videre poſſumus, in qua ſuccus ille nutritius inſipidus, ſed tamen jam tum aliquas ſulphureas particulas admixtas habens, per fungoſam vitis medullam percolatur, ut fieri in laciniis illis ſolet, quibus herbæ rigantur. Tandem in globulis aut uvulis ſuis quieſcit, atque illic diuturna ſolis coctione, ſaliumque & ſulphurum nova ſemper acceſſione, ſaporem illum acquirit.

Quod jam ſuccum illum nutritium attinet, ejus ſingularem aliquam eſſe cir- 3
culationem, quemadmodum ſanguinis in corporibus humanis, aliqui ſtatuunt, & habetur ejus experimentum de Aloë Americana Sarratifolia, a Chr. Merretto prolatum & deſcriptum, *in Actis Philoſophicis Anglicis p. 455. Edit Angl.* Specimina quædam Obſervationum de circulatione ſucci hujus nutritii legantur *in Actis Philoſophicis Angl. p. 680.* & *800. Edit. Lat.* quo poſtremo loco elegans exemplum de ſucco betulæ proponitur. Primus forte de ea cogitavit D. Joh. Dan. Major, *aa*) cujus collectanea ea

aa) Primitias ſuarum de Circulatione Succi in Plantis Nutritii Meditationum D. Joh. Dan. Major, Med. Prof. Kilon. Anno jam 1665. Academiæ iſtius Natali, publicæ Eruditorum Cenſuræ ſubjecit, *in Diſſ. Botanica de Planta Monſtroſa Gottorpienſi*, Sleſvigiæ in 4to excuſa, p. 20. 27. ubi, novam iſtam doctrinam a nemine ante ſe ex profeſſo eſſe traditam, ſimul aſſerit.

ea de re ante aliquot annos vidi, quique non pauca habet experimenta, illuc ſpectantia. Legi etiam de hoc argumento poteſt Marcellus Malpigius in ſolertiſſimo opere *Anatomes Plantarum*, ubi, quæ ad ſucci hujus circulationem pertinent, ſumma diligentia exponit, & ceteroquin omnem plantarum familiam, earumque partium ſtructuram, admirabili magis, quam utili ſubtilitate, exponit, additis ſimul iconibus.

4 Tenendi hic ſunt Autores, qui de generatione, de arboribus, plantis, earumque cultura, ſcripſerunt. Sunt vero hic multi, qui hiſtorice magis, quam phyſice, illud argumentum tractant. Præ ceteris veteres hic Autores commendandi ſunt, qui de plantis ſcripſerunt, *Theophraſtus* ac *Dioſcorides*. Extat in Theophraſtum doctiſſimus Jul Cæſ. Scaligeri *Commentarius*. Quæ apud Dioſcoridem & Plinium occurrunt, ea magnam partem explicantur in Opere Salmaſiano *in Solinum* ſcripto, ubi, quod nomina plantarum attinet, & earum ſpecies, eruditiſſimæ ſunt Diſſertationes. Inſervire huic uſui, præter Medicum, etiam poteſt liber Caſp. Hoffmanni de *Officinalibus*. Cereros Scriptores Botanicos nunc non recenſebimus. Legatur Conringius *Introductione in Medicinam cap. X.* ubi omnium Botanicorum familiam, in quantum tunc temporis patuit, cum cura recenſet, interſperſo accurato ubique judicio. Fortaſſis & Simonis Pauli *Opus quadripartitum* aliqua docebit; ſed multa illic ſunt inutilia & aliena. Æg. Menagius quoque ſcripſiſſe ſe *Botanica* teſtatur *in obſervationibus in Malherbæ poëmata p. 395*. Gerh. Joh. Voſſius, *in Phyſiologia ſua Chriſtiana*, quanquam etiam medica, magis tamen hiſtorica, ſectatur. Ulyſſes Aldrovandus in *Dendrologia ſua*, Joh. Meurſius *in Arboreto* (quo Arbores, Diis Gentilibus olim conſecratas, tantum conſideravit) *ſacro*, Joh. Henr. Urſinus *in Arboreto Biblico*, Sam. Bocharus (cujus Opus peculiare *de Plantis S. Script.* exſpectatur poſthumum) *in Appendice Hierozoici*, hiſtorica tantum & philologica perſequuntur.

5 Videri etiam poſſunt Itineraria varia verſus Indias, in quibus ſi diligentiores fuerint Auctores in rebus peregrinis annotandis, multa ex illis capi poſſent de herbis, iis in locis creſcentibus. De Plantis Chinenſium multa Athan. Kircherus *in China illuſtrata*, Joh. Neuhoff *in Itinerario Chinenſi*, & Mich. Boym. *in Flora Chinenſi*. Braſilienſes plantas Guilh. Piſo ſingulari Opere recenſet. Thevenotius, variis in *Itinerariis*, Gallice ſcriptis, diligens quoque eſt earum rerum notator. Auctor quoque Gallus, qui *Inſulas Antillas* deſcripſit, cujus liber Francof. A. 1668. in 12. etiam in Germ. linguam converſus eſt, diligenter plantarum hiſtoriam enarravit. *Plantarum hiſtoriam earumque vires*, elegantibus carminibus, Lond. A. 1668. in 8vo editis, deſcripſit Abrahamus Cowlæus, Anglus.

6 Solent & hic aliqui eſſe occupati circa externas plantarum figuras, e quibus judicium de viribus plantæ ferunt. Oſwaldus Crollius, e Chymicorum familia ſingularem *de ſignatura illarum* librum ſcripſit, Joh. Baptiſta Porta autem primus, quantum memini, plenius paulo hoc argumentum, & magis philoſophice, perſecutus eſt in *Pythognomicis ſuis*, libro doctiſſimo, Francof. anno 1591. in 8vo excuſo. Jac. Bœhmius quoque *de ſignatura rerum* Tractatum emiſit Germanicum, ſed mire, ut omnia

omnia ejus ſunt, fanaticum, & in quo, non tam de plantis, quam de aliis rebus, agit.

CAP. XLI.

DE PROPAGATIONE ET MELIORATIONE PLANTARVM.

§. 1. *Artificia, ope nitri, plantas, arbores frugesque, ſertiliores reddendi.* 2. *Progerminationem item illarum e ſemine & incrementum accelerandi.* 3. *Agrum ipſum fœcundandi.* 4. *Varia propagationis plantarum & arborum genera. Rob. Scharrockii, Auſtenii, Joh. Evelini, ſcripta huc ſpectantia.*

Vidimus ſuperiori capite, quomodo vegetatio in plantis fiat, & quidem be- 1
neficio ſucci nutritii, cujus circulatione, lignique inde intumeſcentia, e certis quibusdam partibus fungoſioribus, gemmæ primum protrudantur, &, velut novæ aliquæ plantæ, prioribus innaſcuntur. Ideoque, quo magis ſuccus ille promovetur, vel ut ſit copioſior, vel ut eo vehementius propellatur, eo magis fœcunda fit arbor, vel tempus maturitatis præoccupat. Quod ſi ergo ſecreta quis quædam artificia noverit, iſtum ſuccum augendi, vel vehementius propellendi, is nova quidem opera & arcana præſtare poteſt in re vegetabili. Cum enim ſuccus ille nutricius multum habeat in ſe ſalis volatilis nitroſi, veroſimile eſt, certa quadam iſtorum ſalium præparatione, ita diſponi ſemina, vel radices, poſſe, ut fœcundiores ſint, vel in ramis, vel in fructibus proferendis. Experimentum ejus rei ſatis notum eſt, quoniam, præparatione quadam ſalis nitri & calcis vivæ, liquor aliquis parari poteſt, qui, ſi grano e. g. tritici imbuatur, ut in eo intumeſcat, ita auctam in eo videbimus vim particularum Elaſticam, particulis ſalinis turgentium, ut ex uno grano plus quam viginti interdum ſpicæ prodeant, ſingulæ granis ſuis conſtantes. Et fieri illud ſolet nonnunquam in agris, multo ſale nitroſo præditis, ut, citra artificium aliquod, prodeant ex uno grano plures ſpicæ.

Sotent etiam jactari quædam artificia de herbis & leguminibus quibusdam, in- 2
tra tres quatuorve horas e ſemine producendis. Honor. Fabri tribuit vim illam ſeminibus aceto maceratis, quod an fieri poſſit, ambigo. Exiſtimaverim enim, acetum tardare magis potentiam illam vegetativam, quam promovere. Claud. Sorellus, in ſua *Scientia Univerſali, cap. de uſu & perfectione plantarum*, methodum quoque præſcripſit, ſed admodum difficilem, quam bona fide communicabo; experiatur, cui otium eſt ad talia. Recipiatur terra perfecte miſta cum bono fimo, & addantur cineres moſci; illam maſſam oportet irrigare ſucco fimoſo multis vicibus, & ſemper iterum ſiccare ad ſolem. Iſta terra curioſe ſervetur, poſtea immittatur vaſi cuidam figulino, manibus probe ſubigatur, & per vices ſemper ſucco fimoſo irrigetur. Vas illud ponatur ſuper ignem, qui convenienter ſecundum gradus poſſit

dirigi; huic terræ immittantur ſemina lactucæ, per noctem ſucco fimoſo, vel alio liquore, macerata, cumque terra ſicceſcit, ſemper irriganda eſt aqua pluvia tepida, & exiguo temporis ſpatio videbimus prodire herbas, & ad viſum oculi creſcere, cum magna admiratione ſpectatorum. Hæc experiatur, qui volet. Quod vero intra trium quatuorve horarum ſpatium fieri poſſit plantæ productio, id niſi *αὐτόπτης*, non facile crediderim. Certe Robertus Scharrockius, qui *de propagatione vegetabilium per concurſum artis & naturæ* ſingularem librum Anglicum, nec inelegantem, ſcripſit, Londini A. 1660. *in 8vo* editum, teſtatur, multis experimentis nihil ſe effeciſſe, ideoque inter fabulas referre videtur omne id, quod ea de re a quibusdam dicitur.

3 Ad meliorationem plantarum & fructuum pertinet cultura ipſius agri. Eodem enim res recidit, ſive liquore aliquo ſemen extra terram præparetur, ſive terra ipſa admiſtione variorum fermentorum & ſalium ita præparetur, ut agere in ſemina poſſit; mediantibus enim ſalibus iſtis fit fœcundatio.

4 Propagatio plantarum varia eſt e ſemine, radicibus, bulbis, cineribus, e ramis abſciſſis & terræ inſertis, ac e gemmis. Et ſunt in ſingulis ſuæ quædam obſervationes, de quibus plena manu rei hortenſis Scriptores agunt. Vel ex inoculationibus & inſitionibus apparet, ramos & gemmas novas eſſe plantas, ut volebat Honor. Fabri; qua enim parte compinguntur, ſive rami, ſive gemmæ, quaſi incorporatur novo ſtemmati ſurculus & gemma, & ſucco nutritio communi paſci incipit. Videantur de modis meliorandi & propagandi arbores, & plantas, & flores, Scharrockius in eo, quem modo laudavi, libro, & Auſtenius, itidem Anglus, *in Tractatu de arboribus frugiferis,* ubi & omnes illas propagationis ſpecies examinat, & ad experimenta Baconiana, quæ in *Sylva Sylvarum* occurrunt, notas quasdam, non inutiles, adjecit. Hic liber ejus triginta ſeptem annorum experientia ab eo excultus eſt, editusque Anglice Oxon. anno 1665. *in 8vo.* Eſt & nobilis cujusdam Angli, Johannis Evelini, liber, cui titulus *Sylva & Pomona,* Londini *in folio* editus, quo multa continentur curioſa de plantatione Sylvarum arborumque, ad architecturam præcipue neceſſariarum, & de cultura arborum frugiferarum. Ejus libri, in Latinam linguam converſi, titulus occurrit in *quodam Francofurtenſi Catalogo,* ſed nunquam impreſſum me videre memini.

CAP. XLII.

DE AGRI-VITI- ET HORTI-CULTURA, VINO, ET VARIIS POTUUM GENERIBUS.

§. 1. *Scriptores aliquot Agriculturæ & Horticulturæ veteres ac recentiores.* 2. *Scriptores varii, de vite, viticultura & vino.* 3. *De Cereviſia, & potu, ex pomis pirisque confecto.* 4. *De re cibaria, calidæ & frigidæ potu, Tabaco ac herba Thee.*

De

De Agri- & Horticultura hoc in loco non inconvenienter agi poſſet, quan- 1
doquidem ad plantarum propagationem, & arborum, Agricultura magnum adfert ſubſidium. Ob fruges præcipue, quibus veſcitur humanum genus, terræ melioratio & cultus conſiderari debet. Verum, quoniam ſupra, *Cap. de Terra*, aliqua dixi de hoc argumento, nolo operoſus hic eſſe. Saltem Autores aliquos nominabo, quibus feliciter hoc in genere uti poſſumus. Sunt *Autores* vetuſti *Græci Geoponici*, qui de argumento hoc ſingularibus libris aguut, quorum plenam & emaculatam editionem admodum deſiderant Angli. Sunt & Latini Autores, Palladius, Columella, Varro, qui *de re ruſtica* ſingulares Commentarios ſcripſere, nec omittendus eſt Virgilius. Inter recentiores commendari debet Caroli Stephani *Prædium, ſive de parando & inſtruendo prædio Lib. utiliſſimus*, in quo omnia continentur, quæ ſpectant ad agri- & horticulturam. Ceteros enumeratos vid. in Wolfii Helmhardi, Baronis ab Hohberg, præfat. *Georgicæ Curioſæ*, Germanice Norib. A. 1682. *in folio* editæ. Horticulturam, præter Scriptores rei Ruſticæ veteres, qui tamen leviter ſaltem attingunt, aliqui e recentioribus plenius tradidere. Optimus omnium, tam ratione culturæ ſoli, quam ornamentorum, videtur Joh. Sig. Elsholtzius, in Lib. Germ. *de Horticultura in 4to* editus. Renatus Rapinus, Jeſuita, carmine omnium elegantiſſimo, & plane Virgiliano, de eadem eſt commentatus, addita *Diſſ.* brevi *de cura hortorum.* Sed nec contemnendus eſt Per. Laurembergii *de Horticultura Liber.* Antonii Mizaldi *liber de ſecretis hortorum* multa quidem immiſcet digna indigna relatu, fabuloſa & ſuperſtitioſa. Sed verum tamen de illo iſtud Horatii: *Cum fluveret luculentius, erat, quod tollere velles.*

Vitis cultura præ ceteris commendabilis eſt, cujus hiſtoriam prolixo libro 2
deſcripſit Phil. Jac. Sachſius in ſua *Ampelographia*, quo refert omnia, tam Medica, quam Oeconomica. *De inſignibus viticulturæ erroribus* Auguſtus Hauptmannus librum ſcripſit; eſtque, qui nuper, publicato libello, vineas in Anglia plantari poſſe, oſtendere voluit, Johannes ſcil. Roſa, Hortulanus Regius, lib. cui titulus: *The Engliſch Vinegard vindicated.* Liquor, qui ex uvis exprimitur, vinum vocatur, cujus laudes in omnium ore, ut ipſum in omnium appetitu eſt. *Hiſtoriam natalem vinorum* ſcripſit Andreas Baccius, *deque vino Italico, conviviis antiquorum & cereviſiis*, Romæ anno 1596. editam. Potum ejus diſſuaſit eleganti libello Hadrianus Turnebus, qui, vereor, ne ſurdis narret fabulas; paucis enim placet tam ſobria Philoſophia. Additur is libro J. Henr. Meibomii *de cereviſiis.* De modo vina conſervandi, ac perdita recuperandi, ante aliquot annos, autor quidam Anglus ſcripſit, cujus libri, Lond. A. 1669. *in 8vo* editi, titulus eſt: *The myſtery of Winthners.*

Æmulus vini potus *cereviſia* eſt, Poëtarum Aſinus, ut quidam jocabatur, quem- 3
admodum vinum Poëtarum equus. De hujus præſtantia præ vino exſtat elegans con-

concertatio *Franciſci Guieti*, Galli, & *Hugonis Grotii*, Belgæ, quorum ille pro vino, alter pro cereviſia ſcripſit, quanquam ille inficete, hic eleganter. De variis cereviſias parandi modis vellem hiſtoria aliqua conderetur, publice enim utilis eſſet. *De cereviſia* librum conſcripſit Mart. Schoockius, doctius vero pleniusque illud argumentum tractavit *Johannes Henricus Meibomius*, (Vir, tam in Medicina, quam Hiſtoria, doctiſſimus, qui pauca quidem ſcripſit, ſed eximia) libro ſingulari, quem filius ejus nuper Helmſt. A. 1668. *in 4to* edidit, in quo accurate de variis veterum recentiorumque potibus & ebriaminibus, extra vinum, diſſeritur. Habent & cereviſiæ ſuos morbos, de quorum remediis aliquis Juſtus Stengel Erfurti A. 1626. edidit die bewehrte Bier-Künſte, *in 8vo.* Fuit Anglus nonnemo, qui, unica gutta præparati liquoris rubri, in momento vina & cereviſias corruptas, per fermentationem inſtantaneam, reſtituere potuit. Potus vini etiam æmulus ille eſt, qui ex pomis & piris conficitur, cujus parandi rationem optimam integro libello nuper deſcripſit Anglus quidam. Titulus libri eſt, *Vinetum Britannicum.* Addit quoque inſtrumenti aut molæ alicujus deſcriptionem, cujus beneficio facile comminui poſſint poma, aliique fructus, & ſuccus inde commode extrahi. Diſſertationes ſuper hoc argumento inſtitutæ admodum utiles ſunt. Omnes enim fructuum ſpecies recenſet, & de eorum aptitudine, vel ineptitudine, ad potus tales conficiendos, judicat.

4 Quantum e plantis ad rem cibariam pertiner, argumentum hoc tractant Johannes Bryerinus, Franc. I. Reg. Gall. Medicus, *Lib. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. de re cibaria*, & Ludovicus Nonius *in Dietetico. De potu calidæ* Joh. Freinshemius diſſertatiunculam ſcripſit, ubi de herbis Indorum quibusdam, earumque decoctis, quæ calida bibuntur, etiam agit. Apud Orientales enim frequens calidæ potus eſt. *De gelidi potus abuſu* Nic. Maſinus ſcripſit. Veteribus etiam incognitum fuit monſtroſum ebrietatis genus, quo fumo Tabaci paſcimur, ſive veſcamur eo, ſive bibamus. Mirabiles ejus virtutes aliqui in cœlum extollunt, aliqui ad tartara illum deprimunt. *Panegyricum* Tabaco ſcripſit elegantiſſimum, & quidem poëticum, ſive *Hymnum Tabaci*, (nam & tabacus Poëtas facit, non vinum tantum,) Raphaël Thorius, Medicus Londinenſis, *libris duobus; Orationem* vero *de eo* Jac. Tappius, Profeſſor Helmſtadienſis; Rex autem contra Britanniæ, Jacobus I. *integram Declamationem adverſus Tabacum*, quæ reperitur inter *Opera* ejus, *in folio* edita. Extat & Satyra Poëtica lepidiſſima Jac. Baldæi, Germ. verſa, contra abuſum Tabaci: Die truckene Trunckenheit. Joh. Tarter fabulam *de origine tabaci* verſibus Belgicis expoſuit elegantiſſimis. Scripſit & Joh. Neander *Tabacologiam*, & Æg. Eberhardus *de Herba Panacæa, ſeu Tabaco.* Quæ omnia, cum *Luſu* Jacobi Regis, & *Hymno* Thorii, junctim Ultrajecti A. 1664. *in 12.* prodierunt. *De abuſu Tabaci & herbæ Thee* D. Sim. Pauli, Archiater Danicus, Argent. A. 1665. & 1681. *in 4to Commentarium* publicavit.

CAP.

CAP. XLIII.

MISCELLA QUÆDAM DE HERBIS, PLANTIS ET ARBORIBUS, EXHIBENS.

§. 1. *De Plantarum viribus Medicis, illarumque cauſis, Honor. Fabri conſulendus.* 2. *Scriptores de plantis quibusdam ſingularibus, Malo aureo & Citreo, Tabaco, Moro, Opio, Mandragora, Tulipis, &c.* 3. *De Nepenthe, it. Homerico, Urtica & Roſa. Verulamii* Sylva Sylvarum *commendatur.* 4. *Vires plantarum quarundam Magicæ explodantur.*

Quod ſi omnia illa, quæ de plantis habentur, recenſere hic velimus, volumi- 1
nis illa res eſſet. Et ſunt multa in iis admodum fabuloſa, qualia paſſim in ſecretorum libris occurrunt, aut in anilibus comitiis ſolent frequentari. Generatim quod attinet virtutes plantarum, eæ ſunt vel medicæ, vel fluunt e proprietatibus earum. Quod nonnullæ vi purgante polleant, quod ad vomitum provocent, urinam, ſudorem excitent, ſanguinem ſiſtant, lac generent, coagulent, abortum provocent, vermes necent atque expellant, ebrietatem concilient, venerem excitent, venenoſæ ſint, aut venena pellant, id omne provenit ex varia earum temperie, ſæpe etiam pendet ex partium diſpoſitione. De his quoniam ad rem medicam pertinent, non eſt opus, ut multa diſſeramus, quandoquidem illa omnia utili compendio complexus eſt Honoratus Fabri *libro ſecundo de plantis*, ubi rationes illorum phyſicas ſuccincte recenſet.

Nos, quaſi per lancem ſaturam, aliqua enarrabimus de ſingularibus, earum- 2
que Scriptoribus. *De cultura pomorum aureorum, & mali Citrei*, Joh. Baptiſta Ferrarius integrum volumen *in folio* ſcripſit; cujus Epitomen dedit Herm. Grubius *in Analyſi mali Citrei*, carmine, cui titulus: *Horti Heſperidum*, eandem deſcripſit Joh. Jovianus Pontanus. De inoculatione arborum mali citrei & aurantii, unde fructus oritur inter geminas ſpecie quaſi medius, vid. *Acta Philoſophica Anglica pag. 553. Editionis Anglicæ.* *Culturam Tabaci* Johannes Neander ſingulari libro deſcripſit cum Iconibus, cui additus eſt *hymnus* Raphaëlis Thorii. *De abuſu Tabaci* & *herbæ Thee* Simon Pauli egit. *De Moro*, quomodo præparari debeat pro alendis bombycibus, *de ceraſorum melioratione, de Aloë Americana*, (ad cujus hiſtoriam ſpectantia D. Joh. Dan. Major in Scripto *de Aloë Gottorpienſi* diligenter congeſſit) de variis vegetabilibus Orientalium, paſſim *Acta Philoſophica Anglicana* egerunt. *De Aromatibus* Tractatum editurus erat Salmaſius, teſte Craſſo *in Elogiis hominum literatorum, Tom. 2. p. 221.* De *Abſinthio* & *Croco* ſingulares libri a quibusdam naturæ curioſis editi ſunt. *bb*) *De Opio* Joh. Freitagius ſcripſerunt & Georg. Wolfg. Wedelius. Singula-

bb) De Abſinthio, ex Academiæ Naturæ Curioſorum Germaniæ Collegis, hujus Præſes, D. Joh. Mich. Febrius, Poliater Svinfurtenſis, edidit *Hierapicram Curioſam, ſive Abſinthii Hiſtoriam. Medico-Chy-*

gularem quoque librum *de eo* parat Ol. Borrichius, & ſcripturus quoque fuiſſet rariora quædam Martinus Fogelius, ſi vixiſſet. *De Mandragoræ radice* multæ ſunt hominum ſuperſtitioſorum fabulæ, & Diſſertationem ſcripſit Jac. Thomaſius, ſatis cūrioſe hiſtoriam ejus recenſentem, ſcripſerat quoque ante illum Sam. Bochartus, ut ipſe refert in Hierozoico ſuo. *De Tulipis* egit peculiari Diſſertatione Martinus Schookius.

3 *De Nepenthe Homeri* peculiarem librum ſcripſit Petrus Laſena, Jurisconſultus Neapolitanus, teſte Craſſo *in Elogiis pag. 234. part. 1. cc*) *De Nardo & Epithymo* exſtat Joh. Fabri, Medici Romani, *Diſp.* adverſus Joſ. Scaligerum, addita *Scaligero Hypobolimæo* Scioppii, qua arguit Scaligerum, male de Croco explicantem verſum Propertii *L. 4. El. 3. Terque lavet noſtras Spica Ciliſſa comas. Urticam* eleganter delineavit Rob. Hookius *in Micrographia ſua p. 142.* repræſentat enim aculeos pungentes, qui efficiunt uſtulationem illam, ſimulque & de aculeis aliarum venenatarum plantarum agit, nec non de ſucco urticæ, in quo etiam aculeos deprehendit, quos comparavit cum aculeis inſectorum quorundam & crabronum. In *centuria ſexta Sylvæ Sylvarum* Verulamii; & paſſim per totum librum, experimenta multa circa fructus & plantas occurrunt, circa earum degenerationem, transmutationem, durationem, excreſcentias, ſupervegetationes, amplificationes, diminutiones, figurarum variationes. De magna quadam eſſentia vegetabili, qua aſſumta plumæ & ungulæ animalibus, pili & ungues hominibus excidant, videtur Rob. Boylius *in libro de uſu naturalis Philoſophiæ. De Roſa* Joh. Car. Roſenbergius quidam egit *in Rhodologia*, Argent. An. 1628. in 8vo edita. Sed Panegyrica Phylicis miſcet, phylica vero parce & jejune tractat.

4 Multæ quoque referri ſolent herbarum vires ſecretæ & magicæ, quales paſſim in libris ſecretorum occurrunt. Ita referunt de quadam planta latronibus cognita, quæ ferrum ſecet, ſerasque aperiat. Referunt de foliis quibusdam ambulantibus. Referunt de plantis, quæ dæmones fugent. Sed in iis, uti dixi, fabuloſa multa occurrunt & ſuperſtitioſa, multa etiam plane ſunt nugatoria, quibus non opus eſt, ut immoremur.

CAP.

nicam, Lipſiæ A. 1668. in 8. de Croco autem D. Joh. Ferd. Hertodius, Medicus in Moravia Brünnenſis, *Crocologiam, ſeu Curioſam Croci, Regis Vegetabilium, Enucleationem.* Jenæ 1671. in 8vo.

cc) Exſtat etiam recentior Pet. Petiti *Diſſ. de Nepenthe Homeri, ſive de Medicamento Helenæ, luctum omnemque animi ægritudinem abolente, & aliis quibusdam, eadem facultate præditis*, Trajecti an. 1689. in 8. edita a Joh. Georg. Grævio, cui ab autore illa eſt inſcripta. Conjicit autem ille, per Nepenthes eſſe intelligendam radicem Oenopiam ſive Oenotheram, & de Per. Laſenæ Libro exiliter judicat. V. *Acta Erud. Lipſ. M. Nov. A. 1689. pag. 575. 578.*

CAP. XLIV.

DE ZOOPHYTIS UBI ET DE SENSU PLANTARUM.

§. 1. *Zoophyta deſcribuntur.* 2. *Thom. Campanellæ & Franc. Rhedi pro ſenſu plantarum argumenta proponuntur ſimul & rejiciuntur.* 3. *Ex Zoophytis ſenſu carere oſtenditur fungum quendam marinum, herbam atque arborem pudicam,* 4. *Agnumque vegetabilem* Boranez. 5. *Anſeres autem Schoticos, quos* Bernaclas *vocant, veras eſſe aves, ex ovis prognatas.*

Eſt quoddam plantarum genus, quod mediæ naturæ inter plantas & animalia eſſe perhibetur, ZOOPHYTA ſc. ſive Plantanimalia. Dicuntur vero ideo Zoophyta, quod figura & conformatione corporis ad plantas, motu & tactu vero ad animalia accedant, ac potentiam ſe dilatandi & contrahendi habeant. 1

Atque hic primo in genere tenendum eſt, fuiſſe aliquos, qui omnibus indiſtincte plantis ſenſus adſcriberent, putarentque, ideo ſenſum etiam plantis competere, quod in animalibus ſentiendi potentiam propagarent, quo argumento præcipue uſus eſt Thom. Campanella in *libris* ſuis *de ſenſu rerum.* Franciſcus quoque Rhedus, *in libro de generatione inſectorum,* ideo plantis ſenſum adſcripſit, quod inde naſcantur animalcula, atque hinc novum aliquod paradoxon conſtituit, plantas, præter vitam vegetativam, etiam ſenſitiva gaudere, qua mediante habiles fiant ad generanda iſta animalcula, quæ a ſe producuntur. Habet & hoc pro argumento ſentientis naturæ, quod plantæ inſtar animalium nutriantur, creſcant, ſemenque pariter & fructum producant, & anxie ſolem ac apertum aërem quærant. Addit præterea: *quis ſcit? ſi non usque adeo alte in terra radicatæ eſſent, & pedes organaque vocis haberent, an non vitaturæ eſſent lædentem, & læſæ lamentis & verſibus dolorem ſuum teſtaturæ.* Quæ certe argumenta omnia magis Poëtica licentia conficta videntur, quam aliquid e vero trahere. Nutritio enim & incrementum non ſtatim ſenſum infert. Quod ſi organa vocis haberent, ut ille argumentatur, non jam plantæ amplius eſſent, ſed animalia, idemque valet, ac ſi argumentarer: Si aſinus volat, habet pennas. 2

Quod vero hiſtoriam iſtius fungi marini attinet, qui ad cultrum admotum ſe contraxerit & corrugaverit, res eſt amplius indaganda. Sunt interdum motus quidam in plantis tenerioribus & fungoſioribus, qui ſpontanei videntur, & a facultate quadam ſentiendi procedere, cum tamen, ſi recte rem conſideres, motus ille ab externo agente imprimatur. Cujus naturæ ſunt illæ, quæ in exemplum adferri ſolent, plantæ, ut herba viva, quæ ab Arabibus & Perſis *Sulve* vocatur, & cui Philoſophi *pudicæ* vocabulum indidere. Illa, ſi levi manu attingatur, illico refugit, contrahiturque, mox, ſubducta tangentis manu, paulatim erigitur, & priorem ſitum repetit. Cujus rei cauſam nemo melius oſtendit, quam Henricus Regius, *lib. 4. phi-* 3

philoſophiæ naturalis, e quo transſumſit illam Antonius Grandis *in hiſtoria naturali p. 305.* Ubi pene mathematica demonſtratione oſtendere laborat, quomodo res illa procedat. Supponit 1) magnam hujus plantæ teneritudinem, quæ levi contactu quodammodo ulceretur & contundatur; 2) nervos quosdam interiores eſſe exterioribus ampliores, quo fiat, ut halitus ex terra majori copia in ſuperiores foliorum fibras transmittantur, quam inferiores; unde, manu ſuperioribus foliorum partibus admota, ſpiritus in illis partibus contenti per nervos interiores deorſum ferantur. Ex quo poſtea inſequatur illa foliorum contractio & explicatio. Quam rationem prolixius, & ſecundum omnes particulas illic explicat. Eſt & pudiferana arbor, ut appellatur, quæ non hominis tantum manum, ſed & afflatum ejus, odiſſe dicitur, atque ad ejus acceſſum refugere. Qua in re non opus eſt, ad ſenſum aliquem confugere. Poteſt enim variatio aëris, plantam circumſiſtentis, & cum ſuperficie ejus ſingulari quadam ratione connexi, quæ fieri per halitus admixtos poteſt, ut ipſe expanditur vel contrahitur, ſuperficiem plantæ immutare, ut, contractione quadam ab externo aëre illi incuſſa, moveri ſponte videatur.

4 Referunt quoque de vegetabili quodam Tartariæ, quod agno perquam ſimile ſit, *Boranez* lingua Tartarorum vocatum, de quo Andr. Libavius Diſſ. egit peculiari. Olearius *in Itinerario Perſ. lib. 3. c. 2.* facit ſpeciem aliquam peponum, figura externa referentem agnum. Caulis umbilico affigitur, quo convertitur, gramen exareſcit, quod illi vocant depaſcere. Ubi maturuit, lanugine quadam, agninæ ſimili veſtitur. Scaliger addit, etiam pedes illi eſſe, ungulas, caput & carnem, ſapore cancris ſimilem, ex vulnere fluere ſanguinem, lupos quoque illi inſidiari. Sed non placet mihi, ſenſum huic vegetabili attribuere. Similitudo enim animalis non ſtatim facit animal, ut radices quædam, humanam ſpeciem habentes, non ſtatim hominem. Qui ſanguis aliquibus viſus eſt, ſuccus forte ruber eſt, huic fructui, quemadmodum Betis, proprius. Lanuginem etiam alii fructus habent. Gramina exareſcunt fortaſſis, quod ſuccus nutritius illis ſubducatur.

5 Referuntur etiam multa de *anſeribus Scoticis*, quos in arboribus creſcere aliqui exiſtimant, qua opinione Viri etiam docti ſibi placuere. Michaël Mayerus, Vir ſane doctiſſimus, ſingulari *libro de volucri arborea* ſcripto, & Franc. An. 1619. in 8vo edito, hujus rei veritatem oſtendere voluit, ac multis aliis exemplis in natura confirmare; ſed falſus ille eſt. Nam hodierna experientia docuit nautas, anſerculos illos generari more naturali, & quemadmodum aliæ aves generari ſolent, per excluſionem ex ovis. Nidulantur enim illi in rupibus & deſertis ſeptentrionis locis, ubi infinito numero excluduntur anſerculi illi, ſive anates, quæ *Bernaclæ* dicuntur. Quod cum ignorarent homines, qua ex regione provenirent, neſcii, finxerunt tam ſtulta & abſurda, ut vel ex ſpuma maris, quemadmodum Poëtæ Venerem, natos crederent, vel ex conchyliis oſtreisque marinis in aves mutatos, imo alii in arboribus creſcere putarent, inducti quibusdam indiciis, quibus id evincere ſe poſſe videbantur. Anatomen earum avium inſtituit Sengverdus, qui *Exercitationum Phyſicarum ſuarum 44.*

reſta-

teſtatur, plurima ſe ova in illis ſæpe obſervaſſe. Sunt enim fœcundiſſimæ, ut jam nullum amplius dubium ſuperſit, eas, pari ratione cum ceteris avibus, ex ovis eſſe excluſas.

CAP. XLV.

DE GENERATIONE ANIMALIUM ET PRIMUM QUIDEM DE INSECTIS.

§. 1. *In Generationis animalium ſcrutinio perdifficili, rejectis Ariſtotelicorum tricis, Anatomicorum obſervationes his ſunt præferendæ.* 2. *Commendatur inprimis diligentia Guilh. Harvei, qui ſeminis maſculini nihil in utero deprehendi, obſervans, nihil iſtud ad generationem conferre ſtatuit, impugnatus idcirco, ſed ineaſſum, a Jano Orchamo, ſive Joh. Vorſtio.* 3. *Animalia omnia, juxta obſervationes Harvei, imo & homines, uti Theod. Kerckringius detexit, ex ovis generari oſtenditur.* 4. *Cenſura de doctrina, cum Peripateticorum de anima brutorum ſenſitiva, ejusque facultatibus, tum Carteſianorum, iſtam negantium, omnesque brutorum, quæ automata ipſis ſunt, actiones a ſolo motu derivantium.* 5. *Admiranda inſectorum ſtructura. Hiſtoriæ illorum Scriptores, quos inter recentiorum, Rob. Hookii, J. Bapt. hodiernæ (qui* oculi muſcæ *dedit* anatomen,) *Joh. Gædarti, Joh. Schwammerdammii (qui apum regem fœminam eſſe obſervavit,) Franc. Rhedi (generationem negantis dari æquivocam) & Joach. Jungii ſolertia inprimis laudatur.* 6. *Unde vermiculorum in caſeis multitudo?* 7. *Judicium de Wilh. Ramſey* libro de vermibus corporis humani. *Aug. Hauptmanni* Mors viva, *in vermem eam transformans.* 8. *Scriptores varii de inſectis ſpecialibus, bombycibus, apibus, curculionibus, formicis (quarum ſpiritus medicamentum eſt Mnemonicum,) tarantulis, araneis, pulicibus, & locuſtis, quas comedit Joh. Baptiſta.*

1 Pervenimus nunc ad materiam omnium difficillimam, ANIMALIUM ſcil. GENERATIONEM; quæ quanquam ſit vulgo obvia, quanquam ab Anatomicis ita examinata, ut nihil addi a quoquam poſſe videatur, quo tamen illa explicatior videtur, eo magis, cum ad principia perveniendum, intricata eſt, & ubique ſpeculatores ſuos detinet. Non eſt opus, ut e Peripateticorum ſcholis anxie repetamus illa, quæ ipſi habent, de ſubordinatis animarum vegetativæ & ſenſitivæ miniſteriis, quæ illi, quaſi diribitores quidam & metatores, ita diſperriuntur, ac ſi ipſi functionibus iſtis reſtes ſint propius admiſſi. Nolumus, quas illi de materia & forma habent, inutiles plane & deſperatiſſimas tricas magno conatu hic recenſere. Excutiamus potius Anatomicorum ſagaciorum obſervationes, atque illic veſtigia generantis naturæ ſequamur, quæ ſuos ſecundum ſubjecta certos terminos & modos habet. De quibus in univerſum diſſeri non poteſt.

2 Nemo majorem hic adhibuit diligentiam, quam diligentiſſimus Guilh. Harveus, qui incredibili labore generationis vias, per incubationes ovorum ſucceſſivas, ita inquiſivit, ut addi nihil poſſe videretur: additis etiam aliis obſervationibus, quas in gravidis animalibus inſtituit. Nihilominus tamen, poſt tot ejus labores, ſecuti ſunt alii, qui acutius quædam viderunt. Demonſtravit vero Harveus, adeo nihil ſeminis maſculini in utero fuiſſe animadverſum poſt ipſam conceptionem, ut ſtatueret, nihil omnino contribuere ſemen ad generationem animantis. Quæ ſententia cum videatur *παραδόξος*, aliquibus non eſt ad palatum, impugnaturque a multis, quanquam plurimi ſint, qui illam ſequantur. Ideoque Janus Orchamus, vel, qui ſub eo ficto nomine latet, Johannes Vorstius, *conjecturam de generatione animantium* propoſuit, obſervationi iſti Harveanæ ſubmiſſam, & Col. Brandeb. An. 1667. in 12mo editam, qua in dubium quidem non vult vocare experientiam Harveanam, ſed aliqua tamen comminiſcitur, quo inter Harveanam & vulgatam ſententiam conciliationem quandam inſtituat, ea ratione motus, ne vetus pervulgataque omnium gentium opinio per ſententiam Harveanam concidat. Operoſe is primum adducit varia ſcripturæ loca, varia item Hippocratis teſtimonia, aliorumque Medicorum & Philoſophorum, quibus innuitur, ſemen animantium in ipſum uterum penetrare, atque inde, velut ex materia, fœtum fieri. Ideoque, ut ſalvet & Harvei, & veterem illam ſententiam, exiſtimat, materiam ſeminalem, in uterum delatam, vi caloris in minimas particulas reſolvi, ut conſpici nequeat, idque ſtatim a tempore congreſſus, quo Harveus ſectiones ſuas inſtituit, aliquanto autem poſt minimas illas particulas rurſus colligi, & primo manticæ, inque illa contento liquori; deinde ipſi fœtui, materiam præbere. Quam ſententiam ſuam etiam ex eo firmat, quod Harveus teſtetur, uteros damarum ac cervarum, primis poſt coitum temporibus, majores ac craſſiores fieri, quod ille fieri exiſtimat ab illa liquoris ſeminalis rarefactione & diſperſione. Hæc ille Autor operoſe ſatis disquirit, quo tamen, ut puto, labore ſuperſedere poterat. Utut enim Harveus non ſtatuat, pertingere ſemen in uterum, tamen ſpiritum quendam ejus aut odorem, eo pertingere poſſe non negat. Ideo tamen aliquid ſeminis illuc transfertur. Nec itaque concidit, per ejus obſervationes, vetus illa & pervulgata Gentium opinio.

3 Debet vero obſervatio ejus, circa ova inſtituta, nobis eſſe in pretio, cum ovorum illa contemplatio unice illuſtret doctrinam generationis. Legatur itaque illa diligenter apud Harveum hiſtoria, & quicquid ex eo in Epitomen redegit Honoratus Fabri, *in libro de generatione animalium.* Nunc enim ſolertia recentium Anatomicorum obſervavit, omne animantium genus ex ovis prodire, & ipſos quoque homines, uti Theodorus Kerckringius, in *Anthropogeniæ ſuæ Ichnographia*, demonſtravit. Reperiuntur ea in teſticulis, non fœminarum tantum, conjugio adſuetarum, ſed etiam virginum, non ſecus ac fit in gallinis, quæ ova ponunt, etſi ignorent galli conſuetudinem. Sunt hæc ova piſi viridis magnitudine. Intus latet humor, qui, ſicut aliorum ovorum albumen & vitellus, dum coquitur, indureſcit. Fuerunt & ab aliis, ante Kerck-

Kerckringium, iſta ova obſervata, ſed neminem ſuſpicio eo deduxit, ut ex iis formari fœtum crederet. Iſtud ovum, odore ſeminis maſculi fœcundatum, ad uterum tranſit, &, intra ſpatium duorum vel trium dierum, ad magnitudinem ceraſi majoris nigri excreſcit. Quod directe impugnat Harvei obſervationem, qui exiſtimat, in cavitate uteri, per aliquot dies, poſt coitum, nihil deprehendi. Et hæc ova, non a conjugatis tantum, ſed & a virginibus, ſæpiſſime excerni, præſertim cum ſanguinis menſtrui fluxu, aut ſtimulante libidine, ex relationibus nonnullarum notavit Kerckringius. Multum exercuerunt Kerckringianæ iſtæ obſervationes Viros doctos, & ſtatim ſunt translatæ in linguam Gallicam a Joh. Bapt. Dionyſio, Medico Regio, *in memoriis ſuis ſpectantibus ad artes & ſcientias.* Cujus extant ſuper hoc argumentum quædam, ut vocat, *Reflexiones*, quibus aliqua dubia proponit, ita tamen, ut propendere magis in illam ſententiam videatur. Nunc vero illa opinio ita obtinuit, ut pene pro demonſtrata habeatur a plurimis, quanquam non deſint, qui aliqua ſuper hac doctrina dubia habeant.

Animantibus ſenſitivam animam tribuunt vulgo Peripatetici, de qua, cujus 4
naturæ ſit, obſcure determinant, in eo tamen conveniunt, naturæ eſſe corporeæ, quanquam Joh. Marcus Marci, in quibusdam a Peripateticorum ſententiis diſcedens, eam ſuperſtitem velit corpori. Carteſius, aliique recentiores, qui formalem rationem animæ humanæ conſtituunt in cogitatione, animam ſenſitivam purum putum figmentum habent, eamque ſentiendi facultatem in ſolo motu putant conſiſtere, & a mechanica corporis diſpoſitione dependere, quæ tamen ſententia, an vero ſit conſentanea, non ausim ego determinare. Actiones ſcil. illæ brutorum, quæ in nonnullis reperiuntur, pene humanis ſimiles, videntur teſtari de aliqua diſtincta ab ipſo corpore eſſentia, in quam tales actiones cadant. Quanquam enim non deſint Carteſianis, quæ ad illa reſpondeant, ea tamen non videntur usque adeo rem omnem conficere. Studioſe omnia illa congeſſit Anton. le Grand *in Diſſertatione de carentia ſenſus & cognitionis in brutis.* Legatur & Henrici Mohri *Epiſtola*, quam ad Carteſium ſuper hoc argumento ſcripſit, quæ reperitur *in Operibus* ejus *Philoſophicis Latino-Anglicis*, nec non ejusdem *Enchiridion Metaphyſicum*, ex ſola mechanica materiæ diſpoſitione omnes operationes deducentibus oppoſitum, inprimis *cap.* 24. Peripatetici fortaſſis nimium ſapiunt circa animam brutorum inveſtigandam, quando in tot facultates & potentias diſtinguunt, quæ tamen nihil ſunt, quam nuda nomina. Carteſiani (quorum ſententiam etiam Honor. Fabri, Ariſtotelicus, *in lib. de plantis ac generatione animalium*, ferme ſequitur) nimium hic videntur paradoxi, cum animal non aliter, quam Automaton, conſiderant, cujus motus interior, quem ſenſationem dicimus, ab objecto aliquo proveniat. Sed illa lis fortaſſis in æternum non decidetur; utrique enim parti ſua ſunt argumenta, e domeſticis principiis formata, quæ cum non demonſtrari poſſint, an vera vel falſa ſint, aut eam certitudinem habeant, ut ſtatim aſſenſum eliciant, non eſt, ut aliquam in ſententiis iſtis certitudinem expectemus. Subtilitas enim rei intellectus noſtri anguſtias excedit. Non eſt veroſimile, cum

videamus in vegetabilibus, aut in animalibus ipſis, mirabiles iſtas partium conformationes, & ex eo occultum aliquod principium movens ſpirituale agnoſcamus, illud in motu animalium tam ſubtili, qualis eſt in ſenſatione, non ſubeſſe.

5 Ideoque, miſſis his, veniemus ad animantium genera, & primo de *inſectis* videbimus, quorum conſideratio, pro ſubtilitate objectorum, ſubtilior eſt. Nusquam enim majora naturæ miracula, quam in minimis, conſpiciuntur, ut recte dixerit Boylius, magis eſſe admirandam proportionem illam inſecti, quod vocatur *Acarus*, quam Elephanti. *Hiſtoriam inſectorum* ſingularibus quidem libris habemus traditam a *Conr. Geſnero, Ul. Aldrovando, Sam. Bocharto,* qui, ut de omnibus animantibus, ita & de inſectis, quanquam non omnibus, agunt. Speciali libro de iis egit *Thom. Mouffetus*, Londinenſis. Nuperrime vero magis exculta eſt iſta de inſectis Philoſophia, Microſcopiis etiam in ſubſidium vocatis, quorum ope minutiſſimorum animalculorum partes ſunt detectæ, & quam accuratiſſime delineatæ. Quod videre licet in Rob. Hookii *Micrographia*, ubi pulicem, pediculum, vermiculos in caſeo natos, ſchematibus ampliſſimis depingit. Johannes Baptiſta Hodierna Italica lingua ſcripſit *Anatomiam oculi Muſcæ*, ubi diligenter examinat, atque delineat, omnes iſtius oculi nervulos & muſculos, & quicquid illi adhæret. Deſcripſit & *inſectorum hiſtoriam* Belgica lingua, additis iconibus, ad vivum expreſſis Joh. Goedartus, Pictor Middelburgenſis, quæ in Latinam linguam converſa eſt & notis illuſtrata a Joh. de Mey. Sed in ea tamen multa deſideranda ſunt, non enim iſta accuratione examinavit omnia, ut qui poſt ipſum hoc argumentum occuparunt. In multis illum refutat Johannes Schwammerdammius. Vir admirabilis in iſta re doctrinæ *P. I. Hiſtoriæ generalis inſectorum*, Ultraj. A. 1669. *in 4to* editæ. Quo in libro ille nullam Metamorphoſin agnoſcit inſectorum, ut Goedartus, ſed graduale aliquod incrementum. Non credo, vivere nunc virum, qui curioſius omnium inſectorum naturam & ortus inquiſiverit. Nam ex omnibus terrarum partibus collegit omnia inſectorum genera, quorum familiam & ſpecies, ſuis quasſibet ſeriniis diſtinctas, non ſine admiratione ego vidi. Liquore vero quodam Balſamico corpora inſectorum tinxit, ut a corruptione ſervaret. Mentio ejus, non ſine laude, *in Transact. Philoſ. Angl. p. 2078.* occurrit. Ac affirmavit mihi ille, vel centenis hominibus ſe negotii ſatis daturum, ſi adſiſtere ſibi, in univerſali aliquo Opere concinnando, velint. Hiſtoriam inſecti, quod *Ephemeron* vocatur, nuper ſcripſit. *De apibus* quoque ſingularem lib. paravit, in quo multa proponit ſingularia, inter quæ etiam hoc, quod apes, quas vulgo *ductores* & *reges* vocant, & *mares* exiſtimant, *fœminæ* ſint. Quod ſi verum eſt, perit Politicis præclarum ſtabiliendæ Monarchiæ virilis e natura exemplum, & naturalis aliqua *γυναικοκρατία* demonſtratur. Obiit Schwammerdammius cum magno rei naturalis damno, qui ſi ſeculum vixiſſet integrum, & ſingulis annis librum aliquem de inſectis edidiſſet, argumentum tamen totum non exhauſiſſet. Sunt & Francisci Rhedi, Patritii Aretini, *Experimenta circa generationem inſectorum*, primum Italica lingua publicata, deinde ab Andrea Friſio in Latinam converſa, & Amſtel.

ſtel. A. 1671. in 12. edita. Quo in libro ſuſtulit omnem æquivocam illam generationem, vulgo creditam, ac nulla vult inſecta ex carne naſci, niſi in quantum ſemina vel ova ab aliis animalculis illic poſita ſint. Statuit & illic, ſuccum nutritium plantarum, tam plantæ generationi, quam animaculis e planta producendis, eſſe aptum. Qua in re, ſi recte memini, diſſentientes habet Schwammerdammium, Joach. Jungium, ſagaciſſimum hiſtoriæ inſectorum exploratorem (cujus aliqua, niſi fallor, obſervata de iis ſuperſunt *ἀνέκδοτα,*) *dd*) & alios, nec valde illud probabile eſt.

De *vermiculis in caſeo natis* res mira videtur, eos ex ovo progeneratos, cum vi- 6
deamus totam caſei maſſam, quanta quanta eſt, in vermes abire, niſi velimus dicere, productis aliquot vermiculis, ſemper per propagationem novos generari, & caſei ſubſtantiam paulatim abſumere corrodendo, ut tandem ſoli vermes remaneant.

De *vermibus*, præcipue vero illis, *qui in corpore humano generantur*, peculiarem li- 7
brum ſcripſit Anglica lingua WILHELMUS RAMSEY, qui editus Londini eſt anno 1668. in 8vo; ubi multa de vermiculis aëreis in morbis epidemiis, & de vermiculis in ſanguine exiſtentibus. Omnes ſcil. ille corporis partes perluſtrat, demonſtraturus, quomodo vermium cauſæ ſint, nutrimenta etiam, cibos & potus, examinat, quomodo originem vermibus ſubminiſtrare poſſint. Sunt tamen in illo multa aliena, & magno apparatu adducta, quæ ad hoc argumentum non adeo pertinent. Voluit libello peculiari edito, cui titulus: *Mors viva, ee*) AUGUSTUS HAUPTMANNUS demonſtrare, morbos omnes, imo mortem ipſam, a vermibus eſſe, depinxitque ibi vermiculi mortiferi imaginem. Adverſus eum neſcio quis ſcripſit *Mortem mortuam*, ejus hypotheſin, Chriſt. Langio. Prof. Medico Lipſienſi, etiam approbatam, refutans.

Bombycum hiſtoriam curioſa inquiſitione, multisque Anatomicis bombycum ob- 8
ſervationibus, explicavit Marcellus Malpighius, ſagaciſſimi Vir ingenii, Italus, cujus

dd) Joach. Jungii de Inſectis Obſervationes, quæ h. l. tanquam *ἀνέκδοτοι* allegantur, prodierunt, ſed ab igne, in ædium Vagetianarum incendio, mutilatæ, Hamburgi an. 1691. in 4to ſub titulo *Hiſtoriæ vermium, e Schedis autoris MStis a Joh. Vagetio, aliisque Viris præclaris, fideliter erutæ, & Erudito Orbi, quantum per obvenientem calamitatem licuit, a Joh. Garmero communicatæ.* Conſuſum illa exhibet Chaos Obſervationum, Excerptorum & Experimentorum Jungii, relatu partim dignorum, partim indignorum, & ab Autore Editioni magnam partem haud deſtinatorum, ſed, poſt obitum ejus, e Schedis, ſine ſelectu & ordine congruo, coacervatorum, ac in lucem protrusorum.

ee) An Aug. Hauptmanni, Medici Dresdenſis, *Libellus de Viva mortis imagine*, Francofurti an. 1650. uti ferunt, editus, & a Morhofio (h. l.) Kirchero, aliisque allegatus, revera unquam prodierit, imo an ab illo ſit perfectus, dubitat, & negativam ferme, cum Georg. Wolfg. Wedelio (*in Pathol. Medica p. 242.* amplectitur Chr. Franc. Paulinus, Poliater Iſenacenſis, *in Diſquiſit. Curioſa, an Mors Naturalis plerumque ſit ſubſtantia Verminoſa.* Quo Scripto in Italia primum, A. circiter 1672. per Athan. Kircherum edito, & nuper Francof. an. 1703. in 8vo. ab Autore ipſo denuo recenſito, eandem cum Hauptmanno Thelin, poſt Kircherum (*in Scrutinio Peſtis*) & Chriſt. Langium, Prof. Lipſ. (*in Animadverſionibus in Pet. Joh. Fabri Pathologiam Spagyricam,*) defendit, ſed parum firmis, uti mihi videtur, argumentis.

jus liber, curante Societate Regia, editus eſt Londini in 4to. De methodo alendi bombyces, deque negotio ſerica conficiendi in Gallia, hiſtorica extat relatio in *Actis Anglicis pag. 87 -91.* M. Hier. Vidæ, Cremonenſis, Poëma de iisdem legitur Heroicum, Libris II. comprehenſum. Microſcopicas obſervationes circa bombyces, ac ova bombycum, habet Rob. Hookius *in ſua Micrographia.* Quæ apud veteres de illis & ſerico occurrunt, in Ad. Tribbechovii *Diſſ. de Bombycibus,* Gieſſæ A. 1665. in 4to edita, exhibentur. *Anatomen apis* ſcripſit Franciſcus Stellutus. Extant & de cultura apum, præter quartum Georg. Virgilii, libri integri. Ortum earum ex bovinis excrementis fabuloſum putat Franc. Rhedus, verum autem Athan. Kircherus, *in Obeliſco* etiam *Pamphilio,* capitis bovini in apibus eſſe ſimulacrum, obſervans. De *Curculionibus,* qui frumenta corrumpunt, extat tractatus germanicus, Berolini anno 1665. in 12. editus, Conradi Tyburtii Rangonis, ubi etiam reperitur remedium eos pellendi. De generatione formicarum, earum ovis, productione, ſpeciebus, uſu plenam ſatis deſcriptionem vide *in Transactionibus Anglicis pag.* 524. Solet ex illis oleum aliquod & ſpiritus præparari, qui maxime corroborare ſpiritus creditur, atque memoriam præcipue juvare. Unde adhuc in uſu eſt medicamentum Mnemonicum Petri Laurembergii, quod ille pro memoriæ ſubſidio commendare ſolitus eſt. *De Tarantulis* Athan. Kircherus multa *in arte* ſua habet *magnetica* ac Wolferdus Sengwerdius in peculiari de iſto argumento Scripto, quod Lugd. A. 1668. in 12. excuſum, cur Angli inter Acta ſua retulerint, cauſam nullam video, non enim magnæ rei eſt. Mart. Liſteri *Tr. de Araneis & cochleis* prodiit Londini An. 1678. in 4to. De araneis in aëre, unde telæ oriuntur aëreæ, videantur *Transactiones Anglicæ p. 1014. De Pulice* Venet. A. 1625. in 12. ſcriptum prodiit peculiare Italicum Johannis Antonii Moſchetti. *De locuſtis,* quas comedit Johannes Baptiſta, varie ſentiunt Autores. Videatur Sam. Bochartus *in Hierozoico,* & Joh. Dan. Majoris *Diſſertatio* peculiaris *de myrrha & locuſtis,* qua ſententias omnium congeſſit. Videatur & Alexander Roſſæus *in Arcanis Microcoſmi, in Appendice,* ubi occurrit refutatio nonnullorum locorum, quæ habentur *in Pſeudoxia Epidemica* Thom. Brounii L. 2. c. 1. putatque herbas fuiſſe, quas comederit Johannes Baptiſta. In eodem libro & de aliis inſectis agitur.

CAP. XLVI.

MISCELLA QUÆDAM DE ANIMALIBUS CETERIS EXHIBENS.

§. 1. *Judicia de quibusdam hiſtoriæ animalium univerſalis Scriptoribus, Ariſtotele, Ul. Aldrovando, Sam Bocharto, &c.* 2. *Scriptores varii de piſcibus in genere, Balænis, Harengo, Quadrupedibus item quibusdam, Viperis, Cervis, Muribus Norwagicis, Equis.* 3. *De venatione, avibus venaticis, canibus.* 4. *Scriptores quidam de variis animalibus Miſcellanei ac Anatomici.* 5. *Artificium oculos reſtituendi, a Franc. Joſ. Burrho tantopere jactatum, antiquum & vulgare eſſe oſtenditur.*

Obſer-

Obſervationum circa animalia tantus eſt numerus, ut integro volumini præ- 1
bere materiam poſſit. Nam primum ipſorum animalium vaſtus eſt numerus, & obſervationum deinde, quæ circa illa inſtitui poſſunt, longe major. *Hiſtoriam animalium* inter veteres, præter Ælianum, ſcripſit *Ariſtoteles*, quod ejus præſtantiſſimum Opus eſſe credunt multi; magnam certe pecuniæ vim Alexander M. in illam impendit. Sed in illa tamen multa ſunt incerta, multa relationibus non ſatis ſecuris ad Ariſtotelem pervenere, ut fieri plerumque in promiſcuis illis Annotationibus ſolet. Quæ habemus vaſta Opera nonnullorum Autorum ſuperius a nobis enarrata, illa in alienis & peregrinis plerumque verſantur, & inutilibus interdum narratiunculis & paginam utramque implent. *Ulyſſis Aldrovandi*, poſt Conr. Geſnerum, maxima fuit diligentia, in varia eruditione circa omnes animalium ſpecies congerenda. Sam. Bochartus, *in Hierozoico*, animalia S. Script. eorumque nomina & differentias, collatione cum veteribus recentioribusque Hiſtoricis facta, recenſet. *Hiſtoriam Medicam animalium*, quatenus ex iis medicamenta parantur, ſcripſit *Guilh. van den Boſche*, Bruxellis An. 1669. in 4to. Nos quaſi per lancem ſaturam, & Autores nonnullos notabimus, &, ſi quid præterea notatu dignum nobis occurret.

Piſcium, ut inde incipiamus, hiſtoriam perſecutus eſt Guilh. Rondeletius, uti 2
& Hippolytus Salvianus, *in aquatilium animalium hiſtoria*, quæ Romæ anno 1554. prodiit. Scripſit & Paulus Jovius *de piſcibus Romanis Tractatum*, qui rarus eſt. Habemus etiam e veteribus fragmenta Ovidii. Sed pleraque veterum in hiſtoria piſcium obſcura ſunt. Autores omnes de piſcatione, veteres & recentiores, Herm. Conringius nuper ſingulari volumine collegit. De *Balænis* earumque captura, obſervationes leguntur *in Actis Anglicis pag. 232.* ac meminere paſſim piſcationis iſtius itinerariorum ſeptentrionalium Scriptores. De *Harengo* commentatus eſt Paulus Neucrantzius, Medicus Lubec. De *Viperis* peculiares libros ſcripſere Moſes Charras & Marcus Aurelius Severinus, qui de virtute ſalis viperini multa attulit. Edidit & Franciſcus Rhedus *Experimenta de viperis*. De *Cervo* extant Tractatus Germanicus Joh. Agricolæ, Latinusque Joh. Andr. Grabii, ex Academia curioſorum. *ff*) De *Muribus Norwagicis* Thomas Bartholinus ſcripſit. De *Equis*, eorum natura & indole, prolixe agunt Autores, qui rem equeſtrem deſcribunt, ac artem domandi caballos tradunt, qualis eſt Ant. Ferrarius in Lib. Italico: *Cavallo Frenatto*, Venet. An. 1620. in fol. excuſo.

De *Arte venandi*, miniſtris avibus, extant integri veterum libri, qui collecti 3
uno volumine prodierunt Lutetiæ An. 1612. in 4to ſub titulo Ἱερακοσοφικὸν, ſive *Rei accipitrariæ ſcriptores*. Acceſſit & κυνοσοφικὸν, ſive *liber de cura canum*, uti & Jac.

ff) Perperam h. l. Olai Wormii, Prof. Medici Hafnienſis, *Hiſtoria Muris in Norwagia depluentis*, Hafniæ an. 1653. in 4. edita Thomæ tribuitur Bartholino, Autoris Collegæ, qui de Muribus iſtis peculiare Scriptum haud publicavit.

Jac. Aug. Thuani carmina *de re accipitraria*, & præterea alia quædam de generibus falconum. Extant præterea Friderici Secundi Imperatoris *Reliquiæ*, ubi multa de artificio venandi per falcones. De *omni venationum genere Tractatum*, non minus curioſum, quam utilem, ſcripſit Belgica lingua PAULUS MERULA in folio, qui additur quibusdam Conſtitutionibus Juris Belgici, & in ipſa Batavia rariſſimus eſt, ac magno pretio vendi ſolet. Sunt & Gallica lingua de arte venandi multi libri conſcripti, quos inter accuratiſſimum eſt ſcriptum recens: *La Venerie Royale*. Ad venationem canes pertinent, quorum naturæ ac laudes integris decantatæ libris ſunt. Habemus e Græcis veteribus Oppiani *Cynegetica*, Græco carmine ſcripta, in quæ extat doctiſſimus Conr. Rittershuſii Commentarius. Sunt & in Latinis, qui rem venaticam deſcribunt, ac cum Commentario Jani Vlitii Leidæ An. 1653. prodierunt. Eſt & inter recentiores Pet. Angelius Bargæus, qui *Carmina Cynegetica* ſcripſit, quæ Gratii carminibus Cynegeticis præferre non dubitat Manutius. Pene prætermiſeram Arriani *Cynegeticum*, quem Lucas Holſtenius Pariſiis A. 1644. edidit, & in Latinam convertit. Extat & Johannis Caji liber, ſeorſim initio, & poſtea in Caſp. Dornavii *Amphith.* excuſus, *de canibus Britannicis, eorumque indole.*

4 *De Elephantis*, Pet. Gillius peculiarem librum conſcripſit. Extat & laudatio eorum apud Lipſium *in Epiſtolis*. De eorum captura & pugnis videantur *Acta Anglicana pag. 328.* De *Chamæleonte*, *de partu & congreſſu viperarum*, *de lachrymis Crocodili*, *animalium reſuſcitatione*, Gotfr. Vogtius peculiaribus Diſſertationibus egit. *gg*) Variæ Anatomicæ obſervationes circa canes, leones, piſces, animalia monſtroſa, partes animalium, occurrunt tam *in Tranſactionibus Anglicis*, quam *in Ephemeridibus Gallicis*, aliisque Medicorum libris obſervatoriis, Thomæ Bartholini inprimis *Centuriis*, *Epiſtolis & Miſcellaneis Ephemeridibus Germanicis & Danicis*. In *Actis Anglicis*, ſub *Anatomes* titulo, in Indice inveniuntur ordine enumerata, quæ circa Anatomen quorundam animalium obſervata ſunt. *De Cygni cantu* egit Thom. Bartholinus, peculiari libro. Videatur & Æg. Menagius *in Tractatu ſuper Poëmata Malherbæ pag. 314.*

5 *De reſtitutione oculorum* in animalibus per liquorem chelidoniæ multa magnaque commentatus eſt Franciſcus Joſephus Burrhus, *in Epiſtolis ſuis ad Thomam Bartholinum ſcriptis*, cum tamen experientia teſtetur, id fieri quacunque aqua pura & limpida poſſe. Ariſtoteles, *lib. 2. de hiſtoria animalium cap. 17.* evenire ſerpentibus idem ait, quod pullis hirundinum, oculis enim ſerpentum laceratis, ſubnaſci alios referunt. Wagenſeilius *in Sota pag. 155.* illa in dubium vocat, ab Ariſtotele tradita, ſed immerito. Nam idem hoc experimentum fuit, quod hodie obſervatum eſt

gg) Gottfr. Vogtii Diatribæ *de Chamæleonte, congreſſu & partu Viperarum & Bruxorum ex Mortuis reſuſcitatione*, una cum duabus aliis *de reſuſcitatione Plantarum & Cautione Cygnea*, junctim *in Curioſitatibus Phyſicis* Güſtrovii an. 1668. in 8. & Lipſiæ an. 1698. in 12. ſunt recuſæ, *Diſſ.* autem *de Lacrymis Crocodili*, cum pluribus aliis Zoologicis, ejusdem *Deliciis Phyſicis* Roſtochii an. 1671. in 8. editis, inſerta.

eſt in anſeribus & canibus, aliisque animalibus, quibus oculi non quidem renaſcuntur, ſed reſtaurantur, ſuppeditante ipſa natura humores oculorum deperditos vel expreſſos. Ceterum in ſingulis illis recenſendis infinita eſſet opera. Animalium diſtributiones & claſſes certas vulgares etiam Phyſici tradunt, e quibus illæ capi poſſunt. De ceteris videndi ſpeciales Obſervatores.

CAP. XLVII.

DE HOMINE.

§. 1. *Hominis præ ceteris animalibus prærogativa, & tractationis de illo amplitudo.* 2. *Scriptores præcipui de homine integro, ejusque generatione, nutritione & longævitate.* 3. *De Partibus ejusdem ac Membris, Cerebro, Oculis, Viſceribus, Medulla Spinali, Muſculis, Lingua & Guſtu, Membris genitalibus, Pulmonibus.* 4. *De Sanguine, ſanguificatione inter cor & hepar controverſa, ſanguinis transfuſione, ac medicina infuſoria, cujus inventum plures ſibi vindicant.* 5. *De Pilis, barba, ſtercore, crepitu ventris & unguibus.* 6. *Scriptores de Anima humana, ejusque immortalitate (quam an Ariſtoteles, ab Ant. Rocco fruſtra defenſus, ſtatuerit, dubitatur,) Lud. la Forge, Cordemoeus, Lud. Vives, Ken. Digbæus (ab Amando Vero impugnatus,) Aon. Palearius, &c. Controverſia de origine animæ. Judicium de Traducis Patronis. Præexiſtentiam Animarum defendunt Henr. Mohrus, & præcipue Chriſtoph. Sandius.*

Animal omnium digniſſimum HOMO eſt, qui Microcoſmus a quibusdam 1
dicitur, non quidem adeo adæquato nomine, ſed quod tamen ſenſu poſſit tolerari. Nullum enim eſt corpus humano elaboratius, quod præterea mentem habet ſibi junctam, & mirabili modo unitam. Eo enim differre a reliquis animalibus homines in confeſſo eſt, quod ſcil. mente præ ceteris animantibus præditi ſint. Ceterum unum illud objectum ampliſſimum eſt, & magnis voluminibus argumentum ſuppeditare poteſt. De animo nihil dicimus, nam is extra Phyſices conſiderationem eſt. Solum corpus humanum integram doctrinam Medicam ſibi vindicat, cujus maxima pars, Anatome, in analyſi hujus corporis verſatur, de qua extant vaſtiſſima Volumina, totque Obſervationes ſingulares, præter generales iſtas Bartholini *Inſtitutiones*, ut vel index earum parere integrum volumen poſſit. Summarias illas partium corporis delineationes Phyſici Autores omnes Anthropologici, præter Anatomicos, qui illud ex profeſſo agunt, operoſe ſatis exponunt. Nos perſequemur ſumma quædam & Autorum & rerum capita.

Pulcherrimus eſt Carteſii liber poſthumus, e Gallica in Latinam verſus, *de Ho-* 2
mine, cum Ludovici de la Forge *Commentario* Amſtelodami A. 1677. *in 4to* editus, a *Claud. Clerſelerio*, in quo multa occurrunt nova & notabilia. Prior Editio, a Flor. Schuylio curata, non erat perfecta. Honorati quoque Fabri *Tractatus de homine* non pauca, magna diligentia, nec vulgari modo, compendioſe perſequitur. Quæ

ad naturam ſexus maſculini & fœminini, conſtitutionem partium genitalium, rationem generationis, pertinent, J. Bened. Sinibaldus, *in Geneanthropia* ſua (Romæ A. 1642. *in fol.*) magna cum cura, exponit. De pulchræ prolis habendæ ratione extat elegans carmen Calvidii Læti, *Callipædia, ſive de pulchræ prolis habendæ ratione.* Similis argumenti eſt Jani Huarti, Hiſpani, *Scrutinii ingeniorum Appendix, quomodo generari ingenioſi & ſapientes Liberi poſſint*, ab Æſchacio Majore, cum ipſo *Scrutinio*, Lat. verſa, Lipſ. A. 1662. *in 8vo.* De *prole nutrienda* Poëma Scævolæ Sammarthani inter *Delicias Poëtarum Gallorum* invenitur. De *Signaturis fœtus* egit Martinus Schoockius Diſſertatione peculiari, de *hominibus longævis* Epiſtola prolixa Henr. Meibomius.

3 *De partibus animalium, & earum uſu,* Galenus egit ſingulari libro, in quem extat doctiſſimus *Commentarius* Caſp. Hoffmanni, ubi quam pleniſſime & diſertiſſime de omnium partium conformatione ac uſu, junctis politioris Literaturæ ſubſidiis, diſſeruit. Diverſo inſtituto Allegorice de membris humanis egit Mich. Mayerus *in civitate corporis humani*, joculare autem de iisdem Poëma, lectuque haud injucundum, Pet. Baart, ſub tit. Leedeſtemmung, Belgice edidit. De *partibus humani corporis* multa contra Guilh. Harveum diſputat Alex. Roſſæus, *in Arcanis Microcoſmi*, Anglice ſcriptis. Sed is non felicior in Phyſicis cenſor, quam in Poëticis, videtur, in quibus ne ſenſus quidem Poëtarum capit. *Anatomen cerebri* Marcellus Malpighius, Italus dedit. Extat & Thomæ Williſii liber curioſiſſimus, *Pathologia cerebri*, ſumma diligentia conſcripta; *De cerebri vero humani proprietatibus* Gualth. Charletoni Diſſertatio, quæ una cum *inquiſitione de fulmine tactis* Lond. A. 1665. *in 8vo* edita eſt. *Oculorum fabricam* accurate deſcribunt Optici, & extat de ea ſingularis Mart. Hortenſii *Diſſertatio.* De *Cerebro* pariter atque oculis egit Franc. Joſ. Burrhus, *in Epiſtolis ad Thom. Bartholinum*, quarum *conſiderationem* dedit D. J. Dan. Major, & non pauca hujus hominis vana conſilia cogitataque vellicavit. *De Coloribus oculorum* Sim. Portii liber prodiit Florentiæ A. 1550. *in 4to.* *De Nervis opticis* ſcripſit Malpighius, cujus omnia præclara ſunt, & accuratiſſimis obſervationibus eruta. *Viſcerum ſtructuram* Malpighius, idem explicatam dedit. *Medullæ ſpinalis Anatomen* Gerh. Blaſius. *De Muſculis* nemo eruditius ſcripſit, quam Nicolaus Stenonis *in Myologia* ſua, in qua, e Geometricis principiis, eorum motus demonſtrare laborat. *Guſtus* organon Laur. Bellinus & Marcellus Malpighius accurate examinarunt, demonſtraruntque, in quo ratio guſtus conſiſtat, videl. in papillis nerveis, per totam linguam diſperſis, ex quarum contactu illa perceptio ſenſilis, quam guſtum dicimus. *De organis virorum genitalibus* Regnerus Grafius ſcripſit, qui accuratiſſimam teſticulorum anatomen inſtituit, innumerabili plexu nervulorum conſtantium. Publicavit & Joh. de Horne *obſervationum circa genitalia prodromum*, ſed morte præventus totum opus perficere non potuit. *De pulmonibus* extat Thomæ Bartholini peculiaris Tractatus, Hafn. A. 1663. *in 8vo* editus, in quo demonſtravit, omnem pulmonum ſubſtantiam conſtare veſiculis, quibus aër continetur, cujus beneficio quomodo reſpi-

ſpiratio fiat, peculiaribus libris oſtenderunt Joh. Schwammerdammius, Joh. Mayow, & Malach. Thruſton.

De ſanguine, ejusque generatione, & generationis loco, diverſæ ſunt ſententiæ; 4
Antiqui hepati adſcribunt, recentiores cordi, quorum Anteſignanus Guilh. Harveus, qui circulationem ſanguinis primus in medium adduxit. Unde varia ſcripta edita ſunt, tam pro hepate, quam corde, a Thoma Bartholino, Lud. Biliſio, & tam pro, quam contra circulationem, quorum hiſtoriam ſic ſatis diligenter recenſet Mich. Watſonius *in unione ſapientiæ*. *De ſanguine* Joh. Betti quoque Tractatus exſtat, multa habens circa ejus generationem notabilia, multa quoque de lacte, qui non multum ab antiquis abire videtur. Plurima circa ſanguinem hominum fuerunt experimenta, ratione transfuſionis ejus ex uno animalis corpore in aliud, & ratione etiam infuſionis, qua liquor aliquis medicamentoſus venæ injicitur, de cujus artis inventione lites variæ moventur. Sibi illam vindicat D. Joh. Dan. Major, cujus extat *de Chirurgia infuſoria* ſingularis liber. Joh. Sig. Elsholzius contra, edita *Clyſmatica nova*, ſibi tribuit, contra quem Major inventum ſuum vindicavit. Sed & Galli de eadem Anglis, & hi viciſſim illis, litem moverunt. Contra transfuſionem ſanguinis prodiit Tractatus Ant. Santinelli, cui titulus: *Confuſio transfuſionis;* ubi multis argumentis eam impugnat, quæ tamen non omnia æque ſtringunt. Eſt vero transfuſionis inventio antiquior, ac jam tum Andr. Libavii tempore fuit cognita, qui ejus per jocum mentionem facit *in actione contra Henr. Scheunemannum*. De variis corporis partibus extant erudita opuſcula Hieronymi Fabricii ab Aquapendente, de quibus, aliisque Anatomicis antiquioribus, in Herm. Conringii *introductione ad artem Medicam* plenior eſt relatio.

De pilis extat Joh. Tardini liber in Caſp. Dornavii *Amphitheatro* recuſus. De 5
barba Marci Antonii Ulmi vaſtum volumen, Bononiæ A. 1602. *in fol.* impreſſum, ſub Tit. *Barbæ humanæ Phyſiologia, ſeu de fine ejus Philoſophico & Medico.* Ant. Hotomanni *de Barba Dialogus*, & Joh. Pierii Valeriani *Apologia pro Barbis Sacerdotum*, Philologica tantum ſectantur. Scripſit & alius, neſcio quis, *Medicinam Stercorum*, *bb*) qui fortaſſis, ut Virgilius ex Stercore Ennii, aurum conquiſivit. Georg. Segerus, Med. Thorunienſis, *de Crepitu ventris* Tractatum ineditum ſervat, & ſumma diligentia omnem ejus naturam rimatus eſt, non ſine perpetuis experimentis. Sed is, ob ignobilitatem argumenti premit librum, nec audet in publicum proferre. De *ungue* ipſe librum ſub manibus olim habui. *De affectionibus Capillorum & Unguium* Vopiſcus Fortunatus Plempius peculiari ſcripto eſt commentatus.

bb) Quis ille ſit *Medicinæ Stercorum* Scriptor, a Morhofio *b. l.* memoratus, ignoro. Luſtro poſt obitum Morhofii elapſo, ſimile Scriptum Francof. an. 1696. *in* 8. Germanico edidit Idiomate, Chriſtianus Franc. Paulinus, Medicus Iſenacenſis, ſub Titulo *Pharmacopolii Stercorei* ſive Heilſame Dreck-Apothek, wie nemlich mit Koth und Urin, faſt alle, ja auch die ſchwerſte giftige Kranckheiten und bezauberte Schaden, vom Haupt bis zu den Füſſen, inn- und äuſſerlich, glücklich ſind curiret worden, ꝛc.

6 De *Anima* tractatio ad Phyſicam per ſe quidem non pertinet, ſed quatenus a corpore diſtinguenda eſt. Ut clarior corporis Idea ſit, notitia ejus aliqua habenda eſt, quam ſuppeditat Lud. de la Forge, Carteſianus, *in libro de mente humana*, e Gallica in Latinam linguam converſo. Præ ceteris legendus eſt liber Cordemoæi Galli, quem *de differentia corporis & ſpiritus* Gallice, elegantem conſcripſit. Lectu etiam dignus eſt Lud. Vivis *de Anima liber*, non quidem intima Philoſophiæ argumenta penitus excutiens, ſed eleganter tamen, ut omnia ejus viri, ſcriptus. Lib. Fromondus *de Anima*, Fort. Licetus *de Ortu animæ humanæ, & cum corpore coëxtenſione*, ac Sim. Portius *de Mente humana*, bonorum Collectorum vice funguntur. Ceterum *de origine animæ, ejusque immortalitate*, ut eſt plena difficultatis diſputatio, ita a Phyſicis componi & decidi tota non poteſt. De Ariſtotele non pauci dubitant, & quidem non absque fundamento credunt, mortalitatem potius animæ ſtatuiſſe eum, quam immortalitatem, quæ mihi, ex Ariſtotelicis principiis, eadem facilitate, ac forte majori, deſtrui, quam aſtrui, poſſe videtur. ANT. ROCCUS, autor ſublimis ingenii, vaſto quidem libro contrarium ex Ariſtotele oſtendere voluit, ſed tamen ita diſputat, ut cauſam ſuam potius deſtituat, quam juvet. Refutationes certe ejus argumentorum, contra immortalitatem animæ ex Ariſtotele prolatorum, debiliores ſunt, quam ut omnem illorum vim elidant. Prodiit is liber Francofurti A. 1641. *in 4to*, ſub Tit. *Animæ rationalis immortalitas, ſimul cum ipſius vera propagatione ex ſemine, via quadam ſublimi peripatetica, hactenus poſt Ariſtotelem non ſignata veſtigiis, Exercitationis Philoſophicæ illibataque veritatis gratia, indagata.* KENELMUS quoque DIGBEUS hoc argumentum tractavit *in Demonſtrat. immortalitatis animæ rationalis*, Anglice ſcripta, & Lat. quoque Pariſ. A. 1651. *in fol.* & Francof. *in 8.* edita, qui, perpetua & natura corporum, eorumque qualitatibus, quarum præcipuas facit raritatem & denſitatem, progreſſione, functiones animæ, ejusque immortalitatem, monſtrare laborat. De principiis ejus primum transacta oportet eſſe omnia, quæ an omnibus ad palatum futura ſint, dubito. Alioquin, qui illa impugnat, nexum illum tollit. Refutat illum, ſed non ſatis judicioſe, ſingulari libro, A. 1661. *in 12.* edito, Jeſuita quidam, qui ſe Amandum Verum nominat (genuinum nomen eſt *Eggeſeld*,) ſub tit. *Anima triumphans.* Aonius Palearius in *Poëm. de immort. animæ*, ad Lucretii imitationem ſcripto, Platonicorum ſententias præ ceteris ſequitur. *De ortu animæ per traducem, de præexiſtentia animarum, de creatione*, multæ ſunt controverſiæ, ſuique ſingulis ſententiis patroni. Sententia de traduce apud plures aſſenſum obtinuit, quanquam & illa ſuis difficultatibus urgeatur, ſi mordicus tenere velimus nonnullas aſſertiones, quas de ſpirituum natura nobis perſuaſimus. Præexiſtentiam Angli nonnulli præ ceteris defenderunt, ſuntque libri Henrici Mohri, Philoſophi Platonico-Carteſiani, & aliorum, integri ſuper hoc argumento conſcripti. Vid. præſertim Mohri *Lib. de immortalitate animæ*, & Sam. Parkeri *Tentamina Theologico-Phyſica*, in quibus contra præexiſtentiam diſputat. Eam quoque ſententiam CHRISTOPHORUS SANDIUS ſingulari libro *de origine animæ* defendit, *Coſmopoli ap. Libertum Pacificum*, A. 1671. *in 8vo* edito, qui meris teſtimoniis conſtat, nihilque aliud agit, quam

quam ut probet, præexiſtentiam animarum ſacris literis eſſe conſentaneam, & plerorumque Patrum ac Philoſophorum ſententiis comprobatam. Platonicorum enim ſuffragia frequentiſſima habet. Totus in eo eſt, ut, non niſi ſola hac ratione, difficultates circa animæ originem monſtret poſſe expediri, quas omnes recenſet, & argumentis Adverſariorum reſpondet. Cetcrum S. literis & Patribus perverſos ſæpe ſenſus impingit, & non raro Hæreſeos ſuæ ſpargit ſemina.

CAP. XLVIII.

DE SENSIBUS ANIMALIUM.

§. 1. *Carteſii ſententia, bruta ſenſibus ſpolians, improbatur. Motus ſenſationis celerrimus vix perveſtigabilis. Joh. Alph. Borelli Scripta de motu commendantur.* 2. *Viſum, & cognatas de coloribus, oculis, ſpeculis, lumine, doctrinas, ſibi vindicat Optica.* 3. *Auditum Acuſtica. Inſtrumenta eum adjuvantia. Soni natura & diverſitas. Autores huc ſpectantes.* 4. *Odoris & odoratus natura. Cur plus eo valeant bruta, quam homines? Doctrina ejus neglecta.* 5. *Guſtus & ſaporis ratio atque origo a papillis linguæ nerveis. Scriptores de inedia quorundam prodigioſa.* 6. *Tactus natura.* 7. *De ſenſibus internis rectius Carteſiani docent, quam Ariſtotelici. Scriptores de imaginatione, qua Pet. Pomponatius & Jul. Cæſ. Vaninus contra religionem ſunt abuſi.*

Nihil eſt vulgatius ſenſatione; ſed ita tamen alte abdita ejus principia, ut in ſenſationis cauſis dandis ſufficientibus deficiamus. In animalibus ſenſationem nihil eſſe, præter motum, Carteſiani ajunt, in homine vero concurrere mentis operationes, ideoque ſenſum ab intellectu non ſejungit Carteſius. Cetera animantia ne ſentire quidem exiſtimat, quam ſententiam ſuo loco nos relinquimus. Res quidem ipſa ſatis innuit, ſentire illa non ſolum, ſed & percipere ipſum ſenſum, quod tamen negabat Carteſius, qui, perceptionem ſenſus intellectus opus eſſe, putavit. Secundum enim tres gradus naturam ſenſionis diſtinxit, ex mente Carteſii, Antonius le Grand, e quibus gradibus tertium ſoli homini tribuit. Interim, ſi externas reſpiciamus circumſtantias, motum quidem omnino deprehendimus ſubtiliſſimum, celerrimum, inſtantaneum, qualis motus quibus principiis dirigatur, res profecto non eſt adeo expedita, ut quidam exiſtimant. Non dependent omnes illi motus ab objecto externo. Quemadmodum Henr. Regius, *in Philoſophia naturali, lib. 4. c. 16.* ex mente Carteſii, ſatis quidem accurate, deſcripſit. Sunt enim in brutis quoque animantibus aliqui ſpontanei motus, a nullo principio determinati. Examinandi tamen interim nobis ſunt iſti motus, & quantum de eorum natura apprehendere poſſumus, tantum ad illuſtrationem hujus doctrinæ conferendum. Ken. Digbæus (*in Demonſtr. Immort. Animæ,*) & Gualth. Charletonus (*in Phyſiol. ſua*) ſenſum, & qualitates ſenſiles, corpora eſſe ſtatuunt, ſed falſo. Eſto enim, qualitates illas particulas eſſe minimas, e ſubjecto expulſas; ſenſum tamen per ſe non faciunt, ſed quatenus nervos ſenſorios feriunt. In qua applicatione illorum ad nervos, quæ acci- 1

accidentalis omnino eſt, ratio formalis ſenſus conſiſtit. Si in lucem prodiiſſet Johannis Alphonſi Borelli liber *de Motibus animalium* ii, multa ex eo haurire poſſemus, ad perfectam ſenſationis declarationem: ſatis enim ex libro ejus *de motu projectorum* ſingularis hujus Viri ſagacitas patet. Quæ ad ſenſum requirantur, tradunt omnes etiam compendiarii Autores. Requiruntur ſc. *objecta media, & organa*, de quibus cumulatiſſime agunt omnes, ideoque non eſt neceſſum illa hic repetere.

2 Omnium ſenſuum nobiliſſimus eſt *viſus*, cui excolendo integra diſciplina inventa eſt, Optica ſcil. vaſtiſſimis voluminibus exculta. Hic acres ſunt diſputationes de ratione viſionis, an fiat per emiſſionem, an receptionem radiorum, fieri autem per utramque veroſimile eſt. Pertinet huc tota de coloribus doctrina, quæ ad ſpecies ſenſiles aliis refertur. Pertinet huc tota ſpeculorum doctrina, doctrina de oculo item, ejusque partibus, quæ omnia plena manu Optici Autores ferunt. Pertinet etiam huc doctrina de lumine. Ut enim viſio fiat, medium illuminatum neceſſarium eſt.

3 *Auditus* alter ſenſus externus eſt, cujus itidem peculiaris diſciplina datur, quam ἀκουστικὴν vocare poſſis, quo generali titulo non muſica tantum, quæ verſatur circa ſonos harmonicos, ſed omnes ſoni, comprehenduntur. Pertinet huc mirabilis illa auris ſtructura, quam Anatomici nobis depingunt. Cæcilius præſertim Folius, Equ. Venetus, cujus extat *Nova internæ auris delineatio, ex ratione ſtructuræ modum Auditus demonſtrans*, Venetiis anno 1645. in 4to edita. Cujus organi potentia arte etiam juvari poteſt. Quale inſtrumentum habent Hiſpani, qui, præter perſpicilla, ſibi familiaria, ſemper ſecum portant inſtrumentum tale, quod auribus apponunt, ut eo diſtinctius ſonum percipiant. Ceterum objectum Auditus, ſonus eſt; oritur vero ſonus ex concuſſione aëris vel aquæ. Variat autem ſonus ratione ſubjectorum, & ratione mediorum. Obtuſius enim in aqua ſonat corpus, quam in aëre, acutius ſonant metalla, quam ligna, quæ omnia explicare velle magni Voluminis res eſſet. Nemo eſt, qui naturam ſonorum ſagacius explicuit, per multas corporum ſpecies, quam Honoratus Fabri, qui ſingularem *de ſonis* Tractatum Phyſicis ſuis inſeruit. Cui addi meretur Franc. Baconis Verulamii *de Sono & audibilibus hiſtoria*, licet exigua. Multa Kircherus *in arte ſua magna conſoni & diſſoni* habet, quæ ad naturam Echus ſpectant. Ea omnia, quia totis diſciplinis pertractantur, ab inſtituto noſtro nunc ſunt aliena. Pertinet huc etiam omnis illa doctrina *de voce & pronunciatione*, de quibus legantur Cordemoæi *lib. de verbo*, & Petrus Montanus in libro, cui titulus: De nie Spreck Konſt. Multa poſſent etiam hic afferri de *ſurdorum informatione*; ſed de iis omnibus dictum eſt in *Diſſertatione* noſtra *de Paradoxis ſenſuum*, quæ cum in omnium manibus ſit, nolumus illa hic repetere.

4 *Odoratus* ſenſus eſt, quo diſtinguimus res ſecundum odorem. Eſt odor nihil aliud, quam effluvia ſubtiliſſima corporis odorati, canales narium ad proceſſus mamillares delata, qui præcipue organon conſtituunt hujus ſenſionis. Medium eſt, vel aër, vel aqua, per quod transfunduntur corpuſcula illa volatilia. Et hac quidem ſenſationis parte brutis

ii) Joh. Alph. Borelli *Opus de Animalium Motu Poſthumum* in duas partes diviſum, Romæ an 1680. & 81. in 4. revera prodiiſſe, ſupra *ad Cap. VI. §. 6.* jam eſt monitum.

brutis animantibus inferiores ſunt homines; longe enim felicius illa diſtinguunt & dijudicant per odores, quam homines. Cujus diverſitatis cauſa eſt, quod ſimpliciori cibo vivant animalia, quam homines, quibus peregrini vapores & halitus ſemper obſident nares. Hinc fit, ut jejuni magis olfactu polleant. Eſtque ſingulare illud exemplum hominis, cujus Digbæus meminit, qui diu in ſylvis vivens, ac radicibus & oleribus victitans, canes ſagacitate odorandi æquavit. Ceterum illa de odoribus doctrina minus eſt ceteris ſenſuum objectis exculta, adeo ut & ipſa odorum formalis ratio nondum ſit ſatis expedita. Aliqui enim ſalibus velut volatilibus, aliqui ſulphuri adſcribunt, de quibus vide Joh. Bapt. Hamelium in *libro de affectionibus corporum, integro capite.* Quod miſtionem odorum attinet, illa ita non eſt explorata, ut natura colorum. Colores enim ex miſtura varia produci, & quomodo illi produci debeant, notum eſt omnibus, at odorum diſtinctio nulla talis eſt. Pet. Servius, *in Lib. de Odoribus*, Romæ anno 1641. in 8vo edito, plenius quidem hoc argumentum aliis tractat, ſed non recentiorum Philoſophorum principiis eſt imbutus, quæ qui non deguſtavit, in odorum ſcrutinio non ſatis emunctæ naris eſt. Joh. Bravi *Lib de odorum & ſaporum differentia* Ven. An. 1592. in 8vo prodiit.

Guſtus organon lingua eſt, cujus ſuperficies ita comparata eſt, ut aliorum cor- 5
puſculorum ſuperficiebus tacta, vel gratum ſibi motum, vel ingratum, perſentiſcat, qui ſapor dicitur. Sunt autem in ſuperficie linguæ variæ papillæ nerveæ, quas Marcellus Malpighius & Laur. Bellinus primum detexere, quæ prout afficiuntur a tactu corpuſculorum minimorum, ita ſapor, vel gratus, vel ingratus, illi objicitur. Horum ſaporum certi quidam gradus ſunt & claſſes, ſuntque eorum nomina rectius diſtincta, quam odorum. Conſiſtit omnis illa diverſitas ſaporum in particularum conditione, quæ papillis nerveis illiduntur. Nam Peripatetici, qui ex elementis illam diverſitatem deducunt, longinqua nimis ſapiunt. *De ſapore dulci & amaro* Laur. Gryllus Tr. edidit, Pragæ A. 1566. impreſſum. *De iis, quæ ſine alimento vivunt*, exſtat Liber Fortunii Liceti, cum quo conferri poteſt Phil. Sechtlenii *lapis Lydius prodigioſarum inediarum*, Paderbornæ A. 1614. in 12mo editus.

Tactus ignobiliſſimus omnium ſenſus habetur, cujus tamen interventu ſenſus 6
omnes conſtant. Objectum Tactus ſunt qualitates illæ ſenſiles, quas manibus præcipue, vel toto corpore, deprehendimus, calidum ſc. frigidum, humidum, ſiccum, &c. Medium tactus caro, vel cutis, habetur, organa conſtituuntur nervi. Quæ per tactum fieri poſſunt mirabilia, in *citata Diſſertatione* prolixius expoſuimus, e qua ſuppleri poſſunt, quæ hic omittimus.

Habentur & apud Peripateticos *ſenſus interni*, de quibus illi magna cum cura 7
philoſophantur. Sed, ſi rem recte intuearis, omnia terminorum plena invenies, & parum rei in iis. Magis Carteſiani placent, ac legi poteſt, quem ſupra laudavimus, Ludov. de la Forge *in libro de mente humana*, ſicut & Cordemoæus *in libro de differentia corporis & animæ.* Addatur Carteſius ipſe *in libro de paſſionibus animæ*, quo nihil eſt elegantius & conſummatius. De *Imaginatione* Thom. Fienus Libellum ſcripſit, ac multa habet Pet. Pomponatius in libro profano *de Incantatione*, qui omni magiæ

viam ſtruit, & hanc divinis immiſcet miraculis. Unde non ſine horrore legas, quæ ſceleſti Præceptoris nequam diſcipulus, Jul. Cæſ. Vaninus, in *Dialogis* ſuis, ex eo in religionem infert.

CAP. XLIX.

DE SEDE ANIMÆ RATIONALIS.

§. 1. *Variæ de illa ſententiæ.* 2. *Ceteris probabiliores judicantur opiniones Carteſii de glandula pineali, & Nic. Hobokenii de medulla cerebri.* 3. *Concluſio de difficultate cognitionis ſui ipſius, ſive Pſychologiæ.*

1 Nulla eſt difficilior inquiſitio, quam nexus illius, quem cum corpore ANIMA habet. Tanto enim conatu inquirimus in animam, nec illam, in qua ſede invenire debeamus, ſatis conſtat. Magna hic diſputatio eſt veterum & recentiorum. Aliqui cum nullam certam ſedem agnoſcunt, per totum corpus peregrinantur, eamque totam in toto humano corpore, totamque in partibus, ponunt. Mirabili fingendi licentia, hinc aliqui faciunt animam toti corpori coëxtenſam, & extat, *de anima corpori coëxtenſa* elegantiſſimus & doctiſſimus liber Pet. Petiti, Pariſiis in 8vo editus A. 1665. Aliqui animam in ſanguine ponunt, aliqui in ſpiritibus animalibus. Sed illæ omnes ſententiæ vagæ ſunt & indeterminatæ. Alii, qui particularem magis ſedem quærunt, cor regiam animæ faciunt, in quam ſententiam loca quædam Scripturæ afferunt.

2 Corde tamen rejecto rectius alii in capite ſedem animæ collocant. Sed & hic iterum quæritur, in qua parte capitis ea quærenda ſit; variæ enim hic ſententiæ ſunt. Aliqui eam reponunt in ventriculis cerebri, aliqui, uti Carteſius, in glandula pineali. Hanc glandulam pinealem cum primum detexit Carteſius, non ſe reperiſſe exiſtimavit, quod pueri in faba. Ex hujus enim glandulæ motu & percuſſione omnem putabat cogitandi rationem procedere, quoniam nullum alium ejus uſum poterat deprehendere. Sed oſtenderunt alium ejus uſum Anatomici, interque eos Nic. Hobokenius ſingulari libro *de ſede animæ in corpore humano, cap. 5. Art. 6.* Quam ſententiam cum refutaviſſet, cerebri ſubſtantiam medullarem tandem illam animæ ſedem conſtituit, poſtquam omnes aliorum opiniones prolixis diſſertationibus excuſſerat.

3 Tanti ſcil. eſt, ſe ipſum deprehendere, tam operoſum, illud cognoſcere, per quod ſumus illud, quod ſumus, quæ tamen notitia debebat eſſe omnium ſuprema. Nos hic pedem figimus, & in hoc, velut culmine naturalis cognitionis conſiſtimus. Mens humana ſcil. ſpeculatrix illa eſt, omnibus ſuperſtes, cui ſoli excolendæ adhibetur omne illud, quod cura noſtra diſcitur, & illam tamen ipſam, non niſi per nebulam, videmus, imo non videmus illam, niſi ipſa, quæ ſemet in ſe ipſa, contemplatur.

D. G.

D. G. MORHOFI
POLYHISTORIS
TOMI II.
SIVE
POLYHISTORIS
PHILOSOPHICI,
LIBER III.

ΜΑΤΑΙΟΤΕΧΝΟΣ,

DE ARTIBUS DIVINATORIIS ET MAGICA.

§. 1. *Scriptores de Divinatione in genere.* 2. *De Divinatione naturali eventuum naturalium. Aſtrologorum, & in his comitis de Vliſco, temeritas culpata. Prædictiones Ecſtaticorum.* 3. *Commendatur Divinatio morum & affectuum animi e ſignis externis, velut Politico utiliſſima, una cum Scriptoribus de illa præcipuis, Jano Huarto, Scip. Claramontio, Aug. Maſcardo, Chambræo, Ariſtotele, Theophraſto, &c. Divinationem hujusmodi e voce Lud. Creſollius; e riſu Proſp. Aldoriſius, e temperamento, unguibus & ſcriptura, Camillus Baldus inſtituere docuit.* 4. *Scriptores Phyſiognomiæ naturalis de membrorum configuratione, Hon. Nicquetius, Joh. Bapt. Porta, Andr. Otto; De illorum proportione Joh. Sig. Elsholtzius, de Nævis idem, Lud. Septalius & Chambræus, de Pede Joh. d'Arty.* 5. *Judicium de Metoſco-*

poſcopiæ & Chiromantiæ antiquitate. Divinatio veterum ex Saliſſatione, ſive trepidatione membrorum. Hermetis Trismegiſti Melomantia. Melampus περὶ παλμῶν. Artemidorus de Manuum inſpectione. Jul. Cæſ Bulengerus de ominibus & divinationibus. 6. *Scriptores Metopoſcopiæ & Chiromantiæ varii recentiores.* Metopoſcopia *Hier. Cardani an eum Autorem agnoſcat, dubitatur. Magiſtri Chiromantiæ olim creati.* 7. *Judicia prolixiora de Joh. Belotti & Philippi May Scriptis Chiromanticis. Hier. Cardani circa omina & divinationes ſuperſtitio. Finellus de Maculis unguium.* 8. *Scriptores Onirocritici de Somniis interpretandis, Artemidorus, Syneſius ab H. Cardano illuſtratus, Apomaſar, &c.* 9. *Aſtrologiæ judiciariæ Impugnatores, e quibus præſertim Cl. Salmaſii rigor nimius notatur. Judicium de principiis illius benignius.* 10. *Defenſores ejusdem, Joh. Bapt. Morinus, Joh. Heydon (cujus ineptiæ notantur) & Placidus de Titis.* 11. *Henr. Ranzovii Scripta Aſtrologica commendantur. Artis Aſtrologicæ Scriptores antiqui, Petoſiris, Ptolomæus, Arabes, Proclus, Diadochus, Manilius, & recentiores nonnulli.* 12. *Aſtrologia Genethliaca mater plerarumque artium divinatricium, & ſpeciatim quidem doctrinæ imaginum Talismanicarum, quam tradiderunt & defenderunt Conſt. Albinus, Henr. Corn. Agrippa, Jac. Gaffarellus, impugnavit vero Gabr. Naudæus. Fabula de Guſtavi Adolphi, Regis Sueciæ, gladio Talismanico.* 13. *Ex Aſtrologia profluxit etiam omnis doctrina Magica, inprimis Geomantia, cujus Scriptores aliquot, Guilh. de Morbeca, & duo Anonymi, recenſentur. Divinatio e jactu cuborum. Chinenſium Geomantia Phyſica, e terræ figura & conſtitutione de incolarum judicans ingenio.* 14. *Scriptores Magici de ſpirituum conjuratione, divinatione & magia numerorum, ac arte Genium ſuum familiarem cognoſcendi.* 15. *Scriptores varii de Magia Dæmoniaca. Notantur moderni quidam, ejus exiſtentiam negare auſi, Reginaldus Scotus, Abr. Palingius, & alii. Commendantur, qui iſtos refutarunt, Henric. Morus, Mericus Caſaubonus, Ericus Mauritius.* 16. *Probatio ſagarum per aquam, ſpecies judiciorum Dei vetuſtorum. Herm. Conringius illam defendit. Indorum ſimiles modi perjuria explorandi.* 17. *Medicina magica, & curationes per eam. Varii de his Scriptores. Enſalmadores Hiſpani. Incantatio ſerpentum magica, Judæorum Curationes cabaliſticæ.* 18. *Dæmones ſive Genii familiares. An Socrates & Hier. Cardanus vere tales jactarint. Gabr. Naudæi* Apologia pro Viris eruditis, Magiæ ſuſpectis, *commendatur, Pet. autem Borelli* lib. de Vanitate Magiæ *promiſſus contemnitur.*

1 Poſtquam PHYSICA abſolvimus, ad ea progrediemur, quæ naturam excedere videntur. In eorum numerum ARTES DIVINATORIÆ referendæ ſunt, quarum objectum eſt futura & incognita ſcire, cum Phyſici circa res ſenſui ſubjectas & manifeſtas verſentur. Sunt vero variæ divinationum ſpecies, *naturales* aliæ, aliæ *magicæ*, aliæ *licitæ*, aliæ *illicitæ*. De divinationibus generatim, tam licitis, quam illicitis, ſcripſit, inter veteres, Cicero, in quam exſtant multi Commentatores, quos vide in *Nomenclatore Philoſ.* Spachii. E Recentioribus de iisdem ſcripſere, Caſparus, Peucerus, Joh. Jac. Boiſſardus, & Raguſæus, qui, in *Epiſtolis in*

ſuo

ſvo *de divinatione* editis, nitido ſtylo, contra omnem Aſtrologiam divinatricem, Chiromantiam, Phyſiognomiam, Geomantiam, &c. pugnat.

De naturali divinatione primum dicemus, quæ conſiſtit in animis hominum, 2
per ſigna externa naturalia cognoſcendis, vel in prædicendis eventibus e cauſis naturalibus, vel ſiderum, vel aliorum corporum, qualem paſſim ab imperitis etiam fieri videmus. Ad alteram hanc ſpeciem pertinent, quæ ex certo Planetarum concurſu ac configuratione, de tempeſtatibus & morbis Epidemicis, prædicuntur. Quo in argumento verſantur Cornelius Gemma, *in libro de naturæ divinis characteriſmis*, Antonius Mizaldus in *Aëromantia*, Paulus Minerva (de quo conſulendus eſt Jul. Cæſ. Capaccius *lib. 2. Elog. pag. 342.*) *in libro de præſagiendis temporum mutationibus*, & alii, quorum ſupra mentionem fecimus. Pertinent & huc, quæ ex avium volatu & garritu, ruſtici obſervant, non quidem omnia contemnenda. Veterum ſuperſtitio latius ſe extendit, quam magnam partem ab aliquibus etiam hodie probatam invenias, ac defenſam. Videatur Auguſtinus Niphus *de auguriis*. Spectant & huc Aſtrologi, qui de periodis Regnorum, ac converſionibus gentium, ex aſtris philoſophantur, qui plerumque certant inter ſe mendaciis, ac nil, niſi canoras nugas, proferunt. Quo in genere Comitis de Fliſco *liber de fato* verſatur, in quo magna ſe propalare credit myſteria, ſed futilia omnia ſunt, & nugarum plena. Naturales divinationes de rebus etiam futuris fieri poſſe ab animo, extra ſe quaſi conſtituto, non diffiteor, ſuntque mirabilia ejus rei exempla. Videndus Joh. Franc. Picus Mirandula in *libris de prænotionibus*, & Martinus Schoockius in *libro de Ecſtaſi*.

Majorem habent certitudinem, quæ de animis hominum e ſignis externis ca- 3
piuntur; & hic quidem præcipue circa affectus & paſſiones animi indagandas præcipua cura eſſe debet. Quæ quidem doctrina Politico multis modis eſſe uſui poteſt, qui ex animorum inclinationibus judicare de omni actione & commodo poteſt, quid ſibi, vel Reipublicæ, e converſatione exſpectandum. Cujus rei elegans exemplum habemus in *Relatione* Legati cujusdam Veneti *de aula Romana*, ubi Pontificis, omniumque Cardinalium, inclinationes ac temperamenta, ſtudioſe perſequitur, & perpetua collatione, quæ uſui eſſe poſſint Reipublicæ Venetæ, quidve ſingulis exſpectandum, colligit. Hic inſerviunt libri non pauci, ingenioſe ac erudite ſcripti, qualis eſt *Examen des ingenios para las ſcientias*; liber Hiſpanicus, ſcriptus a Jano Huarto, in linguam Latinam autem converſus ab Æſchatio Majore, ſub titulo: *Scrutinium ingeniorum*. Sed verſio illa vehementer diſcrepat ab Hiſpanico, multa addita ſunt, multa omiſſa. Eſt & egregium Opus Scipionis Claramontii *de conjectandis cujuſque moribus & latitantibus animi affectibus*, quod iterata editione publicavit Herm. Conringius, qui *incomparabile Opus* vocat, atque in *præfatione* multa utilia in Phyſiognomiæ commendationem diſſerit. Sunt & Auguſtini Maſcardi, Viri elegantiſſimi ingenii, ac Urbani Octavi Cubicularii, *Diſſertationes Romanæ de affectibus, ſive perturbationibus animi, earumque characteribus*, plenæ reconditæ eruditionis, & Ant. Zaræ, Aquilegienſis, *Anatomia Ingeniorum & Scientiarum*, Venet. A. 1615.

in 4. edita. Sunt & a Domino de la Chambre libri de eo argumento conſcripti, *les Caracteres des Paſſions*, & *l'Art de connoitre les hommes;* qui poſterior liber in linguam Germanicam eſt converſus. Nec ſpernendus eſt Tract. Anglicus Anonymi *off de differeint wills of men*, id eſt *de varietate ingeniorum*, excuſus Londini anno 1669. *in 8vo.* De voce egit, quæque ex ea ſigna animi colligi poſſint, prolixo & doctiſſimo libro expoſuit Ludovicus Creſollius, *in vacationibus autumnalibus, ſive de perfecta oratoris actione & prpnunciatione*, Lutetiæ editis A. 1620. *in 4to. Gelotoſcopiam*, ſive *divinationem ex riſu*, Proſp. Aldoriſius, Italus, ſcripſit, a Naudæo *in Bibliogr. Polit.* allegatus, quocum idem forte tractavit argumentum Ludov. Septalius *in libro de riſu* inedito. E Veteribus habemus *Phyſiognomica* Ariſtotelis, in quæ elegantem *Commentarium* ſcripſit Camillus Baldus, Italus, qui & alios libellos reliquit *de humanarum propenſionum ex temperamento prænotionibus*, item *de naturalibus ex unguium inſpectione præſagiis*, & *de ratione cognoſcendi mores & qualitates ſcribentis ex ipſius Epiſtola, ſive divinatione Epiſtolari,* qui tres Tractatus prodiere Bononiæ A. 1664. *in 4to.* Poſtremus eorum omnium eſt curioſiſſimus, ac jactant, ſi recte memini, etiam Rabbini quidam talem artem, qua ex manu ſcribentis de ingenio hominis præſagia formantur. Quo forte etiam ſpectat M. Aur. Severini *Vaticinator, ſeu Tr. de Divinatione litterali* ineditus, quem, una cum *Phyſiognomiæ Medicinalis Idea*, ei tribuit Laur. Craſſus *P. I. Elog. p. 377.* Eſt & inter Veteres aureus liber, Theophraſti *Characteres*, cum aureo Iſaaci Caſauboni *Commentario* editus, quem præcipue Politicis commendaverim, quorum hominum ingenia noſſe intereſt.

4 Ad naturalem divinationem ſpectat illa etiam Phyſiognomia, quæ, ex membrorum configuratione, de ingenio hominis judicat. De planetaria poſtmodum dicemus. Eam eleganter tradidit Honoratus Nicquetius *libris quatuor*, ubi omnia Phyſica congerit, ſeparatis nugis planetariis. Eſt & elegans *Opus Phyſiognomicum* Johannis Baptiſtæ Portæ, in quo præcipue curioſa eſt vultuum humanorum cum animalium vultibus collatio, quorum aliquam harmoniam deprehendet facile, qui diligentius examinabit. Id vero notandum eſt, editionem Italicam longe eſſe locupletiorem, quam eſt Latina, Hanoviæ A. 1593. *in 8vo* impreſſa. Ex proportione membrorum oritur etiam quædam divinatio, de qua libellum eruditum conſcripſit Joh. Sigism. Elsholtzius, cui titulum fecit *Anthroponetriæ*, ubi & ſimul de nævis agit, quomodo ſc. ex nævis vultuum, de nævis latentibus in reliquo corpore ferri judicium poſſit. De illo argumento etiam Ludovicus Septalius libellum ſcripſit, uti & Dominus de la Chambre. Elsholtzius ideam ſeu harmoniam nævorum peculiari pictura ob oculos poſuit. *Anthropoſcopiam Compendiariam* ſcripſit aliquis Andreas Otto, ubi judicia de homine colligit, tam naturalia, quam planetaria. Non deſunt, qui etiam divinationes peculiares ex reliquis membris formant, uti ex pectore, ac plantis pedum. *Podoſcopiam* appellant. Ac fuit, qui Anno 19. hujus ſeculi, Pariſiis opuſculum edidit, Cardinali Rupefucaltio dedicatum, *de pedis admirandis*, in quo pedem divinitatis habere notam demonſtrat, cognitionem ejus neceſſariam eſſe, totum eſſe homi-

hominem, totam hominis animam, rem eſſe ſacram, regulam religionis & nobilitatis, totiusque vitæ noſtræ, proinde valde honorandum, nec quicquam dignitati illius derogare podagram. Autor vocatur Johannes de Artis, teſte Thoma Bartholino *in Epiſtolis Medicis, Centuria 3. Epiſtola 76. p. 321.*

Perſequemur nunc ceteras Phyſiognomiæ partes, quatenus principiis naturali- 5
bus miſcent ineptias planetarias. Occurrit hic primo ars divinatrix de *fronte*, quæ *μετωποσκοπία* vocatur, ac ſolet cum Chiromantia, quæ ex manuum inſpectione vaticinatur, conjungi, eademque principia habere. Sunt vero iſtæ artes non plane deſtitutæ vereri aliqua autoritate, quanquam illa non tanti eſt, ut movere aliquem debeat. Artemidorus, qui *de Inſomniis* eſt commentatus, *de Auguriis* etiam & *Manuum inſpectione* ſcripſit, quos libros Græce Aldus edidit, Latine autem a Jano Cornario redditos Frobenius, ex officina ſua Baſileenſi. Vid. Jacobi Gaddii *Tomum I. de Scriptoribus non Eccleſiaſt. pag. 49.* Exſtat inter Hermetis Triſmegiſti ſuppoſititia opuſcula unum, quod agit *de Melomantia, ſeu divinatione ex membris humanis*, ubi de Saliſſationibus. Vide Lambec. *lib. 6. Bibliothec. Vindobon. Codice Medico MSto Græco quinquageſimo.* De lineis in manu, certis planetis, dicatis, veſtigia ſunt in libro Melampodis, Græci Autoris, *περὶ παλμῶν πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα*, in quo de *ſaliſſationibus* agit, quomodo vocantur trepidationes membrorum, quod genus peculiare divinationis apud veteres fuit. Illic enim meminit digiti Jovis, Saturni, &c. ſi in illis fortaſſis ſaliſſatio contigerit. De quo genere divinationis vide & Jul. Cæſ. Bulengerum *de ominibus libro 4. cap. 2.* cujus hic Autoris mentionem facio, quod veterum deliria circa omnia ſtudioſe colligat, quæ & magna pars divinationis apud antiquos fuit. Ceterum idem *de tota divinationis ratione libros VI.* ſcripſit, qui Spicilegia ſunt poſt aliorum accuratiores labores. *Opuſcula* ejus in fol. Tomis II. collecta ſunt. ac Lugd. Gall. A. 1621. edita.

Ut ad *Μετωποσκοπίαν* redeam, Autores ejus multi ſunt. Edita eſt Gallica lin- 6
gua Hieron. Cardani *Μετωποσκοπία*, quam mihi genuinam eſſe vix perſuadeo. Nec edita eſt inter Cardani Opera omnia, a Gabriele Naudæo promulgata. Fuerunt & plures alii ſuperioris ac hujus ſeculi Autores, qui ſimul & *Chiromantias* ſcripſerunt, & Appendicis loco Metopoſcopiam tractarunt. Liber Italicus Spontani *della Metopoſcopia* accuratius has nugas tractare videtur. *De Chiromantia* & *Metopoſcopia* librum in folio conſcripſit Johannes Taiſnierius, quem ſingularem in ea arte Magiſtrum eſſe dicunt, Naudæus autem, *in Bibliogr. Polit. p. 106. 107.* integrum Opus Bartholom. Coclitis plagio ſibi tradit vindicaſſe enormi, de quo etiam Thomaſius, *in Tr. de Plag. Lit.* §. *553.* poteſt conferri. Quin ea fuit priorum temporum veſania, ut peculiares ejus artis Magiſtri crearentur, ceu videre licet in quibusdam Monachorum ea de re libris. Exſtat inter veruſtiores Autores Doctoris Andreæ Henrici *Chyromantia* (uti ipſe Autor inſcribit.) Anno 1538. in octavo edita eſt Johannis Digandri *Chyromantia* (ſimili inſcriptione per y,) qui ſingularia ea in arte principia jactat. Rud. Goclenius, Profeſſor Marpurgenſis, itidem edidit *Chiromantiam*, una cum

Obſer-

Obſervationibus, per aliquot annos factis. Ex Italis Alex. Achillinus, Bononienſis, Prof. Patavinus, teſte Jac. Gaddio (*T. I. de Script. non Eccleſ. p. 18.*) libro peculiari Chiromantiæ & Phyſiognomiæ probavit principia. Varios Autores prioris & noſtri ſeculi Chiromanticos uno Volumine collegit quidam Joh. Prætorius, quod inſcribit *Theatrum Chiromanticum*, quibus ipſe etiam ſuas adjecit nugas, qui & chartulas luſorias Chiromanticas publicavit. Eſt & aliquis Johannes Kohlmannus, qui Chiromantiæ cum Genethliaca arte conſenſum ob oculos ponere voluit ſingulari libro, ubi Themata Genethliaca ſemper cum manuum lineis confert.

7 Gallus quidam, M. Johannes Belott, qui ſe Magiſtrum vocat ſcientiarum divinarum & cœleſtium, *Chiromantiam & Phyſiognomiam* ſcripſit, in quibus peculiaria quædam ſunt principia; ſed ille etiam Magicas artes immiſcet, Geomantiam, Onychomantiam, & artem genium familiarem ſibi conciliandi. Liber profanus & impius eſt, nam Onychomantiam ſuam ex Judæorum Urim & Thumim deducit. Unde & Geomantiam Gentilium natam fuiſſe putat Guilh. Schickrdus *in libro de Jure Regio Hebræorum.* Nuper aliquis Philippus May *Chiromantiam Medicam* ſcripſit, quæ Gallica Hagæ anno 1665. & Germanica lingua Dresdæ anno 1670. in 8vo edita eſt. Is ſingularem jactat ejus artis experientiam, quæ multorum hiſtoriis & relationibus firmatur, quæ ſi veræ ſunt, certe aliud quippiam ſubeſſe videtur, quam communia iſta principia. Eam vero *Chiromantiam* ad morbos, vulnera & mortem prænunciandam direxit. Reliqua & *Curioſa*, quam promiſit, qua illa, quæ ad fortunas hominum ſpectant, tractabit. Multa circa maculas unguium tradit, quarum ſingularem doctrinam inveniſſe vult videri. Quæ de morbis e coloribus oculorum præſagiendis habet, non omnino ſpernenda ſunt. Phyſicas enim rationes habent. Habeo & ejus *Chiromantiam* manuſcriptam Germanicam, quæ ab edita in multis diſcrepat. *De Unguium maculis* Finellus Italus libellum ſcripſit peculiarem. Quæ ad omina, Phyſiognomiam & Chiromantiam ſpectant, in Operibus ſuis paſſim tractat Hier. Cardanus, qui mirus fuit talium ineptiarum æſtimator, atque ut ingenio fuit ſumme melancholico, ita finxit ſibi, neſcio quæ, præſagia e vocibus, crepitu januarum atque iſtis minutiis, quibus nonnunquam integras implet paginas.

8 Ad naturalia vaticinia aliqua etiam ex parte pertinent *ſomnia*, quorum interpretandorum peculiaris inventa ars eſt, quæ *ὀνειροκριτικὴ* vocatur. Ejus veteres aliquot Autores habemus, inter quos præcipuus eſt Artemidorus, qui lingua Græca doctiſſime *de Somniis* ſcripſit, additis ubique rationibus, & cum notis Nicol. Rigaltii editus eſt. Scripſit & Syneſius *librum de Somniis Græce, quem* Commentario illuſtravit Hier. Cardanus, in quo adeo diligenter, & cum anxietate quadam conquiſitis rationibus, hanc tradit doctrinam, ac ſi res maximi momenti ageret, & ſubtiliſſimam Philoſophiæ partem tractaret. Qui liber & in Germanicam linguam eſt converſus. De Apomaſare, ſive Achmeto potius, Onirocrita Arabe, vid. Barthium *lib. 31. Adverſ. c. 14.* & ex eo Placcium *de Scr. Pſeudon. p. 150. 151.*

9 Extra hominem omnium artium curioſarum & divinatricium fons & origo eſt Aſtro-

Aſtrologia, Judiciaria ſcilicet, cujus principia a multis ſunt ex profeſſo impugnata, Johanne Pico Mirandula (cui reſponſum eſt a quodam Lucio Bellantio, de quo, ejusque libro, lege Gaddium *T. I. p. 91.*) Hieronymo Savanarola, Tobia Wagnero, Pet. Gaſſendo (*in Philoſophia Epicuri,*) carptim vero a plurimis aliis. Illi vero non omnis improbanda eſt, ut faciunt aliqui, quorum rigor mihi non placet. Cl. Salmaſius, *in libro de annis Climactericis, etiam antiqua Aſtrologia,* nugatoriis argumentis omnium aſtrorum vim Phyſicam etiam tollit. Multi offenduntur principiis, nec autoritate, nec ratione, demonſtratis, diviſione ſc. domuum cœleſtium, de quibus ego ita ſentio: rejici illa non poſſe, ſi experientia confirmet, (ut confirmat ſæpe in effectis naturalibus,) ſed accipienda eſſe, ſive a primi ſeculi hominibus, experientia notata, ſive revelatione excepta, ad poſteros per traditionem longævam devenerunt. Eſſe enim quosdam influxus, præcipue ſolis & lunæ, ratione morborum & vitæ, deprehendere manifeſto poſſumus, & eſſet profecto homo ineptiſſimus, qui tam valtis corporibus aliquod effluviorum commercium negare vellet. Quare, cum vitæ noſtræ & ingenii anguſtia, & corporum iſtorum diſtantia, prohibeant, quo minus obſervare effectus illos poſſimus, ſaltem accipiamus tantiſper, quæ nobis tradita ſunt a majoribus, hominibus non tam abſurdis, exploremusque per experientiam earum veritatem, quæ ſi conſpiret, de principiis diſputare res erit inutilis.

Aſtrologiam, non ſolum *naturalem*, ſed & *Genethliacam* quæ circa fortunas hominum verſatur, diffuſo libro vindicare eſt molitus Joh. Bapt. Morinus, Gallus, qui ſpeciatim contra Gaſſendum eam defendit, & quidem omnium doctiſſime & philoſophice (quantum tamen res ipſa permittit,) de principiis hujus artis eſt commentatus. Eſt & Anglus aliquis, *Iohannes Heydon*, inſignis nugator, qui rationibus philoſophicis, ſed plurimam partem vanis & Cabaliſticis, planetarum & fixarum ſtellarum influxum probare voluit. Placidus de Titis quoque *Diſſertationem Phyſico-Mathematicam de Aſtrologia* ſcripſit, in qua omnes influxus ad lucem refert, multisque argumentis probare nititur, effectus tales in corporibus naturalibus provenire poſſe a luce in corporibus cœleſtibus, affectionibus iſtorum imprægnata. 10

Ceterum librorum, qui ad Aſtrologiam Genethliacam pertinent, magnus eſt numerus, quos omnes recenſere non licet. Judicia de Aſtrologis & Aſtrologia judiciaria congeſſit peculiari libro *Henricus Ranzovius*, qui & alio ſcripto omnem illam artem divinatricem in compendium redegit, e variis Autoribus, tam antiquis, quam recentioribus. Inter Antiquiores præter Petoſiris, Philoſophi Ægyptii, *Epiſt. Aſtrologicam ad Nechepſin Regem* (de qua Lambecius *L. 6. Comm. de Biblioth. Vindob. p. 94.* & Otto Heurnius, *in Chaldaicis p. 47.* conſulendi,) Ptolomæi ſunt ſcripta, quem paſſim omnes Arabes ſequuntur, qui in iſto divinationis genere admodum fuere curioſi & ſuperſtitioſi. Complura talia Manuſcripta Arabica recenſet Chriſt. Ravius *in ſpolio orientis*, ſuntque etiam nonnulla in Latinam linguam converſa. Exſtat & Procli Diadochi *Paraphraſis in quadripartitum Ptolomæi de ſiderum affectionibus*, a Leone Allatio in Latinam linguam converſa, Lugdunique Bat. An. 1635. in 8vo edita. Inter Latinos Poëtas Manilius *Aſtronomica* ſcripſit, in quem exſtant luculenta Joſ. Sca- 11

ligeri *Commentaria.* Inter Recentiores Johannes Schonerus, Cypr. Leovitius, Dav. Origamus, præcepta iſta divinatoria prolixe congeſſerunt, præter multos alios, quorum nomina recitare ſuperſedeo.

12 Ex iſta doctrina influxuum cœleſtium, tanquam fertiliſſima ſegete, orta ſunt pleraque omnium artium divinatricium genera, inter quas prima eſt vaticinandi ex imaginibus ſculptis, iisque in Medicina utendi ad profligandos morbos, ad animalia abigenda, vel congreganda, ſecuritatem loco præſtandam, corpus contra ictus muniendum, & victoriam obtinendam. Tales imagines vocatæ fuerunt *Talisman,* & inſculptæ potiſſimum gemmis vel metallis, quorum occultam aliquam cum aſtris fingunt ſympathiam, cujus rationem tradit Conſtantinus Albinus *in Magia Aſtrologica,* libro Pariſiis A. 1611. impreſſo, ubi & illa ſigilla ac imagines deſcribit. Henr. Cornelius Agrippa, in profano Opere *de occulta Philoſophia,* præcipua, quæ ad illam rem ſpectant, complexus eſt. Præ ceteris vero, & ex profeſſo doctrinam illam Talismanicam defendendam ſuſcepit Jac. Gaffarellus *in curioſitatibus* ſuis *inauditis*, libro gallice ſcripto, ubi ex ipſis etiam S. literis, Rabbinorum Commentariis, omniumque gentium conſenſu, earum adſtruere veritatem laborat, in eamque rem abutitur *Urim & Thumim,* quorum in Sacris mentio fit, de quibus elegantem Diſſertationem conſcripſit Joh. Spencerus Anglus, Cantabrigiæ A. 1669. in 8vo. editam. Ex Gaffarello pleraque transſcripſit Athan. Kircherus in *Oedipum* ſuum *Ægyptiacum.* Multa contra Talismanicas illas imagines diſputat Gabriel Naudæus, *in libro de ſtudio militari,* occaſione artis iſtius, qua corpus humanum adverſus ictus munitur, quam ille totam negat, &, ut vaniſſimorum hominum commentum, explodit. Refertur & in *vita* Joh. Bapt Morini, quæ *Aſtrologiæ* ejus *Gallicæ* præmittitur, de *gladio Guſtavi Adolphi,* R. Sueciæ, quod iisdem ſignis Talismanicis fuerit inſignitus, qui demum in manus Morini inciderit, cui ille tam fortia facta adſcribere non veretur. Quod ego quidem credere non auſim; puto enim, potius ſubornatum eſſe aliquem, qui id venditaret, ut invidiam aliquam Guſtavi Adolphi nomini contraheret.

13 Ex iſta doctrina derivandi influxus cœleſtes in corpora naturalia & artificialia prodiit fœcundo agmine omnis doctrina Magica. Præſuppoſito enim iſto principio, nihil jam poterat fingi, vel concipi, quod non ex eo regulas aliquas haberet. Hinc nata primum eſt *Geomantia,* in qua e certo punctorum numero, convenienti loco poſitorum, divinatio quædam de rebus contingentibus inſtituitur. Fuerunt, qui artem hanc probarunt, Viri alias non omnino contemnendi, inter quos Rob. Fluddius, Henr. Corn. Agrippa, ac alii nonnulli. Guilhelmi de Morbeca, Clementis IV. Papæ, Pœnitentiarii, Monachi Dominicani, qui Procli Inſtitutiones Theologiæ Platonicæ Latine vertit, *liber de Arte Geomantica* in Biblioth. Cæſarea MStus reperitur. Vid. Lambecii *Lib. 3. de Biblioth. Vindob. in Append. Additam. 7.* Eſt quidam, qui Gallica lingua plenum Opus eo de argumento conſcripſit, cujus nomen jam non ſuccurrit. Latine prodiit *Opus Geomantiæ completum* in tres libros diſtinctum, quorum primus Geomantiam Theoreticam, ſecundus Praxin, tertius varias e diverſis Autoribus decerptas quæſtiones continet, a *Medico quodam Neoterico* Anonymo (ita enim ſe

ſe vocat,) conſcriptum. Ex eo principio ſunt Quæſtiones illæ, ad quas reſponſio per jactum cuborum expeti ſolet. Solent vero illi confici ex omnibus metallis, varie inter ſe miſtis, ac numeri ad certas conſtellationes inſculpi. Chinenſes aliam habent Geomantiæ ſpeciem, quæ Phyſica eſt, ac quodammodo defendi poteſt. Quemadmodum enim e lineamentis externis de ingenio hominis judicatur, ita illi, ex figura terræ, de ingenio atque natura regionis, omniumque incolarum, judicant, qua de re vide Kircherum *in China illuſtrata.* Illud vero habet aliquid de vero. Facit enim ad temperamentum hominis loci conſtitutio, ſive is montanus ſit, ſive in planitie, ſive in locis paludoſis, ſive arenoſis ac metalliferis. Ex qualitate enim ſoli variat natura ciborum, ex natura cibi temperamenta, e temperamentis inclinationes hominum. Hinc in locis montanis ſolent habitare homines aſperi, in locis paludoſis homines ſtupidi, in locis arenoſis & calidis ingenioſi.

Alia divinationum genera ſunt, quæ recenſere nihil attinet, cum apertam Ma- 14
giam præ ſe ferant. Hinc conjuratio ſpirituum per Imagines & numeros, de qua Henr. Corn. Agrippa *in libris de Occulta Philoſophia,* & Johannes Heydon in libro, cui titulus: *The Roſie Crucian infallible Axiomata.* Numerorum doctrinam, ac Magiam, quæ per eos exerceri ſolet, deſcripſit Petrus Bungus peculiari *libro in 4to de Myſterio Numerorum.* Huc quoque ſpectat ars cognoſcendi Genium ſuum familiarem e Themate Natalitio, de qua nonnemo ſcripſit, cujus nomen mihi nunc excidit. Alias divinationum ſpecies, earumque principia, tradidit Rob. Fluddius in *Operibus* ſuis.

Dicenda etiam quædam ſunt *de Magia illicita,* ſive *Dæmoniaca,* quæ exercetur per 15
pactum cum Dæmone & ſpiritibus, idque vel explicitum, vel implicitum. Ad noſcendum itaque omne genus iſtarum nequitiarum conferent *Diſquiſitiones Magicæ* Mart. Delrii, *Dæmonologia* Franc. de Torreblanca, ac Joh. Wieri *Lib. VI. de Præſtigiis Dæmonum.* Ac eſt profecto diligentius inquirendum in omne illud commercium Dæmoniacum, quia nunc ſunt homines adeo perfrictæ frontis, ut negent omne illud, & ipſos etiam ſpiritus malignos. Exſtant certe ejus generis libri quidam, qui multis argumentis ea omnia in dubium vocant. Talis eſt liber in fol. ſcriptus Anglica lingua a *Reginaldo Scoto,* in quo plurima occurrunt contra Magiæ exiſtentiam argumenta. Eſt ille etiam in Belgicam linguam converſus, ſub titulo: Offderking van Tòvery. Sed plenior Editio eſt ultima Anglica. Eſt & quidam *Abrahamus Paling*, qui librum ſimilem Belgica lingua conſcripſit, Amſtelodami anno 1659. in 8vo editum. Anglus inſuper aliquis Anonymus exiguo libello, quæcunque impugnare veritatem Magiæ poſſunt, collegit, omneque negotium conventionis cum Dæmone pro ficto habet, cui ab alio itidem Anonymo, reſponſum eſt. Scripſit contra hos Novatores Henricus Morus (is enim Autor eſſe videtur,) libellum Anglica lingua, cui titulus: *Philoſophical Conſiderations about Witchrafft,* in quo omnia argumenta, quæ ab iis in medium produci ſolent, refutat doctiſſime, adjecta ſimul hiſtoria de Dæmonis apparitionibus, alicubi in Anglia factis. In eodem argumento verſatur etiam Mericus Caſaubonus, Iſaaci filius, qui in libro: *Off credulity and incredulity in things divine & ſpiritual,* operoſe congerit omnia, quæ de ſagis & incan-

rationibus habentur, adductis paſſim hiſtoriis, undique excerptis & collectis. Edidit item Autor *Diarium colloquii*, inter aliquos ſpiritus, & Edv. Kellenm ac Johannem Dee, inſtituti, *in folio*, eum in finem, ut convinceret Atheos, converſationem iſtam Dæmoniacam ducentes pro nihilo. Denique quam diligentiſſime, quicquid ad hoc argumentum pertinet, congeſſit Ericus Mauritius *in Diſſertatione* ſua de *Denunciatione Sagarum*, Gallicis etiam Ephemeridum Scriptoribus, *Ephem. XLI. A. 1666. p. 557. & ſeqq.* eam ob cauſam, laudata. *De Conventibus Sagarum* videatur Diſſertatio Gotfr. Vogtii *in Deliciis ſuis Phyſicis.* Videantur etiam JCti, qui Tractatus de Sagis ſcripſerunt, ubi multæ ſolent occurrere de hoc negotio hiſtoriæ. Addantur & illi Autores, qui de Spiritibus, Præſtigiis Dæmonum & Lamiis, ſcripſerunt, Joh. Wierus, Georgius Pictorius, Pet. Thyreus, Nicol. Remigius, Franc. de Torre-Blanca, & Petrus de Lirres, qui Gallica linguâ quam pleniſſime de Spectris, viſionibus, Sagarum transformationibus, agit.

16 Commode hic incidit divinatio, quæ circa ſagas inſtituitur per aquam, quæ ſolet admitti, deficientibus aliis mediis & probationibus, ſed quam multi tamen rejiciunt, ac, ut ſuperſtitioſam, damnant. Eſt vero iſta ratio probandi admodum antiqua, ſoletque *judicium divinum* vocari. *Ordalium*, a Germanica voce Orde-Hert, Seculi Barbari Scriptores appellant. Talis quoque fuit probatio per ferrum candens, per prunas, per panem vel caſeum conſecratum, quod Chorſchund dicitur. De his judiciis Dei, contra quæ S. Agobardus Tractatum ſcripſit, multa notarunt eruditiſſima Henricus Spelmannus *in Archæologia* ſua, ſeu *Gloſſario*, & Johannes Seldenus *in Notis ad Chronicon aliquod antiquum Anglicum.* Res vero illa mirabilis eſt, nec deſunt multæ hiſtoriæ veritatis his modis exploratæ apud antiquos Chriſtianos, ac videtur vel in ipſis ſacris literis ſimile quid injungi de adultera, per aquæ amaræ potum dignoſcenda. Non eſt dubium, hinc quoque originem eſſe probationis per aquam in ſagis, quam cum pene omnes, tam JCti, quam Theologi, ut rem temerariam, damnent, probat tamen Herm. Conringius *in Diſputatione de Judiciis*, argumentis quidem non usque adeo ſtringentibus, & a generali Dei circa judicia & veritatem providentia petitis, uti & ab hiſtoriis ejusmodi probationum. Ac dicitur ille ſingularem librum, pro defenſione hujus probationis, eſſe molitus. Sunt & apud Indos Orientales ſimiles modi explorandi, *an quis recte juraverit, an vero perjurium fecerit*, quos notavit Phil. Baldæus *in libro* van de Indianiſche Affgoderey; qui additur *Deſcriptioni Zeilaniæ & Malabariæ.* Ollam ſcilicet habent butyro fervente plenam (butyrum enim illis, ut omnia, quæ a vacca proveniunt, res ſacra eſt,) cui ſi quis impune digitos immiſerit, recte juraſſe cenſetur. Alius etiam illis modus eſt: Condunt ſerpentes, una cum pomis aureis in vaſe aliquo, unde ſi quis pomum extraxerit a ſerpente illæſus, recte itidem juraſſe cenſetur.

17 Ad Magiam iſtam Diabolicam, quæ exercetur per pactum cum Dæmone, pertinet etiam, cum per certos characteres, ſymbola & ſigna, quæ vel expliciti, vel impliciti argumenta ſunt pacti, mirabiles effectus producuntur in natura, quanquam etiam hic peccetur nonnunquam ex ſuperſtitione potius, quam malitia. Huc pertinent curationes

iſtæ

iſtæ per tactus, inſufflationes, carmina, inſputationes, quibus interdum aliquid etiam naturale ſubeſſe poteſt. Noti eo nomine ſunt in Hiſpania, qui dicuntur *Enſalmadores*, a canendo ita dicti, vel ut *Salutatores*, de quibus integrum aliquis Tractatum ſcripſit. Vide & Theoph. Raynaudum *in libro de Stigmatiſmo ſacro & profano* (ubi, ut hoc obiter addam, curioſa exſtat diſquiſitio de ſtigmatibus magicis, ſive a Dæmone impreſſis, quæ ſolent, inter argumenta pacti, cum Dæmone initi, recenſeri,) Joh. Jac. Boiſſardum *in libro de divinatione & Magicis præſtigiis, cap. 11.* & Caſp. de Reyes *in Campo Elyſio jucundarum Quæſtionum, quæſt. 24.* Simile quid refert Antonius Bietus *in Itinerario verſus Franciam Æquinoctialem lib. 3. c. 12.* de morbis per inſufflationem curatis; Caſp. Barlæus autem *in Deſcriptione rerum, ſub Mauritio geſtarum in Braſilia pag. 204.* de morbis per ſuctionem a Braſilianis ſublatis. De Curatione per Carmina jam apud Homerum mentio fit, unde & *Homerica curatio* dicitur, de qua integrum libellum Galenus ſcripſit. Quam ſtultitiam doctiſſime refutavit Gabriel Naudæus *in libro de Studio Militari.* Videatur & Ol. Borrichius *in Diſſertatione de Cabala Characterali.* Solent & certæ quædam voces adhiberi, pro veneno ſerpentum mitigando, pro morſibus eorum ſanandis, aut iis in unum locum convocandis, qua de re vide Bochartum *in Hierozoico, parte 2. libro 3. c. 6.* ubi prolixe de omni iſta incantatione ſerpentum agit, & Joh. Pet. Lotichium *in Commentario in Petronium.* Sed illud forte ſibilo adſcribi poteſt, quo utuntur iſti incantatores. Talis Codex MS. antiquus *de Viperarum generibus & modis incantandi variis*, in Biblioth. Cæſarea Vindobonenſi reperitur, teſte Lambecio *T. 6. Comm. de illa p. 145.* Confer etiam Caramuelem *in Apparatu Philoſophico*, in quo multa de Magia verbali, multa etiam de aliis divinationum ſpeciebus, accurate ſunt conquiſita. Solent & Judæi hic eſſe ſagaces, qui, neſcio, quæ miracula a Cabala ſua exſpectant, de qua vide Joh. Reuchlinum peculiari libro, & Claudium Duretum *in Hiſtoria Univerſali omnium linguarum*, Gallice ſcripta, in qua multa habentur de divinationibus per nomina, &c.

Spectant & huc Dæmones illi Familiares, quibus utuntur nequam homines, ut 18
opibus, ſcientia vel dignitate, ceteros antecellant, ſuntque, qui nequitiæ iſtius præcepta tradere non verentur, quomodo ſcilicet talis ſpiritus advocandus ſit. Exemplum quoque Socratis ſequi ſe in illa re putant, qui de Dæmonio ſuo multa jactavit. Jactavit id ipſum *Hieronymus Cardanus*, quod Gabriel Naudæus, *in vita ipſius*, Melancholico ejus ingenio tribuit. Fuit enim homo, mire deditus ominibus ac oſtentis. Cum crepuere fores, cum audita vox aliqua eſt, ſtatim illud Genio ſuo adſcripſit. Fuerunt & alii, qui, ut gloriam aliquam ſingularis ſcientiæ ſibi quærerent, tale quid finxerunt. Fuerunt etiam, quos ſingularis quædam excellentia ingenii in Magiæ ſuſpicionem apud imperitos homines adduxit, quos defendit eruditiſſimo libro, Gallice ſcripto, Gabriel Naudæus. *De varietate Magiæ* Petrus Borellus librum ſe parare dicit, *in Obſervationibus* ſuis, in quo omnia illa quæ vulgo oſtenta credi ſolent, ad naturales cauſas ſit reducturus. Sed ab iſto homine, ut apparet, exigui judicii nihil adeo præclari exſpectari poteſt.

D. G MORHOFI

POLYHISTORIS

TOMI II.

SIVE

POLYHISTORIS

PHILOSOPHICI,

LIBER IV.

SIVE

POLYHISTOR MATHEMATICVS.

§. 1. *Phyſicæ & Matheſeos cognatio. Hiſtoriæ Mathematicorum Literariæ Scriptores, Ioſ. Blancanus, Hugo Sempilius, Gerh. Ioh. Voſſius, Iob. Bapt. Ricciolus.* 2. *Nomenclatores Hiſtorici, Geographorum, Chronologorum, Muſicorum, Dan. Pauli Catal. Mapparum Geographicarum.* 3. *Scriptores Encyclopædiarum, curſuum & Miſcellaneorum Mathematicorum.* 4. *Hier. Vitalis* Lexicon Mathematicum, *& Ioh. Micrælii* Philoſophicum. *Cenſura de Lexicis diſciplinarum.* 5. *Scriptores Arithmeticæ, Pythagoræorum myſticæ, vulgaris, & ſubtilioris Logarithmicæ, Algebræ item, a Carteſianis præcipue excultæ, computationumque (de quibus cenſura additur) Ioh. Neperi per Bacillos, & Boulweri per digitos, ac practicæ tandem Italicæ.* 6. *Inter Geometras veteres excellit Euclides, inter commentatores ejus Chr. Clavius, Ioh.*

Ioh. Dee & I. Alph. Borellus, inter modernos Angli, & Ioh. præſertim Walliſius, a Thom. Hobbeſio infeliciter impugnatur. Compendiorum & Problematum Geometr. Scriptores præcipui. 7. *Geodeſia a Germanis, Ars Fortificatoria ab iisdem, Belgis, Italis, Gallisque, exculta.* 8. *In Aſtronomia Ioh. Bapt. Riccioli* Almageſtum *commendatur. Scriptores de Syſtematis Aſtronomicis, Dan. Lipſiorpius, Ant. Deuſingius &c. novorumque Inventores, Nauta quidam Batavus & Otto a Guericke. Laus Ioh. Hevelii, operumque ejus Aſtronomicorum, nec non Compendiorum Ioh. Keppleri, Guilh. Blaeu & Æg. Strauchii. Poëtæ Aſtronomi Manilius & Georg. Buchananus. Chr. Hugenii* Syſtema Saturninum. *Gnomonica a Ioh. Caramuele a Lobkowiz tradita.* 9. *Scriptores Optici potiores, tum Generales (inter quos Rog. Baco, Athan. Kircherus, Ioh. Chriſtoph Kolhauſius, Hon. Fabri, Ambr. Rhodius & Ren. Carteſius, commendantur,) tum Speciales de refractionibus, obſervatt. Microſcopicis & Perſpectiva.* 10. *Scriptores Muſici, tum veteres, a Marco Meibomio editi, tum e recentt. Ath. Kircherus, Mar. Merſennus, Hon. Fabri. Acuſtica Pars eſt Muſicæ.* 11. *Geographiæ diviſio, & a Coſmographia differentia. In generali ſufficit Bernh. Varenius. Geographi Univerſales, e quibus Sanſonius præcipue commendatur. Geographi veteres, Ptolomæus, Stephanus (cujus editores & commentatores recenſentur,) Pomp. Mela. Lucæ Holſtenii affectum Geographorum Græcorum Syntagma.* 12. *Scriptores de Mappis Geographicis conficiendis. Artificia inepta, Geographiam per chartulas Luſorias, aleamque Kænigii, addiſcendi, exploduntur. Scriptores Chorographici, Topographici & Hydrographici potiores, judiciaque de iis, ac Georg. Hornii* Geographia Antiqua. 13. *Commendantur Itineraria (quorum recenſum Autor deſiderat hiſtoricum, præcipue ἐξοχώτερα illa Petri della Valle, Monconyſii, Thom. Herberti, & volumina ex iis ab Arn. Montano, Eraſmo Franciſci, & I. Chr. Beemanno, congeſta.* 14. *Ad Tabulas Geographicas, illarumque errores, reditur, ac Sanſonianæ, Blavianæ & Wittianæ, cæteris præferuntur.* 15. *Staticæ (quam Medicinæ applicuit Sanctior Sanctorius,) eique cognatæ doctrinæ de Motu Mechanicæ (cui Principia modernorum Phyſica innituntur,) Horologiographiæ item, Pneumaticæ & Hydraulicæ, Scriptores præcipui, antiqui & recentiores.* 16. *Artium Gymnaſticarum, Luctatoriæ, Funambulatoriæ, Gladiatoriæ, Natatoriæ, &c. uti & Mechanicarum, Scriptores.* 17. *Ars volandi a Rog. Bacone, Beſnerio, Franc. Lana, & Paulo Guidotto Burgheſio, propoſita aut jactata.*

Subjungimus Phyſicis MATHEMATICOS. Vehementer enim inter ſe conſpirant Phyſica & Matheſis, alteraque alterius opem poſcit. Nunc quidem prout exculta eſt Philoſophia naturalis, cœcus eſt, qui ſine Matheſi in illa quicquam ſuſcepturus ſit. Quandoquidem vero de Scriptoribus Mathematicis, integri ſunt libri conſcripti, qui illorum Catalogum Operaque exhibent, inutilis labor eſſet, ſingulis diſciplinis & Auctoribus immorari, atque adeo ab ovo omnia repetere. Nam, ſi Autores, qui ſic ſatis dili- 1

diligenter verſati ſunt in hoc argumento, ad manus ſint, non opus eſt nova recenſione, niſi quod prioribus ſubnecti poſſint, qui poſt veteres illos quicquam in hoc argumento tractarunt. Scripſit Joſephus Blancanus, *Mathematicorum Chronologiam*, ab orbe condito, usque ad ſua tempora, Bononiæ anno 1625. in 4to editam, additamque *Explicationi locorum Mathematicorum Ariſtotelis, ex univerſis ipſius Operibus collectorum.* Meminit Labbæus *in Bibliotheca Bibliothecarum* Hugonis Sempilii, & Andr. Stiborii, qui de eodem argumento *libros* ſcripſere, quos hactenus non vidi. Quam luculentiſſime tractavit, ad ſua uſque tempora, hoc argumentum GERH. VOSSIUS *in libro de univerſæ Matheſeos natura & conſtitutione*, quem a primis uſque temporibus ad ſua deduxit, elegans ſane Opus, & quod perfectam ſuppeditat hiſtoriam ortæ & auctæ, per temporum intervalla, Matheſeos. Deſinit autem ille circa annum hujus ſeculi 50. circiter, ideoque, qui poſt illud tempus quædam in lucem ediderunt, illis ſubjungendi ſunt. Ac ſuppleri hiſtoria illa quadantenus poteſt ex JOH. BAPT. RICCIOLO, qui in pleniſſimo illo Aſtronomico opere, quod *Almageſtum* inſcribit, duplex habet *Chronicon Aſtronomorum, ſive Aſtrologorum, Coſmographorum ac Polyhiſtorum, qui Aſtronomica, vel Coſmographica, propius attigerunt.* Hujus prior pars, ordine temporum conſtructa, ſuccincte Auctores enumerat, poſterior autem ordine exhibet Alphabetico pleniorem Autorum cognitionem, tam ratione doctrinæ, quam ratione vitæ. Quanquam etiam non omnes Mathematicos, ut titulus habet, hic recenſeat, maximam tamen eorum enumerat partem, ut inter generales Scriptores merito illi locus concedatur, qui præter Mathematicos etiam Phyſicorum recentiorum Catalogos ſuppeditat. Abſoluta certe hic Aſtronomorum & Aſtrologorum hiſtoria legitur, ut facile carere poſſimus laboribus Henr. Brucæi, Henr. Ranzovii & Jac. Ryſſii, qui itidem in Aſtrologis commemorandis occupati fuerunt.

2 Scriptæ ſunt & Bibliothecæ ſpecialiorum diſciplinarum Mathematicarum. *Geographicam* edidit Antonius de Leone Pinello lingua Hiſpanica, qua rei nauticæ Scriptores diligenter recenſentur. Ejus meminit Labbæus *in Bibliotheca Bibliothecarum.* Martinus Zeilerus *Chronologorum & Geographorum hiſtoriam* totam fere e Voſſio exſcripſit, ſed addidit tamen recentiores nonnullos Autores. De antiquis Geographis videndus eſt Joh. Wouwerius *Polymath. cap. 13.* Ad generalem Geographiæ cognitionem pertinet quoque Tabularum Geographicarum notitia, cui non contemnendam, quanquam imperfectam, operam, impendit Simon Pauli, Bibliopola, *in Catalogo Mapparum* ſecundum terras & regiones diſpoſitarum, ſpatio vacuo relicto, quo referri poſſint, ſi quæ ſunt ab illo neglectæ, ut ſunt ſane plurimæ. Rectius vero ſe haberet res, ſi ab eximio quodam Mathematico & Geographo labor ille ſuſceptus fuiſſet, qui accuratiorem inſtituere potuiſſet delectum, ac rectius de ſingulis formaſſet judicium. De Muſicis veteribus aliqua ſcripſit Joh. Meurſius *in Prolegomenis Notarum ſuper antiquos Muſicæ Scriptores.* Legi quoque de iis poteſt Marcus Meibomius *in præfatione Muſicorum*, abs ſe editorum. Gallicos rerum Mathematicarum Scriptores recenſet Sorellus *in Bibliotheca* ſua *Gallica.*

Ad

Ad generales Mathematum Scriptores pertinent etiam, qui Encyclopædias 3
Mathematicas ſcripſerunt, quales habemus plurimos. Notiſſimus eſt Joh. Henr. Alſtedii libellus, qui inſcribitur: *Admiranda Mathematica*, ſed qui ſumma tantum tradit principia. Joh. Jac. Heinlini *Synopſis Mathematica* non contemnenda eſt. Plenior autem eſt Caſparis Schotti *Curſus Mathematicus, in fol.* editus Herbipoli anno 1661. Spectant huc omnes illi Autores, qui Miſcellanea Mathematica ſcripſerunt, Marius Bettinus *in Apiario Mathematico*, Bononiæ *in fol.* (cui multa ſublegit Kircherus in Opticis præcipue) Dan. Suenterus *in Deliciis Mathematicis*, Georg. Phil. Harsdœrfferus, *in Continuatione earum*, ac ſimiles Autorum, quorum non pauci tum Gallica, tum Belgica lingua prodierunt.

Referendi quoque huc ſunt Lexicorum Scriptores, quale eſt Hieron. Vitalis 4
Lexicon Mathematicum, in ſvo maj. Bononiæ editum, quo terminos omnes Mathematicos, quacunque in diſciplina occurrentes, explicat. Fecit & illud ſic ſatis diligenter Joh. Micrælius *in Lexico ſuo Philoſophico.* Sed diſplicet mihi, neſcio quomodo, omnis illa in diſciplinis *Lexicographia*, niſi forte memoriæ cauſa talis labor commendandus ſit. Tyronibus enim ea Methodo ſcientias proponere non eſt conſultum, ac plane ἀμέθοδον, ſcientibus vero inutile. De Geographicis Lexicis agemus, ubi de Geographis.

Arithmetica primum locum occupant in Matheſi. De iis inter veteres ſcripſe- 5
runt Nicomachus, in quem extat *Commentarius* Jamblichi, Arnhemiæ anno 1668. *in 4to* editus, cum *Notis* Samuelis Tennulii: ſed ille perſequitur multa de numeris ex Pythagorica doctrina, multa abſtruſa continente, quæ non tam ſpectant ad Mathematica, quam ad neſcio quos reconditos magicosque ſenſus. Quam doctrinam J. Meurſius *in Denario ſuo Pythagorico*, & Petrus Bungius *in libro de myſteriis numerorum*, tradiderunt quadantenus. E vetеribus perſequutus eſt Arithmeticam vulgarem Euclides; inter recentiores Pet. Ramus, Pet. Laurembergius, Gerh. Neuville, *Inſtitutiones* ſcripſere. Nec ſpernenda eſt Joh. Micrælii *Arithmetica methodo Erotematica digeſta.* Subtiliores Arithmeticæ ſpecies, ut *Logiſticam* & *Logarithmicam*, Petrus Crügerus, & alii, ſingularibus libris tradiderunt. Verſantur illæ circa ſtellarum computationes, praxinque earum Joh. Placentinus *in Uranotomia ſua* demonſtrabit. Conferri quoque poteſt Caſp. Schottus *in Curſu Mathematico*, & Autores, qui Tabulas Sinuum tangentium & ſecantium ediderunt. *Algebram*, Arabici inventi doctrinam, noſtro tempore illuſtrarunt Viri doctiſſimi, quos inter ap. Germanos Mich. Stifelius præ ceteris commendatur. *Iſagogen in artem Analyticam, ſive Algebram novam*, ſcripſit Franciſcus Vieta. Franciſcus quoque a Schoten & Florimundus de Beaune commentati in illam doctrinam ſunt, quatenus Geometriæ inſervit. Carteſius enim *Geometriam* Gallice edidit, ſuper principiis Algebraicis fundatam, quam in linguam Latinam converſam, ediderunt illi, cum Commentariis ſuis Lugd. Batavorum anno 1649. *in 4to.* Excogitati a nonnullis ſunt peculiares computandi modi, quibus compendium aliquod laborioſæ ſupputationis inire voluerunt, cum tamen

illis quanquam ingenioſis, difficilior hæc doctrina reddatur. Fuit *Joh. Nepperus*, Scotus, qui modum invenit computandi per Bacillos, qui *virgulæ Nepperianæ* vulgo dicuntur. Ejus rei rationem ipſe ſingulari libro, *in fol.* ſcripto, operoſe propoſuit, ex quo Epitomen confecit *Benjamin Urſinus*, Mathematicus Electoris Brandenburgici, Germanica lingua Berolini anno 1623. *in 4to* editam: ſed tanti illa res non eſt, ut iſto cum apparatu tradi mereatur: Facile carere virgulis iſtis poteſt, qui ipſius artis principia recte perdidicit. Rectius talia e manibus ejicientur juventutis, cui impedimenta ſunt exercendi ingenii, quod expeditius labore ſuo fungetur, ſi naturali methodo ac ductui relinquatur. Similis eſt ratio ſupputandi *per digitos*, libro ſingulari a *Bonhvero* Anglo tradita, e quo aliqua Georg. Phil. Harsdœrferus *in Secretario Germanico*, & *Deliciis* quoque, ni fallor, *Mathematicis*, exſcripſit. Longe eſt felicius Practicæ Italicæ ſubſidium, de quo apud Italos & Germanos nonnullos Scriptores plenius agitur. Compendium ejus videri poterit ap. Caſp. Schottum *in Curſu ſuo Mathematico.*

6 In *Geometricis* habemus antiquioribus Euclidem, cujus variæ prodierunt editiones, ſed quæ cum Chriſtophori Clavii *Commentariis* prodiit, optima hactenus eſt; nam luculentæ illic habentur demonſtrationes. Edita eſt Coloniæ *in 8vo Maj.* & cum ceteris ejus Operibus *in fol.* Scripſit & Anglus aliquis, Johannes Dec. *Commentarium* in illum, qui magno in pretio eſt apud Anglos ipſos. Apud Italos Joſ. Alphonſus Borellus, Vir doctiſſimus, ſcripſit *Euclidem reſtitutum*, qui ipſum in ordinem redigit, & novas quasdam demonſtrationes meliori methodo, quam Euclides ipſe fecerat, ſuppeditat. Autor in magno pretio eſt apud Viros doctos, ob varia ſcripta Phyſica, quæ Mathematicis principiis pleraque fundantur. Nunc ap. Anglos ſtudium illud præ ceteris floret, & quidem *Joh. Walliſius* non pauca invenit ipſe nova, quæ magno faſtu primum refutare conatus eſt Thom. Hobbeſius. Verum ita is vindicavit nominis ſui famam, ut Hobbeſium quidem errorum ſuorum pudere debeat. Compendii Geometriæ non contemnendi vice fungi poſſunt Joh. a Felden *Elementa*, in quibus Problemata Geometrica, ſed absque figuris, propoſuit, nec non Joach. Jungii *Geometria Empirica.* Varii ſunt Autores miſcellanei, qui problemata Geometrica ſcripſere, ut Dan. Suenterus, Wilib. Schnellius, Marius Bettinus, Caſp. Schottus in variis ſcriptis ſuis, præprimis in *Technica curioſa*, Athan Kircherus itidem in multis.

7 *Geodæſiam*, Geometriæ propaginem, in Germanica gente multi excoluerunt præ ceteris. quo ſpectat etiam *Ars Fortificatoria*, Italicis, Belgicis, & Germanicis Scriptoribus præcipue illuſtrata, quorum nomina hic congerere non eſt noſtri inſtituti. Multi, inprimis Germani, nimis operoſe in hoc argumento verſantur. Apud Gallos, ut in omnibus rebus, nova nunc inveniuntur, ita multa ſunt bellicis his temporibus circa hanc doctrinam ab illis innovata. Nam, ut uſus artificem facit, & diem docet, ita hac quoque in re factum eſt. Paulatim enim ab antiqua ruditate, per ſecula, ars iſta incrementa ſua acquiſivit.

Aſtro-

Aſtronomia a tot ſeculis eſt exculta, maximosque ſemper habuit Autores, Græcos, Ægyptios, Arabes, de quibus videndus præcipue eſt Voſſius in Opere ſuo. Quod vero doctrinam attinet, præ ceteris omnibus laudandus Joh. Bapt. Ricciolus *in Almageſto Novo*, quo quaſi Pandectis quibusdam, omnem doctrinam Aſtronomicam, ad ſua usque tempora, complexus, unus Bibliothecæ inſtar eſſe poteſt. Omnia enim tam vetera, quam nova, recenſet & expendit. De variis mundi Syſtematibus illic omnia videas, ſecundum Autorum variorum ſententias, collecta. Sunt plures alii Autores, qui de orbibus variisque Syſtematibus integros libros, in utramque partem, & pro Copernicano, & pro Tychoniano, ſcripſerunt. Copernicanum Dan. Lipſtorpius diſſertationibus quibusdam defendit, neque dubito, poſſe plura Syſtemata a multis fingi. Erat, ante 20. circiter annos, *Nauta* quidam *Batavus*, qui novum Syſtema invenerat, multosque ſtrepitus hoc ſuo invento excitarat. Sed refutatus eſt plurimis ſcriptis contrariis, ut tandem Syſtema hoc cum autore ſuo interierit. Scripſit & *Antonius Deuſingius* librum *de Syſtematibus variis*, ſed is more ſuo ſcribit, plurima recitans, raro judicium ſuum interponens, ac, ubi interponit, plerumque inepte judicat. Quæ ſuperiori ſeculo agitatæ fuerint controverſiæ circa Syſtematum varietatem, ſcriptique libri, de iis videri poteſt Voſſius, & poſt omnes is, quem dixi, Ricciolus. Referendus ad hos quoque Scriptores eſt Otto Gvericke, qui in libro ſuo *de Vacuo*, vaſtos facit excurſus de variis Syſtematibus, ac inter alia novam de maculis ſolaribus doctrinam proponit, habens illas pro Planetis circumſolaribus adverſus plerorumque omnium Mathematicorum ſententias. In plerisque ſequitur Nic. Cuſani & Jord. Bruni (qui ſoles & terras facit infinitas) principia. Summam in Aſtronomia gloriam occupavit jam *Joh. Hevelius*, Vir obſtinatis laboribus, & magno ſumtu, in hoc ſtudium excolendum ductus. Ejus *Selenographia* jamdudum prodiit, qua orbem lunarem ita detexit, ut ſi non corpore, ſaltem oculis, in mappa ejus peregrinari poſſimus. Tanta enim accuratione maculas ille diſtinxit, ut ſuperaverit omnium diligentiam. Prodiit ejus *Machina Cæleſtis in fol.* in qua de inſtrumentis Obſervatoriis, & de varia obſervandi ratione, agit, promittitque magnum illud Opus ſuum totius cœli reformationem. Omnia enim fixarum ſtellarum vera loca, de quibus tam anxie hactenus laboratum, diligentiſſima obſervatione, ac tædioſiſſima calculatione, inveſtigare conatus eſt. Quem librum lucem aſpexiſſe audio, ſed pleraque exemplaria incendio conſumta, duobus vel tribus ſuperſtitibus, incomparabili rei Mathematicæ damno. Si quis compendia velit artis Aſtronomicæ, uti poteſt Joh. Kepleri *Inſtitutionibus*. Ratione diverſarum hypotheſium *Inſtitutiones Aſtronomicas* ſcripſit Guil. Blaeu. Nam prima parte ſecundum hypotheſin Ptolomæi per terram quieſcentem, altera, ſecundum Copernici hypotheſin, per terram mobilem, philoſophatur. Liber ille editus primum eſt Belgica lingua, in Latinam vero converſus a Matth. Hortenſio, Matheſeos Prof. in Amſtelodamenſi Gymnaſio. Fuit vero Vir ille magnorum etiam in Geographiam & Aſtronomiam meritorum, machinasque & tabulas multas ipſe confecit. Legenda eſt ejus libri Præfatio, qui prodiit anno 1640. Amſtelod. in 8vo. Neque Æg. Strauchii *Aſtrognoſia*

contemnenda eſt, qui & *Aſtrologiam* in breves Canones redegit. Ad hiſtoriam Aſtronomicam penitius noſcendam utiliſſimæ ſunt *vitæ Tych. Brahei, Nic. Copernici, Joh. Regiomontani & Georg. Purbachii,* a Pet. Gaſſendo editæ. Poëtas quoque Aſtronomos habemus, inter Veteres Manilium, inſigni *Comm.* Joſ. Scaligeri illuſtratum, inter Recentiores Georg. Buchananum, qui *de Sphæra Libros V.* eleganti ſcripſit Carmine. Aſtronomicas Obſervationes ſpeciales habemus *in Actis Societatis Regiæ Anglicæ* plurimas, inprimis a Chriſtiano Hugenio inſtitutas, qui noſtro tempore *Syſtema Saturninum* perfectum dedit. Appendix Aſtronomiæ eſt *Gnomonica*, ſive Ars Sciotericorum formandorum, quam ſingulari libro magna cum cura tradidit Joh. Caramuel a Lobkowiz, in fol. Romæ edito, ut taceam Clavii & aliorum labores.

9 *Optice* multa in Aſtronomia detexit, cujus varios Autores habemus, tum antiquos, tum novos. Inter antiquos ſunt Euclides, Archimedes, Alhazen Arabs, Vitellio, Rogerus Baco, cujus *libri de perſpectiva* editi ſunt Francofurti anno 1671. in 4to. Fuit ille Vir incomparabilis ſuo tempore artifex, & multa præſtitit in illa arte admiranda, ob quæ in Magiæ ſuſpicionem apud imperitos monachos incurrit. Qui fuſius de hoc argumento ſcripſerunt, noſtro tempore plurimi ſunt. Athan. Kircherus, *in libro de arte lucis & umbræ*, omnia collegit pene ex omnibus, quæ ad hoc argumentum ſpectant. Compendium omnium eorum practicum, quæ ad artem Catoptricam & Perſpectivam pertinent, utiliſſimum dedit Joh. Chriſtoph. Kolhanſius, *in Tractatu Optico* Lipſiæ anno 1663. in 8vo, qui & non ita pridem Germanica lingua *Curioſorum problematum Opticorum librum* publicavit. Honoratus Fabri *in Optica ſua*, & in parte *Phyſices*, qua de perſpicuo agit, rem omnem Opticam mirifice illuſtrat rationibus, tum Phyſicis, tum Mathematicis. Nec ſpernendum compendium præbet *Optica* Ambr. Rhodii. Nemo vero ſubtilior in hac doctrina eſt, quam Carteſius, qui, in *Dioptricis ſuis*, peculiaribus contemplationibus hanc artem illuſtravit. Specialia hujus artis varii ſunt Autores, qui deſcribunt. Ita doctrinam refractionum magno ſtudio explicatam dedit Joh. Marcus Marci *libro de Iride*, & Franc. Maria Grimaldus *libro peculiari de lucc.* Microſcopiæ ſpeculationes vehementer conducunt ad rem phyſicam. Primus, quantum ſcitur, eſt Franciſcus Fontana, de quo Laur. Craſſus *T. II. Elog. p. 200.* conſulendus) ſcripſit *novas cœleſtium terreſtriumque obſervationes.* Poſt illum Pet. Borellus, Rob. Hookius, aliique, hoc argumentum tractarunt. Spectat huc quoque *ars perſpectiva*, quam vulgo vocant, ſive Scenographica, de qua tum Gallice, tum Germanice, multi ſcripſerunt; Marlois, Lautenſack, Joſ. Furtenbach, & alii.

10 *Muſica* metitur ſonum, ut Optica radium. Alii novam hic doctrinam effingunt Acuſticam. Sed non ſunt multiplicanda Entia præter neceſſitatem, cum utraque doctrina ſub voce Muſices generali poſſit contineri. Omnem illam doctrinam, quæ ad artem Muſicam ſpectat, collegit Athan. Kircherus *in Muſurgia ſua Univerſali, ſive arte magna diſſoni & conſoni*, ex qua *Epitomen* quandam confecit lingua Germanica, non contemnendam, Andr. Hirſch. Kircherum in multis reprehendit Marcus

cus Meibomius *veterum Muſicorum* editor, qui tamen non omnes edidit. Nam Ptolomæi *Harmonica* apud illum non comparent, quorum tamen ſuperſunt in Bibliothecis Virorum doctorum, Gudiana aliisque, MScripta. Marinus Merſennus *libros Harmonicorum kk)* tam Latine, quam Gallice, Pariſ. anno 1648. in fol. edita, in quibus multa, quæ ſpectant ad Organorum Muſicorum fabricam. Legendus quoque eſt Honoratus Fabri in Tractatu *Phyſicæ* ſuæ, ubi de ſonis corporum agit. Multa enim ſubtiliter diſputat. Ceterum Muſici Scriptores, tam Theoretici, quam Practici, inter Recentiores plurimi ſunt, quos omnes recenſere res eſſet infinita. Nobis ſufficiunt illi, qui artem ipſam, ejusque principia, tradunt.

Geographia utiliſſima eſt Politico, quare, præ ceteris Mathematicis diſciplinis, 11
opera illi danda eſt. Partibus abſolvitur generali & ſpeciali. Generalis principia Geometrica, Aſtronomica, Arithmetica &c. aſſumit, quam nemo diligentius exſequutus eſt, quam Bernh. Varenius *in Geographia ſua generali*, qui unus eſſe inſtar omnium poteſt. Ubi ſimul & artem navigatoriam proponit, ejusque principia ordine recenſet, uſui futura in Mappis Hydrographicis. A Geographia differt Coſmographia, quæ latior eſt diſciplina; cœlum enim cum terra conſiderat. Speciales Geographiæ partes ſunt Chorographia, quæ certas orbis partes, Topographia, quæ Regiones & urbes, Hydrographia, quæ aquas deſcribit. Geographos univerſales & particulares habemus, Abr. Ortelium, Paulum Merulam (tribus tomis in 12.) Pet. Bertium, Autores *Atlantis Majoris & Minoris.* Epitomes vice fungitur Phil. Cluverus, in quem exſtant Joh. Bunonis *notæ* eruditæ, una cum *Tabulis.* Nicol. Sanſon de Abbeville totam Geographiam *Tabulis* æri inciſis publicavit anno 1644. ita quidem, ut Gallica lingua proponeret novam, Latina antiquam Geographiam. Nunc vero *Compendium ejus Geographicum;* cum mappis nitide pictis, prodiit in Germanicam linguam converſum, in quo illud præcipue laudandum, quod accuratus ſit in latitudinibus longitudinibusque locorum aſſignandis, & in Mapparum diſcrepantiis notandis. Inter veteres Geographos habemus Ptolomæum, cujus *Geographiæ libri octo* Græco-Latini, cum *Tabulis* Gerh. Mercatoris, & *caſtigationibus* Petri Montani, prodierunt, excudente Jodoco Hondio, Francofurti & Amſtelodami in fol. Cujus Viri labor niſi ſervatus nobis fuiſſet, in magnis tenebris verſaretur antiqua hiſtoria. Eſt & Stephani liber Græcus *de Urbibus,* qui Græce editus eſt, ni fallor, ap. Aldum in fol. Prodiit

kk) Cl. Ptolomæi *Harmonicorum Libri III.* MStis ineditis non amplius jam poſſunt accenſeri, cum a Joh. Walliſio, Mathematico Oxonienſi, ex XI. Codicibus MSS. Græce, cum Verſione ſua Latina, ac Notis Oxoniæ an. 1682. in 4to ſint publicati. Latinam eorundem Verſionem Seculo jam XVI. concinnavit Ant. Hermannus Gogava, Gravienſis Belga, Medicus Italus. An in lucem illa prodierit, Joſ. Simlerus *Biblioth. p. 51. 131.* & Val. Andr. Deſſelius *in Biblioth. Belg. p. 67.* dubitarunt. Certum tamen eſt, Venetiis an. 1562. una cum Ariſtoxeni *Harmonicis* itidem a Gogava Latinitate donatis, eſſe editam. Græcum Textum a Meibomio, cum pollicito, fruſtra exſpectatum, primus dedit Walliſius, de cujus editione *Acta Erud. Lipſ. M. Febr.* 1683. p. 77-80. merentur conſulj.

diit non ita pridem cum operoſo *Commentario* Thom. Pinedæ, *ll*) Judæi Hiſpani, ſed qui multa peregrina immiſcet. Verſatur adhuc ſub prælo altera Stephani Editio cum *Notis* Abrahami Berkelii, quæ per integrum decennium Amſtelodami apud Gaesbekios hæſit, illam ob cauſam, quod aliam ejus Editionem minetur Jac. Gronovius, ex MScriptis nonnullarum Bibliothecarum auctiorem. Parabat quoque Commentarium in Stephanum Salmaſius, teſte Craſſo, *T. II. Elog. pag. 211.* Promiſerant etiam Elzevirii Editionem novam hujus Stephani, cum notis Lucæ Holſtenii, Viri in re Geographica verſatiſſimi, quod oſtendunt Notæ ejus poſthumæ in Ortelium, Cluverium, &c. quæ Romæ editæ ſunt in 8vo anno 1666. An vero Stephanus ille lucem viderit, hactenus neſcio. Habebat Luc. Holſtenius in animo juſtum *Opus Geographorum Græcorum*, cujus Syllabum dedit Lambecius *lib. 1. Biblioth. Vindob. p. 113.* quorum maxima pars nondum edita eſt in lucem. Pomponium Melam eruditiſſimis notis illuſtravit Iſaacus Voſſius.

12 Pertinet huc doctrina conficiendi Mappas Geographicas, quæ ſingulari libro tradita eſt a Wilhelh. Schickardo. Eſt & quidam Caſparus Dauthendey, qui Germanica lingua librum ſcripſit, cui titulus: *Fundamentum Geographicum*, editum Brunſvigæ anno 1639. in 8vo. Videndus & Caſp. Schottus *in curſu ſuo Mathematico.* Qui chartulas luſorias Geographicas confecerunt, inepti ſunt: De illis, jam tum ſuo tempore, Matth. Berneggerus *in Oratione de illegitimis ſcientiæ parandæ modis.* Eſt & quidam Königius, cujus exſtat ſingularis *Methodus per aleam luſoriam locorum cognitionem alicui inſigendi*, quod ille inventum Imperatori inſcripſit. Sed omnis illa res majori cum opera & difficultate agitur, quam ſi ex mappis quis addiſcat, quæ ſi elegantes ſint, & bene coloribus diſtinctæ, per ſe artificium Mnemonicum exhibent. Chorographicas & Topographicas deſcriptiones habemus plurimas, præcipue Europæ partium, quales ſunt *Topographiæ* Matth. Meriani. *Holſatiæ* habemus accuratiſſimam *Geographiam*, accurantibus Joh. Meyero & Caſp. Dancwerthio, nec alia facile

ll) Thomæ de Pineda Editio Stephani *de Urbibus*, Verſ. Lat. & Comm. prolixo inſtructa, prodiit Amſt. A. 1678. in fol. Lucæ Holſtenii *Notæ & Caſtigationes in Stephanum poſthumæ*, edente, cum Scymni Chii *Fragmentis*, & ſuis aliquot Appendicibus. Theodor. Ryckio, Prof. Leidenſi, Lugd. Bat. A. 1684. in fol. Editio autem noviſſima ipſius Stephani, *e Codd. Palatinis, per Cl. Salmaſium collatis, e MSto Voſſiano, cura Abr. Berkelii, reſtituta, ſupplcta, & Verſione Latina, integroque Commentario illuſtrata, una cum Jac. Gronovii Notis, ac Variis Cod. Peruſinii Lectionibus*, Ibid. An. 1688. in fol. *Fragmenta* aliquot Abr. Berckelius Lugd. Bat. A. 1674. in 8. & Jac. Gronovius ibid. A. 1681. in 4. cum Verſionibus ſuis & Animadverſionibus Speciminum inſtar, Editioni huic poſt mortem Berckelii a Gronovio curatæ, jam præmiſerant. Pomponii Melæ Editionem Voſſianam, Hagæ A. 1658. in 4. excuſam, exceperunt, & acerbe ſimul caſtigarunt, duæ Jac. Gronovii, Lugd. Bat. A. 1685. & 1696. in 8. publicatæ. Quarum priori Ἀναντίμαχος Iſ. Voſſius, *in Appendice Obſervationum ad Melam*, Londini A. 1686. in 4. edita pari ſtyli acerbitate reſpondit, non minori a Gronovio iterum, in Edit. ſua poſteriori (præter Notas Nummis etiam illuſtrata, exceptus.

cile erit ullius Provinciæ adeo accurata delineatio. Non ita pridem omnium Gallicarum urbium *Topographia* prodiit, ſed adeo generalis, ut de particularibus nihil doceat. Eſt & *Theatrum Britannicum* Joh. Spedi, quo Regionum Britanniæ mappæ generales & ſpeciales accuratiſſime recenſentur, una cum deſcriptione. *Orbem Maritimum* deſcribit Claud. Barhol. Moriſottus, qui liber plura promittit, quam præſtat. *Hydrographiam* Georg. Fournerius ſcripſit. *Germaniam* & *Italiam* magnis Voluminibus explicuit Phil. Cluverius, qui & ſpecialem *de Rheno* librum ſcripſit. Thomas Dempſterus, Scotus, ſeptem elegantiſſimos libros *de Hetruria regali* ſcriptos reliquit, qui nondum editi, ſumma Magni Hetruriæ Ducis cura aſſervantur, teſte Erythræo *in Pinacotheca I. n. 9. pag. 25. 26. Geographiam antiquam* optimis pulcherrimisque tabulis illuſtravit Georgius Hornius, editis Amſtelod. anno 1657. in fol. Liber ille ad intelligentiam Hiſtoriæ, tam ſacræ, quam profanæ, eſt utiliſſimus.

Itineraria magnam etiam Geographiæ partem conficiunt, & quidem *Indicarum* 13
Navigationum Tomos habemus integros, quos non jucundum ſolum, ſed & utile, eſt legere. *Americam* Arnoldus Montanus ex Itinerariis deſcriptam uno Volumine dedit, cum pulcherrimis Iconibus, Amſtel. 1671. in fol. Suntque, qui hodie in reliquis orbis partibus ſimilia faciunt, ſed non pari omnes judicio in hoc argumento verſantur. Talium Itinerariorum perfectam conficere hiſtoriam ſumme eſſet utile. Inter Anglos aliquis eſt HERBERTUS, qui populari lingua potiſſima recenſet itineraria, præcipue tamen ea, quæ in Anglicam linguam ſunt converſa, ſed non accuratum illorum init numerum. Valde enim imperfectus labor eſt. Sorellus *in Bibliotheca Gallica* ea recenſet, quæ Gallica lingua ſcripta ſunt, ut ſane plurima: ſed accuratus labor hactenus plane deſideratur. Monconyſii, Galli, & Petri de la Valle *Itineraria* magna ſunt cum cura conſcripta. Apud illum multa colliguntur rerum naturalium & Artificialium, quas in itinere ſuo deprehendit. Sed opus poſthumum eſt, fuiſſetque majori cura elaboratum, ſi ſupervixiſſet Autor. Prodiit Lugd. Gall. anno 1665. in 4to. Petrus de la Valle diligentiſſime deſcripſit, quæ ad ſtatum civilem & Eccleſiaſticum, præſertim Aſiaticum, ſpectant, qui in Germ. linguam nunc eſt converſus. Thomæ Herberti *Hodoeporici* editio paranda eſt Anglica. Nam verſio Belgica integras portiones omiſit, quibus tamen optima continentur. Dies me deficeret, ſi omnes recenſere Itinerariorum Scriptores, mihi tantum cognitos, velim. Eorum uſus poteſt eſſe maximus ad res varias, ſi excerpantur illa, quæ uſui noſtro inſervire poſſunt. Habentur illic Geographica, Politica, Naturalia, Oeconomica, & quæ ad commercia ſpectant, de quibus omnibus nos doceri conſultum eſt. Hunc in finem Eraſmus Franciſci libros aliquos ſcripſit, quibus, ex Itinerariis præcipuis, pleraque talia colligit. Et expedit profecto tales inſtituere Locos Communes, tam ex antiquis, quam recentioribus Geographis, & Itinerariorum Scriptoribus, ut fecit Joh. Chriſtoph. Becmannus *in Hiſtoria ſua orbis terrarum geographica & civili.*

Tabulas

14 *Tabulas Geographicas* quod attinet, earum magna eſt varietas, multæquæ hallucinationes. Nunc reliquis præferuntur Sanſonianæ, quanquam in illis tamen non paucos errores mihi deprehendere viſus ſim. Vix ſperari labor aliquis accuratus in omnibus ab uno poteſt. Rectius ſe res haberet, ſi uni Viro, Mathematices peritiſſimo, quique peregrinando partes illas perluſtraverit, quas deſcripſit, fides haberetur; & ſecundum ejus delineationem, omnes chartæ inſtituerentur. Batavi, atque apud illos Blavii & Wittii, præ ceteris famam optimarum delineationum occuparunt. Sane Lucas Holſtenius, in *Epiſtola* quadem *ad Lambecium*, quæ eſt *libro 6. Commentariorum de Biblioth. Vindobonenſi p. 241.* monet Lambecium, ut præcipue Amſtelodami Pinacographiam & Hydrographiam addiſcat, i. e. rationem delineandi tabulas, tam geographicas, quam nauticas. *Ceteræ enim ſcientiæ*, ait, *ubivis locorum, hæ Amſterodami tantum, percipi poſſunt.* Verſatus etiam eſt Joh. Baptiſta Ricciolus, *in Geographia & Hydrographia ſua Reformata*, Bononiæ A. 1661. in fol. edita, ſimili in argumento. Delineationes enim locorum accuratiores quomodo haberi poſſint, tradit. Circumferuntur multæ delineationes urbium, per varias provincias, quarum aliquæ ſecundum provincias, aliquæ ſine ullo accurato ordine, ſunt diſpoſitæ; ſed tales libri potius ſcripti ſunt, ut oculos oblectent, quam ut accurati cenſeri poſſint. Hæc omnia ſecundum provincias recenſere res infinita eſſet.

15 Utiliſſima Mathematices diſciplina *Statica* eſt, quæ circa pondera rerum verſatur, cujus magnus eſt per omnem Phyſicam uſus. Ejus principia, tradita ab ipſo Archimede; impreſſa in fol. in Italia quodam in loco prodierunt. Tranſtulit hanc doctrinam ad Medicinam pulcherrimo invento *Sanctor Sanctorius*, cujus *Obſervationes*, quanquam exiguo libello propoſitæ, a quadraginta tamen annis magna diligentia inſtitutæ ſunt. Scripſit etiam Carteſius ſuper hoc argumento quædam Gall. lingua, quæ in Latinam convertit D. Joh. Dan. Major (*de Mathematica.*) Placuit etiam aliis comminiſci diſciplinam Mathematicam, quam *Kineticam*, ſive Motivam, vocant, quæ tamen ſub Statica facile poteſt comprehendi, quanquam, ſi vocem videas, generalius objectum habere videatur. Omnes enim motus huc ſpectarent, atque ſuper hanc motus doctrinam Phyſices principia nunc fere omnes fundant recentiores, qui accuratius volunt indagare cauſas naturales, ut fecerunt Gottfr. Guilh. Leibnizius in *Methodo ſua nova*, Joh. Alphonſus Borellus *in Tractatu de vi percuſſionis*, Dan. Lipſtorpius *in Specimine Philoſophiæ Carteſianæ.* Ap. Anglos nunc Joh. Walliſius totus eſt in his rebus. E veteribus conſulantur quoque Ariſtotelis *Mechanica*, quæ, *Commentariis* illuſtrata ab Henrico Monantholio, prodierunt in 4to Pariſiis anno 1599. & cum Johannis de Guevarra *Commentariis* Romæ in 4to anno 1627. Veteribus Ægyptiis maximam fuiſſe hujus artis peritiam, docent Obeliſci, ab illis erecti, ac ſcripſit de hac Ægyptiorum arte ſingularem Diſſertationem Ath. Kircherus, quæ reperitur *in Oedipo* ejus *Ægyptiaco.* De qua Italica quoque lingua ſingularem librum ſcripſit Dominicus Fontana, qui editus eſt Ro-

mæ

mæ *in fol.* anno 1590. Inter veteres alioquin *de motu* ſcripſit Proclus Diadochus, Græce & Latine a Juſto Velſio editus Baſileæ anno 1545. *in 8vo.* Galilæus Galilæi Italica lingua ſcripſit librum *de demonſtrationibus Mathematicis, ad Mechanicam pertinentibus, & motu locali, cum Appendice de centro gravitatis ſolidorum*, qui editus eſt *in 4to* Lugd. Batav. anno 1638. Extant Petri Gaſſendi hujus etiam argumenti ſcripta, *de motu perpendiculorum, de motu impreſſo a motore translato, de proportione, qua gravia decidentia accelerantur*, quæ ſeorſim edita ſunt Pariſiis tum *in 8vo*, tum *in 4to*, ap. Cramoiſios anno 1643. & 46. & una cum ceteris ejus Operibus. Scripſit & Guidus Ubaldus *Scholia in duos Archimedis Æquiponderantium libros*, Piſauri *in fol.* anno 1588. editos. Eſt & ab eodem *liber Mechanicorum* ibid. anno 1577. *in fol.* editus. Marinus Gheraldus, quem magni fecit Paulus Sarpius, teſte *Vita ejus pag. 90. & 91.* ſcripſit librum, cui titulus: *Promotus Archimedes, ſive de variis corporum generibus, gravitate & magnitudine comparatis.* Prodiit *in 4to* anno 1605. Spectat huc quoque liber Jordani *de ponderibus*, Norimb. *in 4to* anno 1533. editus, cujus correctior eſt Editio, quæ per Nicolam Tartaleam procurata eſt Venetiis *in 4to* anno 1565. De Horologiorum motu multæ nunc inſtituuntur Disquiſitiones, ac plena ſunt Anglorum *Acta Societatis* de hoc negotio. Nuper Joh. Joach. Becherus publicavit Londini ſua *de Horologiis* cogitata. Motus aëris & aquæ ſingulares quoque peperit artes, Pneumaticam & Hydraulicam. Illam proponit inter veteres Hero Alexandrinus, cujus *ſpiritalia* Latine *cum notis* prodierunt a Friderico Commandino, *in 4to* Urbini anno 1575. & Amſtelod. An. 1680. Hujus Heronis *Geometrica*, nunquam hactenus edita, latitant in Bibliotheca Gudiana. Scripſit & Joh. Baptiſta Porta *Pneumaticorum librum*, editum *in 4to* Neapoli An. 1601. Qui compendium iſtarum operationum in utra arte velit, legat Caſparis Schotti *Technicam Curioſam & Hydraulicam.*

Referri huc poſſunt multæ artes particulares Gymnaſticæ, quæ motu perfi- 16
ciuntur, atque in eo ſolo conſiſtunt, ut *Luctatoria*, die Ringekunſt, quæ conſiſtit in motu muſculorum, & in libramento corporis, quam, e principiis ſuis erutam, ſingulari Belgico tradit Nic. Petter, Civis & Oenopola Amſtelodamenſis, ille ſc. qui ſcyphos vitreos vocis ſono frangere poterat. Editus eſt Amſtel. 1674. in 4to. Spectat huc quoque *ars verſoria*, die Luſtſprung-Kunſt, & *Funambulatoria*, de qua curioſum librum conſcripſit Angelus Tuſcanus, lingua Gallica Anno 1599. *in 4to* editum Pariſiis. Referri huc poteſt etiam *ars Gladiatoria*, quæ pariter in ſitu & libramento corporis, ac motu brachiorum, conſiſtit. Fuere jampridem, qui e circulo, ejusque dimenſionibus, totam hanc artem tradere voluerunt, cujus hiſtoriam tradit Henricus a Günterrot *in Tractatu de veris principiis artis dimicatoriæ*, Witteb. anno 1579. *in 4to* edito. Poſtea vero Gerhardus Thibautius operoſiſſimo libro fundamenta hujus artis, ex circulo demonſtratæ, perſecutus eſt, edito Gallice *in fol.* anno 1630. Amſtelod. ap. Elzevirios, cum Caſparis Barlæi carmine Encomiaſtico. Referendæ etiam huc ſunt *Ars Natatoria*, de qua Eduardus Digbæus peculiarem

tractatum ſcripſit, *Ars Saltatoria*, & *Ars Torneatoria* (Turnier-Kunſt.) Ex his principiis deſcendunt pleræque artes Mechanicæ, quarum Sciagraphiam dedit *in Encyclopædia* J. Henr. Alſtedius, plenius Syſtema pollicitus eſt Nicol. Melch. Thevenotius. Aliqua hujus argumenti per lancem ſaturam congeſſit Joh. Dan. Major in der See-Fahrt nach der neuen Welt ohne Schiff und Segel.

17 Ut verbo mentionem faciam *Artis volandi*, fuerunt olim & hodieque, qui illam tentarunt, & quidem Rogerus Baco, *in Epiſtola de Secretis Artis & Naturæ*, machinas tales fieri contendit, quibus ſublevetur corpus humanum. Nuper quoque in Gallia quidam *Besnier* rationem volandi commentus eſt, cujus machinæ deſcriptionem videre poſſumus ap. Scriptorem *Philoſophicarum Collectionum Anglicarum N. 1. Obſ. 4.* Franciſcus quoque Lana ſimile quid commentus eſt, cujus methodum fuſius explicat J. C. Sturmius *in Collegio Curioſo.* Examen fundamentorum illorum vide *in collectionib. Philoſ. N. 1. Obſ. 5.* Memorabile eſt, quod refert J. Nicius Erythræus *Pinac. 1. n. 68.* de *Paulo Guidoto Burgheſio*, homine mirifico, qui dicebat, 14. ſe eſſe artibus præditum, atque inter illas arte quoque volandi, ſed fame pene enectus nullum ab omnibus auxilium habuit.

D. G.

D. G. MORHOFI

POLYHISTORIS

TOMI II.

SIVE

POLYHISTORIS
PHILOSOPHICI,

LIBER V.

SEU

POLYHISTOR LOGICO-
METAPHYSICUS.

DE LOGICIS ET METAPHYSICIS SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Metaphyſica & Logica a Scholaſticis præcipue excultæ, ſed & ineptis ſuis ſubtilitatibus corruptæ. Ariſtotelis in his Primatus fruſtra impugnatur.* 2. *Commendantur Barth. Keckermanni* Præcognita Logica, *& G. J. Voſſii* Lib. de Natura Logices. 3. *Judicium de Scripto Anonymo Novatoris in Logica Carteſiani* (L'Art de Penſer) *honorificum. Carteſii primum cognoſcendi principium, ex Idea mentis deductum, impugnavit Chr. Dreierus. Ant. le Grand & Joh. Schulerus, Novatores itidem in Logica Carteſiani.* 4. *Scriptores varii de Methodo, Interpretatione, Inventione, Demonſtratione, & Syllogismo, ſeorſim commentati, additis ſubinde judiciis, recenſentur.* 5. *Doctrinam de Sophismatis e Logica non eſſe eliminandam, contra Pet. Ramum, aſſeritur. Loci Communes*

illorum a Diſputatoribus contentioſis conficiendi. 6. *Axiomatum, Terminorum & Diſtinctionum, Scriptores, deque iis, uti & Raym. Lullii* Arte Magna & Parva, *& Stanislai Mingkii* Imaginibus Logico-Mnemonicis, *judicia ſequiora.* 7. *Logicæ & Metaphyſicæ cognatio. Metaphyſica Veterum Theologia Naturalis. Thomæ Campanellæ Metaphyſicorum, paradoxis ſcatentium, recenſus.* 8. *Metaphyſicæ modernæ ſubtilitas perplexa & inutilis. E Dan. Stahlio & Pet. Muſæo eſt addiſcenda. Reformatores ejus, Ren. Carteſius & Honor. Fabri. De Henr. Mori* Enchiridio Metaphyſico, *Thomæ Angli* Euclide Metaphyſico, *aliorumque Gnoſtologia, Noologia, Hexologia, diſciplinis noviter efficiis, nec non de Cabaliſtarum dogmatis, cenſuræ. Lud. Vivis* Lib. de prima Philoſophia *commendantur.*

1 Accedimus nunc ad LOGICOS ET METAPHYSICOS SCRIPTORES, & in iis quidem parcius verſabimur, quia ſupra, ubi de *Philoſophia ſcholaſtica* egimus, uberrimam iſtorum Autorum meſſem dedimus. Omnis vero campus ille eſt, quem decurrunt cum ſtudio conatuque Scholaſtici. In hoc illi, velut ſuo regno, triumpharunt, & plus, quam forte opus erat, ingenio ſuo indulſerunt. Horum enim beneficio magna meſſis inutilium ſpeculationum in hoc fundo nata eſt, qua de re exſtant multæ doctiſſimorum Virorum querelæ, & hos inter Lud. Vivis, in libro, quem contra *Pſeudo-Dialecticos* ſcripſit, & in altero *de cauſis corruptarum artium.* Intemperans ſane diſciplinarum iſtarum tractatio doctrinæ plus officit, quam prodeſt. Refert Nicolaus Antonius, *in Bibliotheca Hiſpanica,* ſub nomine Caſpari de Laz, ex Alphonſi Matamori, Hiſpalenſis, *Apologia de Academiis & doctis Hiſpaniæ viris,* ortam fuiſſe iſto tempore nugatoriam quandam Dialecticam, cujus beneficio velut præſtigias miſcere poterant ejus Doctores, quibus tandem Galliæ Rex, Franciſcus I. interdicere cathedris debuit. Paulus Sarpius, Vir alioquin doctiſſimus, non magni illorum hominum fecit doctrinam, teſte Fulgentio *in ejus vita, p. 153. & 154. editionis Gallicæ.* ARISTOTELES hic primas obtinet, & non ſolum primus, ſed & omnium optime, Artem Logicam tradidit, quicquid etiam iis videatur, qui Ariſtotelem impugnarunt. Niſi enim Ariſtoteles ſcripſiſſet, non fuiſſent domi illis tela, quibus impugnare ipſum potuiſſent. Pet. Gaſſendus, Pet. Ramus, Mar. Nizolius, & quivis alii, quorum jam ſupra eſt mentio facta *in libri 1. capite de Novatoribus,* cavillatores potius agunt, quam veros Diſputatores & Dialecticos.

2 Succeſſionem Philoſophorum, tam antiquorum, quam recentiorum, qui Logices doctrinam excoluerunt, usque ad ſua tempora, prolixe ſatis deduxit Barthol. Keckermannus, *in Præcognitis ſuis Logicis,* naturam vero & conſtitutionem Logices, ex mente Ariſtotelis & Interpp. optime ſingulari libro exhibuit Gerh. Joh. Voſſius, *de Logices & Rhetorices natura,* Hagæ Com. A. 1658. in 4. edito, ubi ordine recenſet veteres Ariſtotelis Logicorum Commentatores. Utiliſſimus ille liber eſt, & quaſi in præguſtum Ariſtotelis legi poteſt.

Inter

Inter recentiſſimos Novatores Logicos ille eſt, qui Gallica lingua ſcripſit li- 3
brum, cui tit. *L' Art de penſer*, ſive *Artem cogitandi*, *mm*) quæ olim latine reddita quidem fuit, ſed imperfecte & mutile, nunc vero denique, e tertia ap. Gallos editione recognita & aucta, Latine a quopiam translata. Carteſianus ille Autor eſt, & paſſim aliqua miſcet, ex hypotheſibus Carteſianis deprompta, exemplisque Mathematicis frequenter utitur, ad demonſtrationis naturam indagandam peridoneis. Diſſertationes duas præmittit, quibus conſilium hujus novæ ſuæ Logicæ exponit, & defectus Logicarum vulgarium recenſet. In *Diſſertatione præliminari ſecunda* objectionibus quibusdam occurrit, quæ contra hanc Logicam ſunt factæ. Multa habet circa apprehenſionem nove excogitata, & illam Idearum doctrinam, de earum claritate, confuſione, ejusque cauſis. In eo enim Carteſii ſententia diſcrepat a Peripatetica, & omnibus pene antiquis Philoſophis, quod principium primum cognitionis non a ſenſu deducat, ſed ab idea mentis. Nam principium illi primum eſt: *Cogito, ergo ſum.* Quam ejus ſententiam eleganti Diſſertatione impugnavit Christianus Dreyerus, Prof. Theol. Regiom. adjecta *Dialectica Regiomontana, ſive Compendio Topicorum Ariſtotelis*, eleganti ſane libro, & ad Rhetoricam bene accommodando, quem edidit nuper Helmſtadii Joh. Eberh. Buſmannus, qui & antea Hartw. Wichelmanni *Tractatum de Demonſtratione* ediderat. Circa doctrinam Syllogiſticam Gallicus ille Autor quædam citra neceſſitatem innovavit, in doctrina de methodo & demonſtratione prolixior eſt, & Mathematicam quandam accurationem quærit. Quisquis ille ſit, Vir ſane doctiſſimus fuit, plusque ingenii & judicii ad hanc rem attulit, quam ceteri Novatores omnes. Verſio Latina eſt edita Lond. anno 1674. in 8. Ex mente quidem Carteſii etiam Ant. le Grand, *in Inſtitutione ſua Philoſophica*, Logicam propoſuit, ſed ſterilior eſt illa tractatio. Carteſius vero ipſe, *in libro de Methodo* diffuſior eſt, nec ita ad regulas ſe alligat, velut Autor ille *Artis cogitandi.* Eſt & quidam Joh. Schülerus, qui Carteſianæ Ariſtotelicæque Logices velut cinnum quendam fecit ſingulari in libro, qui reperitur inter ejus *Philoſophicas Exercitationes*, Hagæ Com. anno 1663. in 4. editas, *libro* illarum 5.

Doctrinam de Methodo ſeorſim excoluere multi, quos commemoratos vide 4
apud Iſr. Spachium *in Nomenclatore Philoſophico p. 247.* De Interpretatione pauca habemus & apud Vett. & Recc. tractata. Vid. id. Spachius *p. 232.* Eam doctrinam quam pleniſſime ſe daturum, promiſit Herm. Conringius, ſed hactenus nihil ejus comparuit. Doctrina de Inventione magni uſus eſt, tum in Oratoriis, tum in ceteris diſciplinis, ac revera latius patet Logices uſus, quam quis credat. Nam inventio non ſolum ſe extendit ad terminos aliquos inveniendos, ſed ad res, imo ipſas ſcientias inveniendas, ut pulchre oſtendit Verulamius *in libro de augmentis ſcientiarum*, & in *præfa-*

mm) De Anonymi *L' Art de Penſer* Judicium conferatur honorificum Vinc. Placcii in *Tr. de Scriptoribus Anonymis detectis*, *c. 14. p. 110.* ubi a nonnullis cum Domino de Trigny (*Grammaticæ Generalis & Rationabilis vero Autori*) ſed incerta conjectura, vindicari teſtatur.

tione omnium Operum ſuorum. E recentioribus doctrinam hanc tractavit RUDOLPHUS AGRICOLA docte & diſerte, ſed heterodoxus eſt, & ab Ariſtotelis abit ſententia. Cui jungendus eſt Gerh. Bucholdianus, *in libris 3. de amplificationibus & inventionibus*, Lugd. Gall. in 4to. apud Sebaſtianum Gryphium, an. 1574. impreſſis. Sunt certe, qui ex Rudolpho Agricola doctrinæ ſuæ fundamenta Pet. Ramum hauſiſſe exiſtimant. Pars Logices, de demonſtratione agens, magni quoque eſt uſus, de qua Barthol. Viottus edidit *5. libros*, ab Andr. Frölingio Helmſtadii recenſitos, cum præfatione Conringii. Scripſit & ERH. WEIGELIUS *Analyſin Ariſtotelicam ex Euclide reſtitutam*, in qua Mathematica methodo doctrinam demonſtrationis tradit, Jenæ 1658. in 4. Melch. Zeidlerus quoque in hoc argumento quædam ſcripſit. De Wichelmanno ſupra dixi. Commendari etiam debent OWENI GÜNTHERI *Methodorum Tractatus duo, continentes totius Artis Logicæ medullam, facultatem nempe omnium ſcientiarum ac demonſtrationum principia inveniendi, dijudicandique.* Erat vero is Profeſſor Academiæ Juliæ, liberque editus eſt Helmſtadii anno 1586. in 8vo. Doctrina de Syllogismo ſeorſim a quibusdam eſt tradita; quo ſpectant Jacob. Honoldi *Conſideratio Syllogiſtica*, & Georg. Stengelii *liber de Syllogiſmo bono & malo.* Vid. Spachius *in Nomenclatore p. 233.*

5 Spectant & huc Autores, qui de Sophiſmatibus in ſpecie egerunt, quorum multa eſt ſeges, tam Vett. quam Recentt. Vid. Spach. *pag. 288.* Ramus hanc doctrinam plane eliminavit ex inſtitutionibus ſuis Logicis, ſed minus recte, cum non ſemper, ex generalibus figurarum modorumque regulis, de Sophiſmate judicium ferri poſſit. Probe eſt tenenda hæc doctrina inprimis diſputantibus, præcipue cum hac maxime ſibi placere ſoleant Eriſtici, qui inveniſſe ſe putant in his ſæpe, non quod pueri in faba. Conſilium itaque dederim, ut, qui paulo ſtudioſius his in rebus verſaturus eſt, Locos communes Sophiſmatum ſibi conficiat, ſecundum regulas generales & ſpeciales figurarum, & capita Elenchorum, ſub quibus congerat, quicquid ubique invenerit Sophiſmatum argutiorum, ſic ipſe non imparatus erit, cum talia objicientur, ac alios exagitare poterit, qui iſtis deliciis delectantur. Præire poterit Mellinghauſen in *Sylvula Sophiſticationum*, & alii Scriptorculi, quos recenſere non eſt operæ pretium.

6 Ad doctrinam Logicam ſpectant & Regulæ ac Axiomata, in quibus Dan. Stahlius omne punctum tulit: Jac. Honoldus idem quoque argumentum tractavit, verum Stahlius illo eſt ingenioſior, & accuratius iſti iis verſatur. Honoldus tamen, uti ſimplicior, ita magis perſpicuus. Solent & termini & diſtinctiones ſingularibus libris, quaſi Lexicis, colligi, *formalitates* vocant Scholaſtici, e quibus unum, alterumque ſupra nominavimus. Nec deſunt e Recentioribus, qui hoc in argumento operam aliquam poſuerunt. Aliquot terminorum & diſtinctionum iſtiusmodi Collectores uno volumine congeſſit JOH. AD. SCHERZERUS. Quod quidem ſtudium mihi plane diſplicet, cum malim, terminos ex ipſis fontibus, ſeu diſciplinis, ubi naſcuntur, hauriri, quam ordine tumultuario, vel etiam Alphabetico, extra eas, addiſci. Dis-

pli-

plicent etiam, qui beneficio Mnemonices imaginariæ artem rationis tradunt. Qualis eſt Stanisl. Mingk a Weinsheim, cujus libellus Halæ Sax. A. 1659. in 12. prodiit, ac jam ſupra eſt memoratus. De Novatoribus ſupra dixi, inter quos præcipuus eſt Lullius, cujus exſtat *Ars magna & parva*, quoddam e Logicis & Metaphyſicis miſtum chaos. De eo judicium ſupra tulimus.

Logicæ jungenda eſt Metaphyſica, ſeu Prima Philoſophia, quæ diſciplinæ mu- 7
tuas ſibi operas tradunt, licet hæc vulgo princeps, illa famula omnium, habeatur. Conſpirant tamen illæ inter ſe, nec recte intelligentur Logices principia, niſi Metaphyſicam probe cognitam habueris. Quanquam negari nequit, veteres Philoſophos pleraque Metaphyſicæ capita ad τὰ Λογικὰ revocaſſe, nec iſta quidem Methodo, ac apparatu, quo nunc ſolet fieri, illis tradita. Ad Metaphyſicam enim Theologiam naturalem referebant, qua de cauſa nomen quoque illud invenit. Plato ad Dialecticam omnem revocavit Metaphyſicam, qua etiam methodo conſcripſit *Dialecticam Platonicam* Ludov. de Morenvillier de Orgeville, qui liber eſt editus Anno 1650. Maclovii, ſub tit. *Examen Philoſophiæ Platonicæ.* Ariſtotelis Interpp. & Commentatores Scholaſticos ſupra laudavimus: Scriptores recentiores, qui Scholaſticam Metaphyſicam ab Ariſtotelis, ceterorumque Philoſophorum, mente diverſam, tradidere, magno ſunt numero, de quorum aliquibus, jam ſupra egimus. Thomæ Campanellæ vero mentionem illic omiſimus, cujus exſtat *Metaphyſicorum* ingens in folio opus, Lugduni, ſi recte memini, in Gallia excuſum. Mirus ille, ſicut in omnibus, Novator eſt, & principia aliqua ponit, e quibus mira fluunt conſectaria, ad paradoxas ſententias formandas facile accommodanda. Habet ſane mirificas opiniones circa doctrinam de origine mundi, ejus æternitate, diſtributione orbium cœleſtium, eorum potentiis, de ſucceſſione ſeculorum, de ſtatu animarum, de everſionibus orbium, influxibus aſtrorum, quæ partim arguta ſunt, partim periculoſa, & vel hæreſin aliquam ſapiunt, vel magiam, vel denique ſtultitiam. Generales affectiones Entis ipſi ſunt Potentia, Sapientia & Amor. Per hæc itaque principia ex quolibet per potentiam fit quidlibet, omnia ſuo modo ſapiunt & ſentiunt, & intellectu quodam corporeo, ut ita loquar, gaudent, omnia motu ſuo quodam inſito feruntur ad ſibi ſimile per amorem. E quibus ſequitur *ſenſus* ille *rerum*, de quo integrum ipſe librum conſcripſit, omnis magiæ fundamentum.

Si verum fatendum eſt, quædam in illis ſtudiis intemperantia fatigavit Academias; 8
nam, omiſſis ſolidioribus ſtudiis, & quæ a ſenſu magis dependent, multi ad notionalia illa dilabuntur, atque tricas e tricis nectunt inexhauſto labore, quibus tantum abeſt, ut juventur cetera ſtudia, ut perplexiora potius reddantur. De Ente, ejusque affectionibus, perplexæ multæ ſunt quæſtiunculæ, dediſcendæ, ſi ſcires. Quæ omnia ad rem Philoſophicam non multum adjumenti afferunt, nihil ad Matheſin, parum ad Phyſica, ad moralem vero diſciplinam & Theologiam alicujus ſunt uſus, præſertim quoniam nunc hujus fundamenta doctrinis iſtis pene ſunt ſuperſtructa. E noſtris Dan. Stahlius & Pet. Musæus præ ceteris commendandi. Non deſunt, qui

&

& hic viam Scholaſticis tritam relinquentes, ad Ariſtotelis methodum ſtrictiorem illam doctrinam revocant, quomodo Carteſius *Meditationes ſuas de prima philoſophia* ſcripſit, diſceptationibus inter viros claros reciprocis confirmatas. Fecit idem Honor. Fabri, qui veſtigiis Ariſtotelis preſſius inſiſtit, nec Phyſices doctrinam intelligi poſſe exiſtimat, ſine accurata Metaphyſices cognitione. Quare generales quosdam terminos Phyſicos, qui explicari in Phyſicis debebant, ad Metaphyſicam remiſit, deque iis quaſi in abſtracto egit, in Phyſicis vero illos materiæ & rebus ipſis applicuit, atque affectiones eas in corpore naturali prolixius demonſtravit. HENRIBUS MOORE *Enchiridion Methaphyſicæ* ſcripſit, Londini anno 1671. *in 4to* editum, & nunc cum ceteris ejus operibus recuſum, cujus unum hoc opus eſt, demonſtrare, ex rebus corporeis incorporearum exiſtentiam. In poſtrema editione additamenta quædam adjecit, quibus illuſtrat hypotheſes ſuas, easque adverſus nonnullorum objectiones defendit. Sed ille ab erroribus ſuis non eſt immunis, & cum principio ſuo hylarchico multas difficultates incurret, ipſi non prævisas. Fuit & nonnemo ex Gente Anglica, qui ſe vocat THOM. ANGLUM ex Albiis Eaſt-Saxonem, qui Phyſica & Metaphyſica principia ad demonſtrationes Mathematicas revocare voluit, in libro, cui titulus: *Euclides Metaphyſicus*, ſive *de principiis ſapientiæ*, edito A. 1658. Lond. *in 12mo.* Is quoque ſuas quasdam rationes ſequitur, & Metaphyſicam modo Mathematico, per propoſitiones ſuas & conſectaria, tractat, cum tamen natura rei hoc refugere videatur. Verum facile eſt materiam ab illis propoſitam, pro lubitu fingere, vel refingere. Gnoſtologias, Noologias, Hexologias, & neſcio quos aliorum Logicorum Logos, hic non attingemus, cum inepta ſit diſciplinarum aut partium ex iis inſigniorum, alibi tractatarum, inutilis repetitio. Quod ſi, pro diverſo conſiderandi modo, novas ſtatim cudere velimus diſciplinas, immanis profecto earum erit numerus. Si quis Platonicos Scriptores, Cabaliſtas, & ſimiles, velit (nam & illi quodammodo ad Metaphyſicam referri poſſunt,) multa in Joh. Pici Miranduli *Libris*, & *Cabaliſticis* inveniet, in unum corpus collectis, ſed illi homines mirabilia potius, quam vera, ſcribunt, ac ſibi potius, quam aliis ſapiunt, ſi tamen ſapere ſibi poſſunt, qui vix ipſi ænigmata ſua intelligunt. Legi etiam poteſt elegans Ludov. Vivis de *prima Philoſophia* libellus, ubi totam illam diſciplinam, ex mente veterum Philoſophorum, pertractat.



POLY-

POLYHISTORIS
TOMI TERTII,
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI
LIBER I. ETHICVS.
DE PHILOSOPHIÆ MORALIS SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Neglectus Philoſophiæ Moralis. Fragmenta ejus apud Veteres. Barbarica ab Ad. Tribechovio exhibita, Poëtica a Theod. Zwingero, Hiſtorica (Exempla colligens a Val. Max. & aliis.) Henr. Stephani Lib. de harum Differentia.* 2. *Bibliographi Morales. Henr. Iul. Scheurlius & Sam. Rachelius. Ariſtotelis inter Moralium Scriptores primatus. Eman. Theſauri, Lud. Septalii & M. Ant. Mureti in eum Commentaria.* 3. *Ethicæ Chriſtianæ Scriptores, Joh. Cirellus, ſeu Crellius, Lamb. Danæus, M. F. Wendelinus, Henr. Morus.* 4. *Novatores Ethici, quoad Methodum, Adoardus Gualandus, Ren. Carteſius & Thom. Campanella. Corruptores hujus doctrinæ, & Atheiſmi Doctores, Thom. Hobbeſius & Bened. Spinoſa.* 5. *Ad Ethicam quoque ſpectant Fabulæ Morales Poëtarum Veterum (a Veridamio explicatæ,) Dan. item Bartoli, Mercurii Britannici, Thom. Mori, Thom. Campanellæ, Verulamii, Iani Nicii Erythræi & Iac. Bidermanni, Apologi Morales Æſopi, Er. Mich. Leti, Howelli, & Vulpeculæ Saxonicæ Scriptoris, Fabulæ Romanenſes, inprimis Euphyes, Satyræ, præſertim Horatianæ, & Elogiorum, Vitarum Characterumque, Scriptores.* 6. *Princeps Ethicorum Ariſtoteles. Interpretes ejus a Iac. Thomaſio recenſiti. Syſtematum, compendiorumque, Scriptores præcipui, ac de iis Iudicia.* 7. *Scriptores de Officiis, Cicero cum Commentatoribus in eum Moralibus, Ambroſius, Rob. Scharrockius, & Rob. Sanderſonius.* 8. *Scriptores de officiis Principum, Amicorum, Conjugum, Aulicorum, ſpecialibus.* 9. *De Virtutibus Homileticis, civitate, ac Ritibus Aulicis, quorum accurata obſervatio Politicis inculcatur, commendato ſimul I. C. Wagenſeilii de iis Collegio.* 10. *Scriptores de Virtutibus & Vitiis, Principiis*

piis Actionum Humanarum & Summo Bono. 11. *De Argumentis Moralibus variis ac miſcellis, inter quos Aug. Maſcardus inprimis commendatur, una cum Ant. le Grand, Dn. de la Chambre & Scip. Claramontii Scriptis de Affectibus. Doctrinæ de Officiis, Librique Sam. Puffendorffii de illis imperfectio.* 12. *Caſuum Conſcientiæ Scriptores præcipui, Ioh. Azorius, Rob. Sanderſonius, Deteſtatio doctrinæ de Æquivocationibus Ieſuiticæ.* 13. *Neceſſitas Philoſophiæ Moralis, cujus neglectus denuo deploratur.*

1 Doctrina de moribus negligentius eſt exculta, quam par eſt. Diſputationum quidem multum eſt, ſed vivæ validæque doctrinæ parum. Non erimus hic nimis operoſi, cum jam tum ſupra Autores, qui ex Scholaſticis huc pertinent, adduxerimus. Ideoque illos prætermittimus. Apud veteres, ante Platonem, non erant niſi tenuia quædam fragmenta ſententiarum vel dogmatum, quæ adducunt, re ita ferente, Vitarum Scriptores. Philoſophia moralis, ad placita diverſarum gentium varia eſt, & fabulis interdum ac ineptiis multis referta. Operæ tamen pretium eſt illa colligere, ut fecit quadam ex parte Ad. Tribbechovius, cujus prodiit hoc in loco *Diſſertatio de Philoſophia morali inter Barbaros*, ſed non abſolvit hoc argumentum. *a*) Multa quoque Poëmatibus fuerunt comprehenſa & Carminibus, quorum nonnulla *Stobæus in Eclogis* ſuis collegit. Fuit & hoc Theodori Zwingeri inſtitutum, qui *Philoſophiam Moralem Poëticam*, e Poëtarum Græcorum & Latinorum Scriptis congeſtam, edidit. Sunt quoque Hiſtoriæ ad iluſtrandam illam ſcriptæ, ut *Exempla Virtutum & vitiorum* a Val. Maximo, & de Chriſtianis *Valerius Maximus Chriſtianus Balth. Exneri.* Suecorum Exempla collegit *Ioh. Schefferus* ſingulari libro. Quibus cum diverſis modis virtutes doceantur, differentiam iſtius doctrinæ oſtendere voluit Henricus Stephanus *libro de Ariſtotelicæ Ethices ab Hiſtorica & Poëtica differentia*, qui additur libro ejus, cujus titulus, *Principium Monitrix Muſa*. Qua in Diſſertatione multorum locorum Ariſtotelis fidelior interpretatio, & quorundam emendatio, ut titulus habet, promittitur, Baſileæ 1590. in 8vo.

2 Multa hic dicere poſſemus de Platonis ac Ariſtotelis Scriptis, ad Philoſophiam moralem pertinentibus, aliisque Veteribus, ut Seneca, Cicerone, Plutarcho, Boëthio, niſi iſto nos labore ſublevaſſent Viri Clariſſimi, Henr. Julius Scheurlius, Moralium

a) Moliebatur Ad. Tribbechovius, Vir doctiſſimus, cum Ethica adhuc in Acad. Kilonienſi Profeſſione fungeretur, Opus de Philoſophia Gentium omnium, Barbararum pariter atque Cultiorum, nec Paganarum minus, quam Judaicæ ac Chriſtianarum, Morali Hiſtorico-Dogmaticum. Sed prima tantum hujus A. 1666. (in 4to) prodiit Diſſertatio *de Philoſophia Morum inter Barbaros Orientales, Sabios ſc. Chaldæos, Perſas, Indos, Sinenſes, Japonenſes, Peguanos & Siamenſes*, cui venuſtam Morhofius noſter, in laudem Sapientiæ Barbaricæ, præfixit Elegiam, *in Autoſchediaſmatis Poëticis p. 15. 16. 17. & in Operibus Poëticis p. 636. 637. 638.* recuſam. Reliquæ Partes Operis eximii an ab Autore, ad Ephoriam in Aula Saxo-Gothana Eccleſiaſticam aliquot poſt annos avocato, abſolutæ ſint, dubito.

ralium quondam ac Civilium Profeſſor Helmſtadii, in *Bibliographia ſua Morali*, ad modum *Bibliographiæ Politicæ* Naudeanæ conſcripta, A. 1660. in 4to *b*) & Sam. Rachelius *in Introductione ad Philoſophiam Moralem.* In his libris quoniam multa ejus argumenti tractantur, ſupervacaneus labor eſſet, illa repetere. Ariſtoteles in Ethicis τὸ Πάνυ eſt, cujus elegantem *commentariolum*, Italica lingua ab Emanuele Theſauro ſcriptum, non poſſum hic præterire. Editus eſt ſub tit. *la Filoſofhia morale derivata del alto fonte del grande Ariſtotele.* Optima ejus editio prodiit Taurini 1671. & alia, ſed mendoſior, Venetiis 1674. utraque in 12mo. Libros Ethicos Ariſtotelis Paraphraſi illuſtrarunt non pauci, inter quos M. Ant. Muretus ceteris videtur præferendus. *Comm. Italici*, a Lud. Septalio in eos ſcripti, mentio occurrit apud Craſſum *P. II. Elog. p. 284.*

Non deſunt, qui Ethices præcepta ad Theologiæ dogmata reformarunt. E 3
Socinianis aliquis, qui ſe *Circellum* vocat (ſub quo Joh. Crellius per Anagr. latet,) *Ethicam Chriſtianam* ſcripſit, alia methodo, quam vulgo fieri ſolet, inſtituram, ſed in qua paſſim virus ſuum propinat. Præmittitur *Ariſtotelis Ethica ad ſacrarum literarum normam emendata*, & alia Diſſertatione præliminari *de Ethnicæ, Hebraeæ ac Chriſtianæ Virtutis comparatione* agitur. Liber in 4to editus eſt Selenoburgi, ſumtibus Aſteriorum, typis Venetis, quæ omnia ficta ſunt. Videtur tamen in Belgio impreſſus, annus non additur. Similiter & Lamb. Danæus *Ethicam Chriſtianam* ſcripſit; Marcus Frid. Wendelinus quoque *in Philoſophia ſua Morali*, e Theologia multa in Ethicam intulit. Henr. Morus, Anglus, inter alia Scripta Philoſophica, *Enchiridion Ethicum* quoque publicavit, Londini in 8vo ſeorſim, cum ceteris Operibus Londini in fol. editum A. 1679. Et Vir quidem ille inſigniter pius, ut vehementer laboravit in Atheismi fundamentis eradicandis, ita in Ethicis ad pietatem pleraque refert; Sententias habet in multis ſingulares. Editioni ultimæ in fol. adjecta ſunt Scholia, quæ non reperiuntur in Editione illa *ſub forma 8va.*

Sunt, quibus Peculiaris quædam Methodus in tradenda hac diſciplina placet. 4
Extat Adoardi Gualandi, Piſani, Epiſcopi Cæſenatis, liber, cui tit. *Moralis Philoſophiæ, ac totius Facultatis Civilis, vera & abſoluta Methodus*, Romæ editus A. 1604. in fol. Miſcetur hic cum Morali Civilis doctrina, ac velut unum in conſpectum producuntur. Nam ad Societatum ſpecies, ac jura in Rep. omnem Philoſophiam hanc extendit. Carteſius quoque nova multa e Phyſicis principiis in Moralem doctrinam invexit, ut poſſunt ſane multa, debentque ex illis fontibus in hanc doctrinam derivari. Non modicas etiam turbas excitavit Thomas Hobbes, *in libro de Cive*, & *Leviathane* ſuo, (quem monſtri aliquid olere vel ipſe Titulus arguit) cujus ſunt multæ profanæ theſes, quæ viam Atheiſmo pandunt, omnique nequitiæ in Republica.

b) Recuſa eſt Henr. Julii Scheurlii *Bibliographia Moralis*, Helmſtadii A. 1686. in 8vo. Sam. Rachelii *Introductio in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam Moralem* ſeorſim non prodiit, ſed Editioni ejus *Exhicorum Ariſtotelis Nicomachicorum* Græco-Latinæ, Helmſt. A. 1660. in 4to publicatæ, eſt præfixa.

De Libertate, & principiis actionum humanarum multa ejus ſunt Paradoxa, quæ tum a Setho Wardo, tum a Joh. Bramhall, peculiari Tractatu, Anglico ſermone ſcripto, cui tit.: *A defence of true liberty* (Londini 1655. in 8vo.) tum a Gisb. Cocquio, & aliis, refutantur. Herm. Conringius, magnus profecto rerum Civilium Cenſor, Dogmata ejus *Deliramenta* vocat. Thomas Campanella, *in Moralibus*, ſuo quoque ſenſu abundat, aliumque principiorum ordinem ſtruit, qui in Ethicis etiam morbos, febriumque omnium familiam, tractare non veretur, quem quidem inſignem ejus morbum ego exiſtimo. Prodiit Liber Francof. A. 1623. in 4to. Et hi quidem omnes extra Hobbeſium, novitatis quadam prurigine laborant. Qui vero Atheiſmo fundamentum ſubſternunt, in his quaſi principiis veneni ſemina abſcondunt, ut fecit ſceleſtiſſimus ille BENED. SPINOSA, qui ſingulari quadam methodi ratione, & quidem Mathematica, Ethicam propoſuit, &, cum ad everrendam divinam naturam omnia argumenta inſtrueret, a Deo tamen principium Ethices ſuæ ſumſit. Continetur autem illa *Ethica* ſimul etiam Phyſica, ſubdoleque Autor ille ſub hac perſona nequiriam ſuam abſcondit. Tollit ille e natura cauſas omnes finales, illasque nihil niſi humana eſſe figmenta aſſerit, quod unum eſt nefariorum ejus dogmatum, quo poſito multa ſequuntur abſurda. Operæ pretium eſſet, refutari hunc librum ordine illo, quo ipſe ſcripſit, ut refutari ſane poteſt facile, ſi duo vel tria ejus ſumma principia, quibus tanquam Orci galea ſe abſcondit, elidantur.

5 Sunt, qui *Poëtico modo*, per FICTIONES & FABULAS, Ethicam doctrinam tradiderunt. Fr. Baco Verulamius quam elegantiſſime & acutiſſime Veterum Poëtarum fabulas ad Moralem & Civilem doctrinam applicat *in libro de Sapientia Veterum.* Ita Daniel Bartoli, Italus, libro patria lingua ſcripto, & Romæ A. 1665. in 12mo edito, ſub Tit. *Geographiæ ad Senſum Moralem reductæ*, eleganter, ſub Regionum nominibus, & quadam quaſi peregrinatione, rem omnem moralem deſcribit. Eodem modo is, qui ſe *Mercurium Britann.* vocat, orbem quendam Vitiorum deſcripſit, ſub tit. *Mundus alter & Idem, ſive Terra Auſtralis ſemper incognita*, Ultrajecti 1642. in 12mo. Similis ſunt argumenti *Utopia* Thomæ Mori, Thom. Campanellæ *Civitas Solis*, Verulamii *Nova Atlantis*, quibus quaſi quædam Idea hominum, in Rep. viventium, ſecundum virtutem, depingitur. Ita Janus Nicius Erythræus, ſub *Eudemiæ* fabula, flagitioſos Aulæ Romanæ mores deſcribit. Bernardinus (Bidermannus) in *Utopia* ſua ſimile argumentum tractat, Coloniæ edita A. 1649. in 12mo. Multum quoque Æſopici & alii reconditi habent Apologi. Quo etiam ſpectant Eraſmi Michaëlii Lætii *Colloquia Moralia* carmine deſcripta, quibus Animalia & Arbores inter ſe de rebus moralibus ſermocinantes introducuntur, Baſileæ 1573. in 4to. Adde his Howelli, Angli, *Synodum Avium & Remp. Arborum*, Anglice pariter atque Gallice publicatas, in quibus miro lepore Seculi ſui Vitia, eorumque, qui in Rep. adminiſtranda, nequitias commiſere, mores deſcribit. Adde Fabulam *de Vulpecula* Saxonicam, ſub Apologis iſtis multum Moralis & Civilis rei complectentem. Nec oblivi ſci hic fas eſt Fabularum (de quarum Origine Pet. Dan. Huetii exſtat Diſſ. Fabulæ

bulæ Hiſpanicæ *Zayde*, Gallice Pariſ. A. 1671. in 8vo editæ, præmiſſa) Romanenſium. E quibus præ ceteris commendanda Fabula *Euphyes*, e Lingua Anglica in Belgicam converſa. Poſſunt denique huc referri omnes illæ Satyræ, quibus publica vitia perſtringuntur, & ſunt, qui integros illarum libros ſcripſere, ut Petrus Firmianus *in Gyge Gallo*, & in *Seculi Genio*. Omnes autem ſuperant Satyræ Horatianæ, in quibus tam præclara morum Philoſophia recondita eſt, ut felicius ex illis, quam ex ipſis præceptis, diſci poſſit. Feliciorem enim diſciplinam habet Satyra & ſuaviorem: quod enim eſt χαρακτηριζειν in hominum animis & negotiis luculenter, & ad minutias usque, depingitur, quod non obſervant, nec obſervare poſſunt, qui præcepta ſcribunt.

Elogiorum denique Scriptores etiam hic omittendi non ſunt, illorum præprimis, qui Vitas Philoſophorum, aliorumque Virorum Illuſtrium, deſcribunt. In Plutarcho infinita talium ſeges eſt; ne quid de ceteris dicam. *Characterum Scriptores*, ut inter Veteres Theophraſtus, inter recentiores Lud. Molinæus, qui tamen illum plane non æquat, ad hanc claſſem etiam referendi.

Ut ad Doctrinam Ethices, ſtricte ita dictam, revertamur, Ariſtoteles cum 6
Interpretibus princeps habendus, de quibus videatur Jac. Thomaſius in *Appendice Orationis*, quæ *Breviario* ejus *Ethico* affixa eſt. *Inſtitutiones Ethicas*, omnium optimas, Conradus dedit Hornejus, quas cum Ariſtotelis Textu legendas & conferendas ſuaſerim. Si quis Erotematica Methodo delectetur, non contemnendus eſt Theoph. Golius: *Breviaria* & *Tabulas* Balth. Cellarius & Jac. Thomaſius dederunt. Henr. Kippingius, ut ſolet, diligens eſt in ſententiis & quæſtionibus coacervandis, remittendo ſemper ad Autores. Ejus *Inſtitutiones Ethicæ*, ut vocat, Bremæ editæ ſunt in 4to, ac poterit in illa quoque re prodeſſe Marc. Frid. Wendelini *Philoſophia moralis*, A. 1647. Francofurti edita in 8vo. Joh. Chriſtophori Becmanni *Lineæ Doctrinæ Moralis* multa habent non ſpernenda. Hamburgi illam doctrinam præ ceteris excolere laborat Vincentius Placcius, cujus exſtat elegans liber *de fructu præcipuo doctrinæ moralis*, & alter, cujus tit. eſt: *Noſologia & Medicina moralis*, cujus laboris velut Sciagraphiam quandam tantum dedit. Johannes Franciſcus Bonomi ſcripſit *Democritum*, *ſive Riſus morales*, & Lib. alterum, cui tit. *Heraclitus*, *ſeu fletus morales*, teſte Craſſo *in Elog. hominum Lit.*, *Tom. 2. p. 315*. Sed illi ad Ethicam Satyricam & poëticam pertinent.

Ad generales libros morales pertinent illi, qui De Officiis ſcripſerunt, ut in- 7
ter Gentiles Cicero, inter Chriſtianos Ambroſius. In illum Commentariorum magna ſylva eſt, ſed *moralis* in illum *Commentarius* exſtat noſtri Sam. Rachelii. Promiſerant in ipſum ſuos quoque J. H. Bœclerus & Joh. Schefferus Commentarios, qui an unquam lucem adſpecturi ſunt, ambigo: Refertur tamen in Catalogo Scriptorum Schefferianorum, qui habetur in ejus *Suecia Literata*, *ſive Commentario de Scriptoribus Sueticis*, poſt ejus mortem Holmiæ A. 1680. in 8vo edito, tanquam qui ultimam manum deſideret. Eſt & Roberti Scharrockii liber *de Officiis ſecundum naturæ jus*,

in quo ea tractat, quæ ad Jurisprudentiam naturalem pertinent. Quanquam multa aliena & impertinentia admiſceat, cujus argumenti liber etiam eſt de *Obligatione & Conſcientia* Rob. Sanderſonii, Oxoniæ A. 1660. in 8vo editus. Magnificum Ciceroni Elogium ex merito ſuſpendit Hier. Cardanus *in lib. de Utilitate ex adverſis capienda p. 449.*

8 Specialiores hic ſunt libri, qui ARGUMENTA MORALIA SPECIALIA tractant, ut qui *de Officio Principis erga ſubditos, & vice verſa*, ſcripſerunt. *De officiis inter Potentiores & tenuiores amicos* extat elegans Diſſertatio Joh. Caſæ, quæ reperitur inter *Monumenta* ejus *Latina*. *De officio mariti & fœminæ* præclarus liber eſt Joh. Lud. Vivis. *De Officiis Conſiliarii, Senatoris, Aulici*, variorum extant Tractatus. Pertinet huc liber, cujus Tit. *Inſtitutio Viri privati, Politici & Aulici*, e linguis Hiſpanica, Gall. & Ital. in Latinam converſa, Francofurti 1647. in 8vo. Joach. Paſtorii *Inſtitutiones Aulicæ* e Gallico ſcripto totæ ſunt converſæ.

9 Ad hanc doctrinam referre poſſis, qui de VIRTUTIBUS tractant HOMILETICIS. Elegans exſtat Diſſertatio J. Henr. Bœcleri de hoc argumento, inter *Diſſertationes* ejus *Academicas, de elegantia moris civilis & aulici.* Joh. *it.* Caſæ *Galateus*, ſeu *de moribus liber*, & Steph. Guazzii, *de Civili converſatione: Aulicus Balthaſaris Caſtalionei* in Latinam linguam eſt converſus ab Hieron. Turlero, Witteb. 1569. in 8vo. Apud Gallos magna exſtat talium Scriptorum copia, quos recenſet Sorellus *in Bibliotheca Gallica*, ſub tit.: *Des Livres pour la conduite de la vie dans le monde.* Quod ad gentem Gallicam, ejusque mores, attinet, exſtat libellus Gallica lingua ſcriptus, ſub tit.: *De la civilité, qui ſe pratique en France.* Viro Civili inprimis minutiæ illæ uſui eſſe poſſunt, ac conſtruendi ſunt talium rerum curioſo velut Loci Communes quidam, tum ſecundum gentes, tum ſecundum varietatem actionum, in Republica, in Comitiis, Legationibus, Inaugurationibus, aliisque ſolennitatibus feſtivis, Conviviis publicis, & privatis audientiis. Ac memini, tales libros collectaneos Viris in Republ. verſantibus concinnatos, ſummaque diligentia, velut Arcanum aliquod, cuſtoditos. Plus enim ſæpe in his ineptiis latet, & in illo aulico, ut ita loquar, Pedantiſmo, quam in ſeria & profunda rerum Civilium intelligentia. Tale aliquod *Collegium Rituum ac Civilitatis apud varias gentes* J. Chriſtoph. Wagenſeilius, Profeſſor Jurispubl. Altorfinus, Vir eleganter doctus, habuit.

10 Ad Generales Ethicos Scriptores pertinent & illi, qui de VIRTUTIBUS & VITIIS ſcripſerunt. Tali titulo liber adſcriptus eſt Ariſtoteli. Inter Recentiores eſt Caroli Paſchalii *liber de Virtutibus & Vitiis*, Genevæ 1620. in 8vo. Exſtat & Joach. Paſtorii *liber de Characteribus Virtutum & Vitiorum*, eleganter ſcriptus. *De principio Actionum humanarum* peculiares Diſſertationes Sam. Rachelius ſcripſit, Helmſtadii editas, atque ex eo doctrinæ fonte in Theologiam & Jurisprudentiam multi ducuntur rivuli. Quoad Theologiam huc ſpectat Eilh. Lubini *Phosphorus de prima cauſa & Natura mali.* Nec contemnendus eſt J. Joach. Beccheri Tr. German. von den eigentlichen Urſachen des Glücks und Unglücks. Pertinent huc, qui de *ſummo Bono* ſeor-

ſeorſim ſcripſerunt, uti Bernhardus a Mallincrot, qui peculiari Diſſertatione ſententias Veterum congeſſit, additas *Paralipomenis Hiſtoriæ Græcæ.* Lev. Nicol. Moltkenii *Conſolatio Socratis* varia habet ejus argumenti.

Hieronymus Cardanus, *in libro de Utilitate ex adverſis capienda*, & aliis quibus- 11
dam, moralia argumenta diligentiſſime illuſtravit. Conſcripſit & Franciſcus Petrarcha ſimilis argumenti libellos. *De Nobilitate* Simon Simonius librum ſcripſit; *De abuſu mendacii* Albericus Gentilis elegantem Diſſertationem, iis oppoſitam, qui omne mendacium, quod vulgo jocoſum & officioſum dicitur, illicitum atque adeo peccatum putant. De *Affectibus & perturbationibus animi* Auguſtinus Maſcardus Diſſertationes dedit, quæ ſub *Proluſionum Ethicarum* titulo prodierunt Pariſiis An. 1639. in 4to, item ſub alio *Diſſertationum Romanarum* titulo, ibid. 1639. in 4to. quarumque Pars IIda MSta reſtat, teſte Craſſo *P. I. Elog. p. 257.* Hujus viri in Morali Philoſophia excolenda ſingulare fuit ſtudium. Nam exſtant etiam Italica lingua ſcriptæ commentationes ejus *ſuper Tabulam Cebetis*, quæ nunc in Germanicam ſunt converſæ. Scripſit & Antonius le Grand, cum nondum eſſet Carteſianæ Philoſophiæ addictus, librum Gallica lingua, cui titulus: *L'homme ſans paſſions, Homo ſine affectibus*, Hagæ Comitis 1662. in 12mo. quo Stoicorum doctrinam propugnavit; ſed poſtea, cum Carteſii ſententias ſequeretur, Stoiciſmum hunc abdicavit, quem Lipſius quo- *in libro ſuo de Conſtantia* aſſertum ivit, uti & in Phyſiologia ſua *Stoica*, *Cenſuram animi ingrati* Carolus Paſchalius ſcripſit. Exſtat etiam elegans J. Henr. Bœcleri Diſſertatio, *de Actione legibus prodita, aut non prodita, adverſus ingratos.* Multa ſunt talia Scripta ſpecialia Joh. Jov. Pontani, Cardani, Petrarchæ, aliorumque lingua Latina ſcripta, longe plura Gallica, Italica, & Hiſpanica, quæ omnia recitare Voluminis integri res eſſet. Commodo tamen illa maxime, vehementer ad morale ſtudium profutura. Si quis enim diligentius illa legerit, rationemque omnium accuratam inierit, multa ex illis hauriret, ad univerſalem aliquam moralem notitiam parandam, & illam de officiis doctrinam diligentius excolendam, quæ mereretur ſub diſciplinæ alicujus forma proponi, & quidem ordinatius, quam hactenus factum. Qui enim ſcripſerunt hactenus de hoc argumento, imperfecte tantum, & per partes id tractarunt. Nuper *Samuel Puffendorfius* hanc doctrinam ſingulari libro propoſuit, ante aliquot annos edito. Verum ille ad actiones in Republ. juſtas doctrinam tantum ſuam reſtringit; qui vero de officiis in univerſum vellet agere, non has tantum officii partes, ſed omnes, quarum in ſocietate uſus eſt, pertractare deberet, non ejus tantum, quod ex virtute deſcendit, ſed & ejus, quod ex decoro. Inter Auctores de affectibus omiſi Dominum de la Chambre, Medicum Regium, qui Gallica lingua elegantem librum ſcripſit, cui titulus: *Les characteres des Paſſions*, Amſtelod. 1658. in 12mo. Facunde admodum & prolixe hic agit de affectibus, e Phyſices quoque fontibus Characteres eorum clare delineat, poteritque liber ille tribus diſciplinis inſervire, Phyſicæ, Ethicæ & Rhetoricæ. Mentio etiam hic facienda eſt Scipionis Claramontii, cujus exſtat aureus plane liber *de Conjectandis latentibus Animi Affectibus*, olim in Italia impreſſus, nunc Helmſtadii, cura Conringii, recuſus, cum hujus luculenta in illum Auctorem præfatione. Sed is non tam ad Ethicos,

quam

quam ad Phyſiognomos, pertinet, ad converſationem tamen civilem eſt accommodatiſſimus.

12 Pertinent & huc, qui Casus Conscientiæ ſcripſerunt, quorum multi ſunt; & quidem e Scholaſticis ſupra nominavimus nonnullos, qui in his negotiis ſcrupuloſi admodum ſunt inſpectores. Operæ pretium eſſet hujus rei aliquam ſcribi regulam. Nam Caſuum eſt infinitas, & tamen methodica illorum Diſquiſitio inſtituenda. Facem hic præferet is, quem ſupra commendavi, Joh. Azorius, ac prodeſſe quadantenus liber Rob. Sanderſonii *de Obligatione ex Conſcientia*, ſupra nobis laudatus, poteſt. Pene omiſeram Æquivocationis doctrinam, quæ moralem Philoſophiam nuper ad modum peſtis infeſtare cœpit, tot ante ſeculis incognita, & tam præclaris philoſophis non perſpecta. Iſtam ſcil.e divino illo ingenio ſuo, excuderunt nobis Jeſuitæ, verum nequitiæ ludum, imo integris Commentariis & libris propugnarunt. Operæ pretium fecit Clar. noſter, Sam. Rachelius, qui illorum Auctorum aliquos collegit uno libro, ac refutavit, Helmſtadii in 4to edito. (c)

13 Spectaret & huc Jurisprudentiæ Universalis Disciplina, morali Philoſophiæ ſubordinata, de qua, cum agere plenius conſtituerimus, ubi ad Scriptores Juris perveniemus, hic illos omittimus, & Philoſophiæ moralis Scriptoribus finem imponimus. Cujus ſtudium non poſſumus, quin ſerio commendemus. Jejuna eſt hujus ſtudii in plerisque Academiis tractatio, plurimis circa notionalem Philoſophiam conſeneſcentibus, cum hæc tamen faciat ad viros bonos formandos. Scilicet ſunt, quæ inflant, ſcientiæ, ut quæ circa notiones intemperantius verſantur, quædam pectus etiam ſaturant, ut rerum naturalium cognitio; ut boni vere ſimus, uni huic diſciplinæ, & poſt illam Theologiæ, debemus. Conqueritur de hoc defectu non immerito J. Henr. Bœclerus in eleganti *Diſſertatiuncula de ſatis literariis noſtri temporis*, & meliora tempora exoptat. Nos jam ad Politicos properamus.

c) Doctrinam Jeſuitarum de Æquivocatione Sam. Rachelius peculiari Scripto non impugnavit, ſed *Probabilitatis, quam Jeſuitæ, novique Caſuitæ, præcipuum Theologiæ ſuæ Moralis fundamentum, conſtituerunt, Examen*, Ludov. Montaltii (ſive Blaſii Paſchalis, ſub larva hac abſconditi) *Literis de Morali & Politica Jeſuitarum Diſciplina Provincialibus*, per Will. Wendrockium Latine verſis, *Notisque Theologicis* illuſtratis, a ſe autem Helmſtadii A. 1664. in 4to demuo editis, ſubjunxit. Video tamen Herm. Conringium, in Epiſtola, Syllogæ huic præfixa, Rachelium ſerio eſſe hortatum, ut *Jeſuitarum* etiam *Æquivocationes, Reſtrictiones Mentales, ceteraque monſtroſa doctrinæ Moralis capita, Stylo ſuo pariter confoderet, Herculis Ἀλεξικάκου nomen & laudes, eo facto, a grata poſteritate meriturus.* Sed monito iſti Rachelius, aliis haud dubie Occupationibus deinceps impeditus, haud obtemperavit.

FINIS LIBRI PRIMI.

POLY-

451

POLYHISTORIS
TOMI TERTII
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER II. POLITICVS.
DE PRUDENTIAE CIVILIS SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Nomenclatores horum & Critici, Gabr. Naudæus, Chriſtoph. Colerus, Herm. Conringius.* 2. *Syſtemata Politica omnia imperfecta. Platonis Politica ἀμέθοδος, Ariſtotelica ἐυμέθοδος. Generalia Politices Præcognita a Joh. Caſelio, Caſp. Scioppio, Herm. Conringio, Scriptis tradita peculiaribus. Optimi Politicorum Ariſtotelis Commentatores Mich. Piccartus, Hub. Giphanius & Dan. Heinſius.* 3. *Iudicia de Inſtitutionibus & Compendiis Politicis Henr. Kippingii, Hem. Arniſæi, M. Z. Boxhornii, Georg. Schœnborneri, M. F. Wendelini, Ioach. Stephani, Er. Puteani, Franc. Burgersdicii, & Georg. Hornii Notis in hujus Ideam.* 4. *Cenſuræ de Novatoribus Politicis Anti-Ariſtotelicis, Joh. Bodino ac Pet. Greg. Tholoſano, Pſeudo-Politicis item modernis, Nicol. Machiavello (per Caſp. Scioppium defenſo,) Thoma Hobbeſio, & Politici Scelerati Autore. Technæ Pſeudo-Politicorum, ab Ariſtotele jam & Hier. Cardano (in Arcanis Prud. Civ.) obſervatæ.* 5. *Scriptores de Republica Dogmatici, quos inter Andr. Fricius commendatur. Cyr. Strozzæ Supplem. Politicorum Ariſtotelis.* 6. *Neceſſarii Politico ſunt Hiſtorici, ſed prudentia Civili conſpicui, quales ſunt Polybius, Iac. Aug. Thuanus, & Victorius Siri, Rerump. item Deſcriptores Generales, e quibus Ariſtoteles, aliique Veteres, pericre. Iudicia de hujus Argumenti Laboribus affectis atque ineditis Herm. Conringii, I. H. Bœcleri I. Andr. Boſii & Bern. Varenii, nec non de editis Lucæ de Linda, Georg. Hornii & Chriſt. Funccii.* 7. *Specialium Rerump. Deſcriptores. In Suecia, alibique, Scripta hujusmodi de Patriæ Rebus vetita. Legatorum de Rebusp. Relationes, a Phil. Honorio, Caſp. Enſio & Nicol. Bello (Plagiario.) publicatæ.* 8. *Vitarum Scriptores & Epiſtolographi Politici, quales ſunt Hugo Grotius, Foxius & Arn. Oſſatus.* 9. *Memoriarum de rebus propriis, aut aliorum Virorum Illuſtrium, & Actorum Publicorum Collectores.* 10. *Scriptores de Rebus Politicis Satyrici, & Libelli Famoſi. Pasquillorum Romanorum Tomi. Iob. Barclaji Euphormio. Scriptores de eo, quod Principum*

pum & Rerump. intereſt. Cenſuræ de Anonymi Europe Vivante, & Ducis Rohanei Trutina Statuum Europæ. 11. *Itineraria Politica. Judicium de Phil. Andr. Oldenburgeri Itinerario Germanico.* 12. *Ex Obſervationum in Autt. Antiquos Politicarum Scriptoribus commendantur Chr. Forſtnerus, J. H. Bæclerus & Fraj. Boccalinus in Tacitum, Nic. Machiavellus, I. Scheſſerus, Caſp. Facius & I. Gruterus in Livium, Bæclerus & Iac. Zevecotius in Suetonium, Zevecotius & Chr. Ad. Rupertus in Florum, Rupertus in Salluſtium & Vellejum. Conſilium de Locis Communibus ex iis concinnandis.* 13. *Diſſertationes Politicæ I. H. Bæclari, Disquiſitt. M. Z. Boxhornii, Orationes Demoſthenis, Iſocratis, Ciceronis, & Thomæ Lanſii, Cenſuræ de Lanſii Conſultatione, & Georg. Hornii Diſſertationibus.* 14. *Iudicia de Georg. Richteri Aphoriſmis, Iob. Chokieri Theſauro Politico, & Politicis Iuſti Lipſii, quæ Mart. Berneggerus, I. H. Bæclerus, Herc. Catus & I. Lud. Praſchius, illuſtrarunt. Aphoriſmi Variorum ex Tacito & Florb. Mich. Fetteri Succus Curtianus exſuccus. Iuſti Lipſii Monita Politica, Iob. Boteri Scripta hujus generis varia,* 15. *Scriptores de Ratione Status (Lud. Septalius, &c.) de Arcanis Dominationis (Arn. Clapmarius, Cyr. Lentulus, hisque præferendi Gabr. Naudæus & Hier. Cardanus,) ac de Inſtitutione Principis (quos inter Suecus Anonymus, a Iob. Scheffero editus, commendatur.)* 16. *Scriptores Nomothetice, ſive Doctrinæ de Legibus Gentium, vulgo neglectæ, it. de Moribus gentium, quo ſpectat Iob. Barclaji Icon Animorum.* 17. *Scriptores de Miniſtris Principum (Silhonius, V. L. a Seckendorf, &c.) de Migrationibus Gentium & Rerump. Excidiis (Iob. Biſſelius, Mart. Schookius & Wolfg. Lazius, Hiſtorici potius quam Politici, Dn. item de la Cour, & Iob. Schildius,) de Periodis Rerump. (Iob. Loccenius,) & de Seditionibus (Mart. Schookius, aliique.)* 18. *Non negligenda Politica Sacra, Pontificum inprimis. Cognoſcendæ huic inſerviunt Lud. Maimburgii Hiſtoria Lutheraniſmi, Baſil. Hyperetæ Libellus de Aulæ Romanæ Artibus, & Pauli Sarpii Hiſtoria Concilii Tridentini.* 19. *Politicæ Biblicæ Scriptores, Hiſpanus nonnemo, Theod. Reinkingius, & Eggeſeldius Ieſuita, Amandi Veri larva indutus.* 20. *Diſſertt. Politicæ Miſcellæ Georg. Obrechti, Iob. Henr. Bæcleri, Iac. Thomaſii, M. Berneggeri & Sam. Puffendorfii, Conclavia Pontificum, Scripta it. alia Iob. Calderini, R. H. Schelii, Iob. Gen. Sepulvedæ & Alb. Gentilis, commendantur,* 21. *Politica quædam in omnibus occurrunt Scriptoribus, etiam in Poëtis Heroicis ac Comicis, Virgilio præſertim & Terentio (quem Hugo Grotius magni æſtimavit,) ac ipſis quoque Fabulis.*

1 POLITICA Architectonica vocatur ſcientia ab Ariſtotele, quoniam Reipublicæ regendæ præcepta præſcribit. SCRIPTORES ejus recenſeri ſpeciatim omnes non poſſunt, nec opus eſt, cum jam tum opera illa ſublevarint nos Viri doctiſſimi. a) Exſtat Gabrielis Naudæi *Bibliographia Politica*, præclarus liber,

a) Gabr. Naudæi *Bibliographia Politica*, Jac. Gaffarello, Th. & J. Can. Doctori, Priori ad D. Ægid. Pariſino, & Protonot. Apoſtolico, inſcripta, ſeorſim initio prodiit Venet. An. 1633.

ber, quem in Germania recudi fecit Aug. Buchnerus; ac habetur quoque inter Auctores illos, qui Methodos variarum disciplinarum proposuerunt, ac in Belgio junctim prodierunt. Plus justo diligentior videtur Conringio, eaque notasse, quæ præteriri silentio commode poterant. Est & Christoph. Coleri *Epistola de studio Politico*, ejusdem argumenti, quam Dissertationi Naudæanæ addidit Buchnerus, quæ tamen & inter Auctores *de studiis instituendis* reperitur. Additur Hug. Grotii Consilium aliquod, in Epistola ad Legatum Regis Galliæ, Benj. Auberium Maurerium, perscriptum, quod pauca tantum ad Politicam spectantia, quanquam utilia, attingit. Post illos diligentissime hoc argumentum tractavit Hermannus Conringius, *in libro de Civili prudentia*, edito Helmst. 1662. in 4to, c. 14. quo recenset Scripta, ad parandam prudentiam Civilem maxime necessaria, supplens, quæ a Naudæo omissa, addens, quæ doctrinæ civili sunt affinia, ut vix aliquid supereresse videatur, nisi Scripta quædam specialia, & quæ post editum hunc librum demum prodierunt, argumenti Politici.

Auctores, qui prudentiam Civilem METHODO DOGMATICA sunt complexi, 2
pauci sunt, qui laudari mereantur, imo pene nulli. Perfectas enim Politicas Institutiones hactenus non habemus, quæque titulum illum tueri possint. Hugo Grotius, de optimo Politices Auctore rogatus, consilium dedit, ut quis Volumen chartæ puræ sibi conficeret, & visa auditaque in illo notaret. Sed illa de specialibus dicta sunt. Oportet vero omnino generalia tenere præcepta. Inter Veteres, ante Platonem, non nisi fragmenta habemus. Plato Socraticam Politicam *libris de Republica*, aliisque *Dialogis*, complexus est, sed methodo abstrusiore. Aristoteles tandem omnium optime principia Politica digessit, atque ad Respublicas in Idea consideratas, sed quales dari possunt, applicavit, cujus utinam specialia haberemus Scripta *de Rebuspublicis*, magnus utique supereresset Veterum Rerumpubl. tum qua Historiam, tum qua Civilem prudentiam, thesaurus. Generalia istius doctrinæ tractarunt Joh. Caselius in *Propolitico*, Casp. Scioppius in *παιδείᾳ Politices* (quem optimum ejus & samissimum librum nominat Naudæus,) Herm. Conringius in libro *de Civili prudentia & Propoliticis suis*, qui parum inter se discrepant, ac eadem ferme repetunt. Videtur pene Caselii vestigia in illis legere, quod & Capitum lemmata ostendunt. Jungi his debet Caselii *πολιτευόμενος*, quo in libro differit, quemadmodum primarius aliquis

in 12mo. Recusa deinde est, cum aliis similis argumenti Opusculis, Witteb. 1650. in 16to (curante Aug. Buchnero,) Lugd. Bat. 1642. in 32mo. Et Amstelod. (inter Scriptores *de Studiis instituendis*) A. 1645. in 12mo. Quatuor hisce Editionibus, una cum Versione Gallica Challinii, Advocati Regii Carnutensis, Parisiis A. 1642. in 8vo excusa, a Phil. Labbeo *in Biblioth. Bibliothecarum p. m. 99. 100.* jam memoratis, addenda est Novissima Francofurtensis Anno 1673. in 12mo. ab Herm. Conringio curata, quæ simul etiam Hug. Grotii, Ignat. Hanniellis, Joh. Henr. Alstedii, Ægidii a Lancken & Christoph. Coleri, *de Studio Politico* Consilia & Epistolas, Casparisque Scioppii *Pædiam Politices*, Conringii illustratam *Animadversionibus*, eodem fasce complectitur.

adoleſcens mature & recte educetur ad Rempublicam, Francof. 1631. in 8. De Interpretibus & Verſionibus *Politicorum* Ariſtotelis Conringius agit peculiari libro *Introductione in Politica* Ariſtotelis. Inter Interpretes & Commentatores Recentiores Michaël Piccartus optimus habetur; Hubertus Giphanius verborum ſenſus accuratius inveſtigat. Paraphraſis Heinſiana ad intelligentiam textus præ ceteris commendari debet.

3 INSTITUTIONES POLITICAS, ut dixi, perfectas hactenus non habemus. Prodiit quidem eo titulo liber HENRICI KIPPINGII, Bremæ A. 1667. in 4to. ſed non implet hujus tituli menſuram. Neque enim omnia Politices capita juſto & ſcientifico ordine tractavit. Multa immiſcentur a ſcopo aliena, digreſſionesque prolixiores, non tamen inutiles, ad Phyſicam doctrinam. Solus Henn. Arniſæus, ſi a Jurisconſultorum controverſiis ſibi temperaſſet, aliquod operæ prétium feciſſet. Habemus interim Compendia non omnino ſpernenda, imo ipſis Inſtitutionibus, quales hactenus exſtant, meliora. Tale eſt Marci Zuerii Boxhornii, cui jungat aliquis Balth. Cellarium licet. Georg. Schönbornerus, ejusque Epitomator, Marcus Frid. Wendelinus, mirificum aliquod Chaos conſtituunt miſtæ cum Jurisprudentia Politices. Joachimi Stephani *Demonſtratio Politicorum* Roſtochii excuſa in 8. A. 1576. & deinde Gryphiswaldiæ A. 1599. recuſa, non omnino contemnenda eſt, ſed Juridica itidem multa immiſcet. Scripſit & *Compendiolum* aliquod Erycius Puteanus ex Ariſtotele, ſed breve admodum, & more iſto Laconico excerptum, ac præterea imperfectum. Prodiit illud ſub Titulo *Linearium Doctrinæ Civilis*, & tres tantum Ariſtotelis Libros abſolvit. Eſt & Franconis Burgersdicii *Idea Politica*, cum *Notis* Georgii Hornii, Lugd. Bat. A. 1663. in 12. edita, ſed Hornii *Notæ* extemporales, ut omnia illius Viri, ac exiguo conſcriptæ judicio, de quibus tamen Horatianum illud uſurpes: *Cum flueret lutulentus, erat, quod tollere velles.* In Burgersdicio denique mediocria omnia, nec illa, quæ eſſe debebat, accuratio.

4 Qui heterodoxa, & ab Ariſtotele DIVERSA METHODO, Politicam doctrinam tractarunt, vel ratione ordinis tantum, vel ratione principiorum, differunt. J. Bodinus, quem Naudæus ubique magnum & acutum Politicum crepat, totus diverſus eſt ab Ariſtotele, de induſtria ſæpe in plano quærens lapides, in quos impingat, & in ſcirpo nodos. Magnifice etiam ipſe de ſe ſentit, & præ ſe Ariſtotelem contemnit, in quo tamen, & illum, & alios, vehementer falli certum eſt. Plus ſæpe in una linea Ariſtotelis prudentiæ politicæ reconditur, quam in integris aliorum diſſertationibus. Quin ipſi, qui nunc ſceleratæ Politices Architecti ſunt, legere illa omnia apud Ariſtotelem poſſunt, qui artes, tam tyrannicas, quam oligarchicas, non diſſimulavit, quibus omnis ille nequitiæ ludus ſuperſtruitur. Falluntur itaque, qui Nicol. Machiavellum ex ſuo ingenio tam bellam doctrinam depromſiſſe autumant, quam de Principe proponit, in quem tot exſtant Declamationes doctorum, indoctorum, ſed tamen defendit peculiari Apologia, qua erat pietate & probitate ſcil. inſignis, Caſpar Scioppius. Defendit & aliqua ex parte Herm. Conringius *in Præf. & Notis ad Machiavelli Princi-*

pem

pem ſcriptis, quæ Editio optima eſt, prodiitque Helmſtadii anno 1660. in 4to. Petrus Gregorius Tholoſanus alia quoque ab Ariſtotele incedit via, prolixior in rebus non neceſſariis, unde in vaſtum opus liber ejus *de Republ.* excrevit, editus Francof. 1609. in 4to. Thom. Hobbeſius in libris *de Cive*, a ſe ſcriptis, inepte gloriatur, neminem ante ſe quidquam Politicæ rei demonſtraſſe, quæ hominis ſuperbia ab ipſorum dogmatum ſtultitia non eſt aliena. Neminem enim ita deliraſſe puto ante illum. Quanquam non pauci ſunt, qui cum iſto flagitioſe ſapere malunt, quam cum aliis recte ſentire. Præcipuum & palmarium ejus dogma eſt: *Natura inter homines, non ſocietatem, ſed diſcordiam, eſſe inſtitutam, vel*, ut ille loquitur, *omnium eſſe in omnes bellum;* ex qua Camarina quam fœtidi fluant rivuli, facile ſubolfaciet, qui non eſt naris obeſæ. Prodierunt quædam Axiomata Politica (revera Scopæ tantum diſſolutæ, & promiſcuæ quædam Obſervationes) ſub tit. *Politici ſceleratí*, quæ Chriſtoph. Pellerus refutare voluit, ſatis ipſa turpitudine ſua infamia. Prodierunt eadem ſingulari libro, ſub tit. *Homo Politicus*, auctiora, a quodam Pacifico a Lapide conſcripta. Sed non ſunt tam rara ejus libri præcepta. Longe enim plura jam tum ab aliis obſervata videas, præſertim ab Hier. Cardano *in Arcanis prudentiæ Civilis*, libro profecto aureo Helmſtadii recuſo, in quo multæ occurrunt technæ & fraudes, ab ipſo notatæ, quas ſcire etiam homini probo interdum expedit, ne technis talibus decipiatur.

Multi ſunt alii Auctores, qui de REPUBLICA IN UNIVERSUM ſcripſerunt, ſcil. de 5
ea, vel inſtituenda, vel emendanda, e quibus præ ceteris commendo librum inſignem Andr. Fricii *de Republ. emendanda*, editum in fol. Baſileæ A. 1559. Quo in libro ad Statum Eccleſiaſticum ſe quoque demittit Autor, pluribusque de ejus emendatione agit. Scripſit Cyriacus Strozza *de Republ. librum* Græce & Latine, quaſi in ſupplementum Ariſtotelis, qui prodiit etiam una cum Ariſtotelis Operibus, Pariſiis editis. In *Bodinum*, quod ſupra omiſi, *Animadverſiones* a nonnullis ſcriptæ ſunt. Ferrierus Gallica lingua tales ſcripſit, Pariſiis A. 1580. editas, Apologiam vero, pro Bodino Renatus Herpinus, itidem Gallicam, quæ & converſa eſt in linguam Latinam. Celebratur & Italicus *Aldi Manutii* liber *de excellentia Rerumpublicarum.* Joh. Ferrarius Montanus *de Republ. bene inſtituenda* librum in folio, Baſileæ A. 1556. publicavit.

Pertinent ad Auctores Politicos etiam HISTORICI; illi enim manus inter ſe jun- 6
gunt, eſtque Hiſtoria quaſi altera Politices manus. Vid. Juſti Lipſii *Ep. 61. Centur. Miſcell.* de Hiſtoricis legendis & excerpendis. Non ſpectant huc Hiſtorici illi Compendiarii, qui Hiſtoriam Imperiorum & Monarchiarum ſcripſerunt, pauca enim ex adeo rudi labore depromi poſſunt. Nam ad Politica ſola, & ad rerum cauſas & eventus, hic reſpiciendum eſt. Hiſtoria talis Univerſalis haberi non poteſt, ſed haberi tantum poteſt illa certorum temporum, quales ſunt *Jac. Aug. Thuani*, (ab Anno 1545. ad 1607. e qua expuncta ſeorſim poſtea prodierunt) & *Victorii Siri* (ab Anno 1635. ad 1647. Italice, ſub *Mercurii* titulo, pari induſtria pertexta,) certarumque Rerumpublicarum. Quale Opus ſcripſit Ariſtoteles, & ante Ariſtotelem alii Græci Au-

ctores, quorum quædam ſuperſunt hodie fragmenta, ſed exigua. *Polybius* Hiſtoriam Univerſalem in animo habebat, ſed exiguam ejus partem tentavit. Videantur Bœclerus *in Diſſert. de utilitate ex Hiſtoria univerſali capienda*, & Iſ. Caſaubonus *in Comment.* ſuper auream illam Polybii *præfationem* aureo, ſeorſim edito. Respublicas in univerſum deſcribendas noſtro tempore ſibi ſumſerunt aliqui; ſed omnis imperfecta opera eſt. De ſcriptoribus illarum veteribus & novis vide J. Andr. Boſium in *Introductione in notitiam Rerumpubl. c. 4. period. §. 6. 7. 8. 9.* Decurrit nunc illud ſtadium HERMANNUS CONRINGIUS, qui privatis lectionibus, ſed tamen extemporalibus, plerasque omnes Respublicas enarravit. *b*) Publicavit illos Commentarios, hactenus Manuſcriptos, *Phil. Andr. Oldenburgerus*, invito & reclamante Conringio. Incidit vero in Exemplar, ipſo Conringio teſte, vitioſum, & nulla cum cura exceptum. Ipſe Manuſcriptum exemplar habeo, illo longe plenius. Addidit Oldenburgerus quædam pro more ſuo, ex Hornio aliisque excerpta. Sed, cum alia haberi editio non poſſit, præſtat tamen aliquam habere, quam nullam. Incepit quidem ipſe Conringius hunc laborem (jam enim aliquot folia excuſa ſunt,) ſed non credo, illum tam prolixum Opus abſoluturum, aut tantum illi otii eſſe, ut apponat manum ultimam. Creſcit enim cum tempore talis labor, & librorum Exoticorum, Linguis Gallica, Italica, aliisque editorum, quorum tamen uſus hic neceſſarius eſt, rarior videtur fuiſſe apud Conringium lectio. Et nunc, poſt illud Opus, multi novi prodierunt hujus argumenti libri. Audio & *Joh. Henr. Bœclerum* privatis lectionibus quædam fuiſſe de hoc argumento commentatum, quæ lucem forte nunquam adſpicient. Suſcepit & *Joh. Andr. Boſius*, Prof. Jenenſis, laborem ſimilem, ſub Titulo *Notitiæ Orbis*, ſed telam ſuam non pertexuit. Habuit & tale aliquid in animo Bernh. Varenius *in Geographia Speciali*, in *Præf. Generalis* promiſſa, & fortaſſis quam accuratiſſime rem iſtam pertractaſſet. Sed mors improviſa conatum illum intervertit. Et poterunt illi principes in his ſtudiis Viri, præ ceteris, diligentius in hoc labore deſudare; ſed facile animadverterunt etiam illi, quam non ſit unus homo par iſti labori, propemodum infinito, totiesque repullulanti, & in orbem redeunti. Huc quoque ſpectant Archontologia Coſmica, Joh. Boteri Imperiorum mundi Catalogus & Deſcriptio (Col. 1613. in 8vo.) ac Lucæ de Linda *Deſcriptio Orbis*, quam Juvenile eſſe Opus facile apparet, licet non inutile. Scripſit & GEORG. HORNIUS Opuſcula quædam *Orbis Politici & Imperantis*, non quidem contemnenda: ſunt enim memoriales libelli,

b) Quid *in Theſauro Rerumpublicarum totius Orbis Quadripartito*, Textum ſui de iis Collegii, Notis Excerptisque Politicis illuſtratum, exhibente, ac per Phil. Andr. Oldenburgerum Genevæ A. 1675. in fol. publicato, deſideret, quasque ob cauſas ſuis illum fœtibus accenſere non poſſit, ipſe Conringius, *in Admonitione* peculiari, Helmſtadii cod. A. 1675. in 4to edita, fuſius expotuit. Sicut Georg. Hornii *Orbem Politicum* Otto Menckenius illuſtravit ac repurgavit, ita *Orbi Imperanti* eandem impendit operam Menckenii Collega, Joach. Fellerus, Poëſ. Profeſ. Lipſienſis, cum cujus ille *Animadverſionibus* novitiime Lipſiæ A. 1693. in 12mo. edi recuſus.

libelli, nec male ordinati. Non respondent tamen titulo, cum multa, imo potissima, sint omissa, nec pauci illic occurrant errores. A sphalmatibus ergo debent repurgari, ut repurgavit *Orbem* ejus *Politicum* Otto Menckenius, Professor Lipsiensis, Vir doctus, & rerum istarum peritus. Christ. Funccius *Breviarium* ex omnibus contraxit, cui ea debetur laus, quæ omnibus Epitomatoribus.

Inter Speciales RERUMPUBL. HISTORIAS quænam præcipue sint laudandæ, lon- 7
ga posset institui Dissertatio. Sed occuparunt jam tum hoc argumentum Conringius *in Prolegomenis Collegii sui*, & Bosius *in Introductione sua*. Accuratiores collegerunt, & forma minuscula ediderunt Elzevirii. Eduntur alioquin variarum Rerumpubl. Historiæ, veteribus illis perfectiores, quas annotare cum prioribus debemus. Ut enim variat Status Civilis per tempora, ita Descriptiones quoque illæ variant. Utriusque vero temporis, tam elapsi quam præsentis, ratio habenda. Unde etiam de futuro statu prudens Politicus conjicere potest. Sed multa isti Autores dissimulant, quæ non expedit publicari. Est enim Reip. pernicioſa omnium Arcanorum Status publicatio, adeo ut in quibusdam regionibus capitali pœna prohibitum sit, quicquam de statu, reditibus, & similibus, scribere, unde notitia possit esse accurata Hosti, vel Vicino. *c*) Memini, cum apud Suecos aliquis *Epitomen Descriptionis Suecie* scriberet, publice prohibitam fuisse vendi, & lege simul edictum, ne quid tale in posterum fieret. Unde Liber rarus est, Aboæ, in Acad. Finlandorum, A. 1650. in 8vo. impressus. Solent quoque circumferri Relationes de Rebuspublicis, quales a Legatis conscribi Venetis solent præcipue & Romanis, quarum Tomi illic in Bibliothecis asservantur. Operæ pretium esset, si illæ e tenebris extraherentur, sed raro in lucem prodeunt. Earum tamen aliquas publicavit Philippus Honorius *in Thesauro Politico*, quem Casparus Ensius eodem tit. Latine edidit, junctimque exhibuit Relationes istas, in linguam Latinam ex Italica a se conversas. Edidit & Nicolaus Bellus varias *Dissertationes*, in quibus nihil mutatum est, præter ordinem. Eadem enim in his omnibus libris leguntur. Nicolai Belli Opus editum est Coloniæ A. 1610. in 8vo. Vide de his Autoribus Jac. Thomasium, *in libro de plagio, §. 238. in notis.* In his relationibus adeo exercitatus erat Paulus Sarpius, ut statim divinare potuerit de Relatione, an vera, an ficta esset. Vid. P. Fulgentii *Vitam ejus p. 84.* Exemplum accuratæ Relationis suppeditare potest Agathi Securi *Relatio notabilis de Aula Romana*, vere notabilis

VITARUM SCRIPTORES in hoc argumento præcipuum aliquid habent. Prout 8
enim conditio est personæ, quæ in functione publica constituta est, ita ex ejus Vita capere possumus, quod ex usu nostro sit. Diligenter itaque colligendi sunt Auctores, qui Vitas Ministrissimorum, Regum, Imperatorum, Consiliariorum accurate, &

c) Autor *Descriptionis Suecia*, vendi in Suecia prohibitæ, cujus nomen a Morhofio est suppressum, fuit Mich. Vexionius Güldenstolpe, Smalandus, J. U. D. & Prof. tunc Aboënsis, postea autem Tribunalis Suecix Regii Assessor, de quo Joh. Schefferi *Suecia Literata p. 151. 152. 330.* & nostra ad illum *Hypomnemata p. 394.* possunt consuli.

& ſecundum omnes circumſtantias, deſcribunt. Sic e Vitis Borgiæ Ducis Valentini Caſtruccii, Cromwelli, Wallenſteinii (cujus Mortis & Rebellionis Hiſtoriam, ſub ficto *Gneji Falcidii Donaveri* nomine, edidit Italice Joh. Franc. Lauredanus, teſte J. Rhodio *in Catal. Scr. Suppoſ. p. 23.*) multa diſcas, quæ ad rem Politicam faciant. De quibus jam *T. I. Lib. 1. c. 19. p. 215. ſeqq.* quædam diximus. Jungendi illis ſunt Epiſtolarum Politicarum Scriptores, Principum ad Principes, Conſiliariorum ad Conſiliarios & Principes. Tales Epiſtolas Grotius multas ſcripſit, quæ nondum ſunt editæ, & quarum multæ adhuc ſupereſſe dicuntur apud Blavium, qui illarum Editionem parat, *d*) cujus mentionem facit Iſaacus Gruterus *in præfat. Cogitatorum* Baconis Verulamii, *p. 578.* Nic. Rigaltius ſane, *in Vita* Pet. Puteani, *p. 49.* refert de Puteano, illum magna cum cura congeſſiſſe Epiſtolas Foxii & Arn. Oſſati, de quibus hoc prædicat Rigaltius, poſt illam Pauli Sarpii *Tridentinam Hiſtoriam* nihil exſtare, unde queant Aulæ Romanæ artes clarius certiusque pernoſci. Conf. de Epiſtolis Oſſati Cardinalis Vitam ejus, in Laur. Craſſi *Elogiis T. II. p. 202.* Tales etiam ſunt Epiſtolæ Italicæ *Principum ad Principes*, & Latinæ *Virorum Illuſtrium* in Belgio publicatæ, nec non Aug. Busbequii, Er. Roterodami, Chr. Forſtneri, Pet. Martyris, Ferd de Pulgar, &c. de quibus *T. I. L. 1. c. 23. & 24. dictum.*

9 Similes Relationibus ſunt Memoriæ illæ Gallorum, quas latine *Commentarios* dicas. Ut enim Cæſar Commentarios appellat, quos ipſe de rebus ſuis ſcripſit, ita hi *les Memoires*, quod ipſi rerum ſuarum quaſi Annales in illis conficiant. Legendus eſt de illis Sorellus *in Bibl. Gallica c. 7.* Magnam in illis congerendis curam adhibuit Petrus Puteanus, teſte Rigaltio in *ejus Vita, p. 51.* De Card. Bentivoglii *Relationibus* vid. Craſſum *l. c. T. I. p. 262.* & Gaddium *de Script. non Eccleſ. p. 77.* Exſtant Richelii & Mazarini, Cardinalium, *Memoriæ*, quibus continetur omnis illorum temporum arcanior Hiſtoria, ſed non tamen adeo magno ſcriptæ Judicio. Elegantior eſt, quæ Gallice prodiit, *Hiſtoria Ducis Monckii*, Conſilia & Succeſſum Reſtitutionis Caroli II. Regis Angliæ, continens. De Legatorum Venetorum Relationibus hoc memoriæ prodidit Lambecius, *Comment. de Vindobonenſi Biblioth. lib. 1. p. 55.* Hugonem Blotium omnes Venetorum Legatorum Relationes in unum Volumen collegiſſe. Spectant huc Frid. Hortlederi & Mich. Caſp. Londorpii *Acta Publica*, Pacificationes, ſimiliaque publici argumenti Scripta.

10 Nec omittendi hic ſunt libri Satyrici & Apologetici, de publicis argumentis ſcripti, imo libelli etiam famoſi. In his veritas ſæpe nuda & acerba proponitur, in illis aliqua interdum diſſimulantur. Solent talia Scripta multa publicari, cum bella inter-

d) *Epiſtolæ* Hug. Grotii, quæ *b. l.* tanquam *ἀνέκδοτοι* allegantur, Amſtelod. 1680. in fol. uno jam prodierunt Volumine. Cujus Editionis ab ipſo etiam Autore *T. I. Lib. 1. c. 24. §. 21. ſqq.* jam facta eſt mentio. Arnoldi Oſſati, Cardinalis, *Epiſtolæ Gallicæ*, ex Aula Romana in Regiam Pariſienſem miſſæ, itidem jam ſunt editæ, & novillime quidem longe auctiores ac emendatiores, Notisque Hiſtorico-Politicis a Dn. Amelot de Houſſaye illuſtratæ, Pariſiis A. 1697. in 4to maj.

intercedunt inter Principes, raroque illa colliguntur. Eriſtica quidem Scripta patent omnibus, non autem adeo ſcripta famoſa. Itali in his valde ingenioſi ſunt. Suntque de rebus Romanis Vetuſtioribus publicati *Pasquillorum Tomi duo;* editi Baſil. 1544. in 8. Recentiores audio etiam in unum Volumen congeſtos, ſed nondum editos, quod tanquam Manuſcriptum hactenus inter illarum rerum curioſos verſatur. Joh. Barclaji *Euphormio* talis quoque liber eſt, in quo multa ſub fictis nominibus tanguntur Magnatum Vitia. Sunt & Auctores, qui de Utilitatibus (*Interesſe*) Regnorum & Rerumpublicarum ſingulares libros ſcripſerunt, ſed totus illorum labor imperfectus eſt, & mutilus. Anonymus ille Gallus, qui Gallica lingua ſcripſit, turpiſſime ſæpe labitur. Sed & Auctor libri, cui titulus *L'Europe vivante*, proletaria tantum tangit, & quæ nullius momenti. Omnium optima eſt Ducis de Rohan *Statuum Europæ trutina*, quæ e Gallica in Latinam converſa eſt. *Notas* in illam ſcripſit Joſua Arndius, Guſtrovii in 8vo recuſam. Non quidem is omnia plene & perfecte perquirit, ſed tamen, cum ſenſus in illis rebus Viro in publicis exercitatiſſimo profundior eſſet, de non paucis præclare judicat.

Nec ITINERARIA hic omnino ſunt excludenda, præcipue, quæ Statum Civilem 11
accuratius deſcribunt, qualia rariſſima ſunt: Plerique enim in aliis rebus verſantur. Gallicorum Itinerariorum hac in re defectum incuſat Popelliniere *in Epiſt.* quadam Gallica, ad Scaligerum ſcripta, *lib. 2. Epiſt. 70.* Hujus commatis Itinerarium ſcribere volebat Phil. Andr. Oldenburgerus, & titulum *Itinerarii Germanici* libro ſuo dedit, in quo multa eſt rerum ineptiſſimarum farrago, quibus nonnunquam immiſcentur aliqua notatu non indigna; ſed Lectore prudente opus eſt, qui cum judicio illa legere poſſit. *e*)

Non omittendi hic ſunt Auctores, qui OBSERVATIONUM SINGULARIUM 12
libros, vel in Hiſtoricos, vel ſeorſim aliquos, ediderunt. Nihil eſt abſolutius Chriſtoph. Forſtneri *in Tacitum Obſervationibus;* quanquam etiam alii multi ſunt, ut Scipio Amiratus, Cauriana, Hannibal Scotus, Matth. Berneggerus, Mich. Virdungus, tam Latini, quam Italici. Omnes tamen Vir ille ſuperat accurata exemplorum veterum recentiorumque collatione. Joh. Henr. Boecleri *Diſſertationes in Tacitum & Suetonium* rei Politicæ pleniſſimæ ſunt, ac magno judicio ſcriptæ. Nicol. Machiavelli *in Livium Diſſertationes* profundiſſimi ſunt ingenii & judicii. Exſtant quoque Joh. Schefferi in priores libros *Diſſertationes*, ſub tit. *Regni Romani.* Caſp. Facii *in Livium Diſſertationes*, Altenburgi, 1617. in 4to prodierunt, non contemnendæ, quanquam prioribus longe inferiores. Jani Gruteri *in Livium & Tacitum Diſſertationes* Locos Communes ſapiunt, & in parallelis ſententiis coacervandis laborant. In actionum autem circumſtantiis dijudicandis & expendendis Autor non eſt usque adeo ſagax. Jac. Zeveco-

e) Phil. Andr. Oldenburgeri *Itinerarium Germaniæ Politicum, moderuam præcipuarum Aularum Imperii faciem repræſentans*, ſub larva *Conſtantini Germanici*, ab illo Coſmopoli in 12mo, ſine anni mentione, eſt publicatum, & ob licentiam quoque, in Vitiis Principum ac Magnatum Aulicorum, notandis, hoc ſeculo rariorem, multorum Cenſuras incurrit.

vecotius *in Florum & Suetonium* non omnino privandus eſt acutioris judicii laude, in rerum momentis perquirendis. Etiam Chriſtoph. Ad. Rupertus, in *Commentariis* ſuis *in Florum, Vellejum* & *Salluſtium* nonnunquam Politica tangit, ſed rarius, in Hiſtoricis & Philologicis occupatior. Quid Trajanus Boccalinus in *Comment.* ſuo *ſuper Tacitum*, Italica lingua ſcripto, præſtiterit, cum nondum legerim, pronunciare nequeo. Olim, tanquam Κειμήλιον ſervabatur in Eruditorum Bibliothecis, nunc a Blavio editus eſt, qui e Bibliotheca Gudiana ipſum accepit. Legi de illo poſſunt Erythræus *in Pinacotheca I. p. 272.* & Craſſus *in Elogiis hominum literatorum P. 1. p. 159.* Si meo quis uti hic conſilio velit, ſuaſerim, ut quis conficiat generales Locos Communes ex his omnibus Commentatoribus, diligenter Auctorum loca notando; qualis labor ſi in publicum prodiret, non tam impune furari poſſent Scriptorculi ceteri, qui de charta in Papyrum ſcribunt, & ex unius loci parallelismo omnes, quos inveniunt apud Commentatores annotatos, redituro ſemper in orbem labore, coacervant.

13 SINGULARES DISSERTATIONES multi ſcripſere: Elegantes ſunt Joh. Henr. Bœcleri *Diſſertationes Academicæ*, uno Volumine Argent. 1658. in 8vo comprehenſæ. *f)* Si quis Diſſertationes in utramque partem velit, vel Conſultationes potius in cauſis quibusdam ſpecialibus, in ſingularis reipublicæ argumentis verſantes, earum elegans ſpecimen exhibet Marcus Zuerius Boxhornius, in *Disquiſitionibus politicis*, quibus proponuntur ac deciduntur Caſus Politici, annotato ſemper eventu. Liber editus eſt Amſtelodami A. 1663. in 12. Orationes quoque Politici argumenti huc ſpectant, quales apud Demoſthenem, Iſocratem & Ciceronem, ſunt multæ, & circa generalia & ſpecialia Antiquarum Rerump. occupatæ, magnaque Prudentiæ Civilis arcana, cum a ſummis Politicis ſint conſcriptæ, continentes. Inter Recentiores Thom. Lanſius ad hanc claſſem referendus videri poſſet, ſed nihil præter Locos Communes ſcribit, nec accurato Judicio Rerump. penitiora inveſtigat, & parum cultus eſt ſtylus. Mich. Piccartus, Matth. Berneggerus, ſcripſere itidem *Diſſertationes*, & Georgius quoque Hornius aliquas, quæ junctim editæ ſunt Lugd. Batav. 1668. in 12. Reperiuntur hic nonnulla interdum non contemnenda, inprimis, quæ habet de quibusdam Belgii Ducatibus & Urbibus, quanquam hoc argumentum accuratius tractarit Boxhornius, & Martinus Schookius *de ſtatu fœderati Belgii.* Habet & illic Diſſertationes *de Æquivocationibus Ieſuitarum, de Sejaniſmo, de Saracenorum Origine, de Academiarum Origine, &c.* Jejunitatem tamen illæ ſuam ſatis probant, ſuntque, neſcio quod, Chaos ex Hiſtoria, Politica, Geographia, miſtum.

Huc

f) Recuſæ ſunt Ioh. Henr. Bœcleri *Diſſertationes Academicæ, Commentationibus in Plinii Panegyricum*, ac XIII. Exercitationibus in priori Editione Anni 1658. haud obviis (quas enumerata *vid. in Act.s Erud. Lipſ. M. Mart. A. 1702. p. 120.*) auctiores redditæ, Argentinæ 1701. in 4to. Quod Volumen Novus aliarum *Diſſertationum*, nec non *Orationum* ac *Programmatum*, Tomus ſequetur.

Huc quoque referre poſſis APHORISMORUM *Scriptores*, quorum Rhapſodias aliquas conſcripſere Greg. Richterus & Joh. Chokierus (*in Theſauro Politico,*) qui Richtero melior eſt. Ac viſus eſt Lipſium ille imitari voluiſſe in *Politicis*, qui, quantum ad principatum ſpectat, ex optimis Auctoribus, eorumque Aphorismis, concinnare doctrinam ſuam voluit, uti fecerunt, ad ejus imitationem, poſtea in Ethicis Janus Gruterus & Guilh. Mechovius in ſua *Paræuctice.* Optima Juſti Lipſii *Politicorum* Editio eſt, quæ cum *Notis* Matthiæ Berneggeri, Argentorati prodiit A. 1658. in 12. Exſtat quoque in illa J. Henr. Bœcleri ſingularis *Diſſertatio*, excuſa A. 1642. in 12. & nunc, ſi recte memini, nova Editio prodiit, cum Commentariis Matth. Berneggeri, & Bœcleriana Diſſertatione. Exſtat & in Italicam linguam converſus Lipſii Liber, *cum Commentariis exemplorum antiquorum, & recentium Notulis*, Herculis Cati, Ferrarienſis Venet. 1618. in 4to. Legi etiam poſſunt *Notæ* Joh. Lud. Praſchii, Viri eruditi, Senatoris Ratisbonenſis, in Lipſii *Politica*, Norimb. editæ A. 1666. in 12. Super Tacitum multi ſunt, qui Aphoriſmos ſcripſere. Ex illo enim, tanquam e quadam Aurifodina, omnem ſapientiam civilem eruere ſe poſſe putant nonnulli. Exſtant Itali cujusdam Aphoriſmi, præter illos Annibalis Scoti, cujus nomen mihi excidit. Sunt & Hiſpanica lingua *Aphoriſmi ex Tacito* ſub certis titulis collecti, hac inſcriptione: *Anima Taciti.* Eſt & Joh. Theod. Sprengeri *Tacitus Axiomaticus*, in 12. ex aliis quaſi in Epitomen redactus. Ex *Floro Axiomata* confecit quidam Anonymus, qui Ruperti *Commentario* additur. Scripſit & *Succum Curtianum* Mich. Fetterus, ſed qui admodum macilentus eſt, exſuccus & jejunus. Magnæ eſt prudentiæ, regulas e circumſtantiis actionum deducere, neque hoc in ingenium aliquod Pædagogicum cadit, ſed ab ipſis Viris prudentibus, atque in actionibus civilibus exercitatis, demum recte curabitur. Spectant & huc *Monita & Exempla Politica*, a quibusdam conſcripta, inter quæ eſt Juſti Lipſii Opuſculum præcipuum, quod *Monitorum Politicorum* titulo evulgavit. Non omittendus etiam hic eſt Joh. Boterus, Italus, cujus exſtant varii libri, Italica lingua ſcripti, inprimis ille, quem *de Politica Illuſtrium* ſcripſit, a Conringio in Latinam linguam converſus, ac Helmſtadii editus, quo continentur variæ Diſſertationes de Incrementis Decrementisque Rerumpubl. Scripſit & ille alia nonnulla, uti *de Urbibus, & Relationes Univerſales de tototerrarum Orbe*, editas Venetiis A. 1605. in 4to, quæ, ſi recte memini, etiam in Latinam linguam ſunt converſæ, ac Helmſtadii editæ.

Sunt nonnulli Auctores, qui de ARGUMENTIS POLITICIS SPECIALIBUS tractant, 15
quæ ſe per univerſam prudentiam Civilem diffundunt; quales ſunt, qui de *ratione Status* ſcripſere, inter quos optimus videtur Ludovicus Septalius, ex Italica lingua in Latinam converſus a Joh. Garmero, Hamb. A. 1659. in 8vo. & plures alii, de quibus vid. Conring. in *Lib. de Prud. Civili.* His affines ſunt Autores, qui de *Arcanis Dominationis* ſcripſerunt, quod argumentum nemo hactenus digne tractavit, atque ex Hiſtoriis omnium nationum expeditum dedit. Eſt quidem Arn. Clapmarii *Opus* de eo argumento ſcriptum, ac aliquoties editum, in quod etiam *notæ* a Joh. Chriſt-

frido Sagittario conſcriptæ, Jenæ 1665. in 4to. Præterea etiam a Martino Schookio editus eſt in illum *Commentarius*, una cum ſuis *Appendicibus*, Francof. ad Oder. in 8vo 1668. Sed non reſpondent, tam Autor ipſe, quam Commentatores, votis omnium & deſideriis. Non enim, niſi communia ac ordinaria Rerumpubl. acquirendarum tuendarumque media ſectantur, a quibus omnino differunt Dominationis Arcana. Nec Cyriaci Lentuli *Arcana Regnorum & Rerumpubl.* illum titulum merentur, cum non niſi vulgarem contineant Locorum Communium farraginem. Accuratius aliquid de eo argumento commentari incepit Gabriel Naudæus, libro Gallice ſcripto, ſub tit. *conſiderations politiques ſur les coups d' Eſtat*, Romæ 1667. in 12. Ejus Opuſculi primum non niſi duodecim exemplaria impreſſa ſunt, atque inter rariſſima habitum fuit, usque dum in Belgio eſt recuſum. Poſtea in Germania editum eſt cum *Commentario* Gallico cujusdam Lud. Du May A. 1673. in 8. in quo, quanquam non usque adeo abſtruſa habeantur, occurrunt tamen nonnulla, ad elucidationem ejus libri non parum facientia. Non pauca in hoc Naudæi libro docentur, quæ Politico prodeſſe poſſunt, quanquam multa illius Vir honeſtus non immerito damnet. Quis enim adeo perfrictæ frontis, ut lanienam illam Pariſienſem, tanquam ſingularem artem Politicam, laudet, quod ille facit, inque ea nihil reprehendit, niſi executionem non ſatis expeditam. Laudat ibidem Hier. Cardani *Proxenetam*, ac *librum de utilitate ex rebus adverſis capienda*, quibus contineantur multæ technæ, tam Politicæ, quam Oeconomicæ, quod & verum eſt. Fuit enim is Autor, ut ingenio ſumme melancholico & ſuſpicaci, ita in omnibus etiam rebus perſpicaci, & quodammodo divinatorio, quanquam miris etiam nugis & ſuperſtitionibus ſua ubique incruſtet. Qui de *Principis inſtitutione* ſcripſerunt Auctores, huc quoque ſpectant, de quo argumento, & veteres, & recentiores, habemus plurimos, de quibus videantur Nomenclatores Philoſophici. Ante aliquot annos lingua Suecica editus eſt de hoc argumento liber, ante ducentos plus minus annos conſcriptus, curante Regni Sueciæ Cancellario, *Magno Gabr. de la Gardie*, cujus exſtat ad Car. XI. Regem præfatio libro præmiſſa. Adduntur & Notæ Joh. Schefferi, eruditæ & multum Politici ſucci habentes. Pleraque ſunt e Veteribus Auctoribus excerpta. Editus eſt liber Holmiæ A. 1669. in fol. *g*)

16 Refert Conringius inter Generales Politicos Scriptores etiam eos, qui LEGES VARIARUM GENTIUM collegerunt, quæ uſui eſſe poſſunt Politico, cum in doctrina Legum variis Rerumpublicarum formis applicandarum verſatur. Pauciſſimi ſunt inter Politicos, qui hoc argumentum tractarunt; imo nulli. Nomothetice enim ſegniter tractata eſt a Politicis, & illa tamen maximam conſtituit Reipublicæ partem. Quomodo enim leges, quibus Rerumpublicarum formis applicandæ, quibus ille conveniant,

g) De Sveci Anonymi, qui Sec. XIV. vixit, *Inſtitutione Regia*, ſive *Regimine Regum* Vernaculo, Holmiæ A. 1669. cum Joh. Schefferi *Verſione Latina & Notis*, publicato, vid. plura in Schefferi *Suecia Literata p. 9.* noſtrisque ad illam *Hypomnematis p. 351.* Morhofius Autorem Seculo integro uniorem, quam, Scheffero teſte, fuit, credidiſſe videtur.

veniant, vel minus, de eo altum eſt apud Politicos plerumque ſilentium. Et hæc quidem ita deberet ab illis tractari, ut JCti his fundamentis ſuperſtruere poſſent. Illi vero nunc in ſolis Romanis legibus cuicunque formæ applicandis, omnem operam ponunt, cum ſpecialia illa Gentium jura, ſecundum principia Politica examinanda, longe accuratiorem operam requirant. Plerumque enim tumultuarium hoc eſt, & ratiociniis, ex legibus Romanis utcunque petitis, leviter incruſtatum. Specimen aliquod talis ἀναλύσεως legum dedit Herm. Conringius in *Explicatione Legis Unicæ de ſtudiis urbis Romæ & Conſtantinopolitanæ.* Referri huc etiam poſſunt Auctores, qui de MORIBUS GENTIUM ſcripſerunt. Nam & illi multum conferunt ad prudentiam Civilem, vel Legati, vel Hominis in Magiſtratum conſtituti. Quo in genere nihil novi, quod magnopere commendari debeat, præter Joh. Barclaji *Animorum Iconem.* Meminit Gabr. Naudæus *in Bibliographia Politica*, quorundam Auctorum, qui Hiſpanorum, Gallorum ac Italorum, ingenia quam minutiſſime delinearunt, ſed incognita illa vulgo ſunt. Qui curioſius noſſe mores variarum gentium velit, ſedulo inquirat in omnes ritus, tam privatos, quam publicos, eosque ad certa capita moralium actionum deducat, atque inter ſe conferat. Unde prudens aliquis facile perſpiciet, quæ illis forma regiminis apta, quæ leges commodæ, quid excitare inter illas tumultus poſſit, &c. Sed ejus rei peculiaris quædam quaſi ars eſt, a Politica diſtincta, & fundamenta quædam artis Phyſiognomicæ ſupponit.

Referri huc poſſunt etiam illi Auctores, qui de MINISTRIS PRINCIPUM in genere 17
agunt, quales ſunt in Gallica lingua multi. Præ ceteris laudo Auctoris Anonymi librum, cujus tit. *le Conſeiller d'Eſtat*, Pariſiis A. 1633. in 4to & Domini de Silhon librum, cui tit. *le Miniſtre d'Eſtat*, in quo ſimul integra proponitur Politica, variaque afferuntur memorabilia, editum Amſt. 1661. in 12mo *tribus Tomis.* Elegans quoque liber eſt German. lingua ſcriptus Viti Ludov. Seckendorfii, cui tit. Teutſcher Fürſten-Staat, cujus aliquot Editiones prodierunt, Francof. 1665. in 8vo. De *Migrationibus gentium, & excidiis Rerumpubl.* Hiſtoricos quidem Scriptores habemus, paucos vero, quod mallem, Politicos, qui cauſas mutationum & excidiorum e politicis rationibus deducant. Sunt quidem Joh. Biſſelii *Illuſtres Ruinæ Rerumpubl. & Familiarum*, ac Martini Schoockii *Fatum Reipublicæ Achæorum & Vejentium*, quo libro cauſas deducit interitus illorum. De Migrationibus gentium omnia ſunt imperfecta. Nam *Wolfg. Lazius*, qui hoc argumentum ſibi ſumſit, plane a ſcopo Politices dilabitur. Multa vero ſunt in Migrationibus gentium conſideratu digna, quibus e cauſis proveniant, item doctrina *de Coloniis*, quæ ex illa pendet; de quo argumento neminem digne egiſſe memini. Pauca quædam habentur, ſed eximia, *in Diſſertat. Belgicis de la Cour*, eleganti libro, in quo multa occurrunt ex intima Civili prudentia depromta. Scriptus autem ille fuit, una cum ceteris ejus, (quales ſunt *Conſideration* van Staat, oft te Politiſche Waagſchale, Amſt. Anno 1662. in 12mo & alter *de Intereſſe Reipubl. Belgicæ*,) inſtinctu Joh. de Witten, Reipubl. cauſam agit adverſus Principem Auriacum, ac fortaſſe ipſe (Wittius) magnam illorum par-

tem confecit. Nam ille, ſub cujus nomine prodierunt, van dem Hofe, f. de la Cour Mercator fuit. Obiter hic moneo, librum illum Germanicum, cui tit. Jtziger Welt Regierende Schaubühne, qui prodiit ſub nomine Leuthoffs a Franckenberg, maximam partem ex Belgico illo, & Conringianis *Rebuspublicis* eſſe deſcriptum. Verſatur & in eodem argumento, quanquam non toto, Joh. Schildius, in *lib. de Coalitione Populorum ac Rerumpubl. in 4to. De Periodis & Converſionibus Rerumpubl.* Joh. Loccenius paucula quædam ſcripſit, & fortaſſis nos aliquando, in *libro de Fato Civili*, agemus. *De Seditionibus*, quæ vehementer faciunt ad Rerumpubl. mutationes & everſiones, ſingulari libro egit Martinus Schookius, poſt Conr. Brunum, Claudium Modain, Ludov. Foſſerium, (*in Lib. de Remediis opportunis Seditioſorum*) Bernhard. Graſſiam, (*in Lib. de Turbulentia Civium*) & Matth. Drurium (*in Lib. de Militum audacia reprimenda.*) Optimus liber eſt, prodiitque Groningæ, A. 1664. in 8vo.

18 Non diſſimulandi hic quoque ſunt Scriptores, qui de Republ. & Politia Sacra tam Hiſtorice, quam Politice, ſcripſere. Maxima enim rerum Civilium momenta pendent a ſacrorum cultu, cui eo ſtudioſius invigilandum, quo rectior eſt omnis Politica, quam cucullus & infula velant. Certe Hierarchiæ Pontificiæ maxima ſunt arcana, cujus per omne ævum ſe extendunt inſidiæ. Merentur illa ab ovo recenſeri omnia, ut factum eſt a noſtratium nonnullis, imo & ab ipſis Pontificiis, qui inter illos præ ceteris ſinceri ſunt. Certe, qui ſuperiori anno *Lutheraniſmi Hiſtoriam* deſcripſit Gallica lingua Ludov. Maimbourg, Jeſuita, jam aliquoties editam Pariſiis, ringente Pontifice, non diſſimulat Pontificiorum technas, & errores, quanquam & eandem ſcabiem Lutheraniſmo affricet, (Pariſiis anno 1682. in 12mo.) Præclarum Opuſculum eſt, quod Germanica lingua edidit, qui ſe nominat *Baſilium Hyperetam*, *in 12mo.* In quo, utut brevi, plures habentur Politicæ annotationes ſuper religionis negotio, quam in diffuſis aliorum Scriptis. Magnam hic quoque lucem accendit Paulus Sarpius, *in Hiſt. Concil. Trid.* qui ſe Petrum Suavem Polanum vocat. Hujus Editionem debemus Marco Antonio de Dominis, magno Viro, cujus labores, non quidem abſoluti, ad hoc quoque argumentum referri poſſunt. Suavem illum Polanum, ſive Paulum Sarpium, quidam *Scipio Henricus*, libro Dillingæ impreſſo, & *Sfortia Pallavicinus*, Cardinalis, ſub Cenſuram vocarunt, atque in illum acerbius ſunt invecti. Sed poſtea aliquis Cæſar Aquilinius *Diſſertatiunculam* ſcripſit *de tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini*, Amſtelod. 1662. in 8vo. editam, qua ille, quisquis tandem eſt, Suavem Polanum adverſus Cenſores illos defendit.

19 Non defuerunt, qui ipſas ſacras literas ad argumentum Politicum traxerunt, cujus generis liber eſt Hiſpanica lingua ſcriptus in folio, ex libris Regum, & Hiſtoria Davidica, præcipue concinnatus, fuitque poſtea etiam a Theod. Reinkingio (quem Hiſpano illi multa debere, qui vidit, aſſeverabit) idem argumentum tractatum, & a quodam Jeſuita Eggefeldio, qui ſe *Amandum Verum* vocat, in lib. cui tit. *Imperium Politicum, ex ſacra Regum Hiſtoria deſcriptum, ad normam hodiernæ Politicæ adminiſtrationis, & exemplis utriusque imperii illuſtratum.* Liber editus eſt in 12mo

in 12mo 1661. non adjecto impreſſionis loco, ſed parum videtur reconditæ doctrinæ habere.

Quod ſi jam omnia SPECIALIA POLITICES ARGUMENTA percenſere velimus, quantus ſe nobis objiceret Librorum & Diſſertationum cumulus? Certe integri Voluminis res eſſet. Enarramus velut per lancem ſaturam quædam. Georg. Obrechti *Secreta Politica*, liberque Germanice ſcriptus von Anſtellung guter Policey, und von billiger Erhöhung der Jährlichen Gefällen, multa habent Reipublicæ utilia monita, Argent. 1444. in 4to. Quot non ſunt J. Henr. Bœcleri *Diſſertationes*, quæ recenſeri non omnes poſſunt, junctim, ſeorſim editæ? Quot non ſunt Jac. Thomaſii *de Ratione Status, de Latrocinio gentis in gentem*, aliæque? Matth. Berneggeri exſtant *Vita Veſpaſiani*, ſ. *Speculum boni Principis* ejusdemque in Suetonii *Cæſarem & Auguſtum Diatribæ*. Sam. Puffendorffii variæ ſunt *Diſſertationes*, nunc junctim editæ, inter quas una eſt *de Obligatione adverſus Patriam*. Joh. Lud. Praſchii *de Caritate Patriæ* exſtat lib. Norimb. 1662. in 4to. Conclavia Pontificum, Italica lingua ſubinde publicata, magna continent Pontificum arcana. Joh. Calderini *Diſcurſus in regulas Status Joh. Boteri*, Germanica lingua Francof. A. 1617. in 12mo editi, non pauca utilia monent. Radbodi Herm. Schelii *Libertas Publica* aureolus liber eſt, pro ſtatu populari defendendo. Scripſit & Joh. Genelius Sepulveda ſpeciales nonnullas *Diſſertatiunculas*, quæ habentur inter ejus *Opera*, junctim edita. Alberici Gentilis exſtant non paucæ Diſſertationes, *de poteſtate Regis abſoluta, de Vi Civium in Regem ſemper injuſta*; ſed paucula illa ſunt, neque omnia recenſeri poſſunt. 20

Illud, quaſi Corollarium, hic adjiciemus, *ineſſe omnium ſcriptorum generi aliquid Politici*, quod notari poteſt, atque ad uſus noſtros ſeponi, adeo, ut ne *Poëtæ*, quidem & *Fabulatores* ſint prætermittendi. Epici ac Panegyrici Poëtæ, quales Virgilius & Claudianus, cum Heroas ſuos deſcribunt, multa ex Politicis principiis deſumunt. Ac fuit aliquis Jeſuita, qui integro libro, & magno apparatu, *Ethicam & Politicam Virgilianam* propoſuit. Qui quanquam inepte verſetur in hoc Argumento, verum tamen eſt, multum latitare in Æneide Civilis Prudentiæ, atque ſub uno interdum verbo recondi. Non prætereundi etiam hic ſunt *Comici*, qui, cum integrum Vitæ humanæ Theatrum repræſentent, Actionesque tam civiles, quam domeſticas, quilibet videt, magnum eorum eſſe uſum poſſe in Characteribus hominum deſcribendis. Certe *Comœdia ſchola populi eſt*. Hugo Grotius non verebatur in maximis etiam ſuis negotiis Terentii legere fabulas, & rogatus a quopiam, cur id faceret, reſpondit: *Alia in illis legere Pueros, alia Viros*. Fabularum Politicas Interpretationes dedit Franc. Baco Verulamius, Vir profundi ingenii, *in Lib. de Sapientia Veterum*. 21

FINIS LIBRI SECUNDI.

POLY-

POLYHISTORIS
TOMI TERTII,
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI
LIBER III. OECONOMICVS.

§. 1. *Doctrina Oeconomica negligenter tractata. Arcana ejus celantur.* 2. *Scriptores ejus Antiqui, Xenophon, Aristoteles, & Autores Geoponici, Recentiores Lud. Septalius, & pauci alii. Discrimen Oeconomiæ Imperantium (a V. L. Seckendorfio & Georg. Obrechto illustratæ,) ac Privatorum.* 3. *Consilium de Historia Commerciorum scribenda. Scriptores de Commerciis Anglicis ac Belgicis. Ioh. Ioach. Becheri Lib. de Rerump. Incrementis & Decrementis commendatur, uti & Gerh. Niveri ac Ioh. Marquardi de Mercatura Commentarii.* 4. *Fraudes & Adulterationes Mercatorum Oeconomorumque notandæ, Defectusque simul Commerciorum, Regis Galliæ Prudentia Oeconomica. Auri Malleatio, inter Defectus Pecuniæ apud Germanos causas relata præcipuas.* 5. *Oeconomo Physices & Matheseos Studium commendatur. Casp. Barlæi Mercator Sapiens. Censura de Georg. Richteri Axiomatis Oeconomicis.*

1 Politicis subjungimus aliqua de OECONOMICIS. Nam & illa pertinent ad Practicam Philosophiam; estque sane dolendum, adeo jacere hanc partem, & frigide tractari, quæ tamen fundamentum sternit omni Reip. & nervum rerum gerendarum suppeditat. Tradita sunt hujus disciplinæ principia tantum generalissima, specialia nemo diligenter satis detexit. Cum enim secretiora hujus doctrinæ Viris illiteratis magis, quam literatis, cognita sint, illi vero tantum abest, ut publicata hæc velint, ut potius omni studio celent, pauca sunt, quæ de iis in vulgus dimanant. Ac quemadmodum in Politicis arcana quædam Status sunt, ita in Oeconomica, ac in Commerciis, occulta quædam sunt, quæ ab ipsis gentibus nonnunquam summo studio celantur, si sint talia, quæ ad amplificandas Universitatis opes spectant. Privati etiam non facile alios scire patiuntur, e quibus lucrum captare possunt.

2 Ex antiquis itaque nihil, quam *Oeconomicon* Xenophontis, ac duos Aristotelis *libros* habemus, quibus aliqua addidit Leonardus Aretinus, *Commentarios* autem adjecere exiguos Joh. Casus, Jacob. Ludovicus Strebæus, & Jac. Faber. Neque enim memini, ullos esse alios Commentatores hujus doctrinæ, cujus tamen dignitas tanta est, ut ejus Professorem in Academiis constituendum ego quidem arbitrer. Artem Chrematisticam & Creticam jejunis quibusdam libellis Recentiores aliqui tradiderunt,

runt, ſed vix operæ pretium fecerunt. Poterant his addi Geoponici Auctores, Cato, Varro Columella, Palladius, Conſtantinus; ſed iſti tantum partem attigere doctrinæ domeſticæ, quatenus ex agris proventus haberi poſſunt: Deinde rem iſtam potius Phyſice, quam Politice tractant. Inter Recentiores neminem novit Gabriel Naudæus, Vir talium rerum peritiſſimus, *in Bibliographia Politica*, quam Ludov. Septalium, quem *librum de re familiari* ſcripſiſſe ait, in quo omnia minute & diligenter perſecutus ſit, quem ego hactenus non vidi. Addidit alterum, Hieron. Cardanum in *Proxeneta* & in *libro de utilitate ex adverſis capienda:* ſed iſta tantum pauca ſunt, & quædam ſpecialia. Si quis omnem illam artem Oeconomicam omnibus numeris abſolutam tradere velit, primum omnes Reipubl. Status ſub examen vocare debet, ac modos oſtendere, quibus divitiæ domeſticæ poſſint conſervari & augeri. Nam conſervatio domeſticarum opum per prudentem adminiſtrationem, fundamentum eſt omnis artis Oeconomicæ & Chrematiſticæ. Ejus aliquam partem attigere Vitus Ludov. a Seckendorff, im Teutſchen Fürſten-Staat, & Georg. Obrechtus in *ſecretis ſuis Politicis.* Sed hæc potius ad Oeconomiam Principum & Status pertinent, cujus alia ratio ineunda eſt, quam privatorum, quanquam & hæc illis ſubveniat, illique defraudentur ſæpe, ſi ærarium omnia ad ſe rapiat. Potior illa ars erit, quæ privatorum Oeconomiam emendare docet. Nam ærarii augendi artes ſatis per ſe notæ ſunt, nec poteſt illud laborare, ſi divites ſunt cives.

3 Quoad *reditus Provinciarum* in genere conſideratos, omnia debent, circumſpici, ſitus loci, cœli Clima, maria, terræ fertilitas, artificum peritia & copia. Deberet Hiſtoria, tam generalis, quam ſpecialis, omnium commerciorum, diligenter conſignari. In generali notandi eſſent ortus, progreſſus, & interitus Commerciorum, migrationes item & fata. In ſpeciali Hiſtoria ſingularum mercium, variis in regionibus provenientium, notitia conſignari deberet. Ac eſſent quidam libri Collectanei faciendi, in quibus colligenda omnia, tum ex Itinerariis noviſſimis, in quibus nonnunquam multa hujus artis produntur, tum ex relationibus, vel publicis, vel ſecretis, unde proſpicere quis poſſit, quid in rem ſuam vertere queat. Denique omnia Commerciorum genera curioſius perveſtigari debent, quæ ſcil. ex Commerciis rerum naturalium vel artificialium commoda, vel integræ alicui nationi, vel privatis, exſpectanda, quid conferant in Rempublicam Societates, ſi inſtituantur, quarum commoda nunc aliæ etiam, præter Batavos, gentes perſentiſcunt, Galli inprimis, qui novas Societates erexerunt; de quarum Inſtitutione ſingularis *Diſſertatio* Germanica lingua prodiit, a Joh. Chriſtoph. Wagenſeilio ſcripta. Suadet Baco Verulamius populo alicui, ad opes parandas, ut ſolers ſit in inveniendis novis pannorum generibus variorum colorum, variæque texturæ; quod egregie nunc norunt Galli & Belgæ, quibus magnæ inde parantur divitiæ. Eorum, qui Hiſtoriam ſpecialem Commerciorum gentis alicujus ſcripſerunt, neminem novi. Anglica lingua quidem ſcriptus eſt liber, cui titulus: *Englands Treaſure*, in quo pauca quædam habentur de Anglorum Commerciis. Belgæ admodum celant artes

ſuas, præter illas, quas celare non poſſunt. Non pauca commerciorum Belgicorum ſecreta publicavit Anonymus in Lib. Belgice ſcripto, & poſt in L. Germ. converſo, cui Tit. Anweiſung der Heilſamen Politiſchen Gründe und Maximen der Republique in Holland, (A. 1671. in 8.) A Primate quodam Status Belgici ſcriptus eſſe perhibetur, &, cum imprimeretur, publico edicto vendi prohibitus, quod quædam publicaret non publicanda. Conſulendus & de illis eſt Leo ab Aizema, cujus vaſtiſſimi libri de *negotiis hujus Reipublicæ civilibus* prodierunt. Multa illic traduntur de Commerciis illorum, deque artibus, quas non diſſimulant, quibus ad ſe pertraxerunt ceterarum nationum commercia. Martinus quoque Schookius, in *Belgio ſuo fœderato*, hoc argumentum tangit, & multa diligentia plurima minuta perſequitur. Scripſit & Germanica lingua Joh. Joachimus Beccherus Diſcurſum Politicum, von den eigentlichen Urſachen des Auf- und Abnehmens der Städte, Länder und Republiquen, in ſpecie, wie ein Land volckreich und nahrhafftig zu machen, und in eine rechte Societatem civilem zu bringen, qui prodiit Francof. A. 1673. in 8. Multa continentur in libro illo, tum de Commerciis in genere, tum in ſpecie de quibusdam Commerciorum generibus, neque hactenus ullus fuit, qui pleniora aliqua de hoc argumento ſcripſerit. Molitur libri hujus partem alteram, qua varia conſilia proponit locupletandi ærarii & Commerciorum augendorum; ſed premit hactenus librum illum, præmium aliquod a Magnatibus laboris ſui ſperans. Sunt præterea Gerhardi Niveri *libri duo de utilitate mercaturæ*, cum Epiſtolis intermiſtis eo ſpectantibus. Utile quoque hic eſſe poteſt Joh. Marquardi *Opus de jure mercaturæ*, præcipue *pars ejus ſecunda*, qua continentur Acta, Inſtrumenta, Privilegia, Imperatorum, Regum & Principum, quæ ad publica commercia, inter gentes agitata, ſpectant.

4 Utile quoque eſſet notatas habere, quæ a Mercatoribus ſolent adhiberi, mercium adulterationes, quarum integram Hiſtoriam pertexere quis poſſet, ſi diligenter inquirat. De Fraudibus Præfectorum & Oeconomorum (quas ipſi non facile produnt) conſuli poteſt Joh. Wilh. Wundſchii *Memoriale Oeconomicum*, Germanice editum, von den Ambtſchreibern, in quo non pauca habentur de illorum officio & artibus, tam licitis, quam illicitis. Utinam & haberemus publica auctoritate conſtitutos Cenſores, qui in unoquoque Regno talia ſub examen vocent, qui defectus notent Reipubl., unde fiat, quod opes diſſipentur, vel ad alias gentes deriventur commercia. Huic fini conſtituti ſunt a nonnullis Statibus Commerciorum Conſiliarii. Omnes vero nunc ſuperat Galliæ Rex, qui immenſas opes, ex prudenti adminiſtratione Regni ſui, & ex prudentia Oeconomica, colligit. Publicavit aliquis Anglica lingua librum, quo demonſtrare voluit, Rempubl., Religionem, Commercia, extrema agere, atque iisdem ſubjecta eſſe periculis, An. 1671. in 8vo Londini. Ante aliquot annos nonnemo ſingulari quodam libro in Comitiis Ratisbonenſibus exhibito detegere voluit cauſas defectus pecuniæ in Germania, atque inter illas hanc tanquam præcipuam affert, quod auri malleatores tantum quotannis abſumant, cujus nullus

lus eſſet fructus, & incredibilem pecuniæ vim ſervari poſſe oſtendit, ſi iſta auri malleatio prohibeatur.

Summum erit hoc in Republ. arcanum, ut cives ſint, quantum fieri poteſt, rerum naturalium ſcientes, ac Matheſin Mechanicamque non perfunctorie tractarint. Ex iis, velut duobus quibusdam fontibus, omnes reditus, omnesque artes, opes congerendi, profluunt. Quod fuſius proſequi noſtri non eſt inſtituti. Videatur Caſp. Barlæi elegans Oratio: *Mercator ſapiens*, qua illud rhema prolixe, additis Exemplis & rationibus, deducit. Sunt etiam Auctores, qui *Axiomata Oeconomica* collegerunt, ut Georg. Richterus, quique de *arte diteſcendi* ſcripſerunt; ſed parum ab iis quidem exſpectes. Facile enim eſt, generales quasdam ſententias colligere. 5

FINIS LIBRI TERTII.

* *

POLYHISTORIS
TOMI TERTII
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER IV. HISTORICVS.

DE HISTORIÆ SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Autoris Prælectiones de Scriptoribus Hiſtoricis ineditæ. Alii illorum Nomenclatores. Gallorum in Hiſtoricos Veteres, Patresque, merita.* 2. *Autores, qui de Hiſtoricis ſcripſere, pottores, Degoreus Wheat, Paulus Bolduanus, ac complures alii, deque his, ac Lexicographis Hiſtoricis, Car. Stephano & Joh. Jac. Hoffmanno, judicia.* 3. *Scriptores Artis Hiſtoricæ, G. J. Voſſius, Aug. Maſcardus, Franc. Balduinus, Rein. Reineccius, Joh. Bodinus, Frid. Tilemannus, J. H. Bæclerus, &c. C. Scioppius de Stylo Hiſtorico.*

ſtorico. 4. *Judicia de Compendiis Hiſtoricis Joh. Cluveri, J. Micrælii, Chriſtoph. Heidmanni, M. Z. Boxhornii, Jani Gruteri, Joh. Sleidani, &c.* 5. *Chronologorum Diſſenſus. Opera Chronologica Joſ. Scaligeri, Dion. Petavii, Sethi Calviſii, &c. Compendia Chr. Helvici, J. Henr. Alſtedii & Æg. Strauchii. Chr. Ad. Ruperti Obſervat. ad Chr. Beſoldi Synopſin Hiſtoricam commendantur.* 6. *Chronicorum ævi medii ſive ſequioris, Monaſticorum Nævi ac Utilitates. Verſatiſſimi in illis fuere Herm. Conringius & Pet. Caſanova.* 7. *Chronica Regionum & Urbium Particularia, e quibus Spirenſe Chriſtoph. Lehmanni inprimis commendatur. Chronica privatorum Manuſcripta publicis interdum præferenda. Joh. Barclaji Hiſtoria Europæ affecta.* 8. *Vitarum Scriptores. Ant. du Verdier Proſopographia.* 9. *Hiſtoriæ de Argumentis Specialibus Politicæ. Hiſtoria Commerciorum a J. H. Bæclero deſiderata. Ad. Tribbechovii circa illam, R. H. Schelii & Cl. Salmaſii circa Militarem, Th. Rivii, J. Scheſſeri & J. H. Bæcleri, circa Navalem, Conatus & Labores.* 10. *Scriptores Genealogici, e quibus Hier. Hemingius, & Hiſtorici de Familiis Illuſtribus Nobilibusque, e quibus Tob. Pſamerus præcipue commendatur.* 11. *Conſilium de Locis Communibus & Excerptis Hiſtoricis. Judicium de Chronologia J. H. Alſtedii.* 12. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Univerſalis Scriptores, Centuriatores Magdeburgenſes, & Cæſ. Baronius, eorum Compilator. Baronii Continuatores, Epitomatores, Adverſarii (Iſ. Caſaubonus, Dav. Blondellus, &c.) & Hyperaſpiſtæ. Iſ. Caſauboni Lib. de Libertate Eccleſiaſtica editus, cur imperfectus?* 13. *Compendia Hiſt. Eccl. præſtantiora, Gothanum V. L. Seckendorfii, Frid. Spanhemii Jun. (cujus etiam introductio ad Geographiam Sacram, & Aub. Miræi Lib. de Statu Orbis Chriſtiani, commendantur,) & Ant. de Godeau. Alex. Taſſoni Opus ineditum contra Baronium. J. H. Hottingeri Hiſt. Eccleſiaſtica.* 14. *Hiſtoria Eccleſiaſtica Sec. XVI. & XVII. recentior nondum ſatis exculta. Judicium de Scriptis Ludov. Maimburgii. Epiſtolæ Theologorum a J. H. Hottingero collectæ.* 15. *Chriſtoph. Sandii Nucleus & Syſtema Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Arianiſmum ſapiunt. Jac. Ben. Boſſueti Diſcurſus in Hiſtoriam Univerſalem.* 16. *Lexicographi Eccleſiaſtici, Joh. Lud. de la Cerda, Car. du Freſne, Joſua Arndius, Domin. Macer, J. Caſp. Suicerus.* 17. *Scriptores Patrologici. Cenſura de Phil. Labbeo.* 18. *Scriptores de Epiſcopis, Sanctis, Martyribus, Ordinibus Monaſticis, Hæreticis, Conciliis, aliisque Argumentis Specialioribus vel Miſcellaneis, de quibus Joh. Andr. Boſii Schediaſma de Notitia Scriptorum Eccleſiaſticorum jubetur conſuli.*

1 Magnus hic ſe nobis aperit differendi campus, nam vel integri Voluminis res eſſet, ſi, quæ huc pertinent, complecti recenſendo velimus. Habuimus olim Lectiones publicas *de Hiſtoriæ Scriptoribus, ejusque varietate*; quas hic recoquere animus non eſt. Hic paucula tantum delibabimus, ad utramque HISTORIAM, tam CIVILEM, quam ECCLESIASTICAM, ſpectantia, & quidem libros compendiarios, nam ipſos Hiſtoricos ut curioſius perſequamur, ſupervacanea opera eſt, cum jamdudum in hoc argumento verſati ſint G. J. Voſſius, in Opere

de

de Scriptoribus Hiſtoricis, a) & qui ſupplementa in illum ſcripſere, Joh. Hallervordius, Bernh. a Mallincrot, ac Chriſtophorus Sandius; In Eccleſiaſticis vero Rob. Bellarminus, ejusque novus Editor, cum inſignibus Auctariis, Phil. Labbeus. Quibus ſpicilegia forte non pauca addi poſſent per ſingulos Auctores, prout vel dies diem docet, vel Auctores novi Editionibus antiquis emendandis operam ſuam

a) Gerh. Joh. Voſſii *Libri IV. de Hiſtoricis Græcis* Lugd. Bat. A. 1623. in 4to, *Libri III. de Hiſtoricis Latinis* ibidem A. 1627. in 4to, prima vice prodierunt. Utrumque deinde Opus in iſto argumento hactenus incomparabile, longe & emendatius, & auctius, ac poſterius quidem tantùm non dimidia parte locupletatum, ibidem A. 1651. in 4to lucem denuo adſpexit, Francof. A. 1677. in 4to (ſed admodum mendoſe) recuſum, ac nuper tandem *Tomo Operum* Autoris ſui *Omnium Quarto*, Amſtelod. A. 1699. in fol. excuſo, inſertum. *Paralipomenon ad Libros de Hiſtoricis Græcis Centurias V. Diſcurſui* ſuo *de Summo Bono* ſubjunxit, & Coloniæ A. 1656. in 4to edidit, Bernh. a Mallincrot, Decanus Monaſterienſis, perperam a Theod. Janſonio (*in Bibliotb. promiſſa p. 30.*) inter Ἀνέκδοτα relatas. Plurima tamen ex hisce in altera Operis Voſſiani Editione, A. 1651. ab Iſaaco Filio curata, itidem comparuerunt, ignaro Mallincrotio, qui priori tantum uſus fuerat, uti a Morhofio T. I. Polyhiſt. L. 1. c. 18. §. 60. jam eſt obſervatum. *Annotationes ad Hiſtoricos Græcos a Voſſio recenſitos, a Paralipomenis* hisce diverſas, quas prælo ſe jam ante Biennium paratas habuiſſe, *ſub finem Paralip.* ſignificat, nondum prodierunt, & forſitan intercidérunt. Quale fatum iniquius, vereor, ne Orbi Literato, jactura irreparabili, itidem ſubduxerit Thomæ Reinelii *Supplementum eorundem Voſſii de Hiſtoricis Græcis Librorum*, ſeu integrum potius in iſtos *Commentarium*, in quo ſe *omiſſa ſuppleviſſe*, ἀγνοήματα *indicaſſe*, *& cuivis ætatem, qua liceret, ſuam aſſignaſſe*, ipſemet, *Ep. 15. & 16. ad Caſp. Hofmannum p. 33. 34.* eſt teſtatus. Nam & iſtud ad finem ab Autore eſſe perductum, & prælum jam provocaſſe (licet Celeb. Tenzelius *in Dial. A. 1692. Menſtr. M. Jul. p. 608.* in dubium hoc vocet,) A. 1657. ipſemet *Ep. 21. ad Joh. Vorſtium* (in Belgio excudi illud curaturum eſſe Gronovium, addente,) A. 1656. Joh. Andr. Bolius, *Ep. 90. ad Reineſium*, *p. 347.* imo A. jam 1649. Joh. Chriſt. Baro a Boyneburg, *Ep. 20. ad Joh. Conr. Dietericum p. 92.* ſignificarunt. Ad *Latinos* Voſſii *Hiſtoricos* eundem Supplementum itidem paraſſe, Boyneburgius (ad Reinelii provocans Epiſtolam) *l. c.* & Henn. Wittenius *Dec. VIII. Memor. Philoſ. p. 468.* teſtantur. Pari inſtituto Ludov. etiam Jacobus a S. Carolo, Cabilonenſis, Carmelita Gallus *Paralipomena* ad Voſſii *Hiſtoricos Græcos* pariter atque *Latinos* affecta, & tantum non prælo parata, habuit. Vid. Labbei *Bibliotb. Bibliotbecarum, p. m. 249. 254.* & Cl. Sarravii (a Morhofio *l. c.* allegati) *Epiſtolas p. 267.* In ſolos *de Hiſtoricis Latinis Libros* Joh. Hallervordius, Regiomontanus, *Spicilegium* dedit, *majori Supplementorum Operi præmiſſum*, Jenæ A. 1672. in 8vo Chriſtoph. Sandius autem, Neo-Arianorum Promachus, itidem Regiomontanus, *Notas & Animadverſiones*, Amſtelod. A. 1677. in 12. excuſas. Continuationis illarum, ſive *Auctarii* in Libros Voſſianos, Partis Secundæ inſtar, iis adjiciendi, quod *in Præf.* pollicitus eſt, Fragmentum ſolum inter Schedas defuncti comparuit. Vid. *Bibliotb.* ejus *Anti-Trinitariorum poſthumam p. 172.* Henr. Meibomii Jun. in Errores Voſſianos Animadverſiones, quarum ipſe, *in Addit. ad Val. Henr. Vogleri Introd. in Notit. Bon. Aut. p. 184.* ſpem injecit, a Filio patriſſante, Herm. Diet. Meibomio, Orbis Literatus, ut jacturam Sandiani Laboris ſoletur, cupide efflagitat. Balth. Bonifacii, Rhodigini, Epiſc. Tarviſini, *de XL. Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, ab U. C. ad Car. M. ætatem, e Bodino, Voſſio, aliisque, Excerpta* (quæ, ſibi licet non viſa, Voſſius, *L. 3. de Hiſt. Lat. p. 805. Edit. Sec.* inſigni dignatus eſt Elogio,) una cum Car. Sigonii de iisdem *Judicio*, & Andr. Politi *Ordine Hiſtoriæ Romanæ legendæ*, Venetiis A. 1627. in 4to ſunt edita, a Joh. Eberh. Busmanno Helmſtadii A. 1674. in 4to denuo recenſita, & a Gaudentio quoque Roberto *Tom. III. Miſcellaneorum Italicorum*, Parmæ A. 1692. in 4to excuſo, inſerta.

impendunt. Succeſſu enim temporum perfectiſſimæ procurantur Editiones, & nunquam edita e Manuſcriptis in vitam quaſi revocantur. Olim quidem Germani, nunc vero Galli, & aliqua ex parte etiam Britanni, in Hiſtoricis ac Patribus emendandis, nec ſumptui parcunt, nec labori. Quot non prodierunt in Gallia magnifica Patrum & Hiſtoricorum Opera? Habemus *Hiſtoriæ Byzantinæ Corpus*, Auguſtum plane & Regium. Habemus in Collectionibus Conciliorum, ceterarumque antiquitatum Eccleſiaſticarum Herculeos labores, & profecto eam ob cauſam Gallis univerſus literatus Orbis obſtrictus eſt, quod fontes ſapientiæ & Hiſtoriæ, tam divinæ, quam humanæ, recludere laborent, eosque, quoad ejus fieri poteſt, ſinceros nobis ſuppeditent.

2 Veniamus primum ad HISTORIAM CIVILEM, cujus Scriptores qua Methodo legendi, quove ordine, a pluribus dictum eſt. Mihi non diſplicet exiguus libellus Degorei Whear, Angli, qui *Relectiones Hyemales*, ut vocat, ſcripſit, *de Ratione & Methodo legendi Hiſtoriam Civilem & Eccleſiaſticam.* Scripſit & Thom. Dempſterus accurata de unoquoque ætatis cujusvis Hiſtorico judicia, teſte Erythræo, in ejus Vita, *Pinac. I. p. 26.* Scripſit & Carolus Sigonius de *Romanis Hiſtoricis Judicium*, ac Franc. Mottæus Vayerus in libro Gallico de *Veteribus ac præcipuis Hiſtoricis, Græcis & Latinis*, agit. Exſtant etiam Balth. Bonifacii *de Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, ab U. C. ad Caroli M. ætatem, Excerpta* e Bodino, Voſſio, ac aliis. Mart. Zeileri *Catalogus Hiſtoricorum* totus pene e Voſſio eſt exſcriptus. Promiſerat quoque Lud. Jacobus a S. Carolo *Paralipomena* quædam *ad Voſſium de Hiſtoricis Græcis & Latinis*, teſte Labbeo *in Biblioth. pag. 118.* quæ equidem edita eſſe non credo. Præ ceteris commendanda eſt Pauli Bolduani *Bibliotheca Hiſtorica*, ſane locupletiſſima, in qua Hiſtoricos & Geographos, tam univerſales, quam particulares, Vitarum item & Genealogiarum Scriptores, ea recenſet Methodo, ut vix accuratior Catalogus dari poſſit. Addi huic poteſt *Catalogus Bibliothecæ Cordeſianæ*, a Gabr. Naudæo editus, in quo ſelecti comparent Hiſtorici. Sunt & alii quidam de hoc argumento minuti Auctores, quibus non eſt opus immorari. Ad generales Hiſtoriarum Scriptores referendi etiam Lexicographi Hiſtorici, quos quidem hic deſideramus. Omnia enim ſunt imperfecta & manca. Quod Carolus Stephanus *Dictionarium* ſcripſit, tempore omnibus quidem prius eſt, ſed ne nunc quidem, ut a Nicol. Loydo interpolatum eſt & auctum, omnibus numeris eſt abſolutum. Idem eſto Judicium de J. Jac. Hoffmanno, quanquam is *Lexico* ſuo, tanquam Voragine quadam, omnia abſorpſerit Geographica, Poëtica, Hiſtorica, Genealogica. Utinam prodirent *Thom.* Reineſii in *Carolum Stephanum* labores, accuratior fortaſſis tunc illa cura eſſet. *b)*

Ad

b) Inter Lexica Hiſtorica Morhofius, ſi ſuperſtiti illa inſpicere licuiſſet, non omiſiſſet mentionem *Dictionarii Magni Hiſtorici* Ludov. Morerii, poſt tot Editiones alias, a Joh. Clerico a numeroſis repurgati erroribus, plurimisque Articulis & Obſervationibus novis locupletati, ac Ultrajecti A. 1691. *in fol. IV. Tomis* publicati. Cujus præ noviſſima Editione Pa-

Ad ARTEM HISTORICAM pertinet *Gerh. Ioh. Voſſii* liber hujus argumenti, 3
qui Lugd. Bat. prodiit 1653. in 4to. *Iacobus Mazonius* quoque ſingulari libro de hoc argumento egit. Omnium vero diligentiſſime & maxima cum cura Auguſtinus Maſcardus, in Libro Italice ſcripto, *dell arte Hiſtorica*, Venetiis edito A. 1655. in 12. Erat vero ille Urbani VIII. Cubicularius, Poëta, Oratorque præſtantiſſimus. *Appendicem* ad illam artem Hiſtoricam Maſcardi ſcripſit Paulus Pirani da Peſaro, in 4to editam, Venet. A. 1646. Non contemnenda etiam eſt Franc. Balduini JCti *Inſtitutio Hiſtorica*, in 12. edita, ubi illa præcipue tanguntur, quæ ſunt Juridici argumenti. Addantur his Joh. Jov. Pontani *Dialogus de Hiſtoria*, Franciſcus Robortellus *de Hiſtorica Facultate*, Florent. in 8. 1548. Ant. Riccoboni *de Hiſtoria Commentarius*, Venet. 1568. in 8vo. & Paulus Benius, Eugubinus, qui *de Hiſtoria librum* ſcripſit, editum Venet. 1622. in folio. Elegans eſt Reineri Reineccii liber, cui tit. *Methodus legendi Hiſtoriam ſacram & profanam*, editus in folio, Helmſtadii A. 1583. Ejus editio ſecunda prodiit in 4to ibid. anno 1660. Erat Vir ille in ſtudiis verſatiliſſimus, magnique ſuo tempore nominis. Joh. Bodinum pene omiſeram, qui primo loco poni debebat. Ejus *Methodus Hiſtoriarum*, & ſeorſim, & cum aliis, edita eſt: ſeorſim Argent. A. 1627. & multis in locis aliis, in 12. cum ceteris vero ejusdem argumenti Scriptoribus, Franc. Patricio, J. Jov. Pontano, Huberto Folieta, Franc. Balduino, Joh. Ant. Viperano, Dav. Chytræo, Cælio Secundo Curione, Simone Grynæo, aliquot Tomis, in 8vo. Baſileæ editis, & ob argumenti conformitatem junctis, prodiit. Neque omnino contemnendus Frid. Tilemanni *Diſcurſus Philologicus de Hiſtoricorum delectu*, Wittebergæ A. 1597. in 8vo editus, qui Bodini tamen in plerisque legit veſtigia. Ad Generales Scriptores quoque referendus omnino eſt ante nobis laudatus Joh. Henr. Bœclerus *de Utilitate ex Hiſtoriæ Univerſalis Scriptoribus capienda*. Quod Stylum Hiſtocum attinet, legenda eſt Diſſertatio Caſp. Scioppii *de ſtylo Hiſtorico*, quæ jungitur ejus *Infamiæ Famiani*.

HISTORIÆ UNIVERSALIS multa circumferuntur Compendia, de quibus non eſt ut 4
multum ſolliciti ſimus. Joh. Cluveri, qui ipſis Hiſtoricorum Verbis, quaſi per Centonem concinnatis, omnia proponit, *Epitomen Hiſtoriæ* ego ceteris prætulerim, quanquam

riſienſi Anni 1699. totidem Tomis conſtante, & ab Advocato quodam Pariſienſi (Gauterio, ni fallor) curata Prærogativas ipſe Clericus, in Pariſinæ (multa ſuæ debentis) Cenſura, Jac. Bernhardi *Novellis Reip. Lit. M. Febr. A. 1700. Art. 7.* inſerta, abunde oſtendit. Sed nec oblitus eſſet Noſter *Dictionarii Hiſtorico-Critici* accuratiſſimi, quod Polyhiſtor Κριτικώτατος. Pet. Bælius, poſt σκιαγραφίαν ejus ac Specimina, A. 1692. in 4to præmiſſa, *Tomi II. in fol.* Roterodami A. 1696. &, in Editione ſecunda, emendatiore pariter atque locupletiore, Tertii accetſione auctum, ibidem A. 1702. ingenti cum Eruditorum applauſu, edidit. Utroque, & Moreriano & Bæliano, Gallico ſermone exaratis, haud interius futurum ſperamus, & majori præterea Rerum Germanicarum atque Arctoarum copia noſtratibus ſe commendaturum, Germanicum iſtud, cui Joh. Franc. Buddeus, Profeſſor Acad. Hallenſis πολυμαθέστατος, ab aliquot iam annis, ſedulo inſudat.

quam & alii habeant, quo ſint commendandi. c) Nam Joh. Micrælii *Lexicon*, quod vocat *Hiſtoricum*, elegans eſt, & multa in iſta brevitate complectitur, modo corrigantur errores, qui in illo habentur, Chronologici & Genealogici. Chriſtoph. Heidmanni *Epitome Hiſtorica*, quousque pervenit, diligenter ex Hiſtoriis omnia recenſet. Marci Zuerii Boxhornii, quæ vocatur *Chronologia*, non tam Chronologiæ nomen meretur, quam Hiſtoriæ Civilis & Eccleſiaſticæ quidem index eſt, ad temporum qualemcunque terminum alligatus. Non enim accuratus in Chronologicis eſt, admodum præterea imperfectus. Optimum ſane eſt rerum Civilium compendium, nam pleraque hiſtoriæ capita, & quæ dependent ex mutationibus Politicis momenta, attingit. Exſtat & Joh. Gualterii *Chronicon Chronicorum*, aliquot *Tomis in 8.* adornatum, cujus Autor perhibetur eſſe Janus Gruterus, qui nomen ſuum diſſimulavit, quod multa in illo Chronico poneret, non usque adeo ſecure ponenda. *Joh. Sleidanus*, ejusque continuatores, Æg. Strauchius & Conr. Sam. Schurtzfleiſchius, exigui compendii loco eſſe poſſunt, ſed poſteriorum illorum labor accuratior eſt, quam ipſius Sleidani.

5 Hiſtoria ſecundum temporum Calculum inſtituta, CHRONOLOGIA dicitur, in qua tot pene diverſæ ſunt ſententiæ, quot capita. Deſperatus hactenus labor fuit Conciliatio Chronologorum, vehementer enim a ſe ipſis diſſident. Joſ. Scaligerum habemus, qui Herculeo plane conatu, auſus eſt *emendare tempora*, ſed habuit multos in hoc negotio adverſarios, quorum doctiſſimus eſt Jeſuita, Dion. Petavius, cujus exſtat *Doctrina temporum, in folio, Tomis duobus* concinnata, qua fundamenta ſua Chronologica, Scaligerianis Hypotheſibus adverſa, proponit. Non defuerunt etiam alii, ſed minorum gentium Adverſarii, qui paſſim inſultarunt Scaligero. Nactus tamen ille eſt rationum ſuarum propugnatorem, *Sethum Calviſium*, qui ſuper Eclipſium fundamento, conſilio propemodum divino, ex Aſtronomia, per Scaligerum

c) Joh. Cluveri noſtratis, Theologi pariter atque Hiſtorici eximii, *Epitomæ* merito locum inter Compendia Hiſtorica principem Morhofius vindicavit, Judicio hoc ſuo ὁμόψηφος J. C. Danhauero, J. H. Hottingero, Joh. Hornbeckio, Gisb. Voëtio, Chr. Ad. Ruperto, V. L. Seckendorfio, Henr. Ernſtio, Ioh. Henr. Urſino, Balth. Bebelio, J. Conr. Durrio, Chr. Schradero, J. Andr. Boſio, Abr. Calovio, Ioach. Paſtorio, Sam. Rachelio, Theoph. Spizelio, aliisque Viris celeberrimis, diligentiam ejus, accurationem, fidem, ἀπάθειαν, Styli nervoſi elegantiam, aliasque dotes egregias, certatim deprædicantibus, quorum Iudicia in *Cimbria* exhibebuntur *Literata*. Non digni igitur ſunt, quos moremur, duo inter Rhapſodos modernos Hiſtoricos Centores muſtei, quorum alter niniam in illa notat brevitatem; alter vero, Ioh. Ionſtoni *Hiſtoriam Univerſalem*, ac *Polybiſtorem*, a ſe, ſi Bibliopolam ſumptuum prodigum offendat, continuandum, illi præterens, neſcio quam ἀταξίαν, imperfectionem, Politicesque imperitiam, deprehendiſſe ſibi videtur. Cui hoc Ionſtoni ipſius de Scripto Cluveriano judicium eſt inculcandum, *in Tr. de Naturæ Conſtantia p. 74. 75.* obvium: *Si de Univerſali Hiſtoria loquamur, deduxit eam egregie Joh. Cluverus, Prof. Soranus. Vincere tamen in quibusdam videtur Clariſſ. Conr. Grajerus, Præceptor noſter obſervandus. Qui iſtos duos, ut aequam Pollucem & Caſtorem, conjunxerit, ei ſecuritatem in turbido alias Hiſtoriarum Oceano auſim ſpondere.*

rum ſuggeſto, *Chronologicum Opus* exſtruxit, quod Scaliger ſummis in cœlum effert laudibus. Succeſſerunt ſequentibus temporibus plurimi alii, qui novas miſcuerunt cum Scaligerianis Hypotheſes. Quidam plane in diverſas partes abiere, ut Jac. Gordonus, Rob. Boylius, Thom. Lydiat, aliique. Aliqui myſticas temporum rationes e ſacris eruere laborarunt, uti fecit Joh. Jac. Heinlinus, nec non Hieron. Vecchiettus, in vaſtiſſimo & ſumtuoſiſſimo *Chronologiæ* ſuæ Opere, de quo ille multa mira magnaque promittit. De illo judicium vide Erythræi, *Pinac. I. p. 114.* Sed immorari his non eſt opus, quos ſomniis ſuis, doctiorumque ludibriis, relinquimus. Vid. de Scriptoribus Chronologicis Voſſius *in lib. de Hiſtor.* & *Mathematicis;* nam hæc doctrina tam ad hos, quam ad alios, pertinet. Uſui accommodatiſſimum eſt Chriſtoph. Helvici *Theatrum*, qui Scaligeri & Calviſii calculum ſequitur. J. Henr. Alſtedii *Chronologia*, quanquam eleganti methodo adornata, ut Locorum Communium Chronol. inſtar eſſe poſſit, multa habet in tempore errata. Ceterum & Æg. Strauchius *Breviarium Chronologicum* ſcripſit, in quo proponuntur variæ quæſtiones de argumentis Chronologicis. Omiſi inter Hiſtoriæ Generalis Compendiarios Scriptores Chriſtoph. Ad Rupertum, cujus exſtant *Obſervationes in Synopſin Hiſtoricam Chriſtoph. Beſoldi,* elegans Opus, in quo invenias nonnunquam reconditiores ad Hiſtoriam notas.

Vocantur & CHRONICA, quæ certorum temporum, & certarum Regionum 6
aut Urbium, Hiſtoriam tractant, ad perpetuam temporum ſeriem alligatam. Multa illorum habemus in Hiſtoria mediæ ætatis, Monachis plerumque ſcripta, ſtylo quidem inculto & barbaro, ac mirificis præterea fabulis referta; quorum tamen cognitio non eſt ſpernenda. Ex hoc enim ſterquilinio eruenda altis immerſa tenebris veritas, ac fuerunt noſtro tempore Viri, qui maximum ſibi nomen illorum cognitione pepererunt, & ad hiſtoriam illius temporis illuſtrandam feliciſſime iis uſi ſunt. Multa paſſim in cœnobiis talium Manuſcriptorum Chronicorum latent, e quibus ingens Volumen, Gallicam continens Hiſtoriam, concinnavit Phil. Labbeus, ac Pariſiis edidit in folio. Eorum nomina & ſcripta apud Voſſium, ejusque Suppletores, videre licet. Hoc tempore, in Academia Julia, multa illorum Scriptorum publicarunt, tum Henr. Meibomius, tum Herm. Conringius ac Joh. Joach. Maderus. Et Conringius quidem ex illis magnam juris publici, tam Germanici, quam aliarum gentium, hauſit notitiam. Fuit & ſingulari iſtius Hiſtoriæ Mediæ notitia præditus Petrus Caſanova, Gallicus Scriptor, de quo Medonius hæc habet in vita ejus: *Quod ea ſagacitate illam perſcrutatus ſit, ut nihil eorum temporum adeo tenebris obductum fuerit, quod non illuſtrarit, inque illum ordinem omnia redegerit, ut luculento aliquo Opere, ſed perfecto, omne ejus Hiſtoriæ latifundium exhaurire voluerit.* Sed Fata interceſſerunt tam præclaro operi, & nobis illud inviderunt. Ceterum & illorum temporum Chronica, aliaque Opera Chronologica, non levi cura enarrantur *in Bibliotheca Thuana, p. 265. 266. & ſeq.*

VARIARUM GENTIUM HISTORICOS, qui & ſtatum Rerumpubl. & res geſtas de- 7
ſcri-

ſcribunt, diligenter recenſet Conringius *in Collegio Manuſcripto Rerumpubl.* Debent & notari Hiſtoriæ CERTARUM URBIUM, quæ vernaculis linguis ſcriptæ ſunt; Et in Germanica quidem lingua tam amplum earum habemus numerum, ut vel integram ex iis Bibliothecam exſtruere poſſimus. Nec facile credat aliquis, quam ſint illi Auctores ad juris publici cognitionem utiles. Unum illud Chriſtoph. Lehmanni *Spirenſe Chronicon*, magna diligentia conſcriptum, quid non habet rerum, ad ſtatum Germaniæ perdiſcendum, utilium? Solent & latitare paſſim in Archivis, Scríniisque publicis, vel in privatorum Bibliothecis Chronica, a privatis conſcripta, quæ fidem interdum merentur præ publicis; Solet enim veritas magis nuda in illis proponi. Nam quæ illo fine ſcribuntur, ut edantur, multa diſſimulare neceſſe habent. Si quis populorum urbiumque Hiſtoricos, ordinate collectos velit, & ſecundum ſeriem locorum, is utatur Bolduani *Bibliotheca Hiſtorica*, & illa, quam ſupra laudavimus, *Bibliotheca Thuana*, ubi, ſecundum regiones & urbes, Auctores diſponuntur. *Hiſtoriam Europæ* totius Italica lingua orſus erat Joh. Barclajus, qui tamen illud Opus non complevit. Manuſcriptus ille liber adhuc hodie ſupereſt, teſte Craſſo, in ejus Vita, *P. I. p. 205.*

8 Ad Hiſtoricos Scriptores pertinent etiam BIOGRAPHI, ſive Proſopographi, qui ſcripſerunt Illuſtrium Virorum Vitas vel univerſales, vel particulares. Univerſales voco, qui multorum Vitas ſcripſerunt, particulares, qui Viri unius Hiſtoriam ſcribunt. Gallica lingua ſcripſit Ant. du Verdier tria Volumina in folio, ſub tit. *Proſopographiæ Univerſalis*, in qua ſtricte Vitas & res geſtas, qua Veterum, qua Recentiorum Virorum Illuſtrium deſcribit. De ceteris Vitarum Scriptoribus in ſuperioribus, (*Tomi ſc. I. Lib. I. cap. 19.*) multa monuimus, quæ hic non repetemus.

9 Extendit ſe Hiſtoria non tantum ad civiles actiones, aut bellicas, ſed & ad res omnes. Sed poſterior acceptio nimis lata eſt, neque ad nos ſpectat. Hiſtoria enim literaria ac naturalis huc non pertinet. Sola rerum civilium Hiſtoria hujus argumenti eſt. Sed magis ad Politicam ipſam ſpectat Hiſtoria PARTIUM ad REMPUBL. PERTINENTIUM, ut ſi quis Hiſtoriam militiæ navalis, commerciorum, bellorum, &c. ſcripſerit: Ii Autores mirifice juvant rem Hiſtoricam. Niſi enim ob uſum Civilem diſcatur, fruſtra eſt Hiſtoriæ omnis lectio. Optat Bœclerus *in Diſſertatione de Utilitate ex Univerſalis Hiſtoriæ cognitione capienda*, ut quis integram Commerciorum Hiſtoriam concinnare velit, quam intactam hactenus ille eſſe ait, cum tamen ſit Reipubl. utiliſſima. Ideam quandam ejus ſingulari Diſſ. dedit *Ad. Tribbechovius. Hiſtoria Militaris* antiqua & nova magnam lucem adfert Hiſtoricis, quale Opus parabat Radbodus Hermannus Schelius, ut videmus *in notis* ejus *ad Caſtra Polybiana.* Idem in animo habuit Cl. Salmaſius, a Principe Arauſionenſi ad tale Opus ſcribendum incitatus, cujus nunc fragmentum ſupereſt. *Hiſtoriam Navalem*, præter Ioh. Schefferum, *in Lib. IV. de Militia Veterum Navali*, Thomas Rivius aliquatenus deduxit, *in Hiſtoria ſua Navali antiqui, medii, & novi Seculi: Hiſtoriam medii ſeculi* ego tantum vidi, ceteræ an & quando prodierint, equidem ignoro. Operæ ſane pretium

pretium fecerit, ſi quis perfectum abſolutumque hunc laborem dederit. Quod ad veterem Hiſtoriam navalem attinet, ejus ſummariam delineationem dedit J. Henr. Bœclerus, in Diſſertat. quæ inſcribitur: *Argo Nova.* Sed reconditum hoc argumentum eſt, & quoniam deſtituimur fide dignis monumentis, vix quicquam feliciter efficietur. Dependet alioquin ex hoc labore magnam partem doctrina *de Coloniis gentium*, *de Commerciis antiqui orbis*, & ſimilia.

GENEALOGIARUM Scriptores ad Hiſtoricos ſpecialiſſimos etiam referendi ſunt. 10
Habemus autem & hic Scriptores, tam *generales*, quam *ſpeciales*. De *Romanis Familiis* Joh. Glandorpius *Onomaſticon* ſcripſit, ut ſupra vidimus, ſed eſt tantum Onomaſticon aut Lexicon, non vera Genealogia. Opus optimum, quod hoc in argumento prodiit, eſt Hieron. Henningii *Theatrum Genealogicum*, præclarum Opus & rarum, præcipue Francorum Regum Hiſtoria Genealogica cum cura & diligentia deducta eſt. *d*) Illum ſecuti ſunt poſtea Scriptores multi alii, Ant. Albizius, Nicol. Rittershuſius (in quo tamen non pauci ſunt errores,) & noviſſime Phil. Jac. Spenerus. Sunt & Hiſpanis, Gallis, Italis, ſui Scriptores Genealogici, quos non opus eſt adeo morari, cum illorum uſus non ſit tanti, niſi forte, quod illuſtriores Principum familias attinet, qui cum Principibus Germanicis aliqua affinitate juncti ſunt. Eos magno numero videre licet in *Bibliotheca Thuana*, Specialium Familiarum Scriptores non pauci ſunt, ſunt & qui Nobilitatem certæ cujusdam gentis per Genealogias deduxerunt: Qui labor non omnino inutilis eſt. Quoniam enim e Nobilibus deligi ſolent Viri ad adminiſtrationem, tam Civilem, quam Militarem, ideo ſpecialiſſima hæc Hiſtoria etiam hac in parte juvare doctrinam Politicam poteſt. Omnino expediret in Germania hiſtoriam certorum Principum, Comitum, accuratius deſcribi, neque tantum jejuno illo modo, quo Genealogiæ per tabellas proponuntur, ſed methodo quadam pleniore, ut & Hiſtoria quædam ſtrictior Genealogiæ adjiciatur. Non contemnendum hujus rei Specimen præbuit Tobias Pfannerus in libello *de præcipuis Principum Germaniæ Familiis.* Poſſent & Genealogicæ recenſioni adjici Pacta Illuſtrium illarum familiarum, & ſimilia, unde optima eſſe poſſit Juris publici cognitio. Hiſtoria enim Germaniæ Germanorumque Principum accurata unicam illam præcipuamque Juri publico lucem accendit, hinc dependent omnia.

LOCI COMMUNES HISTORICI & CHRONOLOGICI vel ſecundum claſſes rerum, vel 11
ſecundum claſſes Rerumpubl. vel ſecundum ſeriem temporum, inſtitui poſſunt, pro ſcopo cujusvis. Primus ille modus nihil aliud pro fine habet, quam ipſam temporum notitiam in certis quibusdam rebus. Eo modo adornavit *Chronologiam* ſuam *Aſſedius*, quæ & ſeorſim, & junctim cum ejus Operibus, prodiit. Vehementer labor ille prodeſt ad accuratam omnium rerum hiſtoriam, per tempora ſua deductam,

d) Hier. Henningii, Eccleſiaſtæ Lüneburgenſis, *Theatrum* (cui Bœclerus etiam, Boſius, aliique primas in hoc ſtudio decernunt) *Genealogicum* recenſere, emendare, ſupplere & augere, Conr. Balth. Behrens, Medicus Saxoniæ inferioris eruditus, niſi fallor, ab aliquo jam tempore, hortatu Illuſtris Leibnitii, eſt aggreſſus.

quem ſi quis ab ineunte ætate inſtitutum continuaverit, magnum ſibi theſaurum ſucceſſu temporis comparabit. Opus illud Alſtedianum mancum mutilumque eſt, & indicis tantum loco: multis modis in immenſum talia augeri poſſunt. Immiſcuit quidem & Gentium Rerumpublicarumque Hiſtoriam Alſtedius, ſed illis ſingularem ego librum deſtinarem. Prolixius enim tale Opus eſt, quam ut ſimul cum ceteris miſceri poſſit. Cum enim ad uſum in doctrina civili inſtituantur talia Excerpta, ſeparatim illa colligenda ſunt. Denique qui præcipua rerum momenta ad certum ordinem temporum colligunt, ſine ſeparatis rerum claſſibus, illi Chronologiam tantum reſpiciunt, atque his inſervire poterit *Chronologia* M. Z. Boxhornii, quæ ad uſum Civilem & Eccleſiaſticum accommodata eſt, ad cujus ductum iſta quoque notari poſſunt, quæ illic non continentur.

12 Veniamus ad HISTORIAM ECCLESIASTICAM, de qua paucula delibanda ſunt. Eſt vero illa vel *totalis*, vel *partialis*. Univerſalis eſt vel *diffuſa*, vel *compendiaria*. Centuriatores Magdeburgenſes primum Univerſale aliquod Opus inſtituerunt, quibus ut paria facerent Pontificii, *e*) Cæſar Baronius *Annales* ſuos contexuit, qui, Scaligero Judice, pleraque ſumſit e Centuriatoribus. *Annales* Baronii continuarunt Abr. Bzovius & Odericus Rainaldus, cujus Tomi 14. editi ſunt Romæ in fol. Henr. Spondanus *Epitomen Annalium Baronii* ſcripſit Pariſiis A. 1693. editam in folio. Aug. Torniellus vero *Annales ſacros & profanos ab Orbe condito ad Paſſionem Chriſti*, Opus quaſi prævium Annalibus Baronianis, Francofurti 1611. in folio, editum. In Baronii exiguam Annalium partem extant Iſ. Caſauboni *Exercitationes*, quem laborem continuavit per aliquot annos Dn. Ad. Tribbechovius. Quædam Theologicorum in illis Dogmatum, in quibus Pontificii a nobis diverſum ſentiunt, refutavit Dn.

e) De Cæſ. Baronii *Annalium Eccleſiaſticorum* Hiſtoria, illorumque Epitomatoribus, Metaphraſtis Continuatoribus, Antagoniſtis, & Hyperaſpiſtis, Caſp. Sagittarius, *in Introd. in Hiſt. Eccl. toto Cap. XIV. p. 292-323.* Joh. Frid. Mayerus, *in Eclogis de Fide Baronii & Bellarmini ipſis Pontificiis ambigua, ad Gerh. a Maſtricht*, *Syndicum Bremenſem* (qui itidem in Baronium aliquid molitur,) Amſtelod. An. 1697. in 12mo. editis, Joh. Chriſtoph. Rumetſchius *in Schediaſm. de Univerſali Theologorum Evangelicorum Hiſtoria p. 41-46.* & Ad. Tribbechovius *in Prolegomenis V. Exercitationum Anti-Baronianarum*, Kilonii An. 1669. in 4to editarum, merentur conſuli. Tribbechovius telam, ab Iſ. Caſaubono inchoatam, ab A. C. XXXIV. Num. 222. ad ejusdem *Annum.* 287. tantum continuavit, deinde vero, in Aulam Gothanam Kiſonio evocatus, abrupit. Quæ in eadem Academia Cimbrica A. 1677. prodierunt, Chriſt. Kortholti, Prof. Theologi, *VII. Diſquiſitiones Anti Baronianæ*, *de Domo Nazarethico-Lauretana*, *ſuffragiis pro Defunctis*, *Purgatorio*, *Confirmationis*, *Ordinis & Extremæ Unctionis Sacramentis*, *Traditionibusque non ſcriptis*, ſicut & Octava *de cultu Reliquiarum*, ſeorſim A. 1680. edita Loca Baronii de hisce Argumentis, hinc inde decerpta & collecta, impugnat. De Dav. Blondelli *Animadverſionibus* pauculis, ab Andr. Magendeo, Eccleſiaſte Benearnenſi, in *Anti-Baronio* ſuo (ad *Tomi I. Annum 34.* tantum perducto) Leidæ A. 1679. in fol. publicatis, & Joh. Henr. Ottii, Prof. Tigurini, *Examine Annalium Baronii perpetuo*, A. eod. 1679. inchoato, & per tres Centurias (in 4to *impreſſas*) continuato, vid. Sagittarium l. c. p. 318-319.

Dn. D. Kortholtus. Parabat *Animadverſiones in Baronii Annales* Cl. Salmaſius, teſte Craſſo in *Elogiis Hominum Litt. T. 2. p. 211.* Idem memorat, a Paulo Benio ſcriptas eſſe *Diſputationes de Annalibus Baronianis, Part. II. p. 83.* In eosdem *Annales* Dav. Blondellus integrum Opus affectum habuiſſe dicebatur, quæ fama commovit Magiſtratum Amſtelodamenſem, vt ex Bibliotheca ejus pararet ſibi *Annales* Baronianos magno ære, quibus notæ ab ipſo marginales adſcriptæ erant, ſed tentata tantum ab illo res fuit, neque amplius quicquam ſub illius nomine comparuit. Non ita pridem editas illas notas vidi ſingulari quodam, in folio, libro, ſed tenui. Si Caſaubonus ſupervixiſſet, palmam ab hac palæſtra referre potuiſſet. Ille enim tanto labori erat par, qui ad manus habebat Bibliothecam Regis Galliæ, & ipſe cognitione Antiquitatis Eccleſiaſticæ inſtructiſſimus erat. Nam quanquam ingenio inter noſtros etiam multi non deſtituuntur, deeſt tamen apparatus librorum huic rei neceſſarius. Multa a Baronio in ſubſidium vocantur, quæ vix alibi, quam in Bibliotheca Vaticana, reperias. Poſt Caſaubonum Blondellus huic rei poterat adhiberi, quem ego præ Salmaſio ad tale Opus ſcribendum aptum fuiſſe crediderim. Qui adverſus Caſaubonum Vindicias pararunt, J. Cæſ. Bulengerus & Herib. Rosweidus, nihil habent, in quo cum ipſo conferri poſſunt, & ſatis illum adverſus hos Inſultatores defendit Richardus Montacutius. Idem Caſaubonus ſcripſit librum *de Libertate Eccleſiaſtica*, ab ipſo Galliæ Rege incitatus, adverſus Pontificem, cujus mentionem facit Colomeſius *in Opuſculis ſuis pag. 127.* quod ſc. viderit apud Marquardum Gudium, impreſſum A. 1607. in 8vo. Nomen Caſauboni notaverat in Frontiſpicio libri Joſias Mercerus, Socer Salmaſii, ſua manu, & ſub finem paginarum, quæ procedunt usque ad *numerum 264.* iterum notavit Mercerus: *cetera, rebus mutatis, non ſunt edita.* Compoſitis enim Venetorum cum Pontifice litibus, Henricus IV. Rex Galliæ, librum juſſit ſupprimi. Addit ulterius Colomeſius Illuſtrationem horum verborum ex Jac. Capello, quæ illic legatur; Fragmentum hujus libri notat Placcius, *in Libro de Anonymis c. 2. p. 22.* Melch. Goldaſtum inſeruiſſe *Monarchiæ* ſuæ *Imperii Tom. I. p. 674. ſeq.*

COMPENDIARIAM *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* a nullo habemus ita tractatam, ut illo acquieſcere poſſimus. Non contemnendum eſt *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Compendium Gothanum*, quod a Vito Lud. Seckendorfio & J. Henr. Bœclero concinnatum creditur. Apud Reformatos Frid. Spanhemius operam illam ſuſcepit, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ prima lineamenta duxit, edita A. 1675. Lugd. Batav. in 12mo ſub titulo *Introductionis ad Hiſtoriam, & Antiquitates ſacras*, cum *Appendicibus, Chorographica, & Critica.* *f*) Eſt vero liber ille Epitome tantum & prodromus Operis ma- 13

 joris,

f) Frid. Spanhemii Jun. *Brevis Introductio ad Hiſtoriam Sacram utriusque Teſtamenti, ac præcipue, Chriſtianam, ad A. usque Chr. 1518. perducta* auctior atque emendatior denuo prodiit Leidæ A. 1693. in 4to, Operis autem majoris ſive *Introductionis ad Chronologiam & Hiſtoriam Sacram, ac præcipue Chriſtianam, ad Tempora usque Reformationi proxima,*

joris, ſed optime ad inſtituendam juventutem comparatus, nam per ſecula Hiſtoriam deducit, ſub certis ejus capp. adeo ut ſtatim pateat, quidnam ſingulis ſeculis contigerit. E Recentioribus Scriptoribus non pauca adducit, non diſſimulans ipſorum, vel ſcripta, vel ſcriptorum argumenta. Utiliſſimus aliquando liber ille major erit, quando prodibit. Idem quoque Autor ſcripſit *Introductionem ad Geographiam Sacram, Patriarchalem, Iſraëliticam, & Chriſtianam*, hancque per Romanum omne Imperium, ante & poſt Conſtantinum M. & per Provincias Barbaricas, deduxit. Liber ille quaſi manus jungit cum Hiſtoria Eccleſiaſtica, cujus non eſt accurata ſine Geographia cognitio. Sumpſerat, quod religionem Chriſtianam ſpectat, & Aubertus Miræus ſibi hoc argumentum tractandum, *in libro de Statu univerſi Chriſtiani orbis*, ubi Pontificiæ religionis per totum terrarum orbem diſſeminationem hiſtorice proponit. Qui liber utilis eſt ad Pontificiæ religionis Politiam accuratius pernoſcendam. Quod Indicas Gentes attinet, Joh. Hornbeckius videri poteſt ſingulari lib. *de converſione Barbarorum*, Lugd. Batav. in 4. edito. E Pontificiis recentioribus præſtantiorem non habemus, qui per ſecula *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* deduxerit, quam Antonium de Godeau, Virum doctiſſimum & Epiſcopum, eum ſc. qui Pſalmos Davidicos in verſus elegantiſſimos Gallicos convertit. Prodiit Gallica Lingua Opus ejus aliquot Tomis in folio, nunc vero recuſum eſt in Batavia minutiore Charactere. Præfatio ejus libri eſt luculenta, multaque habet de defectibus Scriptorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Ingenue enim ſcribit, ut ſolent omnes Galli, neque ipſius Baronii errores diſſimulat. Solent in illo Itali eſſe parciores; memini tamen Alexandrum Taſſonum, Virum doctiſſimum Italum, ſed tamen & dicaciſſimum, editioni paratum habuiſſe librum *della Hiſtoria Eccleſiaſtica & Secolare*, in quo Baronii *Annales* examinat majori libertate, quam aliqui factum vellent, ut ajunt Joh. Bapt. Laurus & Leo Allatius *in Apibus Urbanis*. Plura alia circumferuntur Compendia recentiorum Scriptorum, & plures ſunt Antiquæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, quos ſecundum ordinem, ſeriemque ſuam, recenſent Nomenclatores Scriptores Bibliothecarii. Illorum nomina recenſere ſupervacaneum eſt; quid enim attinet circa lacunas operoſum eſſe, cum habeamus fontes? Exſcribunt illi ſe mutuo. Non prætereundus tamen eſt Joh. Henr. Hottingerus, cujus *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſatis quoque diligenter ſcripta eſt, inprimis recentior, ubi in tempora Reformationis incidit.

14 Recentioris hujus Temporis pleniorem Historiam in Proteſtantium Eccleſia merito deſideramus. *g*) Nam licet Joh. Sleidanus initia bene ſatis complexus fuerit,

cui perpetuæ etiam Cæſ. Baronii, & recentiorum Galliæ Pontificiæ Scriptorum (Lud. Maimburgii, Nat. Alexandri, &c.) Caſtigationes ſunt immixtæ, Tomus I. ab O. C. ad Sec. usque VII. Æræ Chr. Ibid. A. 1683. in 4to. Tomusque II. Secula quatuor, Septimum, Octavum, Nonum & Decimum, complectens, Ibid. 1687. in 4to *Tomus III*, ni fallor, duobus prioribus, in Editionis Operum Spanhemii omnium *Tomo I.* Lugd. Bat. A. 1701. in fol. publicato, eſt adjunctus.

g) Primorum Reformationis Temporum Hiſtoriam Sleidano longe plenius atque accuratius

rit, & Georg. Cœleſtinus *Hiſtoriam Auguſtan. Conf.* ſcripſerit, Henr. Hœpfnerus quoque *Saxoniam Evangelicam,* multa tamen ſpecialius poterant diduci. Sed neque hic omnia impune ſcribuntur. Nam, ad ſubterfugiendam invidiam, non eſt conſultum omnia attingere. E Pontificiis Ludov. Maimbourg hoc tempore omnium Sectarum Hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt, & candorem aliquem præ ſe fert; multa tamen in illo deſiderantur. Scripſit is *Hiſtoriam Lutheraniſmi, Hiſtoriam Calvinianiſmi* (cujus cenſuram nuper Theologus Reformatus dedit,) *Hiſtoriam Arianiſmi,* qui libri ad hæc tempora cognoſcenda utiles ſunt, modo cum judicio legantur; neque enim homini Pontificio per omnia tuto poteſt credi. Hottingerus *in Bibliothecario quadripartito* refert, habere ſe omnium iſtorum temporum Theologorum MSStas Epiſtolas, tam Proteſtantium, quam Reformatorum, quem ille non immerito Theſaurum incomparabilem vocat. Ex his monumentis multa poterant ad talem Hiſtoriam illuſtrandam afferri, ſed perierunt omnia hæc molimina in aquis, cum ipſo Autore.

Sunt & alia COMPENDIA *Hiſtoriæ Eccl.* HÆRETICORUM ſcil., a quibus cavendum 15
eſt. Hos inter præ ceteris nomino Chriſtoph. Sandium, cujus exiit olim *Nucleus,* & poſtea integrum *Syſtema Hiſtoriæ,* præcipue primorum ſeculorum. Operæ pretium faceret, ſi quis ex Orthodoxis Theologis hujus libri inſidias detegeret. Prodiit & nuperrime A. 1681. Lugd. in 4to & Amſtelod. in 12. a Jacobo Benigno Boſſueto, Epiſcopo Condomenſi, *Diſcurſus ſuper Hiſtoriam Univerſalem,* Gallica lingua, ad Delphinum, in quo, præter mutationes Imperiorum, Succeſſio religionum etiam proponitur, ſed tantum usque ad tempora Caroli M. Non vidi ipſe hunc librum, ſed Lipſienſes in *Actis ſuis A. 1682. p. 215.* elogium aliquod illi ſuſpendunt.

Ut in Hiſtoria Civili, ita & Eccleſiaſtica, quædam ſunt conſcripta LEXICA, fa- 16
cientia ad intellectum Patrum & Conciliorum, in quibus occurrunt ſæpe termini, ac voces vulgo ignotæ. Sunt Joh. Ludov. de la Cerda *Adverſaria* in hunc finem ſcripta, nunc vero, poſtquam Caroli du Freſne *Gloſſarium* prodiit, omnia puto *illi* transſumpta. Et illa quidem Lexica voces tantum ſpectant. Sunt vero, qui Ritus & Antiqui-

expoſuit Vitus Ludov. a Seckendorf, Conſil. Int. Saxon. & Brandenb. Heros Literatiſſimus, *in Comm. Hiſtorico & Apologetico de Lutheraniſmo, ſeu de Reformatione Religionis,* Lud. Maimburgii *Hiſtoriæ Lutheraniſmi* (cujus *Libri III. priores* Latine ſimul verſi exhibentur) oppoſito, Librisque III. ab An. 1517. ad 1546, Luthero emortualem, perducto, qui Lipſiæ An. 1692. in fol. prodiit. Henr. Hœpfneri, Theologi Lipſ. *Saxonia Evangelica,* juſſu Joh. Georgii I. Electoris, Pet. Cuttemii *Saxoniæ Catholicæ* oppoſita, ac Lipſiæ An. 1625. & 1672. 4to excuſa, in Hiſtoricis eſt parcior, & dogmatica præcipue perſequitur. Nuperrimi Hiſtoriæ Seculi XVII. Eccleſiaſticæ Scriptores, Joh. Woltg. Jægerus. Profeſſor Tubing. qui tria tantum Decennia priora An. 1692. & 93. exhibuit, & And. Carolus, Abbas Sangeorgianus in Duc. Würtemberg. totum emenſus Seculum, cum, præter Collectanea, ex aliis coacervata, eaque maximam partem vulgaria, vix quicquam attulerint, judicio haud ſatis accurato in argumento iſto ſint verſati, præjudiciis autem ſuis plus juſto indulſerint, parum ex illo labore gloriæ reportarunt.

tiquitates ſimul congerunt per Indicem, ut fecit Joſua Arndius, cujus exſtat *Lexicon Antiquitatum Eccleſiaſticarum*, in 4to. Subjunxit Autor ille etiam Catalogum de præcipuis Scriptoribus Eccleſiaſticis, ad Bernhardum usque, *a p. 685. ad p. 1086.* Eſt & Italica lingua ſcriptus liber, cui tit. *Notitia de Vocaboli Eccleſiaſtici, Con la dichiaratione delle Ceremonie, & Origine delle riti ſacri, voci barbare, e fraſi uſitate de ſancti Padri, Concilii e Scrittore Eccleſiaſtici, raccolta da Dominico Magri, Malteſe*, in Venetia A. 1675. in 4to. Superiori Anno Joh. Casp. Sycerus, Canonicus & SS. LL. Profeſſor Tigurinus, *Theſaurum Eccleſiaſticum* ſcripſit, e Patt. Græcis ordine Alphabetico concinnatum. XX. Annorum labor eſt, & colliguntur in illo non Voces ſolum, ſed & varii Ritus Eccleſiaſtici, dogmata Orthodoxorum & hæreſes conferuntur, hodierna item dogmata cum antiquis. Subjicitur Index triplex, unus Autorum, ex quibus ille *Theſaurus* collectus, alter Locorum Scripturæ explicatorum; Tertius rerum & verborum, in toto hoc *Theſauro* occurrentium. Promiſit idem Autor in *præfatione Lexicon Græcum minus, & Lexicon Græcum majus, duobus Tomis in fol.* quod a ſe magno labore collectum eſſe teſtatur.

17 Quod ſi jam ad ipſos Scriptores Ecclesiasticos deſcendere velimus, ratione argumentorum illi eſſent diſpeſcendi, ac comprehenderentur ſic ſub nomine Eccleſiaſticorum Scriptorum Patres univerſi, de quibus poſſent multa dici, tum ratione Editionum, tum ratione mutilationum, tum rariore adulterationum, quod poſtremum argumentum Ioh. Dallæus præ ceteris inſigniter tractavit. De Scriptis Patrum *Phil. Labbæus*, poſt Bellarminum, prolixe egit. *b*) Ille enim Bellarminum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſupplevit, quo carere in hoc argumento non poſſumus, quanquam Scriptore maledicentiſſimo, & in Proteſtantes admodum furioſo. Vocetur & in ſubſidium *Thuana Bibliotheca*, ubi ſecundum ordinem annorum, recenſentur, optimæque Editiones habentur, exceptis iis, quæ poſt illa demum tempora lucem aſpexerunt. Inter quas eſt Origenes, eleganter Latine redditus, & cum Comment. editus, a Pet. Dan. Huetio.

18 Huc pertinent Notitiæ *Epiſcoporum* & *Epiſcopatuum*, de quibus per ſingulas gentes exſtant libri. Adde Autores, qui ſcripſerunt *Vitas Patrum*, *Sanctorum* & *Martyrum*, varia illa *Martyrologia*, & qui de *Ordinibus Religioſis* ſcripſere, deque horum *Cœnobiis* & *Collegiis*. Habemus pene ſingulorum Ordinum Annales, a certis Autoribus ſcriptos. Franciſcanæ familiæ Annales Franc. Gonzaga dedit, Annales Capucinorum Zach. Bove-

b) Phil. Labbei de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* Opere carere iam facilius poſſumus, poſtquam alii argumentum idem maiori, quam ille, & dexteritate, & candore, pertractarunt, e Pontificiis ſcilicet Ludov. Ellies du Pin & Caſim. Oudin (ad Reformatos deinde transgreſſus,) Theologi Pariſienſes, e Reformatis autem Angliæ Guilh. Cave, Canon. Windſorienſis, curienſis, cujus *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, qui XIII. prioribus Æræ Chr. ſeculis floruerunt, *Literaria*, Opus eximium Lond. A. 1688. in fol. prodiit, & Henr. Whartonus, qui luculentam de Seculorum XIV. & XV. Scriptoribus *Appendicem* illi a A. ſequ. 1689. ſubiunxit.

Boverius teſte Craſſo *in Elogiis Hom. litt. P. I. p. 242. i)* Editum & eſt ſingulare *Monaſticon Anglicum.* Claud. Robertus *Galliam Chriſtianam* ſcripſit, in qua agit de Officialibus ſacris Galliæ, Ferd. Ughellus *Italiam Sacram,* Opus vaſtiſſimum, & novem in folio Tomis comprehenſum, in quo agit de omnibus Epiſcopatibus Italiæ. Opus laborioſum ſane eſt & doctum. Spectant huc omnes Autores, qui *Hæreticorum & Conciliorum hiſtoriam* tradiderunt, item qui *hiſtoriam dogmatum Eccleſiaſticorum, Pontificum & regiminis Eccleſiaſtici,* conſignarunt. Sunt & ſpecialiores Scriptores certorum argumentorum, qui Scriptoribus Univerſalibus facem quaſi accendunt, v. g. qui de *perſecutionibus Eccleſiæ* ſcripſerunt, D. Chr. Kortholtus ſcil. & Joh. Bapt. Maſculus (de quo vide Craſſum *in Elogiis Hom. Litt. P. I. pag. 355.)* qui de *Cruciatibus Martyrum Chriſtianorum* egerunt, de quibus librum ſingularem Ant. Gallonius ſcripſit, & multa reperias *in Roma ſubterranea* Pauli Aringhi, optimo libro, & in quo multa ſunt, ad Eccleſiaſticas Antiquitates ſpectantia, loco ſæpe alieno adducta. Sunt deinde Miſcellanei Scriptores variorum *rituum Eccleſiaſticorum,* quales ſunt Aloyſ. Novarinus in ſuis *Selectis & Schedaſmatibus,* J. Bapt. Caſalius, J. Steph. Durantius, &c. Sed de his omnibus ſpeciatim agere noſtri non eſt inſtituti, in univerſum autem plura de illis disquirere ſupervacaneum, poſtquam Joh. Andr. Boſius eruditum *Schediasma de comparanda notitia Scriptorum Eccleſiaſticorum,* publicavit, Jenæ A. 1673. in 4to, in quo multa habentur, quæ lucem inferre Scriptorum Eccleſiaſticorum lectioni poſſunt.

FINIS LIBRI QUARTI.

POLYHISTORIS
TOMI TERTII,
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI
LIBER V. THEOLOGICVS.
DE THEOLOGICIS SCRISTORIBUS.

§. 1. *Amplitudo Studii Theologici. In Hiſt. & Antiqq. Eccl. Pontificii & Reformati, in Theol.*

i) Monaſticon Anglicanum, ſeu Opus de Cœnobiis Angliæ Hiſtoricum, quod *b. l.* absque Autorum laudatur indicio, a Guilh. Bugdale & Rogerio Dodiworth eſt congeſtum, tribusque Voluminibus Londini A. 1655. & 1673. in fol. publicatum

Theol. Dogmatica Lutherani, præcellunt. 2. *Theologia Naturalis Priſcorum ſuit Metaphyſica, a Platonicis præcipue exculta. Plato multa a Judæis & Ægyptiis hauſit. Jamblichi Lib. de Myſteriis Ægyptiorum commendatur.* 3. *Laudantur, qui Theol. Naturalem e Philoſophis & Poëtis congeſſerunt, Marſ. Ficinus, Mocenicus, Franc. Patricius, Sibyllinis Oraculis (de quibus quinam ſcripſerint, obiter monetur) addictior.* 4. *Aug. Steuchus, cujus Operis de perenni Philoſophia, & κοσμοποιΐας, inſignia adduntur Encomia, Mutius Panſa, Steuchi ſecutus veſtigia (cujus occaſione de Nicol. Cuſani ſcriptis etiam judicatur,) Joh. Owenus & Sam. Parckerus, qui diſcrimen Theol. Naturalis & Revelatæ oſtenderunt.* 5. *Relationes & Judicia de Iſ. Voſſii lib. de Oraculis Sibyllinis, in Textum V. T. Hebræum injurio, & Adverſarii ejus, Rich. Simonis, Hiſtoria V. T. Critica.* 6. *Scriptores Theologiæ Naturalis Methodici potiores, Raym. de Sebonde, Dan. Claſenius, Pet. Muſæus, Renatusque Carteſius, Atheiſmi falſo accuſatus.* 7. *Recenſus Criticus Librorum pro Veritate Relig. Chriſtianæ a Marſ. Ficino, Lud. Vive, Er. Roterodamo, Pet. Ramo, Phil. Morneo, Hug. Grotio & Pet. Dan. Huetio, editorum. Scripta Patrum contra Gentiles, Hier. autem Magii & Alph. Pandulphi de Conflagratione Mundi. Judicium de Guilh. Poſtelli Lib. de Orbis Terrarum Concordia.* 8. *Inter Naturaliſtas eminent Edv. Herbertus, Thom Hobbeſius & Bened. Spinoſa, quorum Adverſarii recenſentur.* 9. *Scriptores contra Atheos. Gisb. Voëtius, Thom. Campanella, Paulus Sarpius, Henr. Morus, Theoph. Spizelius, Ant. Reiſerus, Franc. Cuperus, Sam. Parckerus, Chr. Ioach. Ianus, Joh. Lud. Fabricius (Gentium, Atheiſmi accuſatarum, Patronus,) ac de ſingulis Judicia. Fruſtra contra Atheos e S. Script. diſputatur.* 10. *Thom. Browne falſo Atheiſmi accuſatur. Ejus Religionis Medici, ac Pſeudodoxiæ Epidemicæ, variæ Editiones, Verſiones ac Cenſores.* 11. *Philoſophia S. Scripturæ Interpres, quæ Ben. Spinoſæ tribuitur, dextre a Lud. Wolzogenio, minus dextre a Pet. Serario refutata. Gotfr. a Valle Ars nihil credendi, Bonav. de Periers Cymbalum Mundi, aliique Libri Athei. Marini Merſenni Comm. in Geneſin commendatur.* 12. *Argumentum contra Atheos e Scriptis Gentilium Hiſtoricum, ab Aug. Steucho, Anonymo Italo, Chr. Hofmanno & Tob. Pfanmero, illuſtratum.* 13. *Bibliothecarium Theologicarum Scriptores, Sixtus Senenſis, Ant. Poſſevinus, Paulus Bolduanus, Georg. Draudius, Gisb. Voëtius, Gerh. Meierus, Georg. Calixtus, Sev. Walth. Sluterus, Joh. Dallæus, Th. Spizelius, & I. H. Hottingerus (cujus Bibliothecarius Quadripartitus, cum G. Calixti Apparatu Theologico, ceteris præfertur.) De ſingulis Judicia.* 14. *Inter Bibliorum Editiones eminet πολύγλωττος Anglicana Briani Waltoni, apparatu etiam inſigni inſtructa. Hottingeri de Bibliis El. Hutteri Hebræis Cenſura. De Verſionibus Biblicis P. D. Huetii Libri de Interpretatione legendi. Ejusd. Demonſtr. Evangelica, & Chr. Kortholdi de Canone ac Verſionibus Scripturæ Tractatus, commendantur. Verſio Evangeliſtarum Gothica.*

ca. 15. *Commentatores S. Scripturæ Critici. Laudantur præ ceteris Hugo Grotius (in quem Esdras Edzardi scripsit Animadv.) & Matth. Polus, reliquorum Epitomator. Lexica, Concordantiæ, Encyclopædiæ Biblicæ.* 16. *Commentatores Exegetici. Paraphrases Er. Roterodami in N. T. ab Edv. Leo, aliisque, impugnatæ. Paraphrases Chaldaicæ. Interpretationes Cabalisticæ Henr. Mori, & aliorum. Origenis Comm. in Joh.* 17. *E Locor. Commun. Theol. Scriptoribus Lutheranis, commendantur Phil. Melanchthon (cujus Opus, uti & Mart. Buceri Comm. in Psalmos, sub fictis Nominibus, etiam in Italia prodiere,) Mart. Chemnitius, Joh. Gerhardus & Joh. Musæus.* 18. *E Pontificiis autem Dion. Petavius, de cujus non Dogmatis solum Theologicis, sed & Scriptis aliis disseritur.* 19. *Hæresium Cognitio ex Epiphanio, Philastrio, aliisque Recentioribus, Scriptorum vero cujusvis Sectæ Symbolicorum ex Hottingero hauriendæ.* 20. *Scriptores de Religionibus Sectisque variis, Joh. Hoornbeckius, Frid. Spanhemius Jun. (cujus in Cartesianos odium notatur,) Edv. Brerewodus, J. A. Bosius, Alex. Rossæus, Edv. Sandys, &c. caute, vel ob incuriam, vel partium studium, legendi.* 21. *E Scriptoribus Anti-Judaicis commendantur Raym. Martini, J. Chr. Wagenseilius & Wilh. Schickardus.* 22. *Ex Anti-Muhamedanis J. H. Hottingerus. Alcorani Versiones pleræque futiles. Libri Arabum præstantes. Hugo Grotius (in Lib. de Ver. Rel. Chr.) & Jac. Gaffarellus plagii in hoc a Jac. Sponio accusati, contra quem Grotius defenditur. Joh. Seldeni de Rebus Judæorum Scripta.* 23. *Scriptores de Græcorum Religione. Consensum ejus cum Pontificia falso jactat Leo Allatius. Major ille est cum Doctrina Protestantium. Vita illorum corruptissima. Biblioth. Jesuitarum Cochinensis, MStis Orientalibus referta, Batavis in prædam cessit. Moscovitarum Religio Græca corruptior. Notitia ejus ex Itinerariis Augustini, Bar. a Mayerberg, aliorumque, hauriendæ. Historiæ Schismatis inter Græcos ac Latinos Scriptores.* 24. *Ecclesiæ Pontificiæ Promachus præcipuus Rob. Bellarminus. Hujus Antagonistæ, inter quos Dan. Chamierus eminet.* 25. *Scripta alia contra Pontificios infinita. Laus Pet. Molinæi.* 26. *Scriptores de Primatu Papæ & Regionibus Suburbicariis. Judicia de Cl. Salmasio, Jac. Perronio, Dav. Blondello, Lud. Molinæo, Jac. Gretsero, Jacobo I. Rege Britanniæ (sub cujus larva Is. Casaubonus latere credebatur,) M. Antonio de Dominis, &c.* 27. *Scriptores de Jure Magistratus circa Sacra, Regimine Ecclesiastico, Episcopisque & illorum potestate, alii item Primatus Pontificii, & Impugnatores, & Propugnatores. Gisb. Voëtii Lis Canonicis mota Ultrajectinis. Elogium Codicis Theodosiani Jac. Gothofredi.* 28. *Fraudes Pontificiæ circa Patrum Opera, Bellarmini inprimis & Cæs. Baronii. A quibusnam illæ detectæ. Scripta Rob. Coci, Joh. Dallæi, Abr. Scultetti & And. Riveti, de Patribus commendantur, nec non J. G. Dorschei Thomas Aquinas Confessor, & Matth. Flacii Catalogus Testium Veritatis. Simile Opus ex Jure Can. Dorscheus meditabatur.* 29. *Commendantur Scripta contra Pontificios generalia Joh. Meisneri (insigniter laudati,) Joh. Forbesii & Sedanensium, specialia item de Justificatione*

Henr. Höpfneri, de S. Cœna & Transſubſtantiatione Edm. Albertini, Dav. Blondelli, Phil. Mornai, de Imaginibus Joh. Dallæi & Lamb. Velthuſii (ob Moderationem a Reformatis durioribus impugnati,) de Sacramentis Joh. Dallæi. 30. *Pugnandum contra Pontificios ex Antiq. Eccl. Factum id a Reformatis, qui Lutheranis proponuntur imitandi. Elogium J. G. Dorſchei.* 31. *De Certaminibus inter Pontificios inteſtinis, Janſoniano & Anti-Jeſuitico, nonnulla. Scripta varia contra illos Satyrica.* 32. *Miſcella quædam de Reformatis, & Schiſmaticis inter eos, Amyraldiſtis, Anglicis ac Arminianis. Judicia de Marco Frid. Wendelino & Nicol. Vedelio.* 33. *Miſcella de Socinianis & Neo-Arianis (Chriſtoph. Sandio inprimis ac Mart. Ruaro,) illorumque Antagoniſtis.* 34. *Anabaptiſtarum Annales J. Henr. Ottius publicavit.* 35. *Chiliaſtæ quidam (Pet. Serarius, Dan. Brenius, Jul. Sperberus, Andr. ab Hobernfeld,) illorumque Adverſarii.* 36. *Monita de Enthuſiaſtis, ac ſpeciatim Val. Weigelio, Roſæcrucianis, Æg. Gutmanno, Jac. Böhmio, Quir. Kuhlmanno, Dav. Georgio, & Indifferentiſtis illorumque Impugnatoribus.*

1 Quoniam Philoſophiam, ejus partes præcipuas, jam recenſuimus, ad Facultates ipſas, quas vocant, nos convertimus, & primo quidem ad earum Principem, THEOLOGIAM. Magnus eſt ille campus, ad quem decurrendum integris opus eſſet annis, librorum ſeges infinita eſt, ſcribuntur, & deſcribuntur toties libri, nec opus eſt, farraginem illam minutorum omnium conquirere, nec Profeſſionis noſtræ. Deinde tenerrima eſt Theologia, in cujus Lib. dijudicandis facile offendimus, prout ſtudio partium hi vel illi ducuntur. Quare conſultius forte eſt, manus ab his abſtinere, ne ulcera quorundam tangantur. Non deſunt Virorum doctorum Labores, qui ad *Παιδείαν* Theologicam luculentas præferunt faces, quorum judiciis facile acquieſcere poſſumus. Habemus tam quoad univerſam Theologiam, quam ad ejus partes ſingulas, Autores quaſi Hodegetas, modo illos ſequamur, qui nos in devia non abripiunt, ſeu ad ſectarum ſtudia non impellunt. Et negari non poteſt, e Pontificiis, ac Reformatis multos accuratiora quædam indicaſſe veſtigia in Hiſtoria & Antiquitate Eccleſiaſtica, quam factum eſt a noſtris, qui Theologiam Dogmaticam præ cæteris excolendam ſibi ſumpſerunt. Nos, digitum intendiſſe contenti, ad ſpecialiora non deſcendemus.

2 Quod attinet igitur præliminaria Theologiæ, agemus de THEOLOGIA NATURALI Autoribusque eam impenſius excolentibus. Non pertinet quidem illa ad Theologiam ſtricte dictam, ſed Philoſophiæ quaſi ſurculus eſt, & ſi rem recte putes, vera illa priſcorum Philoſophorum Metaphyſica, Doctrinam de Deo Spiritibusque complexa. Illam præ cæteris excoluit Plato, Platonicique pene omnes. Diſperſa quidem apud Platonem omnia, ſed Sectatores ejus, Proclus, Numenius, aliique, ſub Theologiæ nomine, Lib. ex mente Platonis ſcriptos publicarunt. Seu illam ex ſe, ſive aliunde, habuerit Plato, multa ſunt illic mirifice cum ipſis S. Literis convenientia. Et vero

eſt

eſt ſimillimum, illum a Judæis accepiſſe plurima, uti oſtendit Galeus prolixe in libro Anglice ſcripto, *Aula Gentilium* (*Court of Gentils*) cujus poſtrema Editio in 4to Anglica locupletior eſt, quam Latina, antea edita. Sed illo ſolidius pleniusque hoc opus agit Pet. Dan. Huetius *in Demonſtratione ſua Evangelica*, libro multijuga eruditione referto, de quo infra plura. Veroſimile eſt, & ab Ægyptiis quædam habuiſſe Platonem, uti videre eſt e præclaro Jamblichi libro *de myſteriis Ægyptiorum*, quem in Linguam Lat. converſum, cum notis ſuis edidit Thom. Galeus Oxon. An. 1678. in fol. Multa illic de Dæmonibus, eorum Evocatione, familiaritate, cultu, quæ profani aliquid & idololatrici præ ſe ferunt. Sed ſunt tamen quædam e limpidioribus fontibus hauſta. Nam ad unum Deum omnia tandem reducit Jamblichus, & Dæmonum cultum nihili eſſe concedit, ſi apud illum ſimus in gratia, quod tamen pauciſſimis contingat. Denique multa ſunt adeo ſincera, & pia, ut oblectare lectores poſſint. Lege *Sect. V. c. XXII.*

Orti fuere deinde quidam e Recentioribus, qui ſemina hujus Theologiæ, per 3
Philoſophos, Poetasque hinc inde diſperſæ, velut hylen aliquam, collegere, & ex iis quaſi SYSTEMATA fabricati ſunt totius hujus Theologiæ. Atque illi quidem, e ſententiis placitisque Philoſophorum, jam tum deprehenſis, tale quoddam concinnarunt Opus, uti alii, rationis ſuæ ſenſus & dictata ſequentes, illam vel e Philoſophia Peripatetica, vel ſuis principiis, exædificarunt. Qui Veterum ſententias uno Syſtemate collegerunt, illos equidem laudo, ut qui utiliſſimam operam poſuerunt. Sed indulſerunt forte illi aliquid præjudicio ſuo, & harmoniam Chriſtianæ religionis cupidius quæſiverunt, quam veritas ipſa admittebat. Non referam nunc Platonicos Commentatores Latinos recentiores, Marſilium Ficinum, Mocenicum, Franc. Patritium, aliosque. Nam Ficinus, in Operibus ſuis paſſim, & ſeparato quoque *de Theologia* libro, ſed brevius, & ex ingenio ſuo paulo liberius, recenſet. Mocenicus, *in libro de Tranſitu Hominis ad Deum*, Venet. A. 1558. in fol. edito, præclara multa & ingenioſa affert, quibus ipſa pietatis exercitia, & unionem cum Deo, ex Platone & Ariſtotele oſtendere laborat. Patritius multa ex Scriptis Mercurii, & Oraculis Sibyllinis, arripit pro veris, quæ tamen ſuppoſita eſſe multi demonſtrant, & inter illos præcipue David Blondellus in libro Gallice ſcripto *de Sybillis*, Opere non illa tantum lingua, ſed Latina etiam digniſſimo. A quo tamen mirum eſt diverſa nunc ſentire Iſaacum Voſſium *in libro de Sibyllis*, nuper edito. Edidit & Gallica lingua Joh. Craſſetius, Jeſuita, quædam pro veritate Carminum Sibyllinorum, quem laudat. Huetius *in Demonſtratione Evangelica*, quanquam cum Blondello potius faciens, ſed noviſſime Joh. Marckius *XII. ſuis de Sibyllinis Carminibus Diſputationibus Spicilegium* adjecit, quo Craſſetii ſententiam refutavit. *a)*

a) Scriptorum de Sibyllis variorum recenſum, *Oraculorum*, quæ illis tribuuntur, editiones, aliaque de iisdem *ἀξιομνημόνευτα*, vid. *in Homonymoſcopia* noſtra, *P. II. c. 2. §. 20. p. 271-277.*

4 Augustinus Steuchus, Eugubinus, præ ceteris omnibus hoc illuſtravit argumentum, in Libro aureo *de Perenni Philoſophia*, cujus ille ſcopus eſt, ut oſtendat, eſſe perpetuam Theologiæ Chriſtianæ & Philoſophiæ Gentilium concordiam. Hunc librum tanti fecit Julius Cæſar Scaliger, ar quanti judicii Vir! ut ſecundas ipſi a Sacro Codice partes dederit. Ac memorabilis eſt Hiſtoria, quam refert Joſ. Scaliger in *prima* ſua *Epiſtola* de hoc ipſo libro, *p. 41. Editionis Francofurtenſis*, quod ſcil. Pater ſuus hominem, deſperatiſſimo Atheiſmi morbo laborantem, ſola hujus libri lectione, non ad ſaniorem tantum mentem revocarit, ſed etiam acerrimum fidei Chriſtianæ propugnatorem effecerit. Liber ille prodiit ſeorſim in 4. Baſileæ, & cum cereris ejus Operibus Baſil. in fol. A. 1587. editis, in quibus plura continentur ejusdem argumenti. Præ ceteris præclarum Opus eſt, quod inſcripſit de Κοσμοποιΐᾳ, quod prolixus eſt Commentarius in prima Geneſeos capp. ubi diligentiſſime ex omnibus, tam Philoſophis, quam Poëtis, colligit, quæ ſpectant ad Hiſtoriam creationis mundi, ac nemo, poſt illum, accuratiorem laborem hac in re præſtitit. Laudatus omnibus eſt, niſi, quod errores pauculos notarit Dionyſius Petavius, *in Doctrina ſua Theologica*, ubi de omnipræſentia Dei agit. De illo plura vide apud Jac. Gaddium *Tom. II. p. 325.* Notavit & in illo Ben. Pererius quædam in *Commentario in Geneſin.* Geſnerus *in Bibliotheca* teſtatur, multa illum ſcripſiſſe, quæ deſiderentur. Poſt illum Mutius Pansa, Philoſophus & Medicus, librum ſcripſit, cui Tit. *de Oſculo & Conſenſu Ethnicæ & Chriſtianæ Philoſophiæ*, editum Marpurgi, A. 1605. in 8. cui facile fuit, poſt Steuchum hoc in argumento verſari. Conſpirat enim argumentum per omnia, licet non videam, ipſi Steuchum laudatum fuiſſe, quem tamen eum non legiſſe vix vero eſt ſimile. Unus tamen, quantum memini, locus eſt *in Admonitione ad lectorem*, ubi Eugubini meminit, jungitque eum cum Cuſano, Beſſarione & Gemiſtho, quorum dicit ſe veſtigia ſecutum, & multa noviter addidiſſe. At vero jungendus non erat cum cereris Eugubinus, ut qui plus in hoc argumento præſtitit, quam ante illum, vel Cuſanus, vel Beſſarion. Nic. Cuſanus quidem, qui totus Cabaliſticæ doctrinæ eſt immerſus, Germanus Cardinalis, Opera multa ſcripſit, quæ ex Matheſi, Theologia, & Philoſophia Platonica, quaſi cinnum faciunt. Abſtruſa quidem multa proponit, verum longe abeſt ab illa veterum Philoſophorum & Poëtarum lectione, quam pro fundamento habuit Steuchus. Hoc ſane verum eſt, qui in his argumentis verſantur, pleraque ex Steucho depromere. Quibus ego quidem multa addi poſſe credo. Prima tamen ab illo lineamenta ſunt ducta. Poſt illum laudarem Joh. Owen, Angli, Libb. *de natura, ortu, progreſſu & ſtudio veræ Theologiæ*, Oxon. A. 1661. in 4. editos. Multa illic erudita ſunt, ac primo quidem in ipſa præfatione monſtrat, quam differat illa, quæ e Paganorum veterum libris hauritur Theologia, a vera & revelata, & quam fuerit Platonis Philoſophia ſæpe impedimento priſcis Patribus in rebus fidei, adeo ut illius errores in ipſam Theologiam intulerint. *Toto Primo Libro* agit de Theologiæ naturalis corruptione & amiſſione, & deinde *Libb. ſeqq.* de Theologia antediluviana (quod argumentum Jac. Boulducus, Capu-

Capucinus, *in Lib. de Eccleſia ante legem,* mirificis fabulis referto, tractavit,) de Theologia Noachica, ortu & progreſſu Idololatriæ, Theologia Abrahamica & Moſaica, de Theologiæ Moſaicæ corruptione & reparatione ſolenni, & de ejus abolitione ac de Theologia Evangelica. Adde huic SAM. PARKERUM, cujus edita ſunt *Tentamina Phyſico-Theologica.* Multa illic tractantur de Theologiæ Platonicæ diverſitate a revelata. Singulares tamen illic Diſſertationes contra Atheos inſtituit, item contra Epicureos de Providentia. Idem Anglice librum ſcripſit hujus argumenti, cui Tit. *The Unraiſonableneſſe of Atheiſme,* in quo argumenta Atheorum breviter examinantur, & ad illa reſpondetur.

Prodeſt & ſcopo huic noviſſimus ISAACI VOSSII liber, ſupra nobis memoratus, qui *de Sibyllinis, aliisque, quæ Chriſti natalem præceſſerunt, Oraculis* agit, An. 1680. Lugd. Bat. in 12. editus. Primarium enim illud argumentum, quo tum veteres Chriſtiani Patres, tum recentiores Scriptores, utuntur, pro ſtabilienda Chriſtiana religione, nempe *Sibyllina Oracula,* ipſe denuo, contra tot Viros doctos, Caſaubonum & Blondellum, aſſerit, &, velut invincibile Teſtimonium veritatis Chriſtianæ, laudat. Notum eſt, quæ ſint de eis Virorum Doctorum judicia. Scripti ſunt de Oraculis Sibyllinis integri libri a Viris doctis, inter quos Danielis Claſenii liber quoque eſt, ſed tantam illorum prærogativam nemo hactenus aſſeruit. Voſſius non dubitat, illa Judæis aſſerere, & ſingulari Oratione protreptica, ad illos formata, hortatur, ut tandem Chriſtianam fidem amplectantur, tot teſtimoniis convicti. Sed ita ille diſputat pro religione Chriſtiana ex hoc argumento, ut frandi ſit illis, qui textus Hebraici Authentiam ſuſtinent. Omnia enim ejus illuc tendunt, ut monſtret, Verſionem τῶν *LXX.* ipſo Hebraico textu eſſe potiorem; de qua lite inter ipſum, & alios, magna contentione eſt diſputatum. Huic ſc. textus Hebræi nimiæ æſtimationi imputat ille, quod non poſſint converti Judæi, & Lutheranos præcipue ipſos notat, ceu Lutherum hæreſeos damnantes, quod cuncta Hebraica floccifecerit, & pro Commento Rabbinico habuerit. Sed de hac lite illi viderint, ad quos illa pertinet. Adjungit huic Diſſertationi ſuæ *Reſponſionem ad Objectiones ſuperæ Criticæ ſacræ* RICHARDI SIMONIS, cujus prodiit Gallice liber hoc titulo: *Hiſtoire Critique ſur le vieux Teſtament,* ante aliquot annos editus Pariſiis. *b*) Eſt vero hic liber ad rogum damnatus

b) An veritati ſit congrua Autoris narratio de Rich. Simonis *Hiſtoria V. T. Critica* Pontificis juſſu combuſta, & Exemplo ejus unico flammis vix ſubducto, admodum me dubitare non diffiteor. Nec in præfatione enim Editionis Amſtelodamenſis, nec alibi, tale quicquam legiſſe recordor. Sed & Eruditorum nemo, quam parum Galli fulmina hodie morentur Romana, ignorat. Ceterum *Hiſtoriam* hanc *V. T. Criticam,* cujus Editio Gallica Septima An. jam 1685. Roterodami prodiit, & Verſio præterea exſtat Latina Natalis Alberti de Verſe aliquot poſt luſtris (ſecus ac Noſter eſt ominatus) exceperunt, *Hiſtoria Critica Textus N. T.* A. 1689. *Hiſtoria Critica Verſionum N. T.* A. 1690. *Hiſtoria Critica Commentatorum N. T. præcipuorum* An. 1693. & *novellæ in Textum &*

tus a Pontifice, & ægre unum exemplum ſalvatum, quod in Elzevirii manus incidit, ſtatimque Amſtelodami recuſum eſt, ſine Impreſſionis loco, & Typographi nomine. Multa illic habentur curioſius inquiſita circa hiſtoriam Libb. V. T. quæ multos injicere ſcrupulos apta ſunt. Taxarat ille Autor multa in Voſſianis, ad quæ Voſſius in Appendice reſpondet. Habebat in animo idem Autor Hiſtoriam N. T. ſed illa nunc æterno forte premetur ſilentio. Hæc de Autore hoc obiter dicta ſunto, cujus mentio potius ſpectaret ad Commentatores Biblicos.

6 Nos in Theologia naturali pergimus, & porro Autores illos recenſemus, qui illam e Gentilium placitis illuſtrant. Hic offerunt ſe primum illi, qui Philoſophica methodo totam hanc doctrinam tractant, inter quos præcipue laudandus RAYMUNDUS *de* SEBONDE, Philoſophiæ ac Medicinæ D. & Theologiæ Profeſſ. cujus lib. prodiit hoc tit. *Theologia naturalis, ſeu liber Creaturarum, ſive de homine, & de natura ejus, in quantum eſt homo, de his, quæ ſunt ei neceſſaria ad cognoſcendum Deum & ſeipſum, & omne debitum, ad quod homo tenetur, & obligatur, tam Deo, quam Proximo,* Francofurti A. 1635. in 8vo. Non parum æſtimatur a Grotio, qui ejus aliquot in locis meminit. Non deſunt alii e Scholaſticis, qui, vel totam hanc doctrinam, vel ex parte, tractant, de quibus partim aliqua ſupra diximus, partim aliis dicenda relinquimus. Adhiberi tamen in ſubſidium hic poteſt DAN. CLASENII *Theologia Naturalis*, qui Aut. diligentiſſimus e Scholaſticis pleraque collegit, ad hoc argumentum ſpectantia, ac poterit hic Locorum CC. inſtar eſſe. Exſtat & D. PETRI MUSÆI *Theologia Naturalis*, hactenus MSta, & inter Auditorum manus vagatur. Sunt & ex Recentioribus, hanc qui doctrinam methodo a vulgari Scholaſtica diverſa, & ſecundum ſua principia, proponunt, uti facit Carteſius in *Meditationibus ſuis de Prima Philoſophia*, cujus omnis illuc tendit ingenii ſubtilitas, ut e natura demonſtret Dei exiſtentiam animæque immortalitatem. Magnam ſane injuriam illi faciunt, qui Atheiſmi principia illum ſtabilitum iviſſe credunt.

7 Sequantur hos, qui vocata in ſubſidium naturali Theologia, religionis Chriſtianæ veritatem demonſtrare laborarunt. E quibus forte eſt primus MARSILIUS FICINUS, qui *de veritate Religionis Chriſtianæ* libellum ſcripſit, & ſeorſim, & cum ceteris ejus *Operibus*, editum, ſed tenuem admodum, nec magnæ rei. Quantum enim ex Platonicis capere poteſt, tantum inſtituto ſuo accommodat. Ludov. Vives dehinc idem argumentum ſingulari libro tractavit *de veritate fidei Chriſtianæ*, qui Baſileæ editus eſt Anno 1544. in 12mo, & recuſus Lugd. Batav. Anno 1639. Reperitur & inter cetera ejus *Opera* junctim edita. Scripſit & Eraſmus de hoc argumento, ſed parvum librum, uti & PET. RAMUS aliquem *de Religione Chriſtiana*, in 8vo, Francofurti 1577. editum. Vives autem elegantius pleniusque rem illam tractat,

Verſiones N. T. Obſervationes A. 1695. Quæ ſcripta omnia Gallico Idiomate, tria quidem priora Roterodami, poſtremum autem Pariſiis prodierunt. Taceo Apologetica, quæ Criticæ ſuæ Sacræ Anti-Criticis, Il. Voſſio, Joh. Clerico, aliisque compluribus, repoſuit, Schediaſmata.

ſtat, contra Ethnicos, Judæos, Mahumedanos, & perverſos Chriſtianos. Poſt illos plenius PHIL. MORNÆUS *de Pleſſis*, Nobilis Gallus, in *libro de veritate Religionis Chriſtianæ*, Gallice ſcripto, hunc fundum occupavit, Lugd. Bat. Latine reddito A. 1607. in 8vo. Liber optimus eſt, qui argumenta priorum, quanta potuit diligentia, conjunxit, uberius tamen teſtimoniis indulgens, quorum mihi videor in Steuchi libro deprehendere veſtigia. Poſt hos omnes HUGO GROTIUS eleganti libello rem iſtam tractavit, exiguo quidem, ſed pondere argumentorum pleno. Primo quidem Belgica lingua ſcripſit, in uſum popularium, ſed poſtea, a Viris magnis rogatus, auxit, & Latine reddidit, additis notis, ad intelligendum textum, neceſſariis. Non quidem multa ab ipſo afferuntur nova, ab aliis nondum tacta, ſed plenius tamen nitidiusque omnem argumentorum vim, quaſi in arctum, compegit, eaque elegit, quibus vis aliqua ineſſet, omnibus denique limatiſſimum ſuum judicium addidit. Noviſſime tandem prodiit Viri Celeberrimi, PET. DAN. HUETII *Demonſtratio Evangelica*, Pariſ. in fol. & eo ipſo anno recuſa eſt in Batavis. Liber inſcriptus eſt Delphino, ut illum averteret ab illorum judiciis, qui Chriſtianam religionem plerumque in aulis traducunt. Procedit Autor methodo Mathematica, per definitiones, & propoſitiones, putatque ſe veris uti demonſtrativis argumentis, ſed qualia rei natura eſſe permittit, iisque religionis Chriſtianæ capp. confirmat. Pugnat contra Judæos præcipue & Atheos. Poſtquam capp. fidei Chriſtianæ recenſuit, ad hiſtoriam Chriſti, & Libb. Veteris & N. T. certitudinem, ab omnibus dubiis vindicandam procedit, quod argumentum maximam iſtius libri partem occupat. Nam ad *γνησιότητα* illorum demonſtrandam omne ſtudium impendit, examinat omnia V. T. de Chriſto Oracula omniumque accuratiſſimum parallelismum inſtituit, Bened. Spinoſæ quoque argumenta & argumentatiunculas ſubinde vellicat & refutat, eas ſcil. quæ habentur in *Tractatu* ejus *Theologico-Politico*. Nam poſthuma Spinoſiana, cum ille ſcriberet, nondum prodierant. *c)* Crediderim ego, poſt aliquot annos novam ejus libri Editionem moliturum Autorem. Spectant huc, qui contra Gentiles e Patribus libros ſcripſerunt, uti fecerunt Origenes contra *Celſum* (quem in Anglia edidit Cantabr. Ann. 1658. pulcherrimoque *Commentario* illuſtravit Guilh. Spencerus,) Juſtinus Martyr *in Apologia*, Arnobius, Minutius Felix. Argumentum de ultimo judicio, & conflagratione mundi ſingulari libro, in fol. edito, e Philoſophis, ceterisque gentilibus Scriptoribus, illuſtravit HIER. MAGIUS, Vir doctiſſimus, Baſil. A. 1562. in fol. edito, & quidem ante Steuchum. Non argumentum hoc Steuchus ex parte tantum attingit. Eſt & alius quidam ALPHONSUS PANDULPHUS, Epiſcopus Comaclenſis, qui *Diſputationes de fine mundi* ſcripſit, in quibus, quæ a variis Philoſophorum Sectis

c) Recte conjectavit Morhofius, Pet. Dan. Huetium, Epiſc. Abrincenſem, novam *Demonſtrationis* ſuæ *Evangelicæ* moliturum eſſe Editionem. Prodiit enim illa Pariſiis A. 1690. in fol. ab Autore non ſolum recognita & caſtigata, ſed duabus etiam prioribus (Pariſiis An. 1679. in fol. & Amſtelod. A. 1688. in 8vo. excuſis) multis in locis auctior reddita, & Apologetica inſuper adverſus quorundam de Opere hoc cenſuras Præfatione inſtructa.

Sectis hoc in argumento naturali lumine ſunt conjecta, revelantur, & Evangelica Prophetica doctrina una recipitur & propugnatur, Bonon. 1658. in fol. Scripſit & *de veritate Religionis Chriſtianæ* GEORG. CALIXTUS. Contra Mahumedanos & Judæos integra Autorum ſylva eſt. Contra illos ſuo tempore ſcripturus erat GUILH. POSTELLUS, ac ſcripſit *in libro de Orbis terrarum Concordia*, ipſe in Orientem profectus Capp. doctrinæ Alcorani diligenter conquiſivit, ſed, ut erat Viro illi turbidum ingenium, ita parum dextre hoc in argumento verſatus eſt, in errores ſæpe incidens, & in diverticula multa excurrens. Adverſus Judæos Raymundi Martini *Pugio fidei* præ cereris placet. Sed de his ſuo in loco plura.

8 Chriſtianæ Religionis inſidiatores peſſimi ſunt illi, quos a naturali religione. NATURALISTAS vocamus. Horum ſe noſtro tempore major numerus oſtendit. Sunt enim ex illis, qui religioni Chriſtianæ colorem ex his rebus quærunt, ſunt, qui directe everſum eunt. Nota ſunt de Vanino ejusque Sectatoribus omnia. Edv. Herbertus in ſuis *Libb.* mire lubricus eſt, & qui ex eodem fonte hauriunt, Thom. Hobbeſius, & Ben. Spinoſa. Contra Herbertum pauca ſcripta ſunt. Petri Muſæi adverſus illum exſtat docta Diſſertatio. Scripſit & quædam adverſus illum Joh. Muſæus. Hobbeſii doctrinam e popularibus magno numero refutarunt Viri non docti ſolum, ſed & pii. Nemo autem Spinoſa nequior eſt, ut patet ex ex ejus *Tractatu Theologico-Politico*, & *Scriptis poſthumis*, inprimis *Ethica*, in qua omne reconditum hominis virus eſt. Illic enim quaſi arcem exædificat, & e fundamentis excitat, quæ antea tantum ruditer delineata erant *in Tractatu Theologico-Politico*. In hoc ad evertendam authentiam Sacri Textus argumenta undique congeruntur; in *Ethica* vera Atheiſmi fundamenta ſternuntur. Optandum eſſet, ut aliquis eadem hanc refutet methodo, quam ille Mathematicam jactat, & qua uſus eſt in adſtruendo Atheismo. Sed hactenus leviter tantum contra illum pugnatum eſt, niſi quod Lambertus a Velthuſen ſingularem contra illum Diſſertationem ſcripſit, brevem quidem, ſed tamen argutam. Henricus Morus quidem illud tentavit, non autem data opera egit. In Belgio Ultrajectinus Prof. Regnerus a Mansfeld, *Tractatum* ejus *Theologico-Politicum* aggreſſus eſt, quem tamen, ut Hominem ſuarum rationum & argumentorum ignarum, ridet exſibilatque Spinoſa. Neque omittendum eſt, quod ſupra diximus, Huetium data occaſione in illum *in Demonſtratione Evangelica* incurrere. Noviſſime operam illam ſuſcepit Guilielmus a Blyenburg, qui *Ethicam* ejus eadem methodo refutavit.

9 Spectant & huc, qui de ATHEISMO, vel hiſtorice, vel dogmatice, vel Elenchtice, ſcripſerunt. Exſtant in GISB. VOETII *Diſſertationibus* quædam de Atheiſmo, in quibus varia coacervavit, ad hoc argumentum ſpectantia, ſed legendus eſt cum judicio, quo ipſe non adeo utitur. In Scriptis enim ſuis coacervat ſine diſcrimine digna, indigna, laudat Autores, eorumque loca, ſibi interdum non viſa. & libb. nunquam editos. Utilis tamen ejus eſt labor, ob varia Collectanea, quibus interdum feliciter uti poſſumus. Ejus certe *Diſputationes de Atheiſmo* anſam dederunt aliis, ut de ſimili argumento ſcriberent, qui pene omnia illinc cepere, alia tantum forma

forma Opêri addita. De THOM. CAMPANELLÆ *Atheiſmo Triumphato* ſupra diximus, in quo objectiones Atheorum adducit, & e regione illarum ponit reſponſiones, quæ tamen ipſis objectionibus frigidiores ſunt. Et ſunt, qui compertum ſe habere putant, cum moliretur hunc librum Campanella, voluiſſe illum inſcribere *Atheiſmum Triumphantem*, ſed auſum non fuiſſe, ne rem malam ſuo ſibi jumento accerſeret. Utinam prodiiſſet in lucem, quem PAULUS SARPIUS molitus fuit, liber hujus argumenti, *quod Atheiſmus repugnet naturæ humanæ*, teſte Fulgentio *p. 134. in Vita ejus.* Sine dubio enim argutiſſima produxiſſet argumenta ad Atheiſmum exſtirpandum. Quantum enim titulus libri arguit, vel ex geneſi hominis, vel ex partium ejus conſtitutione, argumenta ad Dei exiſtentiam probandam elicere voluit, uti eſt ſane in hoc maximum ad Atheos convincendos præſidium. Certe Henr. Morus, qui *Antidotum adverſus Atheiſmum* ſcripſit, non aliis uti argumentis voluit. Qui Atheiſmum propagarunt, & libri horum tam editi, quam inediti, ſub exordium hujus Operis, *T. I. Lib. I. c. 8.* producti ſunt. Feci illic mentionem *Jul. Cæſ. Vanini* & *Joh. Bodini.* Uterque *Dialogos* ſcripſit. Illius quidem editi ſunt, ſed raro ſolent vendi, niſi in Auctionibus, & quidem magno pretio. Hujus Dialogi non ſunt editi, ſed manuſcripti latent. *d*) THEOPH. SPITZELIUS aliquot libellos ſcripſit ad hiſtoriam Atheiſmi ſpectantes, exſcriptos e Voëtii *Diſſertatione.* Tum & ANTONIUS REISERUS *Diſſertationem Epiſtolarem* ſcripſit *de Origine, Progreſſu, & Incremento Atheiſmi*, ubi multa ſcitu digna occurrunt, Auguſtæ Vindel. A. 1669. in 8. editam. FRANCISCUS CUPERUS librum ſcripſit, cui tit. *Arcana Atheiſmi revelata*, Roterodami An. 1676. in 4to. editum. Sed Autor ille non adeo ſincerus mihi viſus eſt. Promittit, ſe multa arcana argumenta propoſiturum, quibus Athei uti ſoleant, & quæ ex converſatione cum illis didicerit. Non video tamen plura eſſe ab illo prolata, quam ab aliis in hoc nequitiæ ludo anteſignanis, &, ſi quædam ejus loca recte ponderentur, leviter tractare rem ſæpe videtur, & cauſæ bonitatem prodere. Scio, multos eſſe, qui hocce tractant argumentum, & quidem ſpiſſis libris, ſed plerique non ſatis ad hanc cauſam inſtructi, nec iis utentes armis, quibus, ad hanc hydram conficiendam, uti debebant. Solent enim pro fundamento uti locis Scripturæ, quæ non admittunt adverſarii; illam enim ipſi in controverſiam vocant. SAM. PARCKERI ſupra mentio eſt facta, cujus *Liber contra Atheiſmum* Anglice editus eſt Lond. A. 1669. in 8. Spectantque huc etiam Ejusdem *Tentamina Phyſico-Theologica*, Londini A. 1665. in 4to.

d) Joh. Bodini *Dialogorum de Abditis rerum ſublimium Arcanis* MStorum, & Hiſtoriam elegantem, & Cenſuram accuratam, Theologus dedit πελυμαθέστατος, Joh. Diecmannus *in Schediaſmate de Joh. Bodini Naturaliſmo Inaugurali*, Kilonii A. 1683. in 4to. publicato. Theophili Spizelii, Eccleſiaſtæ in patria Auguſtani, tria adverſus Atheos prodierunt Opuſcula: *1. Scrutinium Atheiſmi Hiſtorico-Ethiologicum*, Auguſtæ A. 1663. in 8vo; *2. Epiſtola de Radice Atheiſmi, ad D. Henr. Meibomium Juniorem*, Ibid. A. 1666. in 8vo: *3. Epiſt. de Atheiſmo eradicando, ad Aur. Reiſerum, cui acceſſit Pius Literati Hominis Seceſſus*, ibid. 1669. in 8vo. Conferri etiam poteſt ejusdem *Felix Literatus ex Infelicium Periculis & Caſibus*, *ſive de Vitiis Literatorum Tractatus*, Auguſtæ A. 1676. in 8vo. editus, cujus *Commentatio I.* (*p. 89-202.*) *de Literatorum quorundam Impietate, ſive Atheiſmo*, diſſerit.

edita, in quibus de mundi æternitate vel origine, Generis humani ortu, Corporis humani ſtructura, Anima Mundi, & ſimilibus Argumentis, contra Atheos, ex principiis Phyſicis, diſputatur. Nec omitti debet hoc in loco Domini D. Christoph. Franckii Diſſertatio, cui tit. *Atheus convictus*, in qua Atheorum & Epicureorum argumenta conquiruntur diligentiſſime, & ad ea reſpondetur. Christophori Joach. Jani *Atheus refutatus, & ad veram Religionem converſus* quoque exſtat, in quo agitur de Atheis, & eorum ſectis variis, ac quomodo illi rationibus refutari, & ad veram Chriſtianæ Religionis agnitionem adduci poſſint. Editus eſt Jenæ A. 1668. in 4. Verum non ea argumenta adducit, quæ rem omnino conficiant. Procedit per Oppoſitiones, & Reſponſiones, & S. Scripturæ loca, cum Reſponſionibus, ſimul adducit. Pleraque tamen collegit e Scholaſticis, quæ apud illos ſolent diſputari hoc ſuper argumento. Scripſit & Joh. Lud. Fabricius, Prof. Heidelbergenſis, *Apologeticum pro genere humano, contra Atheiſmi calumniam*, quo demonſtrare laborat, nullam eſſe gentem, quæ Atheiſmi convitio traduci poſſit, atque adeo omnes adducit, quæ vulgo ejus inſimulantur apud Itinerariorum Scriptores & Hiſtoricos, demonſtratque, illas non poſſe Atheas dici. Additus eſt iſte *Meditationibus* ejus, An. 1663. Heidelb. in 4. editis.

10 Sunt &, qui Atheiſmi crimine infamare volunt Autorem *Religionis Medici*, cui nomen Thomas Browne. Erat is Medicus Londinenſis, & male audiebat apud ſuos de non optima religione, qua calumnia inductus, ut vindicaret nominis ſui exiſtimationem, librum ſcripſit hujus tituli. Scripſerat & antea alios quosdam Libb. Theologici argumenti. *Religio* autem *Medici* Anglice edita fuit, & poſtea Latine reddita a Joh. Meryweather. In librum hunc *notas* ſcripſit Levinus Nicol. Moltkenius, non contemnendas, præfationemque addidit, qua de occaſione Scripti, & Autore ipſo, plenius agit. Latina editio eſt publicata Argentorati A. 1665. in 8vo. Ante XII. circiter annos prodiit Liber ille Anglice, auctior ab ipſo Autore, & erant quorundam additi Diſcurſus ſuper libri hujus nonnullis argumentis, inter quos præcipue ſunt Kenelmi Digbæi *Obſervationes in Religionem Medici*, quæ etiam ſeorſim editæ ſunt Londini A. 1643. in 8. Quod ejus ſententiam & dogmata attinet, quanquam liberius forte judicet de nonnullis religionis Articulis, pro Atheo tamen habere nolim, quod mihi videor ex ejus multis ſententiis, quæ ſerio prolatæ ſunt, deprehendere. Scripſit & *Cenſuram* in eam Alex. Roſſæus, præcipue tamen in alterum ejus librum, quem Anglice ſcripſit *de vulgaribus erroribus*, quæ Cenſura reperitur in libro Roſſæi, cui tit. *Arcana Microcoſmi*, A. 1652. Lond. in 8. edito. Quod vero attinet hunc Brownii Librum, editus ille olim eſt Lond. in folio, Anglice ſub Titulo *Pſeudo-doxie Epidemice*, & poſtea, Belgice redditus a Joh. Grundal, Amſtelodam. A. 1668. in 8. ſub Tit. Beſchriving van verſcheden allgemeene Dwalinge des Volcks. Continentur hoc in libro quidem pleraque Phyſica, ſunt tamen & aliqua, quæ ad Theologiam poſſunt referri.

Feci

Feci ſupra mentionem BENED. SPINOSÆ, & libri ab illo ſcripti, cui titulus: *Tra-* 11
ctatus Theologico-Politicus. Librum hunc præceſſerat alius quidam, hac inſcriptione: *Philoſophia Scripturæ S. Interpres.* Illum huic Autori tribuunt quoque, nam in eo quaſi fundamenta ponuntur paradoxarum ſententiarum. Liber a multis refutatus eſt per Belgium, e quibus tamen præ ceteris laudandus eſt Ludov. Wolzogenius. Liber Spinoſæ editus eſt Eleutheropoli, loco ficto, A. 1666. in 4. Reſpondit huic quidem ſingulari libro *Petrus Serrarius*, Amſtelod. A. 1664. in 4. edito; ſed ille non ſatis philoſophica methodo procedit, Vir quidem pius, ſed ad convellendas Hæreticorum & adverſariorum ſententias parum argutus, pronior etiam quodammodo ad Enthuſiasmum. Scripſit enim Gallica Lingua librum, quo defendit ſatis operoſe Mille annos Apocalypticos. Circumfertur & *Ars nihil credendi*, cujus mentio fit apud Voëtium *in Diſputatione de Atheiſmo*, & apud Spizelium *in Scrutinio Atheiſmi.* Tribuitur cuidam Gothofredo a Valle. Eſt & alius Lib. cui tit. *Cymbalum mundi.* Hujus meminerunt, tum Voëtius, tum Spizelius, & Autorem ejus faciunt Bonaventuram de Periers. Henricus Stephani ejus quoque meminit *in Apologia Herodoti, cap. 26. p. 364.* Marinus Merſennus *in Geneſin p. 669.* vocat eum de Perez. Qui & ipſe Merſennus, in illo *Commentario*, ſatis curioſus eſt, in rimandis illis, quæ videntur adverſus autoritatem textus ſacri adduci poſſe. Magna certe diligentia conquiſitæ apud illum ſunt Objectiones, quæ a profanis hominibus adferri ſæpe ſolent. Neque tantum ſubſiſtit in iis, quæ Geneſi Moſaica continentur, ſed per tota Biblia ſe diffundit. Argumentum iſtius libri, qui *Cymbalum Mundi* vocatur, refertur apud Spizelium. Idem & alterius meminit libri, cujus argumentum, & Tit. *de eo, cur receptum ſit Evangelium.* Exſecrabilem eſſe hunc librum ajunt, qui videre.

Adverſus peſtifera horum nebulonum dogmata, quoniam ſacras literas con- 12
temnunt, nullum eſt efficacius argumentum, quam quod e Philoſophicis, & Hiſtoricis gentilibus, contra illos ſumitur, quo in genere ſupra laudatus Sreuchus palmam fert. Eſt & alius liber cujusdam Anonymi, cujus meminit Gaddius *in Lib. de Scriptoribus Non Eccleſiaſticis, Tom. I. ſub voce Anonymi, p. 30.* quo is teſtimonia de Chriſto collegerit, loca ſc. integra Veterum librorum Græca, Perſica, Thracica, Ægyptiaca, Babylonica, Chaldaica, & Italica. De Trinitate etiam, de Verbi in carnem adventu, ſignis divinis, reſurrectione, aſcenſione, de S. Spiritus ignitis linguis, de Judicio, de Paradiſo, Græcos, ceterosque populos, jam tum philoſophatos eſſe, oſtendere ille conatur. Exſtat & Diſputatio CHRISTIANI HOFMANNI, cui tit. *Umbra in luce, ſeu Conſenſus & Diſſenſus religionum profanarum cum veritate Chriſtiana*, Jenæ edita A. 1677. in 4. quæ iſtud argumentum tractat. Velut ſpicilegium, poſt aliorum meſſes, ſuperiore Anno TOBIAS PFANNERUS integrum *Syſtema Theologiæ* edidit, ſecundum omnes Locos Theologicos e Gentilium Philoſophorum Scriptis adornatum, qui, quamvis Duces habuerit ea in re Steuchum, aliosque, eleganti tamen methodo & delectu rem omnem inſtituit. *c*)

c) Ad hanc quoque claſſem pertinent Pet. Dan. Huetii *Quæſtiones Alnetanæ* (ab Agro, in quo

13 Venimus jam ad Autores Philologicos Bibliothecarios, quorum præmitti notitia debet. Habemus vero perpaucos, imo pene nullos, qui pro dignitate rei hoc argumentum tractarunt. De Sixto Senenſi, & Ant. Poſſevino ſupra diximus. Paulus Bolduanus & Georg. Draudius nudi ſunt Nomenclatores, imo vix illud nomen merentur. Multi enim in illis ſunt errores & ſphalmata. E Reformatis habemus quosdam, qui Ideam aliquam ejus Operis animo conceperunt. Et Gisbertus quidem Voetius librum ſcripſit, cui tit. *Exercitia & Bibliotheca Studioſi Theologiæ*, ſed ille, in alienis occupatior, ne ſuum quidem negotium recte curat. *f)* Bibliothecam enim ſcriptæ ſunt, Alnetano ita dictæ,) ſive *de concordia Rationis & Fidei Libri III.* Cadomi A. 1690. in 4to editi, & curante Frid. Bened. Carpzovio, Lipſiæ A. 1692. in 4to. recuſi. Cujus Operis eximii, Dialogo inter Autorem & Joh. Bapt. Hamelium, Philoſophum Galliæ Celeberrimum, perpetuo concinnati, *Liber I.* Conſenſum Religionis Chriſtianæ & Sanæ Rationis generatim aſſerit, ſuisque Limitibus circumſcribit, *Illas* autem in Credendis, ſive Doctrinæ Chriſtianæ Articulis, ac *Illius* in Agendis, ſeu Vitæ Morumque præceptis, eundem e Paganorum Philoſophia, Hiſtoria & Mythologia, Scriptorumque varii generis Ethnicorum Monumentis, ſpeciatim oſtendunt. Idem Argumentum pertractare voluit Adamus Tribbechovius, in *Collatione Theologiæ Gentilis cum Divina*, quam, *non tam affectam, quam confectam*, eſſe, Anno jam 1667. *in Hiſtoria Chiliaſmi c. 1. §. 2.* eſt teſtatus, cujusque *Specimen de Statu Animarum poſt mortem, Fine Seculorum, & Pœnis Præmiisque æternis*, biennio ante, *in Catalogo Nundinarum Anni 1665. Vernalium*, publice promiſerat. Sed & *Collationem* præterea *Hiſtoriarum S. Codicis cum Fabulis Gentilium* idem a ſe juſſit expectari, cujus præguſtum exhibet *Diſſert.* elegans, *Veritatem Creationis Mundi, prout a Moſe eſt deſcripta, in Traditionibus Gentium, & Vetuſtiſſimis Antiquitatis profanæ Monumentis, ad convincendos Atheos, oſtendens*, Kilonii A. 1668. in 4to edita, & in Thomæ Crenii *Faſciculo I. Diſſertationum Hiſtorico-Philologicarum* Roterod. A. 1691. recuſa. In hac ſequentia *p. 18.* de toto oſtendes Opere, ſalivam tibi haud dubie motura. *Quod ſi & tenuis noſtra hic allegari Opella mereatur, affirmare certe ausim, ne unicam quidem alicujus momenti Hiſtoriam, ſuæ autem omnes permagni, in S. Scripturis occurrere, cujus transſcriptum exemplum, in profanis Gentium Scriptis, non deprehenderim.* Utinam illud, una cum Val. Henr. Vogleri, Prof. Medici Helmſtad. Doctiſſimi, *Mythologicis* (quæ in ſimili verſata eſſe argumento, Caſp. Sagittarius, ſpem Editionis illorum ſimul injiciens, A. 1675. *in Exerc. ad Juſtini Hiſtorici Lib. II. c. 1. §. 6. p. 9.* ſignificavit,) in lucem propediem, ſi vel maxime lima haud acceſſerit ultima, protrahatur publicam!

f) Gisb. Voëtii *Bibliothecæ Studioſi Theologiæ* Editio Tertia, quæ Francofurti A. 1685. in 12mo. prodiit, ac in Titulo, ceu prioribus auctior atque emendatior, falſo commendatur, harum menda, crebrosque Autoris errores, novis cumulavit ſphalmatis. Severini Waltheri Sluteri *Propylæum Hiſtoriæ Chriſtianæ* multo quidem auctius Lüneburgi A. 1696. in 4to eſt recuſum, ſed nihilo tamen minus valde adhuc mancum ac imperfectum. Palmam certe illi extorquet, quæ biennio ante, A. 1694. ſcil. Jenæ in 4to prodierat, Caſp. Sagittarii, eximiæ eruditionis Theologi atque Hiſtorici, *Introductio in Hiſt. Eccl. & ſingulas ejus Partes, ſive Notitia Scriptorum illius Veterum atque Recentium*, cujus *Tomum alterum poſthumum*, a Joh. Andr. Schmidio, Theologo Helmſtadienſi ἰσορινωτάτῳ, recognitum & luculentis auctum Acceſſionibus, cupide Eruditi expectant, &, ut promiſſis Vir doctiſſimus quamprimum ſatisfaciat, efflagitant.

enim Studioſi Theologiæ deſcripturus, omnem non ſolum Encyclopædiam Philoſophicam, ſed & omnia alia, rebus ſuis immiſcet. Præcipue illic obvii craſſiſſimi ſunt errores. Venditantur Autores nunquam editi, &, qui de argumentis alienis ſcripſere, ille ad ſui argumenti Scriptores refert. Editus eſt ille Lib. Ultrajecti. An. 1651. in 12mo. Edidit & Gerh. Meierus, Bremenſis, *Bibliothecam Theologicam*, methodo quidem ſatis concinna, ſed admodum conciſam, nec ſatis perfectam. E noſtris quem nominare poſſim, neſcio, niſi quis Georg. Calixti *Apparatum Theologicum* hunc in cenſum referat. Sed ille vaſtius argumentum animo complexus erat, nec tantum de Scriptoribus Theologicis agere in animo habuit, ſed de omni Apparatu Theologico in univerſum. Magnam certe fecimus jacturam in hujus libri defectu, paucula enim tantum attigit, ſed profecto eruditiſſima, & profundam antiquitatis & Hiſtoriæ, tam Sacræ, quam Civilis, cognitionem ſpirantia. Nuper SEVERINUS WALTHERUS SLUTERUS *Propylæum Hiſtoriæ Chriſtianæ, ſeu enarrationem methodicam Scriptorum ad Hiſtoriam Eccleſiæ Chriſtianæ, facientium* Francofurti A. 1680. in 12mo edidit, ſed pauca ſunt illa, ac multis modis ampliari poſſunt, uti forte faciet Autor cum ad curas ſecundas deſcendet. Faciunt huc quodammodo *Autores, qui de Uſu Patrum* quædam commentantur e variis religionibus, inter quos merito ſuo commendari debet præſtantiſſimus Joh. Dallæus, cujus *de Uſu Patrum, & Pſeudonymis & ſuppoſititiis* illorum Libri exſtant, magna Antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitione referti. MSStos libros Eccleſiaſticos, & Theologicos nonnullos, Theoph. Spicelius dedit in libro, cujus titulus: *Illuſtrium Bibliothecarum Arcana retecta*, de quo ſupra egimus. Spectat huc quoque liber Joh. Henr. Hottingeri, quem inſcribit *Bibliothecarium Quadripartitum*. Nam in toto Opere hoc ſibi præfixit, ut oſtenderet, quomodo Bibliotheca Theologica adornanda ſit. Hujus argumenti occaſione ad ſingulas Theologiæ partes procedit, accurate omnia dividens, & potiſſimos in ſingulis autores indicans. Liber eſt utiliſſimus Theologiæ Studioſo. Nam, ut erat Vir πολυμαθέστατος, ita magna cura conquiſivit, quæ quomodocunque ad argumentum, quod tractat, ſpectant. Pene optimus eſt in hoc argumento: nam, & methodo concinna utitur, & ubique judicia ſua interſpergit non contemnenda.

Nunc procedimus ad fontem ipſum Theologicorum dogmatum, BIBLIA ſcil. 14
codicemque ſanctum. Ejus libri quomodo dividantur, notum eſt omnibus. Multa hic notari poſſent de variis Bibliorum Editionibus, tum V. tum N.T. variisque Verſionibus in linguas varias. Quod Editiones attinet, variæ proſtant V. T. vel ſine verſione, vel cum verſionibus, quas enumeratas vide *in Bibliotheca Thuana*, ubi pene omnes illæ Editiones comparent, præter recentiorem Anglicam, a Briano Walthono procuratam, cum verſionibus omnibus Orientalibus, Græcis & Latinis. Quod magnificum ſane Opus Complutenſem Codicem, aliosque omnes, longo poſt ſe intervallo relinquit, quanquam tamen non deſunt, qui & in illa Editione non pauca deſiderant. Præmiſit Walthonus Tomum integrum, quem vocat *Apparatum*, quo expenduntur omnia illa prælimimaria circa textum Hebraicum & Verſiones ac controver-

troverſiæ circa authentiam Hebraici textus, quod argumentum ante illum inter Lud. Capellum & Joh. Buxtorfium diſputatum eſt, & ante aliquot annos a Domino D. Matthia Wasmutho. *Apparatus* ille in Epitomen a nonnemine redactus eſt, ac *in duodec.* editus, uſui futurus illis, qui vaſtum iſtud Opus parare ſibi, vel nolunt, vel non poſſunt. De ceteris conſulendus eſt Hottingerus, in ſua *Bibliotheca Theologica, Lib. I. c. 1.* quo agit de Bibliorum exemplaribus Authenticis, Hebræis Veteris, & Græcis N. T. tam MSStis, quam impreſſis, & *cap. ſequente ſecundo*, quo agit de Editionibus Polyglottis, *g*) omnesque ad examen vocat, judicio de ſingulis inſtituto. Judicat & ibi de Opere Eliæ Hutteri Biblico, quod ſcil. diſtinctio Literarum ſervilium & radicalium, in Textu Hebraico Hutteriano, diſcentium conatui plus obſit, quam proſit. Idem refert, Biblia illa (quæ vulgo Tetraglotta ſunt) Noribergæ excuſa eſſe XII. linguis. Multa hic poſſent de variis Bibliorum translationibus dici, de quibus peculiari cap. 3. agit Hottingerus, ubi omnium gentium verſiones recenſet. Qui hoc argumentum plenius tractavit, laudari debet Petrus Dan. Huetius, Vir omnium literarum peritiſſimus, cujus exſtant *de Interpretatione libri duo*, quorum *primus* agit *de optimo interpretandi genere, alter de claris Interpp.* Quanquam autem liber iſte in genere, de omni interpretandi & transferendi ratione, agat, de qua nil hactenus erat præceptum, ſe tamen per omnes diſciplinas diffundit, & quidem in ſingulis, qua cura quid converſum ſit, disquirit, addito ubique limatiſſimo judicio. Occaſione itaque illa de Bibliorum verſionibus etiam plerisque egit, magno hoc in argumento uſui futurus. Cui tamen Autori hoc vitio vertere poſſis, quod iniquior paulo videatur in Germanos. Liber ille, olim Pariſiis editus in 4to, erat admodum rarus, ſed nunc Stadæ recuſus eſt A. 1680. in 8. Jungi poteſt huic libro ejusd. Autoris *Demonſtratio Evangelica*, cujus ſupra mentionem fecimus, in qua γνησιότης omnium Scripturæ librorum ordine oſtenditur. De his libris non paucæ intercedunt nobis cum Pontificiis controverſiæ, de quibus libros ſingulares ſcripſit Dominus D. Chriſt. Kortholtus, alterum *de Canone Scripturæ S.* alterum *de variis verſionibus*, hic Kilonii editos. *gg*) De variis verſionibus Germanicis antiquiſſimis egit Hottingerus. Eſt & in Gothicam Linguam converſa bona Evangeliorum Pars, quæ a Franciſco

g) De Bibliis Polyglottis, poſt Hottingerum, fuſius commentati ſunt, & conferri cum illo merentur, Chr. Kortholtus *in Tr. de Variis S. Script. Editionibus, Cap. XXI.* & Wilh. Ern. Tenzelius in peculiari de iis *Diatriba*, Witteb. A. 1686. in 4to edita.

gg) De Verſionibus Bibliorum Germanicis, ante Lutheri Translationem, concinnatis atque evulgatis, præter eundem Hottingerum (*Lib. II. Bibliorh. Quadrip. c. 3. §. 2. p. 146-154.*) conſulendi C. Kortholtus in Edit. poſteriore atque auctiore Tractatus modo laudati, c. 25. Joh. Frid. Mayerus in *IV. Diſſertationibus, Hiſtoriæ Verſionis Bibl. Germanicæ Lutheri*, Hamburgi A. 1701. excuſæ, ſubjunctis, Joh. Reiskius *in Diſſ. Epiſtolica ad Mayerum*, eidem addita, & Georg. Frid. Magnus Gymnaſii Auguſtani Rector, *in Diſp. de Antiquis S. Scripturæ Verſionibus Germanicis, Auguſtæ excuſis*, A. 1690. publicata, cujus recenſum Dn. Tenzelius, *in Dial. Menſtr. Germ. M. Aug. A. 1692. p. 670-698.* exhibuit.

ciſco Junio edita ſunt cum Commentariis, quorum & ſupra mentionem fecimus. *ggg*).

Sequuntur COMMENTATORES BIBLICI; qui vel *Critici* ſunt vel *Exegetici*. CRITICORUM magnus eſt numerus, tam illorum, qui in Biblia univerſa, quam qui in libb. ſingulares ſunt commentati; tum qui de argumentis peculiaribus egerunt. Horum Autorum Syllabum, quaſi per lancem ſaturam, dedit Hottingerus *Lib. I. cap. 5.* ubi agit *de Criticis Biblicis*. Quidam illorum contulerunt inter ſe Exemplaria MSSta, quidam Verſiones, uti Ludov. de Dieu, Arnoldus Botius, Johannes Viccars. In univerſa Biblia exſtant *Commentaria Critica* HUGONIS GROTII, quæ noviſſime edita ſunt 4. *Tomis in folio*, ap. Blavium, cum abſolutiſſimis Indicibus Autorum, rerum, Locorum Scripturæ, quorum maximus in exegeſi uſus eſſe poteſt, exceptis Locis Socinianiſmum ſpirantibus. Hoc enim morbo Grotius laboraſſe dicitur. Prima horum *Commentariorum* Editio ſine Indicibus eſt, ideoque ad uſum non ita accommodata. Alteri Editioni, præter Indices, acceſſere novæ quædam Autoris notæ, & peculiares quidam libri. De his Commentariis hoc notandum eſt, in Rabbinorum locis citandis, & explicandis, non raro eos fallere. Secutus enim plerumque aliorum fidem eſt Grotius, linguarum Orientalium non adeo gnarus. Plurima horum errorum ſpecimina notavit harum literarum peritiſſimus Dominus *Esdras Edzardi*, quæ ipſe mihi aliquando oſtendit. Ceteri Commentatores Critici, nec legi ab omnibus, nec enarrari a nobis, omnes poſſunt. Quare non inutilem laborem ſuſcepit MATTHÆUS POLUS, qui ex omnibus Criticis Scriptoribus extraxit illa, quæ faciunt ad intelligentiam locorum Scripturæ, illaque Bibliis, juxta ordinem librorum, capitum & verſiculorum, diſpoſitis, inſeruit, annotatis ſemper Autorum locis. Quanquam Epitomarum, & Compendiorum, inglorius ſæpe & noxius labor ſit. Vix enim ſemper ita aſſequitur mentem Autoris Epitomator. Laudanda tamen illa eſt opera, quæ multis modis utilis eſſe poteſt, ob ſeriem illam librorum, & ob laboris compendium. Liber ille olim impreſſus in Anglia, magno conſtabat pretio, & vix haberi poterat, cujus Exemplaria incendio Londinenſi erant abſumpta. In Germania itaque recuſus eſt, ac vendi ſolet XX. circiter Imperialibus. Ad Commentarios Criticos refert Hottingerus & Lexica Biblica, Concordantias & Encyclopædias Sacras, quæ tamen huc non adeo ſpectare videntur. Concordantiæ enim, etſi utiliſſimæ ſunt ad explicationem Locorum Parallelorum, ad inventiones argumentorum in Homileticis, pro ſe tamen nihil explicant, ſed purum putum Indicem

ggg) De Gothica IV. Evangeliorum Verſione, & recentiori illius Editione, poſt Junianam, a Georg. Stiernhelmio Upſaliæ An. 1671. in 4to curata, & Translationibus eorundem Vulgata Latina, Suecica & Islandica, παραλλήλως adjectis, aucta, vid. Joh. Schefferi *Sueciam Literatam p. 190. Hyponnemata* ad illam noſtra *p. 401. 402.* M. Georg. Frid. Heüpelii, Argentinenſis, *Diſſ. de Ulphila, ſeu Verſione illius IV. Evangeliorum Gothica*, Witteb. 1693. editam, aliosque Autores *in Hypomn. l. c.* allegatos.

dicem præſtant. Encyclopædia tantum abeſt, ut ad Criticam pertineat, ut inutiliter quæri videatur. De quibus Encyclopædiis quid ſentiam, ſupra aliquoties dixi.

16 Exegetici Autores alterum ab his locum occupant, ſuntque illi, qui in vero Scripturæ ſenſu indagando occupantur. Horum magnus eſt ab omni ævo numerus, quibus recenſendis integro libro opus eſſet. Exegetæ primo ſunt, qui Paraphraſin librorum Scripturæ dederunt, qualem laborem in N. T. ſuſcepit Erasmus, qui cum ceteris ejus Operibus editus eſt in fol. & in 4to recuſus. Multos Vir ille his ſuis Scriptis contra ſe provocavit, qui paſſim quid in interpretationibus ejus deſiderabant. Nominatim contra illum inſurrexit Edvardus Leus, qui *Annotationes in N. T. Eraſmi* ſcripſit, ad quas *Annotationes Reſponſiones* ſuas edidit, & *Apologiam paraphraſeos principii Evangelici Johannis: In principio erat ſermo;* in qua Paraphraſi deprehendere aliquid ſibi viſi ſunt nonnulli, quod Arianiſmum ſaperet. Additæ ſunt literæ doctorum Virorum, & ipſius Eraſmi, de hoc negotio. Editi ſunt hi libri Baſileæ, apud Frobenium, A. 1520. in 4to. Scripſit & Alphonſus Henriquez *Defenſionem pro Eraſmo, contra Edvardum Leum, & Univerſitatem Pariſienſem*, quæ *in Claſſe ſecunda Indicis Expurgatorii Hiſpanici* perhibetur. Fuerunt Paraphraſes illæ diu uſitatæ, jamque olim in Synagoga Judaica, eſtque ille modus interpretandi ſimpliciſſimus. Præterea illas, quas habemus, Orientalium V. T. paraphraſes, aliasque interlineares ac Germanicas, quæ omnibus ſunt notiſſimæ, & de quibus pleniſſime agitur apud Scriptores hujus argumenti Bibliothecarios. De Paraphraſibus Chaldaicis, præter alios, ſingulari libro egit Auguſtus Pfeifferus, Witteb. A. 1665. in 4to edito. Legi & Walthonus *in Apparatu* prolixe poteſt. Exſtant & Paraphraſes & Interpretationes quorundam Cabaliſticæ & Myſticæ, quæ tantum abeſt ut ſint Exegeſes, ut novas potius Exegeſes ſuorum ænigmatum requirant. Nemo in iis fœcundior eſt Judæis, qui miras ſunt commenti inprimis ſuper Moſis libb. fabulas, & qui e Chriſtianis Enthuſiasmo quodam Judaico ſunt afflati. Multus in his Interpretationibus myſticis eſt Henricus Morus, Theologus Anglus, cujus *triplex ſuper Geneſin Cabala* exſtat, *literalis, naturalis, moralis*, mirum e Philoſophia Platonica, Carteſiana, & Rabbinorum traditionibus Chaos. Poſſunt Exegetæ diſtingui ſecundum ætates & religiones. Quod ætates ſpectat, primo ponendi ſunt Patres, qui in Biblia ſunt commentati. Hos, ſecundum ordinem temporum, & ſeculorum, ſatis diligenter collocavit Autor *Bibliothecæ Thuanæ*, ſed illic non habentur alii, quam qui in Bibliotheca Thuana continebantur. Reperiuntur & in MSStis Codicibus, *Thuanæ Bibliothecæ* ſubjunctis, Commentatores e Patt. Græci & Latini inediti. Multa talium olim Origenes ſcripſerat, Καλχέντερος hac de cauſa dictus, quæ pleraque perierunt. *b)* Ejus tamen *Commentarium ſuper Joh. Evange-*

b) Editus quidem eſt Origenis *Comm. in Johannem*, tum Latine, ex Verſione Joach. Perionii, in Antiquioribus Operum ejus Editionibus, tum Græce, *in Exegeticorum, quæ Græce reperiri potuerunt*, Editione Anni 1668. Rhotomagenſi Græco-Latina, a Pet. Dan. Huetio, cum Notis & Obſervationibus ſuis publicata. Sed utrobique mutilus eſt & imperfectus,

angelium refert se vidisse MStum & integrum, apud Arsenium Calutum, Hieromonachum Græcum in urbe Corsa, Jac. Sponius *in Itinerario suo, P. II. p. 27. Editionis Germanicæ*, ubi habentur multa observatu dignissima. Recentiorum temporum Exegetas, secundum religiones varias, satis diligenter recenset Hottingerus *in Bibliothecario quadripartito, lib. I. c. 6.* ubi de illis plura possunt legi.

17 Transimus ad *Locorum Communium* THEOLOGICORUM *Scriptores*, quorum prima lineamenta duxit *Phil. Melanchthon*, communis divinæ ac humanæ doctrinæ restaurator. Quanto olim in pretio illi habiti fuerint, inde videre est, quod, cum primo ederentur Venetiis, sub nomine *Philippi de Terra Nigra* impressi, statim distracti fuerint apud ipsos Pontificios, ignaros a Phil. Melanchthone hoc Opus esse profectum. Quod idem quoque obtigisse Martini Buceri in *Psalmos Commentariis*, notat Vir doctus Anonymus, *in notis in Scaligeriana Excerpta*, a Tanaqv. Fabro edita. Nam, sub nomine Aretii Telini *Commentarii* ille vendebatur Cardinalibus & Episcopis, magni facientibus illum, sed cum audivissent, Bucerum ejus verum esse Autorem, statim suppresserunt librum, & inter damnatos rejecerunt, qui antea sub fucato nomine mirifice placebat. Post Melanchthonem, Locos Communes majore diligentia excoluit MARTINUS CHEMNITIUS, Vir Ecclesiæ nostræ maximus, cujus Opera Pontificios valde sollicitos habuere. Magnam enim Antiquitatis & Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem Theologico studio junxerat, ut eo nomine facile adversariis superior esset, accedente ad insignem peritiam causæ bonitate. Variæ sunt *Locorum* illius Editiones, non bonæ notæ omnes. Quæ in 8vo prodiit, ceteris est correctior, & altera quoque, quæ Francofurti in 4to. Mendosissima est Wittebergensis in folio, & vel recusa mendis suis non destituitur. Scripsit & alia Vir ille, quæ religionis nostræ Cultoribus in deliciis esse debent, *Harmoniam Evangelicam*, cujus Editio optima prodiit Francofurti in folio, it. *Examen Concilii Tridentini*, Opus præclarum, & quod maximi faciunt Theologi nostri, crux vero Pontificiorum, qui in ejus Operibus facile genuinum frangunt. Laudatissimam quoque operam in Locis posuit JOH. GERHARDUS, Vir multorum laborum, & meritorum. Meditatus & olim Locos Communes fuisse dicitur JOH. MUSÆUS, Theologus Jenensis, imo maximam partem confecit, fuitque ante aliquot annos, qui, ipso invito, illorum editionem parabat, Bibliopola, cujus tamen conatui ipse, cum viveret, intercessit. An nunc habituri simus scriptum hoc ejus posthumum, est incertum.

18 E Pontificiis maximis ornari laudibus debet DIONYSIUS PETAVIUS, Jesuita, Vir summi laboris & judicii, quem unum e Jesuitis sapere judicabat Scaliger, utut ab illo scriptis Eristicis lacessitus. Scripsit ille *Libros Dogmatum Theologicorum*, quos ad Locos Communes Theologicos certa ratione referre possimus, etsi ulterius se labor

quippe in quo, e 32. Tractatibus, quos olim continuit, novem tantum superfunt, uti Huetius e MSto Biblioth. Regiæ ostendit, *Vid. Ephem. Vir. Erud. Gall. A. 1668. p. 857. Edit. Lat.*

ejus extendat. Nam & controverſias, & quicquid ad doctrinam Theologicam ſpectat, addidit. Opus hoc ejus *Dogmatum Theologicorum 4. Tomis in folio* prodiit Pariſiis A. 1610. & ſeqq. *i)* Liber tamen imperfectus eſt, ſed quæ tractavit, ſi exceperis, in quibus nobis cum Pontificiis controverſia eſt, ſolida ſunt, docta & expolita, ac magno uſui futura in argumentis Theologicis. Locus de Trinitate integrum illi in fol. Tomum complet, unde perſpicias, quanto molimine & cura rem ſuam egerit. Dolendum eſt, non abſoluta fuiſſe omnia, ſed perveniſſe tantum ipſum ad Locum de Libero Arbitrio. Culta illi eleganſque eſt tractandi ratio, varia eruditione undique aſperſa, non horrida illa & Scholaſtica, frequens antiquorum lectio, in quibus evolvendis & emaculandis multum temporis conſumpſit. Edidit enim multos cum notis ſuis, nempe Epiphanium Pariſ. *2. volum. in fol. A. 1622. Appendicemque ad ſuas notas*, Syneſium *cum notis A. 1632. in folio.* *Notas in* Juliani Apoſtatæ *Opera*, edita A. 1634. item *Tr. de poteſtate conſecrandi, Sacerdotibus a Deo conceſſa*, in 8vo. Pariſ. A. 1639. & *Diſſertationes Eccleſiaſticas de Epiſcoporum dignitate, & aliis argumentis* Paris A. 1641. in 8. In Chronologiam ſcripſit *Opus de doctrina temporum, 2. volum. in folio* editum Pariſ. A. 1627. apud Cramoÿſios, quod poſtea in Epitomen contraxit ſub tit. *Rationarii temporum*, & Scaligero oppoſuit, cui multum faceſſebat negotii, edidit & *Uranologium, ſive Syſtema variorum Autorum, qui de Sphæra, ac Sideribus, commentati ſunt, Græce, cum Latina Interpretatione, & variarum Diſſertationum Libb. 7.* Pariſ. in folio, A. 1630. Unde patet, quantæ doctrinæ Vir fuerit. De Locorum Communium Scriptoribus, tam apud Proteſtantes, quam Pontificios & Reformatos, vide Hotting. *in Bibliotheca Theologica, lib. 3. c. 2. 3. 4. ſub ſingulorum capp. initium.*

19 Theologiæ Polemicæ Scriptores ſunt permulti, ratione Sectarum, quorum tangemus celeberrimos. Spectant huc omnes, qui de Hæreticis ſcripſerunt, licet non omnes hæreſes ad noſtra tempora ſe extendant. Prodeſt tamen illarum habere, quoad fieri poteſt, notitiam accuratiſſimam. Solent enim plerumque reviviſcere hæreſes illæ, & a Novatoribus reſuſcitari. De Epiphanii *Opere de Hæreſibus*, & Petavii *notis* in illud, ſupra diximus. Philaſtrius *Catalogum Hæreticorum*, ſcripſit, fœcundum ſane & locupletem. At illi in more poſitum eſt, facile hæreſeos condemnare, ex levibus & innoxiis quibusdam opinionibus. Catalogos Hæreticorum poſt illos dedere Centuriatores, ſub ſingulis ſeculis, & plures alii ſingularibus libb. uti Joh. Gualterius, (Janus Grutерus) *in Chronico Chronicorum*, Joh. Pontanus *in Catalogo Hære-*

i) Pariſinæ *Dogmatum* Dionyſ. Petavii *Theologicorum* Editioni palmam præripuit nupera, quæ A. 1700. in fol. prodiit, Antwerpienſis, ſive potius Amſtelodamenſis, a Theophilo Alethino (ſub cujus larva Joh. Clericus delituit) Præfatione pro Petavio, adverſus Chriſtoph. Sandium, Arianiſini cum convincere conatum, aliosque Cenſores, Apologetica, ac Notulis, Exegeticis partim, partim Elenchticis, aucta, ceterorumque inſuper Tractatuum Petavii, qui ſeorſim antea prodierant, Theologicorum acceſſione locupletata. *Σκιαγραφίαν* ejus *vid. in Actis Erud. Lipſ. M. Majo A. 1700. p. 230. 231. 232.*

Hæreticorum. Florimondus Ræmundus *in libro de ortu, progreſſu, & ruina hæreſium hujus ſeculi* (qui e Gallica in Latin. Linguam eſt converſus A. 1614. Colon. in 4to). Conradus Schlüſſelburgius *Catalogum* quoque *Hæreticorum* ſcripſit. Expedit hic noſſe ſingulorum, in quacunque, vel Secta, vel Religione, Doctorum Symbola, Confeſſiones, Catecheſes, quorum libb. copiam inſignem in unaquaque habemus religione. Illos autem omnes prætermittemus, cum operam hic laudabilem poſuerit Hottingerus *lib. 3. c. 1. Bibliothecæ Theologicæ*, ubi diligentiſſime agit de Scriptis Symbolicis præcipuarum religionum.

Prænoſci hic debent ſumma Controverſiarum capita, quæ præcipue in Eccleſiis noſtrorum temporum, & variis ſectis, agitantur. Earum *Controverſiarum ſummam* e Reformatis Joh. Hornbeckius dedit libello aliquoties recuſo. Præſtitit & heic operam compendiariam non ita pridem Frid. Spanhemius *in Introduct. ad controverſias ſelectiores*, Lugd. Batav. A. 1677. in 12. edita, cui libello acceſſerunt, quæ recenter motæ fuerunt a Naturaliſtis quibusdam & Atheis in Belgio, controverſiæ. Quorſum & refert Carteſianos, Hobbeſianos, & Spinoſianos. Ut de poſterioribus nihil dicam, in Carteſium aliquanto iniquior fuit Vir ille, cujus conſiliis & impulſu ejecta Belgio fuit Carteſii Philoſophia. Etſi non negem, recentiores Carteſianos, Carteſii auctoritate & ſententiis abuſos, multa deduxiſſe ad religionem, de quibus ne quidem cogitarat Carteſius. Illi nempe reprimendi erant, non omnis Philoſophia Carteſiana exſtirpanda. Proderit etiam hic Edv. Brerewoodi *Scrutinium Religionum, breve* tamen admodum; ubi omnia controverſiarum capp. reperias. Nec omittendus eſt J. Andr. Bosius *in Diſſertatione ſua III. de Religionis, & rei literariæ, in Europa, ejusque imperiis, ſtatu præſenti*, quæ ſubjuncta eſt ejus *Introductioni in Notitiam Rerumpublicarum.* Sunt & Anglica lingua libri quidam ſcripti hoc in negotio utiles, uti Alex. Roſſæi liber *de Religionibus Orbis*, qui in omnes pene linguas converſus eſt, Gallicam, Italicam, & Germanicam, & in hanc quidem ab Alberto Reimaro, Lubecenſi, ſub tit. der gantzen Welt Religionen. Prodiit Amſtelod. A. 1668. cum figuris in 8vo. Scripſit & *Edvinus Sandys* Anglice de eod. argumento Tr. qui itidem Germanice redditus eſt in 12. ſed plenius hoc argumentum tractatur a Roſſæo. Fuit & olim editus Liber Italica lingua hoc Titulo: *Mare Oceano di Tutti le religioni:* ſed hunc non vidi. Titulus ejus comparet *in Bibliotheca Cordeſiana.* Sed de his Autoribus tenendum eſt, fuiſſe interdum incaute, & non ſatis accurate, hoc in argumento, verſatos. Quidam enim aliorum fidem ſequuntur; & in ipſis interdum peregrinationibus non ſatis accuratæ obſervationes inſtituuntur. Omnium optimæ relationes haberi poſſunt e propriis cujusque ſectæ Libb. fundamentalibus, & iis, quæ a Theologis notata ſunt, quanquam & hi interdum partium ſtudio aliquid diſſimulant. Nos breviſſime per ſingulas Sectas nunc cognitas, & Eccleſiæ noſtræ Cultoribus perſpiciendas, Autores præcipuos oſtendemus, eoque remittemus, ubi plenior illorum haberi copia poſſit.

21 De Antiquioribus jam ſupra eſt dictum, Judæis ſcil. & Mahumedanis. Contra Judæos commendavimus Martini Raymundi *Pugionem fidei*, *in folio*, *k*) in quem exſtat elegantiſſimus *Commentarius* Joſephi de Voyſin. Illic habentur tela contra Judæos ex ipſorum armamentario deſumpta. Liber eſt utiliſſimus illis, quibus cum Judæis res eſt. Nuper & Vir Clar. Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius Judæorum Libros adverſus Chriſtianam fidem, hactenus ineditos, vaſto Volumine publicavit ac refutavit, cui tit. *Tela Ignea Satanæ.* Multi e noſtris ſunt Scriptoribus, qui e Rabbinis contra Judæos doctrinam Chriſtianam propugnarunt. Guilh. Schickardus magni nominis, cum viveret, fuit; majoris vero apud Exteros, quam apud ſuos populares, cujus Bibliothecam & MSSta poſthuma Rex Galliæ ære ſuo redemit, Regiæque Bibliothecæ addidit.

22 Mahumedanorum Religio, ejusque notitia, eſt petenda ex J. Henr. Hottingeri *Bibliotheca Orientali. l*) Alcoranus, quo continentur Religionis Mahumedanæ capp. ex Arabico a nonnullis verſus eſt, ſed periti illarum rerum adeo diſcrepare Verſiones ab Authenticis Exemplaribus dicunt, ut multa deſint, multa mutilate ac inepte ſint converſa. Editus eſt Gallica etiam lingua, ſed nec ille eſt plenus, & fide dignus. Magna cum difficultate impetrantur ejus exemplaria authentica, ſed ſunt tamen a Chriſtianis furtim exportata, ac reperiuntur in quorundam Bibliothecis. Multi ſunt Arabica Lingua ſcripti libri de negotio religionis, unde cepiſſe multa nonnullos noſtrorum opinantur aliqui. Acutiſſimi ſunt Diſputatores, ut patet e Libris Philoſophicis, qui Latine ſunt redditi. Teſtis eſt Jac. Sponius, Medicus, *in Itinerario per Græciam ac Dalmatiam*, didiciſſe ſe e relatione cujusdam popularis ſui, eſſe Arabica Lingua Librum quendam ſcriptum adverſus Mahumedanos & Judæos, pro veritate religionis Chriſtianæ, unde potiſſima Argumenta ſua ceperit Grotius, quod mihi tamen non fit veroſimile. Non enim crediderim, Grotio tam fuiſſe familiarem Arabicæ Linguæ uſum, ut abuti illa in rem ſuam potuerit. Solent ſæpe talia fingi

ab

k) Raymundi Martini, Barcinonenſis, Monachi Sec. XIII, Dominicani Eruditiſſimi, *Pugionem Fidei adverſus Mauros & Judæos*, e MSto Toloſano, Ord. Prædicatorum auſpiciis ac ſumtibus, a Franc. Boſqueto, Epiſc. Lodevenſi, & Phil. Jac. Mauſſaco, Præſide Toloſano, cum Notis Joſephi de Voyſin, Presbyteri & Exſenatoris Burdigalenſis, luculentis, Lutetiæ A. 1651. in fol. editum, Joh. Bened. Carpzovius, Jun. Acad. Lipſienſis Theologus, Lipſiæ A. 1687. in fol. non ſolum cum iisdem Obſervationibus Voyſinianis curavit recudi, ſed ſuam etiam *in Theologiam Judaicam Introductionem*, lectu ſane digniſſimam, eidem præmiſit. Plura de Raymundo, ejusque Opere, & Plagio in iſtud, cujus Pet. Galatinus accuſatur, immani, in *Homonymoſcopia* noſtra *P. II. c. 6. §. 84. p. 612-615. congeſta invenies.*

l) De Alcorani Editionibus (quas inter Hamburgenſis Arabica, ad Codd. optimorum fidem, A. 1694. in 4to, per Abrah. Hinckelmannum, Antiſtitem Catharinæum, publicata, ſed Verſione deſtituta, eminet) & Translationibus variis conſulendæ ſunt, quas hoc ipſo A. 1704. in Acad. Altorfina, Joh. Mich. Langius, Prof. illius Theologicus, propoſuit, *Diſſertationes duæ Hiſtorico-Philologico-Theologicæ*, Prior ſc. *de Speciminibus, Conatibus variis atque naviſſimis ſucceſſibus, doctorum quorundam Virorum, in edendo Alcorano Arabico, ac Poſterior de Alcorani Verſionibus variis, tam Orientalibus quam Occidentalibus, impreſſis pariter atque ἀνεκδότοις.*

ab Hominibus rerum peregrinarum ſtudioſis, ut pretium ac deſiderium peregrinæ mercis accendant. Idem, ut obiter hoc memorem, addidit, Jac. Gaffarellum, *in Curioſitatibus ſuis inauditis*, pleraque ex libro transſcripſiſſe Arabico ejusdem Argumenti. De ſectis Judæorum videndus Joh. Seldenus *in Diſſertatione de Anno Civili, & Calendario Veteris Eccleſiæ, cap. 2.* & paſſim *in Opere de jure naturæ & gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum*, uti & in alio libro *de Synedriis*.

CHRISTIANI in ORIENTALES *Græcos*, OCCIDENTALES *Latinos* dividuntur. *Græcorum* religio ad nos nunc adeo non ſpectat. Operæ tamen pretium eſt, noſſe ejus doctrinæ capita. Magnum inter Eccleſias, Latinam & Græcam, eſſe diſſenſum, *m*) ex Hiſtoricis notiſſimum eſt, quod vel ex una illa *de Imaginum cultu* controverſia patet, quæ miras in Oriente Tragœdias excitavit. Hodierni Græci multum diſſident a priſca religione. Fucum itaque fecit, ſumosque Eccleſiæ vendidit Latinæ, Leo Allatius, Græcus, Romæ vivens, qui ſingularen librum ſcripſit *de Græcæ & Latinæ Eccleſiæ conſenſu perpetuo in 4to.* Quis Græcæ Eccleſiæ ſub Turcis ſit ſtatus, videri poteſt ex Martini Cruſii *Turco-Græcia*, cujus *libri octo* Baſileæ in fol. A. 1584. prodierunt. Vide & *Acta & Scripta Theologorum Wirtenbergenſium & Patriarchæ Conſtantinopolitani, ab A. 1576. ad annum 1581. ſibi mutuo tranſmiſſa, in negotio Auguſtanæ Confeſſionis.* Lib. prodiit Witteb. A. 1584. in fol. Unde diſci poteſt, magnam eſſe Religionis illorum cum Proteſtantium religione convenientiam. Sed Vita illorum male reſpondet doctrinæ. Nam, uti Viatores omnes teſtantur, corruptiſſime vivunt. Videantur noviſſimi peregrinatores, Joh. Bapt. de Tavernier, & Jac. Sponius. Qui poſtremus mentionem facit Conſulis cujusdam Gallici, Athenis reſidentis, qui vaſtum Opus ſub manibus habuit de omni religionis hodierno ſtatu, apud quem multa quoque Veterum MStorum e Theologis Græcis deliteſcere ait. Multa etiam talium delituiſſe in Bibliotheca Jeſuitarum Cochinenſium, teſtis eſt Tavernier *in Itinerariis ſuis*, eo loco, ubi agit de Belgarum in Aſia actionibus. Ubi Belgas, & inprimis Gubernatorem Gour, ut hominem ferocem & ruſticanum, incuſat, qui ſc. in cauſa fuerit, quod, Jeſuitis inde ejectis, præſtantiſſima illa Bibliotheca, in qua Theſaurus Græcorum Orientalium, Arabicorum Copticorumque MStorum continebatur, militibus & nautis in prædam ceſſerit, cum irreparabili rei Literariæ damno. Hinc ſe toto illo tempore, quo verſatus fuit in his terris, ſemper deprehendiſſe aliquem librum MStum, vel apud milites & nautas, vel inſtitores, integros paucos, plurimos vero laceratos & mutilos, eorumque aliquam partem ſibi comparaſſe. Exſtant de 23

m) Diſſidii inter Græcos & Latinos Hiſtoriam Frid. Spanhemius Jun. non obiter tantum *in Introduct. ad H. E. b. l.* allegata, ſed fuſius etiam, & ex profeſſo, eſt perſecutus in *Exerc. Hiſtorico - Theologica de Eccleſiæ Græcæ & Orientalis a Romana & Papali perpetua in hunc diem diſſenſione*, in V. partes diſtributa, &, cum aliis Pontificiis, tum præcipue Leonis Allatii Operi, contrarii plane Tituli, *de perpetuo Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ Conſenſu*, h. l. memorato, oppoſita. Prodiit illa ſeorſim Lugd. Bat. a. 1694. in 4to, nuperque ibidem *Tomo II. Operum* Spanhemii, in fol. editorum, An. 1703. eſt recuſa.

de hodiernæ Græcæ religionis ſub Turcis ſtatu, *Epiſtolæ*, a Thoma Smith, Anglo, ſcriptæ, quæ ante annos ſex vel ſeptem Londini in 12mo ſunt editæ. Græcæ religionis, ſecundum gentes varias, diverſa in quibusdam dogmata ſunt. Ex mixtura enim populorum, variis interdum acceſſionibus doctrina purior incruſtata fuit. Notum eſt, Moſcovitas etiam Græcam religionem jactitare, ſed in multis admodum deformem. De ejus religionis ſtatu conſulendi Itinerariorum Scriptores. Vix enim alios habemus idoneos ejus teſtes. Nuperrime aliquot prodiere Itineraria, in quibus & de religione agitur. Vir illuſtris, AUGUST. BARO a MAYERSBERG, *Itinerarium* ſcripſit *Moſcoviticum*, A. 1661. *in fol. editum*, cui multa ſunt de rebus Moſcoviticis, tam Politicis, quam Eccleſiaſticis, inſerta. Addit & Leges Ruſſicas, Latine redditas, quibus multa continentur, ex Jure Romano deſumpta. Prodiit & in Italia Patavii, ante 3. circiter annos, *Itinerarium Moſcoviticum*, ſine nomine Autoris in 8. Crediderim tamen, librum hunc eſſe potius e Scriptoribus ceteris congeſtum a quopiam, in Bibliopolæ gratiam. Ceterum de iis, quæ ad Theologiam Græcorum ſpectant dogmatica, a Græcis ipſis tractata, Leo Allatius paſſim in ſuis ſcriptis quædam memorat, & maxima eorum pars exhibita eſt *in Bibliotheca Thuana a p. 21. ad p. 46.* ubi ſecundum ſucceſſionem ſeculorum, Autorum Græcorum ſcriptores recenſentur, in quibus reperiuntur multi, qui de Controverſiis, inter Eccleſiam Latinam & Græcam agitatis, v. g. de cultu Imaginum de proceſſione Spiritus S. a Filio, ſingulares libros ſcripſere, & immiſcentur etiam Scriptores Homiletici. Ceterum & Jeſuita Ludov. Maymburgius *Hiſtoriam* illam *Schiſmatis Græcæ Eccleſiæ*, ut vocat, ſingulari libro pertractavit. Quæ ſeculis 8vo, 9. & 10. inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam lites fuerint, vide Georg. Calixtum *in Diſſertatione ſingulari, de ſtatu rerum in Eccleſia Occidentali*, quæ addita eſt *Apparatui* ejus *Theologico*. Jungi huic poteſt J. Henr. Boeclerus *in Hiſtoria ſeculi IX. & Xmi.* Legi etiam, velut in Compendio, poteſt Frid. Spanhemius in *Epitome Iſagogica ad Hiſtoriam N. T.* ubi agit de Eccleſiæ Græcæ ſtatu & diſſenſione a Latina, *ſecul. V. p. 465. ſecul. IV. p. 492. ſecul. VII. p. 526. ſecul. VIII. p. 548. ſecul. IX. p. 581. ſecul. X. p. 605. ſecul. XI. p. 638. ſecul. XII. p. 680.* Nonnunquam quidem tentata eſt unio inter utramque Eccleſiam, ſed fruſtra, ut ex tot ſeculorum conſenſu & ſucceſſione ſatis refutetur Leonis Allatii *liber de perpetuo Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ conſenſu*, de cujus libri cauſis, & Autoris conſiliis, vide Spanhemium *a p. 628. ad pag. 685.*

24 Pergimus ad PONTIFICIOS, quorum capita doctrinæ breviter a Joh. Andr. Boſio proponuntur *in Diſſertatione* ſupra laudata *p. 9.* Alii e noſtris ſunt, qui doctrinam eorum integris libris proponunt; ſed veræ illorum ſententiæ ex ipſis Pontificiis habendæ ſunt. Eſt inter Pontificios, quaſi Hercules quidam, ROBERTUS BELLARMINUS, quo Atlante cœlum ſuum fulciunt, Vir pius, quod negari nequit, cujus exſtant aliquot Libri argumenti Moralis & Homiletici, *de aſcenſione mentis ad Deum*, & *de gemitu columbæ*, qui oſtendunt animum devotum, ſed doctrina ejus eſt erronea. Fuit patria Politianus, primumque Archi-Epiſcopus, inde Cardinalis factus, &, ut perhiberur,

betur, invitus ad illam dignitatem pertractus est. Opus *Controversiarum Theologicarum*, quod scripsit, per 40. annos ipsi elimatum traditur. Hoc Opus ejus aggressi, & e Reformatis, & e Lutheranis, sunt multi. E Reformatis præcipuus est *Dan. Chamierus*, qui *in Panstratia* sua Opus hoc sub Examen vocat. Pars una prodiit Argentorati, altera Francofurti. Sed dolendum est, non potuisse eum totum Opus perficere, *quintum* enim *Tomum* Joh. Henr. Alstedius adjecit. Si Calvini dogmata exceperis, magnus est hujus libri in nostra quoque usus Ecclesia. Sed totum Opus rarius est, cujus *Epitome* etiam scripta est, quæ in usu esse solet. Post illum, quem merito primo loco ponimus, Bellarminum sunt aggressi multi, sed carptim tantum, & per partes, Guilh. scil. Amesius *in Bellarmino Enervato*, Conr. Vorstius *in Anti-Bellarmino*, *n*) Matt. Chemnitius *in Exam. Concilii Tridentini*, Guilh. Wittackerus, Anglus, *in Locis de Verbo DEI*, & *Ecclesia*. Versantur & in manibus Domini D. Christ. Kortholti *Disputationes*, Kilonii habitæ, & excusæ. Colonienſis Editio Bellarmini omnium habetur optima, quæ prodiit A. 1665. in fol.

Ceterum Doctrinam Pontificiorum *in genere* multi impugnarunt, uti Philip- 25
pus Mornæus, *in Mysterio Iniquitatis*, sive Historia Papatus (quæ prodiit Salmurii An. 1611. in fol. & contra quam Casp. Scioppius scripsit *Alexipharmacum Regium* An. 1612. in 12to.)' Gisb. Voëtius *in Desperata Causa Papatus*, (quæ alicujus pretii est) Abr. Calovius *in Mataeologia Papistica*, & Pet. Molinæus *in Novitate Papismi* *o*) (cui

n) Perperam *b. l.* Mart. Chemnitii *Examen Concilii Tridentini*, aliquoties jam ante Annum 1580. tum in fol. tum in 8vo, impressum, scriptis annumeratur, Rob. Bellarmini *Controversiarum Operi* oppositis, cujus (Chemnitianum potius *Examen* passim impugnantis) *Tomus I.* Anno demum 1581. *Idus* A. 1583. *II dus* autem An. 1592. prima Editione, teste Nathan. Sothwello, *in Bibliotheca Jesuitica p. 722.* prodiit. Christ. Kortholtus, Theologus Kilonienſis, Disputationes suas Anti-Bellarminianas, simul etiam Jac. Gretseri *Defensioni Bellarmini*, & Viti Ebermanni *Bellarmino Vindicato*, oppositas, tribus inclusit Tractatibus, quorum Primus *de Canone S. Scripturæ* Rostochii An. 1665. & Kilonii A. 1669. Alter de *Variis S. Scripturæ Editionibus* Kilonii A. 1668. & 1686. Tertius denique *de Lectione Bibliorum in Linguis vulgo cognitis* ibidem An. 1670. & Plœnæ An. 1692. in 4to prodiit. Solam autem Primam *Tomi Primi* Bellarminiani *de Verbo Dei* Controversiam, & nec quidem totam, absolvit, nec ad sequentes perrexit. De ipso Bellarmino, ac Opere illius, consulantur, e Pontificiis Jac. Fuligattus, & Dan. Bartolus, *Vitæ* ejus Scriptores, & Nathan. Sothwellus *l. c. p. 720. 721. 722. 723. 724.* e Lutheranis autem Chr. Kortholtus *in Præf. Tr. de Canone S. Scripturæ*, & Joh. Frid. Mayerus *in Eclogis de Fide Baronii & Bellarmini ipsis Pontificiis ambigua*, Amstelod. Ann. 1697. in 12mo. editis.

o) Pet. Molinæi Senioris Operi *de Novitate Papismi*, contra Card. Perronium, Gallice, Genevæ A. 1627. & 1633. Germanice (ex Versione Mart. Stutzingii, Secretarii Electoralis Brandenburgici) Vesaliæ A. 1632. & Belgice Ultraj. A. 1657. in 4to edito, *Antiquitatem Papatus* (das Alt-hergekommene Pabstthum) Sermone Germanico opposuit, & Dillingæ A. 1644. 1645. 1646. in 4to IV. Voluminibus evulgavit, Laur. Forerus, Jesuita, Acad. Dillinganæ Cancellarius. De utroque Opere & Molinæano, & Foreriano, minus benigne judicavit Thom. Reinesius, Ep. 45. *ad Casp. Hofmannum*, *p. 379.* ita scribens: *Στωμύλματα sunt, & ferocium Ingeniorum, cum Veritatis & Caritatis detrimento, infelicia Certamina.*

(cui nonnemo e Pontificiis librum oppoſuiſſe dicitur, *de Antiquitate Papiſmi*, quo commotus Dux fertur Turennius, ut ejurata Religione Reformatorum, Pontificiæ ſe addiceret.) Ceterum præclarus Vir Molinæus fuit, Sedanenſis Eccleſiæ Paſtor, & Academiæ ejus Profeſſor. Plurima ejus alia exſtant ſcripta, tam Philoſophica, quam Moralia, & Theologica. Quod ſi jam deſcendere velimus ad omnia ſpecialia doctrinæ Pontificiæ capita, Bibliotheca ſcribenda nobis eſſet. Tot enim ſunt, tum Dogmatici ab ipſis Pontificiis libri ſcripti, tum Eriſtici a Noſtris & Reformatis, contra Pontificios, & a Pontificiis contra Noſtros, ut integro Opere enarrari debeant. Quod ut fiat aliquando, optandum eſt. Hactenus enim tantum fragmenta quædam, & lacinias talis Operis habemus.

26 Princeps caput eſt, quod de Papæ Primatu agit, tot controverſiis & libris, ab utraque parte & ſatis quidem acerbe, diſputatum. Ulcus enim eſt, quod ſine dolore nequit tangi. Manum huic argumento admovit Claud. Salmaſius ſingulari quodam libro *de Papæ Primatu*, cui, quod ſciam, nemo alium oppoſuit, ſed, me Judice, non adeo ſubtilis hoc in argumento diſputator eſt, niſi quantum ex Hiſtoria adducit, & ex vetuſtis monumentis, quæ ipſe perreptaverat. Inprimis controverſia de ſuburbicariis regionibus, quæ libris ſingularibus & propugnata, & impugnata eſt, plene copioſeque ab illo eſt pertractata, uti & ab Hieron. Alexando, qui doctiſſime illas defenderat. Ni fallor, & Jacobus Gothofredus de illis quædam commentatus eſt. De ſuburbicariis regionibus Jac. Syrmondus quoque ſcripſit, eruditiſſimus Jeſuita Gallus, ſed nomen non addidit, & Joh. Dartes, qui & Salmaſium *de Primatu Papæ* refutare cœpit. Sed ineptus labor eſt, & ejus Autor impar congreſſus Achilli. Idem argumentum, *de Primatu in Eccleſia*, Dav. Blondellus tractavit, & quidem contra Cardinalem Jac. Perronium, illum ſcil. cujus habemus a Fratribus Puteanis Collecta Excerpta, Virum in omni literarum genere exercitatum, ſed liber Gallice ſcriptus, plerisque noſtrorum hominum eſt ignotus. Quantus vero Vir Blondellus fuerit, omnibus notum eſt. Scripſit & Nicol. Vedelius, e Reformatis *librum de Cathedra Petri Antiochena*, quo illa diſquiritur Controverſia: *An Romæ fuerit Petrus*, quod eruditis in medium allatis argumentis negat. Ejus plura alia ſunt ingenii monumenta laudatiſſima, inter quæ eminet *liber de prudentia Veteris Eccleſiæ*, merito commendandus Eccleſiaſticis; ſed Opus hoc totum non eſt abſolutum. Tractavit & hoc de primatu Papali Argumentum Ludov. Molinæus, Petri filius, verum Patre ingenio & judicio inferior. Tit. Libri eſt: *Nova detectio Myſterii iniquitatis*, Hagæque ante XX. ni fallor, annos is eſt editus. Acerbe hic invehitur in Jurisdictionem Eccleſiaſticam, eamque eſſe exiſtimat, quæ in Sacris Myſterium iniquitatis dicitur. Scripſit idem *Characteres morales*, ſed non eſt magnæ rei liber. Phil. Mornæum, cujus ſupra mentio facta eſt, adortus eſt e Pontificiis Jac. Gretſerus, Jeſuita, ut doctiſſimus, ita maledicentiſſimus, in libro, cui tit. *Myſta Salmurienſis*. Multa vir ille ſcripſit, quorum vaſtum Catalogum exhibet Phil. Alegambe *in Catalogo Bibliothecæ Societ. Jeſu*. Fuit idem Bellarmini Hyperaſpiſtes, exſtant-

ſtantque contra illum Diſpp. D. Kortholti. Venit & JACOBUS, Angliæ Rex, in Cenſum Diſputatorum Anti-Pontificiorum, cujus exſtat Opus *de Controverſiis fidei*, quod quidam Iſaaco Caſaubono, qui tunc vivebat in Anglia, tribuunt, cum tamen ipſe Caſaubonus hoc perneget. Occaſio tamen hinc data eſt quibusdam, qua lacerarent nomen Regium, inprimis Caſp. Scioppio, qui *Collyrio* illum *Regio*, Scripto injurioſiſſimo, beare voluit. Scripſit & Bellarminus contra Jacobum. Vivebat tum in Anglia Vir maximæ doctrinæ & nominis, MARCUS ANTON. *de* DOMINIS, Epiſcopus antea Spalatenſis, cujus exſtat laborioſiſſimum & doctiſſimum Opus *de Republ. Eccleſiaſtica*, contra Pontificios, quod primum in Anglia eſt editum, inde vero Heidelbergæ recuſum, promtuarium rerum Theologicarum, ex ipſis viſceribus antiquitatis & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, erutarum, ſed deſunt duo libri, uti creditur, ipſius Regis Angliæ Juſſu ſuppreſſi, quod multa illic invenirentur, quæ Papiſmum ſapere viderentur. Sed miſerum hujus Viri fatum fuit, de quo Erythræus *in Pinacotheca III. n. 17.* Nactus etiam eſt Vir ille Adverſarios, & inter eos Nic. Coffetellum, ſed defendit M. Antonium de Dominis Petrus Molinæus, libro Gallice ſcripto, cui titulus: *Defenſio fidei Catholicæ*, qui hactenus Latine non eſt redditus. Scripſit & M. Antonius de Dominis *librum de Primatu Pontificis*, contra Pontificios, qui Gallice editus eſt in folio, Genevæ, ſed rarior eſt, nec adhuc, ni fallor, Latine translatus. Scripſit & contra Jacobum, Angliæ Regem, Jac. Perronius Gallica Lingua. De Guilh. Barclaji libro *de primatu Papæ* vide Erythræum *in Pinacotheca ſua.* Scripſit & Dan. Lipſtorpius de *Monarchia Papali* librum in 4.

Ad hoc argumentum illi ſpectant Autores, qui de JURE MAGISTRATUS CIRCA SA- 27
CRA, & de *Politiis Eccleſiaſticis* in genere agunt. Nam & hoc argumentum de primatu Papæ, ejusque dominatu, omnino tangendum eſt illis. Multi ſunt hic Autores, qui rem illam in utramque partem tractant, ac fuere inter ipſos Pontificios jam olim, qui immenſam Pontificum potentiam infregerunt, etiam e Scholaſticis, juratis alioquin Pontificum Paraſtatis. *De Imperio Poteſtatum ſummarum* circa *Sacra*, elegantem libellum ſcripſit Hugo Grotius, qui prodiit Hagæ Com. A. 1661. in 8. Adduntur illi Dav. Blondelli *Diſſertatio de jure plebis in regimine Eccleſiaſtico*, & alia nonnulla. Legendus & in hoc argumento eſt Petrus de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii, ſive de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.* Sed ille magis circa ſpecialia occupatus eſt, & circa Galliæ conſuetudines & jura. Liber ille prodiit Pariſ. in folio, A. 1663. Poſthuma quædam vero hujus Viri ante annos aliquot in 12mo. Veteres hujus argumenti Scriptores, Guilhelmi ſcil. Occami Opera hujus argumenti varia, Johannem Pariſienſem *de Poteſtate Regia ac Papali*, & Antonii de Roſellis *Monarchiam, ſive de Poteſtate Imperatoris & Papæ librum*, videre eſt apud Melch. Goldaſtum *in Monarchia S. Rom. Imperii*, ubi collegit hæc, ſimiliaque Opera, utiliſſimo ſane labore. Facile enim talia perire ſolent. Marquardus quoque Freherus, *in Collectione Rerum Germanicarum*, quædam habet. Multa duobus his libris continentur præterea ſcripta ſpecialia, ſpectantia ad controverſias ſuper Jurisdictione,

inter Pontifices & Imperatores agitatas. *De Politia Civitatis DEI Hierarchiæ Romanæ* Theophilus Banco, vel Banoſius, ut aliis audit, ſingularem librum ſcripſit in 4to, Francofurti A. 1592. Aliquoties hunc citatum inveni, ſed non vidi. *De Primatu Petri* Onuphrius Panvinius librum edidit Venet. in 4to A. 1591. *de primatu Papæ* Ulricus Velenus. Marcus Antonius Capellus duas edidit *Diſputationes, primam de ſummo Pontificatu Divi Petri, ſecundam de ſucceſſione Epiſcopi Romani,* ubi & materiam de ſuburbicariis Regionibus explicat, Colon. in 4to. A. 1621. Spectant huc Autores, qui *de Epiſcorum authoritate & juribus* agunt, inprimis Joh. Fileſacius in libro *in octavo* Pariſ. A. 1606. edito. Legi & poſſunt Dionyſii Petavii *Diſſertationes de Epiſcoporum dignitate,* Pariſ. A. 1641. in 8vo. Nemo autem, quod attinet hiſtoriam, luculentius hoc argumentum tractavit, quam Herm. Conringius *in Diſſertatione Epiſcoporum Germaniæ,* quæ, inter ejus *Juris publici Diſputationes,* quadruplo pene auctior, quam olim edita erat, legitur. E Reformatis Rob. Parkerus, Theologus Anglus, *de Politia Eccleſiaſtica* librum ſcripſit, quem aliquot libris poſtea continuavit Gisbertus Voëtius, acerrimus Hierarchiæ Pontificiæ Inſectator, adeo ut vix quicquam jurisdictioni Papali ſimile pati potuerit in Reformatorum Eccleſia. Magna illi lis cum Canonicis Ultrajectinis fuit, quibus ille controverſiam Status movit, bona Eccleſiaſtica iſtis uſibus non eſſe impendenda, clamitans. Contra illum Canonici, de quorum fortunis agebatur, in aciem produxerunt Martinum Schokium, Voëtii diſcipulum, qui in *libro de Bonis Eccleſiaſticis*, Ultrajecti in 4to edito, controverſiam illam pro Canonicis decidit. Commendari ad hæc argumenta, quæ de Jurisdictione Eccleſiaſtica diſputari ſolent, debet *Codex Theodoſianus* cum inſignibus *notis* Jacobi Gothofredi, JCti & Hiſtorici conſummatiſſimi, qui liber & Theologis & Juriſconſultis prodeſſe poteſt. Quæ enim illic occurrunt Conſtitutiones de rebus ſacris & Magiſtratibus ſacris, uti occurrunt ſane plurimæ, magnam poſſunt lucem accendere in rebus Eccleſiaſticis, quæ illo tempore agitabantur.

28 Et hæc quidem de Primatu, & Jurisdictione Pontificia. Quod ſi jam porro ad ſpecialia capita deſcendere vellemus, magnus aperiretur campus. Solent Pontificii præcipua dogmata in Traditione ex PATRIBUS fundare, & his quidem omnem operam impendunt, ac non raro ſuppoſititiis, confictis, & mutatis, in rem ſuam utuntur, præcipue Rob. Bellarminus, cujus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis* legi tuto non poteſt, niſi ſimul adhibeantur Roberti Coci *Cenſura*, Andr. Riveti *Criticus Sacer*, ac Joh. Dallæi *liber de Pſeudepigraphis*, utiliſſimus ad cognoſcenda ſcripta Patrum primi temporis, quibus multa tribuuntur ſuppoſititia & ficta. Idem agit Cæſ. Baronius in magno *Annalium* Opere, qui paſſim, ubi id commode fieri poteſt, ex hiſtoriarum curſu, ad ipſa dogmata Pontificia digreditur, plerumque auctoritatibus Patrum ſeu Locis, vel male adductis, vel confictis, ſuperſtructa. Ceterum, Patres quod attinet, uſum in Theologia eorum Joh. Dallæus, Vir doctiſſimus, Blondelli diſcipulus, & deinde Collega, ſingulari libro oſtendit. Eſt & inter Reformatos

ABRA-

ABRAHAMUS SCULTETUS, Theologus Heidelbergenſis, qui Friderici, Electoris Palatini, creati Bohemiæ Regis, Comes fuit, & *Medullam Patrum* ſcripſit, ſed non niſi 4. priora ſecula abſolvit. Hoc in libro id agit, ut demonſtret, Patres non ſtare a Pontificiorum partibus, ſed omnem Proteſtantium & Reformatorum doctrinam in illis magis eſſe fundatam. Laudandus eſt & in hac parte ANDR. RIVETUS, cujus ſupra mentio eſt facta, qui ſex priora ſecula abſolvit. *Criticus* ejus *Sacer* ſeorſim eſt editus, & junctim cum *Operibus* ceteris. Vir fuit doctiſſimus, & judicii præclari. Quod illi in Patribus fecerunt, hoc in Scholaſticis, & eorum Principe, J. GEORG. DORSCHEUS fecit, cujus exſtat *Thomas Confeſſor*, ubi oſtendit, doctrinam Proteſtantium e Thomæ Aquinatis Scriptis poſſe probari. Idem in animo habuit ſimile Opus e Jure Canonico, quod credo affectum apud Hæredes latet, ſed lucem non vidit, illo præmortuo. Non omittendus hic MATTHIÆ FLACII *Catalogus Teſtium veritatis*, ubi colliguntur Teſtimonia dogmatum fidei. Aliquoties editus eſt Baſileæ & Francofurti. Auctaria, & quædam Notæ ſuper illum ſunt ſcriptæ a J. Conrado Dieterico, Prof. Gieſſeno, Francof. A. 1666. in 4to. Eſt quidam e Pontificiis Guilh. Eiſengreinius, qui huic *Catalogo* alium oppoſuit, quo conatur illa Teſtimonia, ad Pontificiorum dogmata ſtabilienda, reducere, ſed nullius eſt pretii, ſi cum Flacii *Catalogo* conferatur. Sed tamen eſt eo laudandus liber ille, quod multa illic occurrant e non editis Scriptoribus excerpta.

CONTROVERSIARUM cum PONTIFICIIS *Synopſin* Joh. Meiſnerus ſcripſit, cujus Viri 29
pauca ſunt ſcripta, eximia tamen, & multa eruditione referta, quod teſtantur omnia, quæ ab illo hactenus ſunt edita. Idem ſcripſit *de Perſecutionibus & Martyriis veteris Eccleſiæ*, *de jure eligendi Pontificem Romanum*, *de Tyrannicidio*, & aliis quibusdam argumentis. Joh. Forbeſius, Theologus Scotus, *Inſtructiones Hiſtorico-Theologicas* edidit, doctum Opus, quo continentur Controverſiæ Pontificiæ non ſolum, ſed & aliæ, Amſtelod. A. 1645. in folio, eſtque inde Epitome quædam concinnata in 8vo. *Sedanenſium Diſputationum* Volumen etiam hic memorandum eſt, quo continentur Controverſiæ præcipuæ, quæ Reformatis cum Pontificiis intercedunt. Quod ſpecialia dogmata attinet, multi ſunt Autores, qui ea ſingularibus libris impugnarunt. Doctrinam *de Juſtificatione* Henr. Höpfnerus, Theologus Lipſienſis, Vir doctiſſimus, pertractavit, cujus ſcriptorum, antehac editorum, maxima pars nuper eſt recuſa. Doctrinam de *Tranſubſtantiatione* impugnavit e Reformatis Edmundus Albertinus ſingulari Opere, Daventriæ excuſo. Valde exagitantur Pontificii hoc Opere, nec facile invenient, quod opponant. Idem Argumentum contra Pontificios Claudius Salmaſius, ſub ficto Simplicii Verini nomine tractavit, ac nemo facile eſt inter noſtros, qui non idem data occaſione faciat. Salmaſii *Epiſtola, ad Juſtum Pacium ſcripta, de Libro Hug. Grotii poſthumo, de Euchariſtia*, prodiit in 8vo, Hagiopoli A. 1646. & alter ejus *lib. de Tranſubſtantiatione*, contra Grotium A. 1646. eod. in loco, in 8vo. Sed illi quidem ita tractant hanc controverſiam, ut ſimul Doctrinam Lutheranorum infringere conentur. Facit hoc Edmundus Albertinus, cui hactenus, non ſcio, a quo-

quam eſſe reſponſum. *p*) Idem & Salmaſius facit, & argumentorum Philoſophicorum & Theologicorum non magnus Declarator. Occupatus quoque in illo eſt David Blondellus in libro Gallice ſcripto, cui Tit. *Eſclairciſſement familiaire de l' Euchariſtie*, A. 1641. in 8vo. Pariſiis edito. Phil. Mornæus etiam magnum Opus *de Euchariſtia* ſcripſit. Doctrina de Imaginum cultu doctiſſime diſcuſſa eſt a Joh. Dallæo, Viro antiquitatum peritiſſimo, cujus prodiit *de Imaginum cultu lib.* & ex intima antiquitate Eccleſiaſtica productis argumentis, ſimulque a ratione & natura deſumptis, pugnat. Laudandus hic eſt etiam Lambertus Veldhuſius, qui *de Idololatria, & ſuperſtitione* ſcripſit *libellum*, qui reperitur inter cetera ejus Opera, junctim edita. Solent autem hoc in argumento Reformati præ ceteris eſſe moroſiores, & omnium acerrime contra Pontificios diſputant, a quo rigore paululum remittere videtur Veldhuſius, unde Synedrium Belgicum Ultrajectinum habuit quædam, quæ in hunc ejus Tractatum animadverteret. Sed reſpondit illis Autor peculiari Apologia, quæ *Tractatui de Idololatria* eſt addita. Doctrinam Pontificiorum *de Sacramentis*, in quibus fingendis illi admodum liberales ſunt, Joh. Dallæus quoque adortus eſt *in lib. de Confirmatione, & extrema Unctione.*

30 Et his quidem Autoribus felicius uti poſſumus, quam aliis, qui non iſtam afferunt ad ſua argumenta doctrinam. Promptius contra Pontificios quis pugnat, ſi quis illos in dõmo ſua adoriatur, in illa ipſa ſc. Hiſtoria de ANTIQUITATE ECCLESIASTICA. Illa enim præ ceteris turgent, & triumphos ſibi ducere videntur. Sed fuere his temporibus e Reformatis (neque enim denegari illis laus iſta poteſt,) qui faſtum illorum valde retuderunt libris editis doctiſſimis. Optandum eſſet, ut & noſtri Doctores antiquitates illas majori cura tractarent. Certe quicquid Caſaubonus, Blondellus, Dallæus, aliique his ſimiles, ediderunt, in lucem omnium poni meretur. Poterant hic multo plura adferri, ſed pleraque notiſſima ſunt, quæ communiter ſcribi diſputarique ſolent. Habuimus, ante XX. circiter annos, J. GEORG. DORSCHEUM inter noſtros, Virum ſane omni armaturæ genere inſtructum, quo inſtrui debent, qui ſacra hæc

p) Edmundi Albertini, Eccleſiæ Pariſienſis Reformatæ Paſtoris, *Opus de Euchariſtia, Libris III.* (quorum Primus Reformatorum ſententiam argumentis aſtruit, contrariam ſimul, tam Pontificiorum, quam Lutheranorum, doctrinas impugnans, Secundus Patrum omnis ævi teſtimoniis eandem confirmare laborat, ac Tertius tandem Certaminum Euchariſticorum exponit Hiſtoriam) comprehenſum, Daventriæ A. 1654. in fol. edidit Joh. Frid. Gronovius, Criticus & Philologus excellens, tranſitum ſuum a Lutheranis ad Reformatos hac ratione, ni fallor, ſignificaturus pariter atque defenſurus. Lutheranorum doctrinæ Hyperaſpiſtes adverſus Albertinum mihi etiam nullus hactenus innotuit, præter Fridemannum Bechmannum, Theologum Jenenſem, cujus brevis *Diſputatio de Verbis Inſtitutionis Cœnæ Dominicæ, contra Edm. Albertinum, Inauguralis*, Præſide D. Seb. Niemanno propoſita, Jenæ 1668. in 4to prodiit, A. 1697. ibid. recuſa. De Claud. Salmaſii Schediasmatis duobus Anti-Grotianis, ad Juſtum Pacium, ſub larva *Simplicii Verini*, Hagiopoli (ſive Leidæ) A. 1646. editis, Confer. Vinc. Placcii *Tr. de Scr. Anon. & Pſeudon. p. 257. 258.* Priori reſponſum eſt, ſub *Juſti Pacii* nomine, a Scriptore quodam Pontificio, *in Reviſione Judicii, ſive Reſponſoria ad Epiſtolam Simplicii Verini de Libro Hug. Grotii poſthumo*, Dicæarchiæ A. 1647. in 8vo impreſſa.

hæc bella meditantur. Ejus Opera edita pene Bibliothecam efficiunt. Totus eorum Catalogus recenſetur in ejus *Programmate funerali*, unde excerpſit, & ſuum in *Templum Honoris* repoſuit Theoph. Spizelius, qui Vitas Theologorum Proteſtantium congeſſit, uti & Henningius Witte in *Theologorum Memoriis*. Multa Dorſcheus ſcripſit contra Pontificios, *in Anti-Corneo ſuo*, & aliis ſpecialibus libris, contra Calvinianos vero *in lib. de Gratia*. Scripſit & *in Articulos A.C. nonnullos*, quæ omnia ſunt ſelectiſſima, ac doctiſſima.

Apud Pontificios Sectæ quoque ortæ fuere JANSENISTARUM & Anti-Jeſuita- 31
rum. Janſeniſtæ ab Epiſcopo Iprenſi, *Cornel. Ianſenio*, dicuntur, qui, in libro ſuo poſthumo, qui *Auguſtinus* inſcribitur, occaſionem huic liti dedit, ex lectione aſſidua Auguſtini. Aliquot Articulos de gratia & prædeſtinatione, Calvinianum aliquid ſpirantes, defendit. Res in aperta diſſidia erupit, fueruntque ab utraque parte libri atroces ſcripti. Defendebant Janſenii partes Sorboniſtæ Pariſienſes, quibus non adeo religioſa fuit Pontificis veneratio. Janſeniſtæ Scholaſticam Jeſuitarum Theologiam Pelagianiſmi, hi Janſeniſtas Prædeſtinatianiſmi & Calvinianiſmi accuſabant. *q*) Cauſam Janſeniſtarum inter alios Dion. Petavius egit. *Anti-Jeſuitas* voco, qui Jeſuitarum Doctrinam Moralem, & Theologiam Caſualem, ut impiam, blasphemam, legibusque divinis & humanis adverſam, damnabant, quibus ipſe poſtea Pontifex aſſenſit, cujus juſſu magnus iſtarum quisquiliarum cumulus confixus, publiceque damnatus eſt. Scripta Satyrica in Pontificios multa ſunt. Ingenioſum eſt, quod Germanice editum eſt, *r*) der Römiſche Bienenkorb, ut & aliud von der Eſel-Monarchie. Eſt & Gallice ſcriptus liber a quodam, qui ſe vocat Frangidelphum, cui Tit. *Hiſtoire de la mappe-monde Papiſtique*, ubi ſub forma provinciarum & Itinerarii deſcribuntur & exagitantur Pontificia dogmata, Anno 1567. Sunt & Bernhardini Ochini *Apologi*, quibus valde exagitantur Pontifices, Clerici, & Monachi. Sed firmiora ſolidioraque tela nobis ſunt, quam ut tam imbellibus, & minus honeſtis, contra illos pugnemus.

Procedimus hinc ad CALVINIANOS, quorum doctrinæ capita in Epitome propo- 32
nit J. Andr. Boſius, *in Diſſertatione ſupra laudata p. 14*. Eorum non eſt unum idemque genus. Nam eodem tempore, quo Janſeniſtica eſt controverſia orta, inter Moſen

q) Falſo hic traditur, Dion. Petavium cauſam egiſſe Janſeniſtarum, cum illam potius, tum in *Dogmatis Theologicis* (diſſimulato licet Janſenii nomine,) tum in Scriptis aliis, præſertim *Diſſertationibus de Concilii Tridentini Interpretatione e mente S. Auguſtini*, acriter impugnaverit, & inter Jeſuitas, quorum tota Societas hoſtili in Janſeniſtas ſemper hactenus fuit animo, eminuerit. Nec de toto Sorboniſtarum Collegio recte dicitur, eos Janſenii partes defendiſſe, cum haud pauci, inde ab initio certaminis, diverſa ſenſerint, & moderni inprimis maximam partem cauſæ illius, vel adverſentur, vel patrocinium denegent.

r) De *Apiario Romano*, per Phil. Marnixium, Nobilem Belgam, ſub *Jeſuwaldi Piccarti* nomine fictitio, Belgice edito, deinde vero ab alio in Linguam Germ. converſo, & paſſim interpolato, Chriſtlingæque An. 1586. in 8vo denuo publicato, vid. Vinc. Placcii *Tr. de Script. Anon. & Pſeudon. p. 240. 241.*

ſen Amyraldum, & Claudium Teſtardum, Fridericum item Spanhemium Sen. Andr. Rivetum & Petrum Molinæum, ſuper decreto prædeſtinationis, & decretorum divinorum natura ac immutabilitate, lis orta eſt. Differentiam dogmatum illorum, & partis utriusque Hyperaſpiſtas, recenſet Boſius, ut non opus ſit, quicquam a nobis addi. Ratione externorum rituum, ceremoniarum, & adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, magnæ fuere in Anglia turbæ, ubi infelicia illa & fatalia diſſidia diffundebantur. Ipſis etiam Batavis & Gallis Theologis non ſatis inter ſe conveniebat, quibusdam pro Epiſcopalibus, aliis pro Presbyterariis, cauſam decidentibus. Ceterum Statum Eccleſiæ Reformatorum in Anglia, cunctaque diſſidia & dogmata, nemo luculentius ob oculos ponit, quam *Honorius Reggius* (id eſt, Georgius Hornius) *de Statu Eccleſiæ Britannicæ hodierno*, Dantiſci A. 1648. Doctrinæ capita Calviniſtarum a *Marco Frid. Wendelino* breviter ſunt propoſita, ſed tamen non ſine judicio & acumine, quod in hoc libro magis, quam in ceteris ejus libris Philoſophicis, apparet. Hactenus non niſi carptim tactus eſt a noſtratibus. *s*) Dominus D. *Chriſtoph. Franckius*, ut audio, nunc ejus refutationem molitur, ſicut & Sam. Mareſii *Syſtematis Theologici*. E noſtris Juſtus Feuerbornius *Synopſin Errorum Calvinianorum* edidit. Qui e Reformatis contra Pontificios ſcripſere, jam ſupra nobis indicari ſunt, qui & aliqua ex parte rem noſtram tuentur. *Nicolaus Vedelius*, cujus ſupra mentionem fecimus, multa ſcripſit præclara, ſed in nonnullis a reformatis recedit. Exorti etiam inter illos fuere ARMINIANI, a *Jac. Arminio*, Theologo, ſic dicti, cui magnificum ſcripſit Epitaphium Hugo Grotius, quod reperitur inter ejus *Poëmata*. De eorum dogmatibus in Compendio agit Boſius *p. 24. Arcana Arminianiſmi* Nicol. Vedelius edidit, *Anatomen Arminianiſmi* Petrus Molinæus, *Conſiderationem Arminianiſmi*

s) Prodierunt jam Kilonii Ann. 1687. in 4to, quarum Editionis ſpes *b. l.* eſt facta, D. Chriſtoph. Franckii, Theologi Kilonienſis cordatiſſimi, (hoc ipſo A. 1704. defuncti) *Exercitationes X. Anti-Wendelinianæ, de præcipuis inter Eccleſias Lutheranas & Reformatas Controverſiis, Marci Frid. Wendelini Theologiæ Chriſtianæ & Exercitationibus Theologicis Vindicibus, pro illa, adverſus D. Joh. Gerhardi Collegium Theologicum Anti-Wendelinianum ſcriptis, oppoſita.* Remonſtrantium Doctrinam idem impugnavit, non ſolum in *Specimine*, quod *b. l.* allegatur, *Controverſiarum cum illis*, unicum tantum de S. Scriptura Articulum diſcutiente, & A. jam 1673. Kilonii in 4to edito, ſed & in *Exercitationibus* (quibus & *Specimen* iſtud Appendicis loco acceſſit) *Anti-Limburchianis, de præcipuis inter Lutheranos & Remonſtrantes Controverſiis*, Philippi a Limburg, Remonſtrantium modernorum apud Amſtelodamenſes Promachi, *Theologiæ Chriſtianæ* oppoſitis, Kiloniique A. 1694. in 4to excuſis. Quæ Scripta Elenchtica τῦ μακαρίτυ, Theologi non doctiſſimi ſolum, ſed & judicioſiſſimi atque moderatiſſimi, πολλῶν ἄλλων ἀντάξια, vel ideo ſunt commendanda, quod, ſequeſtrata omni autoritate humana, tela contra Adverſarios, ex ſolo S. Codicis ſanæque rationis armentario, nec ſine accurato delectu, deprompſerit, & hoc pacto, ſoli, quæ tractatur, rei accuratiſſime inhærens, omnibusque, & in Sectas, & in illarum Doctores convitiis & ſcommatis abſtinens, planiſſimam Controverſias Sacras decidendi ac terminandi viam oſtenderit.

nianiſmi Abr. Calovius, Witeb. 1657. Edidit & Dominus D. Chriſtoph. Franckius *Specimen Controverſiarum, quæ Lutheranis cum Remonſtrantibus intercedunt.*

SOCINIANORVM, & Novorum Arianorum, uti ſolent dici, ſeu Neophotinianorum, dogmata propoſita vide apud Boſium. *Diſputationem de Ortu & Progreſſu* Arianiſmi Joh. Meiſnerus ſcripſit, *Hiſtoriam* item *Arianiſmi* Joh. Frid. Königius, Gryphiſw. an. 1654. Notandum hic, exſtare in Gudiana Bibliotheca *Apologiam* Photini, Græca Lingua ſcriptam, quæ nunquam edita fuit. *Socinianiſmum profligarum* Joh. Hornbeckius ſcripſit, Samuel vero Mareſius edidit *Anti-Volkelium*, ubi contra Joh. Volkelium defendit Religionem Reformatorum. Noſtro tempore Chriſtoph. Sandius, cujus exſtat *H. E. Nucleus*, & *Paradoxicæ Explicationes in Evangelia*, paſſim hæreſin ſuam inculcavit. (*t*) *Corpus omnium Socinianorum Scriptorum* editum eſt aliquot Tomis *in fol.* Amſtelodami, diſſimulato licet loco, quo continentur omnia Socinianorum hactenus edita Scripta, quibus tamen poſt hoc tempus alia acceſſerunt. Noviſſime prodierunt *Chriſt. Liberii cujusd. Epiſtolæ*, quibus doctrina Socinianorum paſſim proponitur, & propugnatur, de quo & *T. I. Lib. I.* egimus. Abſolutiſſimum Scriptorum Socinianorum Catalogum dedit Sev. Walth. Sluterus *in Propylæo Hiſtoriæ Chriſtianæ, a p. 186. ad pag. 207.* quem ipſi conſignaverat Chriſtoph. Sandius, ſatis illorum notitia inſtructus. Plerique illorum libri ſunt Belgice redditi, ac vidi ego Amſtelod. Bibliopolium totum Socinianum, merisque Socinianorum libris, in Linguam Belgicam converſis, conſtans. Hugo Grotius ſub extremum vitæ ſuæ Socinianiſmo infectus eſſe creditur a Martino Ruaro, Dithmarſo, cetera Viro docto. (*u*) Ejus Ruari *Epiſtolarum Centuria* Amſtelod. an. 1677. *in 8vo*, edita eſt, ubi habentur Epiſtolæ multæ, tam Socinianorum, quam noſtrorum quoque Theologorum. Multæ etiam ſunt illic Epiſtolæ Grotianæ, & plurima, ad Hiſtoriam Socinianiſmi ſpectantia. 33

(*t*) *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant*, Irenopoli (ſive Amſtelodami A. 1668. Tomis compluribus *in fol.* publicata, non continet, uti Morhofius credidit, ſcripta Socinianorum omnia, ad id usque tempus edita, ſed ſola Fauſti Socini, Joh. Crelii, Jonæ Schlichtingii, Joh. Ludov. Wolzogenii & Andr. Wiſſowatii, Opera, & Schlichtingii quidem ac Wiſſowatii non niſi Exegetica. Seriem illorum ac Ordinem, ſub Autorum ſingulorum nominibus exhibet Chriſtoph. Sandii Junioris *Bibliotheca Anti-Trinitariorum poſthuma*, ſive Catalogus ſingulorum hujus Sectæ Scriptorum Vitas ac Opera recenſens, Freiſtadii (h. e. Amſtelodami) A. 1684. *in 8vo* a B.W. (Benedicto, ni fallor, Wiſſowatio, per quem actus eſt atque interpolatus) in lucem editus, longe certe locupletior & accuratior Indice ejusdem Sandii compendiario, per Sev. Wath. Sluterum publicato, quem Morhofius *b. l.* ceu *abſolutiſſimum*, perperam commendavit.

(*u*) Mart. Ruarus (de cujus vita ac ſcriptis *in Cimbria Litterata* fuſius commentabimur) non Dithmarſus fuit, velut ab Autore, & *b. l.* & *T. I. Polyhiſt. L. I. c. 24. §. 102.* eſt traditum, ſed Crempenſis Stormarſius, ac Petri, Scholæ Oppidi iſtius Rectoris, Filius. *Centuriam Epiſtolarum* ejus *priorem*, A. 1677. editam, quæ Morhofio ſola innotuit, quadriennio poſt ſecuta eſt *poſterior*, a Davide Filio Amſtelodami A. 1681. *in 8vo* publicata.

ANABAPTISTARVM diſcrimina, & dogmata, vide apud *Boſium.* Ceterum
34 quicquid illorum ſpectat Hiſtoriam, *Joh. Henr. Ottius, in Annalibus Anabaptiſticis*, an. 1672. editis *in 4to* pleniſſime propoſuit, ubi ſimul omnem Enthuſiaſtarum progeniem recenſet. Ille ſane Liber ad Hiſtoriam iſtorum hominum unice commendandus eſt. Dogmata Anabaptiſtica qui refutarunt, vide apud *Boſium.*

CHILIASTARVM non tam peculiaris eſt Secta, quam opinio certa, per omnes
35 pene Religiones, de mille Annis Apocalypticis, diffuſa. Ejus *Hiſtoria* copioſe propoſita in Diſputatione quadam Ad. Tribbechovii. Scripſit & Samuel Mareſius *Chiliaſmum enervatum.* Qui vero Chiliaſmum defendunt, plurimi ſane ſunt. Pro illo Gallice Pet. Serarius ſcripſit librum contra Moſen Amyraldum, an. 1657. *in 8vo.* Singularem etiam Tractatum pro illo ſcripſit Dan. Brenius, Socinianus, cujus etiam exſtant *Commentarii*, vel potius *Notæ in Biblia univerſa.* Julius Sperberus, in libro Germanico von den dreyen Seculis, idem defendit argumentum, & ultimum illud ſeculum Spiritus S. ſeculum vocat. Scripſit jam tum an. 1622. Andr. ab Hobernfeld *Hieroſolyma reſtituta, ſeu ſeculum Spiritus S. igneum, ſub præſentis magnæ tribulationis quaternarii finem magno lumine ſuum accepturum initium, quo etiam minæ interitus beſtiæ Romanæ, & Mahumetiſmi, ad annum futurum 1624. ex Scriptura S. recenſentur, ac deducuntur.* Verum vana hæc ſunt & inania ſomnia.

ENTHVSIASTAE varii ſunt generis, quibus an accenſeri VALENTINVS WEI-
36 GELIVS debeat, aliqui dubitant. Verum tamen eſt, multos illum habuiſſe errores, licet Vir cetera pius fuerit. Ejus errores Nicolaus Hunnius ſingulari libro refutat. Summam ejus dogmatum Boſius *ap. 318. ad 323.* recenſet. Scripſit & Theodor. Thummius librum, cui Tit. *Impietas Weigeliana*, Tubingæ 1650. *in 4to.* Multos occupavit illorum hominum doctrina pietatis ſpecie, & affines ipſis ſunt FRATRES ROSEAE CRVCIS, de quibus libro peculiari egit Andr. Libavius. Defendit illos Michaël Mayerus, multis libris. Unus ex illis, ÆGIDIVS GVTMANN, librum ſcripſit Germ. cui Tit. Offenbahrung der Göttl. Majeſtät, *in 4to*, ubi multa habentur paradoxa. Succeſſu temporis plures propullularunt hujus farinæ homines. (*x*) Exortus eſt IACOBVS BÖHME, homo plebejus, ſed miri ac ſingularis ingenii, cujus exſtant tam Theologica, quam Philo-

(*x*) De Jac. Böhmio Autor, & *h. l.* & alibi (*Tomo ſc. I. Lib. I. c. 10. ſ. 27. 28. & T. II. L. II. P. I. c. 3. ſ. 8.*) benignius, quam Theologi plerique, judicavit, Chymicorum, Scriptores hujus farinæ μυσταγωγίας obſcuriores adamantium atque excuſantium, morem ſecutus. Operum Böhmii Germanicorum Editionem noviſſimam, ab Henrico Ammersbachio, niſi memoria fallit, *in 4to* curatam, in Germania, non in Belgio, prodiiſſe, Typi oſtendunt. Sam. Pomarius, ex profeſſo, libroque peculiari, doctrinam ejus non refutavit, ſed in ſcripto tamen Anti-Gutmanniano vernaculo bipartito, publico Eccleſiaſtarum Lubecenſium Hamburgenſium & Luneburgenſium, nomine A. 1677. & 1679. edito (Abgenöthigte Lehr und Schutzſchrifft gegen den Gutmanniſchen Offenbahrungs-Patron, paſſim vellicavit. De Dav. Georgio, Joh. Labadio & Antonetta Bourignonia, horumque Sectis & Adverſariis, *Iſagoge mea ad Hiſt. Cimbr. P. II. Cap. V. & VI.* Autoresque alii, iſtic allegati, poſſunt conſuli.

Philoſophica, plena abſtruſorum ſenſuumque Cabaliſticorum, de quibus quid dici debeat, non liquet. Lutheranæ Eccleſiæ membrum fuit, totiesque a Theologis noſtris in Examen vocatus ſic reſpondit, ut illum damnare non auſi ſint. Quæcunque ab illo ſunt ſcripta, videntur quaſi per Enthuſiaſmum ſcripta, nec diſſimulavit ipſe viſiones & ſomnia ſibi divinitus, ut dicebat, oblata. Cetera Vir erat pius, pacificus, nemini moleſtus, & quotidiano ſuo labore victitans. Scripſit *prophetias de temporibus ultimis* ineditas, de quibus mira dixerunt, qui eas legerunt. Attingit quæſtiones, tam Theologicas, quam Philoſophicas utiliſſimas. Synopſin doctrinæ ejus recenſet Henr. Morus in Operibus ſuis Philoſophicis, Latine editis, qui damnare non audet Virum hunc. Scripſit inter alia *Reſponſiones ad 40. quæſtiones de anima*, quas ipſi propoſuerat Medicus aliquis, qui ſe plus ab ipſo didiciſſe profitebatur, uno alteroque Colloquio, quam longis per Orientem peregrinationibus. Dignæ illæ ſunt viſæ Joh. Angelio Werdenhagen, JCto, ut Latine redderet, & notas ſuas adjiceret, qui liber eſt editus Amſtelod. A. 1632. *in 24.* ſub Tit. *Pſychologiæ veræ.* Nuper incidit in ejus ſcripta quidam QVIRINVS KVHLMANNVS, Uratislavienſis, Juvenis ingenioſus, adeo iſtorum lectione ineſcatus, ut ſe totum Enthuſiaſmo tradiderit, ac ipſe librum ſcripſerit, cui Tit. Neu-begeiſterter Böhm. Scripſerat antea *Epiſtolas duas*, unam de arte Combinatoria, alteram de admirabilibus quibusdam inventis, ad Athan. Kircherum, qui ipſi etiam reſpondit, literæque ſunt ſimul editæ Lugd. Batav. A. 1674. *in 8vo.* Edidit & *Prodromum quinquennii mirabilis* Lugd. Batav. Ann. 1674. *in 8vo.* Ubi proponit nova ſua in re literaria inventa. Nunc ille per terrarum orbem errat, ſuique ingenii homines ubique compellat. Scripſit & *Epiſtolas Londinenſes*, quarum Nona edita eſt, in qua multa habentur prophetica de ultimis temporibus, Roterod. A. 1679. *in 12mo.* Doctrinam Böhmii, ejusque Clientum, nuperrime refutandam ſuſcepit *Samuel Pomarius*, Superintend. Lubecenſis. Nunc Opera Böhmii junctim recuſa prodiiſſe in Batavia dicuntur. De DAVID IORITIS ſingulari libro D. Friedericus Jeſſenius, Paſtor Primarius Kilonienſis, egit, qui & Hiſtoriam Dav. Georgii deduxit, & doctrinam refutavit. Contra Indifferentes Moſes Amyraldus ſingularem librum ſcripſit, qui e Gallica Lingua in Germanicam converſus prodiit Lipſ. A. 1667. *in 12mo.* Orientalium Chriſtianorum differentias & dogmata propoſuit Boſius *Diſſ. III. de Statu Europæ, Introductioni adjecta.* Multa poſſent huc alia referri. Noviſſimis enim his temporibus novi ſunt orti Errores, novæ Sectæ, uti *Labadiſtarum*, & eorum, qui *Antonettam de Bourignon* ſequuntur, de quibus libri editi omnibus ſunt cogniti. Nos hic Autores Theologicos ſeponimus, & ad JCtos progredimur.

FINIS LIBRI QVINTI.

POLYHISTORIS
TOMI III.
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER VI. IVRIDICVS,
DE SCRIPTORIBVS IVRIS.

SECT. I.
DE IVRISPRVDENTIAE VNIVERSALIS SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Commendantur Juris Cultori Ethicæ & Politicæ Doctrina, & quidem Aristotelica, & Scriptorum de Justitia & Jure Scholasticorum Lectio cum selectu instituenda. 2. Franc. Baconis Verulamii Cogitatorum de Jurisprudentia Universali imperfectio. Descriptio ejus. Judicia de Adoardi Gualandi Methodo Philosophiæ Moralis ac Civilis, & Vincæ Turtureti Parallelis Ethico-Legalibus. 3. Nec non de Rob. Scharrockii & Sam. Pufendorffii Scriptis de Officiis. 4. Thom. Hobbesius, Novator in J. Nat. a Rich. Cumberlando dextre confutatus. Julii Cæsaris Conatus de Jure in Artem redigendo frustranei. Justinianus male de Jurisprudentia meritus. 5. Elogium Librorum Hug. Grotii de Jure Belli & Pacis. Judicia de Illustratoribus illorum, J. Frid. Gronovio, J. Henr. Bœclero, Casp. Zieglero, Joh. Ad. Ostandro, Joh. Feldeno, Th. Graswinckelio, Henr. Hennigio, J. G. Simone, Sam. Rachelio, nec non de Guilh. Grotii, Mart. Schookii & Jani Kleukii, Libellis de Jure Naturali. 6. De Alberici item Gentilis Scriptis de Jure Belli, Joh. Seldeni vero, Joach. Hopperi, Sam. Pufendorffii, Dan. Mevii, Rich. Zouchei, Er. Mauritii. Franc. Jul. Chopii & Joh. Feldeni, de Jure Nat. & Gentium. 7. Commendantur Diod. Thuldeni & Christoph. Ebenii de Principiis Juris Tractatus. 8. Lanx satura Scriptorum de Jure Naturæ, argumentisque ejus Specialibus, Miscellaneorum.*

1 CUm Jurisprudentia propago sit Ethices ac Politices, necessario earum illi principia sunt præmittenda; atque in his disciplinis quasi solum & fundus est hujus doctrinæ. Ut hic principia jacta fuerint, ita omne erit, quod illis superstruetur. Genuina hic & limpidissimi fontes turbidissimis lacunis sunt præferendi. Quicquid Aristoteles, ejusque Interpretes, tradiderunt, pro fundamento substerni

ſubſterni debet. Si quis enim ad heterodoxa nonnullorum Novatorum ſtatim in limine digreſſus fuerit, in errores infinitos paulatim prolabetur. Nolo hic repetere, quæ de doctrina morali ſupra nobis dicta ſunt, quorum non exigua pars Jurisprudentiæ etiam applicari poteſt. Dixi etiam de iis, qui e Scholaſticis argumentum *de Juſtitia & Jure* uberrimis Commentariis exſecuti ſunt Leonh. Leſſio, Ludov. Molina, Dominico Soto, aliisque, de quorum uſu ad Jurisprudentiam Univerſalem legi præterea etiam Grotius poteſt, & Commentator ejus, J. Henr. Bœclerus, ille *in Prolegomenis Operis de Jure Belli & Pacis*, hic *in Prolegomenis Commentarii ſuper illud Opus.* In iſta tamen librorum mole excutienda ita eſt verſandum, ut ea tantum ſeponamus ex illis, quæ ſpectant ad officia hominum in ſocietate aliqua civili conſtitutorum, & *ſpeciatim*, quæ ad Jurisprudentiam pertinent. Nam multa in iis pertractantur, quæ ſunt fori Theologici, aut quæ ſunt, ad oſtentandum ingenium, ſubtilius potius excogitata, quam ut uſum aliquem in vita, & doctrina Civili, habeant.

Franc. Baco Verulamius, in ſuo *de Augmentis Scientiarum* Opere, inter deſiderata 2
ponebat *Juſtitiæ Univerſalis doctrinam*, quam *lib. 8.* ejus *Operis* quibusdam Aphorismis proponit. Sed in iis nihil aliud invenimus, quam cogitata quædam de Legibus ad certas Reipubl. formas attemperandis, non quidem illa contemnenda, ſed quæ tamen tam vaſtum objectum non exhauriunt. Pertinent illa tantum ad prudentiam Nomotheticam, quæ particula tantum Jurisprudentiæ Univerſalis dici poteſt ac debet. Eſt itaque Jurisprudentia Univerſalis mixta quædam e Principiis Ethicis & Politicis diſciplina, e quibus deinde deducuntur illa, quæ ſpecialioris objecti ſunt. Neſcio, an tale quid in animo habuerit ADOARDVS GVALANDVS, Piſanus, Epiſcopus Cæſenas, qui librum ſcripſit, cui tit. *Moralis Philoſophiæ, ac totius facultatis Civilis, vera & abſoluta Methodus*, Romæ editum A. 1604. *in fol.* Latius ſane extendit ſua objecta, quam fit vulgo ab iis, qui diſciplinas has ſeorſim tractant. Non diffuſus eſt in illis, quæ ad juſtitiam pertinent, & ſe in quæſtiones ac theſes demittit jurisprudentiæ, quæ practicæ diſciplinæ, ſeu Philoſophiæ, ſunt propiores. *Libri* ejus *octavus & nonus* de Juſtitia, Jure & Legibus agunt, in quibus confuſiora paululum videntur eſſe nonnulla & μικρέλογα. Qui *Parallela Ethica & Legalia* ſcripſit, *Vincentius Turturettus*, inter Locor. Comm. Scriptores potius eſt referendus, quam eos, qui juſta methodo deducunt dogmata.

Lucem etiam Jurisprudentiæ Univerſali commendant *Scriptores* de *principiis* 3
Actionum Humanarum, item qui de OFFICIIS egerunt, de quibus ſupra diximus. Ad argumenta Juridica accommodatius illa tractavit ROBERTVS SCHARROCKIVS, Anglus, qui ad Jus Naturæ totam hanc retulit doctrinam, quem in Germania, cum *notis* ſuis recudi fecit Dominus D. Sam. Reyherus *in 12mo.* Sed ego quidem in Scharrockio non videor mihi deprehendere hoc argumento dignam ἀκρίβειαν. Multa enim miſcet digna indigna relatu, adeo ut & jejunam illam liticulam Theologorum Batavorum de *Capillorum habitu* non omiſerit, operoſe ab utraque parte adductis argumentis. Multa generalibus quibusdam Locis Comm. abſolvuntur. Adver-

sus Hobbesium non raro disputat. Accuratius paululum hoc in argumento versatus est SAM. PVFFENDORFIVS, cujus exstat libellus *de Officio Hominis & Civis, juxta legem naturalem.* Sed communiora illa sunt omnia, unde quidem jurisprudentiæ lux accedere potest. Plurima tamen ex illis in actibus internis terminantur, aut ad eos externos actus referuntur, qui non æque ad justas in civitate actiones pertinent. Accenseri quoque illis potest ROB. SANDERSONIVS, cujus libellus *de obligatione in conscientia* in Germania est recusus.

4 Si NOVATORES vestigemus, THOM. HOBBESIVM habemus, qui, in libris suis civilis argumenti, profana & paradoxa principia posuit, unde, quod deducit Naturæ jus, plane aliter formatum est, quam quod ex sanioris Philosophiæ principiis extructum est. Hunc singulari refutavit Richardus Cumberlandus *Disquis. de LL. Naturæ*, Lond. A. 1672. edita, diligenter legendus. Illud enim, quod est in Hobbesio præcipue ulcus, tangit, quo detecto, non est tantus a gangræna ista in progressu juris metus. Neque enim dicam nunc de ceteris ejus, vel Antagonistis, vel Hyperaspistis. Non enim facit ad nostrum institutum. De Jure in artem reducendo jam tum Ciceronis tempore actum fuit, & hoc opus, quasi triumphorum suorum appendicem, Jul. Cæsar affectabat, sed nihil illo tempore actum est, neque quidem perfici tam exiguo tempore poterat, & in tam vastis JCtorum Voluminibus. Neque fuit post illa tempora, qui opus hoc aggredi ausus fuerit, quanquam varii fuerint. Juris Justinianei Compilatores. Ne quid dicam de Justiniano ipso, quem de tota Jurisprudentia male meritum esse, non e vulgo JCti autumant, quod in Compendium, aut velut ad Locos Comm. redegerit JCtorum sententias. De qua re infra videbimus.

5 HVGO GROTIVS præcipuam Jurisprudentiæ partem, & quidem Universalis, attigit *in libris suis de Jure B. & P.* sed eam partem tam præclare nobis depinxit, ut nulli sint post hunc Appellem, qui hanc tabulam se absolvere posse confidant. Ac sane ista in parte, de pace ac bello quæ agit, omnia poterat civitatis tempora & jura complecti. Frater ejus, *Guilielmus*, generalem de *principiis Juris naturalis* libellum scripsit, non quidem fratris Operi comparandum, sed tamen non omnino spernendum, cum hactenus neminem habeamus, qui doctrinam illam ista brevitate complexus fuerit, cujus ille lineamenta duxit, licet ad expoliendum minus ingenii habuerit. In Hug. Grotii Opus certatim prodierunt Virorum doctorum Commentarii, ac nuper ipsius nova editio in Belgio data in lucem est, cum quibusdam *Dissertt. & Notis* Joh. Frid. Gronovii, quæ extemporales esse videntur, neque a Gronovio hunc in finem concinnatæ, ut lucem aliquando adspicerent. Post mortem ejus, ut solet fieri, conquisitum est, tam ab Hæredibus, quam a Typographis, quicquid ejus nomen præfixum habet. Non pauca sunt, in quibus ipse dissentit a Grotio, argumenta adversus ipsum velut in aciem producens, ac tangit difficillimas nonnunquam quæstiones, quorum omnium usus esse potest non contemnendus in his argumentis versanti. Cœpit in libros Grotii Commentarios, edere J. Henr. Bœclerus, Vir ad

hæc

hæc ſtudia natus, ſed pervenit tantum usque *ad VIInum Caput Lib. II.* Aliqua iſtius Commentarii latitare apud Hæredes dicuntur, ſed, ut ego puto, inelaborata, quorum editionem, credo, omittent Hæredes, *ne turpiter atrum deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.* Quoniam enim ipſe ultimam manum illis non addidit, vix ſperanda eſt tanta illorum *ἀκρίβεια.* Poſt illum plures hoc Opus ſunt adorti. Caſp. Ziegleri *notæ* breves ſunt quidem, ſed utilia tamen afferunt, præcipue illa, in quibus vel illuſtratur Jus Commune, vel ab Autore diſceditur. In Theologorum etiam cenſuras incurrit, Joh. Ad. Oſiandri præprimis, qui ſingularem librum conſcripſit, quo impugnat illa, quæ heterodoxa videntur. Sed facile eſt in illum lapidem impingere, cum in alienæ religionis Scriptoribus ſemper inſidias metuamus. Scripſit & in Grotium *ſtrictiuras*, Joh. Feldenus, quas data occaſione edidit olim Boeclerus. Refutavit has Theod. Graswinckelius, non dignus tamen tanti Viri Hyperaſpiſtes. Exſtat & Henr. Henningii *Commentarius* in Grotium, qui impetus magnos ad illam rem attulit. J. Georg. Simon eo utilius eſt, quod coacervet Autorum vel conſentientium, vel diſſentientium, loca. Exſtat etiam Val. Velthemii in illum *Commentarius.* Promiſerat quoque *Martinus Schoockius* quædam in illum, quæ tamen non viderunt lucem, ſed morte ejus ſunt intercepta. Dubito autem, an operæ pretium facturus fuiſſet, nam, quantum ex *Diſſertatione* ejus *de Jure naturali* colligere licet, operoſe quidem ſatis in hoc argumento, ſed non tanto cum delectu, verſatur. Erat enim illi plerumque extemporalis librorum ſcriptio, qualis profecto in tam gravi argumento eſſe non debet. Videbimus etiam aliquando fortaſſis Domini Sam. Rachelii labores in Grotium. E Grotii Opere Epitomen aliquam confecit Janus Klenckius, qui libello exiguo titulum ſuſpendit magnificum, *Inſtitutionum J. naturalis & gentium*, nihil vero aliud agit in illo, quam ut Grotii Pediſſequus methodo Erotematica, ſententias ejus in Compendium redactas, in uſum tyronum proponat. In Batavis primum editus eſt liber, poſtea in Germania recuſus Jenæ an. 1666. *in 12.*

Scripſerat ante Grotium Albericus Gentilis *libros tres de Jure belli*, duosque *de* 6
Jure Romanorum armorum, doctos equidem & eruditos, nec e jure civili ſolum, ſed & morali, & prudentia Civili, illuſtratos. Subtilius vero diſputavit, & altioribus e principiis eruit ſua Grotius, explicatius quoque omnia propoſuit, ut merito illi palma præ Alberico debeatur. Æmulatus eſt Grotium Joh. Seldenus, cujus exſtat *de Jure naturæ & gentium, ex mente Hebræorum*, liber, in Germania recuſus, in quo Jus naturale ad Juris Noachidarum capita reduxit. Specialius itaque, & ex unius gentis ſenſu, de Jure Naturæ Gentiumque hunc ſcripſit, cui addi debent ejusdem *de Synedriis Hebræorum, & de Uxore Hebraica* Libri. Joachimi Hopperi *Sedulius*, quem Herm. Conringius edidit, ceteriique ejus libri, officinam hujus juris ſapere videntur. Philoſophice certe tractat Jura Juſtinianea, non contemnendus quidem, ſed qui methodo Dialogiſtica involvit & abſcondit ſententias, & neſcio quid interdum platoniſare mihi videtur. Samuel Puffendorffius denique hoc argumentum de jure Naturæ & Gentium ſpeciatim ſibi tractandum ſumſit. Ediderat is antea *Elementa Jurisprudentiæ*, in quibus multa ſubti-

ſubtiliter diſputantur. Plurima ex illis mutata videas ampliore *de jure naturæ & gentium* Commentario, in quo attentius rem ſuam agit, & in ipſa Jurisprudentiæ penetralia intimius ſe demittit, methodo quoque alia utitur. Sunt, qui illum Hobbeſii ſententias plus æquo ſequi opinantur; ſed tamen & ipſe ab Hobbeſio in plurimis diſſentit, ac profanas nonnullas ejus ſententias maſcule ſatis impugnat, inter quas & illa eſt de ſtatu naturæ ex lege. Sunt & e Theologis nonnulli, qui in illo Heterodoxa nonnulla reprehendunt, fuitque ipſi acris cum quibusdam decertatio. Primus certe eſt, qui hujus tituli librum in lucem edidit. Deſtinaverat quoque hoc argumentum curis ſuis Dav. Mevius. Affectum enim Opus habuit, cui titulum erat daturus *Jurisprudentiæ Gentium*, ſed ultimam illi manum non admovit. Prodiit poſt obitum ejus liber, cui titulus: *Prodromus Jurisprudentiæ gentium Civilis & Communis.* Sunt quædam hic generales Diſputt. de Origine & progreſſu Juris gentium primævo & ſecundario, de præceptis naturalibus ex natura derivatis, quibus Jurisprudentiæ hujus latifundium ſe exhaurire poſſe putat, & quædam alia de Juſtitia & Jurisprudentia, poteſtate Imperantium circa leges &c. Erat vir ille Legum Romanarum, atque hodierni Juris, peritiſſimus, adeoque huc potiſſimum reſpexit, neque ex tam ſublimibus principiis rem totam eruit. *De jure gentium miſcellaneas aliquas quæſtiones* ſcripſit Richardus Zoucheus, Anglus, in quibus methodus eſt nulla. Hiſtoriam juris naturalis, & præcipuorum ejus capitum, ad mentem Orientalium & Græcorum, brevi Specimine, ſed docto & ſpecioſo, delineavit Ericus Mauritius, qui tamen, cum hic viveret, *de jure naturæ* Commentarium pleniorem ſub manu habebat. Franciſcus Julius Chopius ad duo Juris Capita, *Poteſtatem ac Obligationem*, omne jus deduxit, exemplis e Jure Rom. petitis, atque hunc ſuum conatum titulo *Philoſophiæ juris veræ* ornavit. Liber editus eſt Lipſiæ an. 1650. *in 4to.* Referendus tamen potius eſt ad illos, qui Jus Juſtinianeum nova methodo propoſuerunt. Joh. Feldeni *Elementa Juris univerſi* ex jure ſpeciali Juſtinianeo exſtruunt Jurisprudentiam Univerſalem, quæ illuc proprie non ſpectat. Quorſum enim pertinet illa tam prolixa tractatio de ſtatu Romanæ Reipubl. de Imperatoribus Romanis? ſi hæc ita miſcere velimus, omnia confundemus.

7 Diodorus Thuldenus, Prof. Lovanienſis, *de principiis Jurisprudentiæ Libros IV.* ſcripſit, in quibus, ex jure Juſtinianeo, generalia quædam de juſtitia, Jurisprudentia, æquitate, ſummo Jure, Legibus XII. Tabularum, aliisque Juris Romani ſpeciebus, commentatur, potius ad Hiſtoricos juris, quam ad hanc claſſem referendus, prodierunt Lovanii an. 1655. *in 8.* Omiſeram pene Chriſtoph. Ehemii elegantem librum *de principiis Juris*, in quo ille multa copioſe de Jure ordinando diſputat, & conſilia potius ſuppeditat, quomodo Jurisprudentiæ Syſtema poſſit adornari.

8 Sunt & quidam *Autores*, qui in *univerſum* quædam de Jure Naturæ & Gentium commentantur, non tamen ut Syſtematice tractent, ſed ad ſpecialia deſcendant. Spectant huc Joh. Fridericus Hornius *de ſubjecto juris naturæ*, Hugo de Roy *de eo, quod juſtum eſt.* Samuelis Rachelii *Diſputt. variæ de jure naturæ & gentium.* Ne quid

quid dicam hic de Theologis, qui sua quadam ratione Jus Naturæ proponunt, uti Joh. Ad. Osiander *in Typo juris naturæ*. Legendus quoque est Joh. Ludov. Praschius, Senator Ratisbonensis, *in JCto vero & perfecto*, ubi multa de Jure Universali hoc & Justinianeo. Si ad argumenta specialia, quæ ex Jure hoc universali deducta sunt, descendere velimus, magnum hic possemus Catalogum illorum texere. Pertinent huc *Tractatus de dominio maris* Joh. Seldeni, Hug. Grotii, Theod. Graswinckelii, Palatii; Jacobi Gothofredi, Mart. Schookii, H. Grotii *Tractatus de æquitate*, novissimæ Editioni Operis de J. B. & P. subnexus, Rich. Zoucheus *de Legati delinquentis Judice competente*, J. Henr. Boecleri & Sam Pufendorfii Dissertationes de variis argumentis, Rob. Schirockius *de variis Incontinentiæ Speciebus*, H. Grotius *de Imperio summarum potestatum circa sacra*, Paulus Sarpius *de jure Asylorum*, Radbodus Herm. Schelius *de Pace*, Petrus Musæus *de Pœnis*, Jac. Thomasii varia *de Latrocinio gentis in gentem*, *de Duellorum moralitate*, *de Justitia Belli Punici*, *de Statu ex lege naturali*, Albericus Gentilis *de Ii Civium in Principem semper injusta*, Radbodi Herm. Schelii *Tractatus de jure Imperii*, ejusdem *Libertas publica, & de Tyrannicidio*, Casp. Ziegleri *Exercitationes circa Regicidium Anglorum*, Joach. Stephani *Demonstrationes Politicæ*, Joh. Phil. Slevogt *de jure Retorsionis*, Jac. Thomasius *de Ostracismo*, Lamberti Veldhusii *Tractatus de justitia divina & humana*, ejusdem *Tractatus de Naturali pudore & dignitate hominis*, in quo agitur de Incestu, Scortatione, Conjugio, Adulterio, Polygamia, ac *Dissertatione de principiis justi & decori* (quæ omnia reperiuntur in *Operibus* ejus, Roterod. an. 1680. junctim editis,) Henr. Usselmann *de sermone, quo homo homini obligatur*, Cl. Salmasii & Joh. Cloppenburgii Controversiæ *de re usuraria*. Hæc, & similia, notatu digna sunt, nam illustrant speciales materias hujus argumenti.

SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS IVRIS SPECIALIBVS, ET QVIDEM CERTARVM GENTIVM.

§. 1. *Jus Hebræorum proposuerunt & illustrarunt Moses Maimonides, Joh. Seldenus, Guilh. Schickardus (a Cl. Salmasio plagium passus,) J. C. Wagenseilius, & Scriptores de Rep. Hebr. inter quos Pet. Cunæus eminet.* 2. *Anonymi Collatio Antiqua Legum Mosaicarum & Romanarum, & Josuæ Arndii Manuale Legum Mosaicarum.* 3. *Jus Ægyptiorum Diod. Siculus, Joh. Lud. Praschius & Athan. Kircherus, Leges variarum Gentium Hellanicus.* 4. *Jus Spartanorum (ab Ægyptiis derivatum) Nicol. Kragius, Jus Atheniensium Sam. Petitus, Cl. Salmasius, Desid. Heraldus, Ant. Thysius, illustrarunt.*

1 INter gentes, quæ jus & leges certo ordine conſcripſerunt, primi procul dubio ſunt Hebræi. Hebraicum autem jus libris Moſis potiſſimum continetur. Ejus juris partitio varie, tum a Chriſtianis, tum Rabbinis, inſtituitur. Joh. Seldenus occupavit hoc argumentum *in libro de jure naturæ & gentium, juxta diſciplinam Hebræorum*, cujus præterea alii quoque exſtant libri, v. g. *Uxor Hebræa, Tr. de Succeſſionibus*, &c. (a) Inter Rabbinos fertur a Moſe Maimonide (qui primus ineptire deſiit inter Rabbinos) collectum eſſe totum Juris Hebræi Corpus, quod nondum in Linguam Lat. converſum poſſedit J. Henr. Hottingerus, teſte Mauritio *de principiis Juris publici, c. 3. n. 24.* Quæ ad leges Forenſes Hebræorum pertinent, illa Joh. Seldenus *in libb. de Synedriis* potiſſimum tractavit. (α) *Jus Hebræorum Regium* ſingulari libro perſecutus eſt præſtantiſſimus Gülh. Schickardus, unde multa cepit Salmaſius, cum adverſus Joh. Miltonum diſputaret, licet illud alte diſſimulet. Vir ille fuit in Hebræarum antiquitatum cognitione verſatiſſimus, ut oſtendunt Scripta ejus edita, inedita vero tranſiiſſe in Regis Galliæ Bibliothecam dicuntur. Politiam Judaicam ſingularibus libb. deſcribunt; Car. Sigonius, Joh. Steph. Menochius, Bonav. Corn. Bertramus, Pet. Cunæus, qui & JCtus, rei literaturæque Hebraicæ peritiſſimus fuit. Plurima autem, ut ipſe fatetur, ex Moſe Maimonide deſumſit, ac fuit ſane libellus ille multis adjumento, argumentum hoc magno cum apparatu tractantibus. Jura Pontificum & Sacerdotum Hebræorum Joh. Seldenus ſingulari quoque libro deduxit. Quæ ad jus repudii & matrimonii ſpectant, Joh. Seldenus attigit in *Uxore Hebraica*; Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius vero Prof. Altorfienſis, plenius hoc argumentum deduxit *in Commentario ſuo ſuper librum Sota de Uxore adultera*, cui fortaſſis plura adhuc in Judaicis rebus aliquando debebimus.

2 Leges ipſæ Judæorum a Moſe traditæ ſunt in SS. Literis, unde rivulos ſuos pleræque gentes derivarunt, apud quas exſtant harum legum aliqua veſtigia. Suntque

(a) Corpus Juris Hebræi, Moſis Maimonidis, quod J. Henr. Hottingerum poſſediſſe Er. Mauritius teſtatur, eſt celebre illud Opus Quadripartitum, Venetiis An. 1574. *in fol.* extuſum, יד חזקה (*Manus Fortis,*) cujus Partium, Librorum & Sectionum ſingularum, Argumenta, cum Commentatoribus ejusdem Judaicis, Joh. Buxtorfius *in Biblioth. Rabbinica, p. 345-349.* enumerat, laudes autem Mart. Geierus, *in Ep. Dedic. & Præf. Tr. de Luctu Hebr.* nec non ipſo *Tr. p. 3.* Pet. Cunæus *L. I. de Rep. Hebr. c. 7. p. 11. 12.* aliique decantant. Totum Latine nondum prodiit; Librorum tamen aliquot & Sectionum Verſiones Ludov. Compeigne de Veil, Humphridus Prideaux, aliique, dederunt. Ex hoc Opere, aliisque Scriptoribus Rabbinicis, Hottingerus ipſe haud parum ſubſidii habuit, cum *Juris Hebræorum Leges CCLXI. juxta rotundolas Moſaicæ Ordinem atque Seriem digeſtas & ad Judæorum mentem, ductu R. Levi Barcelonitæ, propoſitas*, Tiguri A. 1655. in 4to publicaret; cujus Libri, nec a Mauritio, nec a Morhofio, ullam miror eſſe factam mentionem. Vid. de illo J. Henr. Heideggeri *Vitam Hottingeri, ad A. 1655.*

(α) Wilh. Schickardi *Jus Regium Hebræorum*, Argentinæ antehac A. 1625. in 4to editum, Notis ac Animadverſionibus prolixis & luculentis a ſe illuſtratum, Lipſiæ A. 1674. in 4to recudi curavit Joh. Bened. Carpzovius Jun. Theologus Lipſienſis.

que in ipsis Romanis Legibus non pauca inde desumpta. (*b*) Exstat *Mosaicarum & Romanarum Legum Collatio antiqua*, ex integris Vett. JCtorum Libris, ante tempora Justiniani, desumpta. Incerti quidem Autoris, sed magni pretii liber, quod multa in illo inveniamus fragmenta Vett. JCtorum, quæ in *Corpore Juris* non reperiuntur. Edidit illam e Biblioth. sua Pet. Pithæus cum *notis* suis, Heidelb. A. 1603. *in fol.* Similis argumenti Scriptum est *Manuale Legum Mosaicarum*, a Josua Arndio scriptum, in quo Catalogum Legum recenset 1. ex partitione Judæorum, 2. ex partitione Christianorum. Parallela e Pentateucho loca adjicit. Specialia quædam jurium Hebræorum nonnunquam attigerant Joh. Buxtorfius, Henr. Hottingerus, Aug. Varenius, Joh. Frischmutius in variis Scriptis.

Ab Hebræis ad Aegyptios progredimur, gentem olim cultissimam, nam ab Hebræis ad illos venisse Leges verisimile est, quanquam Joh. Marshamus, Eques Auratus Anglus, *in Canone suo Chronologico*, ab Ægyptiis ad Hebræos leges & ritus multos perveniisse, existimet, quæ sententia nescio quid profani habet. Ægyptiarum legum Diodorus Siculus *in Bibliotheca* non paucas recenset. Si supereissent, quæ Hellanicus *περὶ νομικῶν βαρβαρικῶν, de legibus & moribus Barbarorum* scripsit, forrassis & plura de aliis gentibus teneremus. Leges Ægyptiorum, ex Diodoro Siculo, peculiari Dissertatione explicuit, & earum rationes prolixe inquisivit Joh. Ludov. Praschius, Argentor. A. 1657. Legi etiam potest Athan. Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco, parte illa, quæ de Rep. agit.* 3

Ab Ægyptiis ad Graecos, ut omnis pervenit sapientia, ita & Prudentia civilis, & uberrimi ejus fructus, bonæ leges, quas ab illis petiere Legislatores Græcorum, uti multa indicia sunt tam in Spartanæ, quam Atticæ gentis legibus. Nam ex illis habemus aliqua fragmenta, unde postea Gens Romana non pauca mutuata est, in jure gentis suæ constituendo. Spartanorum quidem leges comprehensæ certo libro non sunt, sed earum tamen lacinias aliquas collegit Nicolaus Kragius *in Rep. Lacedæmoniorum.* Si quis conferat leges illas cum Ægyptiis, exacte sibi respondere animadvertet. Celebre inter Græcos Athenienssium Jus est, cujus plura adhuc supersunt fragmenta, tum in Historicis Græcorum, tum in Oratoribus. Jus vero Atheniensium Civile e Legibus & Plebiscitis maximam partem constabat. Senatus-Consulta, nisi accederet Populi auctoritas, annua tantum erant, quamdiu scil. harum Legum Latores Reipubl. præessent. Eas Leges, ex Historicis & Oratoribus, sub titulis suis, peculiari Corpore collegit Samuel Petitus, & *Commentario* doctissimo illustravit, quod Opus Paris. A. 1635. *in fol.* prodiit, *in suo* libb. distinctum. Post illum Juris 4

(*b*) *Collationis Legum Mosaicarum & Romanarum* Antiquæ Autor fuisse perhibetur Licinius Rufinus, non JCtus ille Alex. Severo, Imperatori, coævus (quocum Noster a Joh. Bertrando, *Lib. I. de Jurisperitis p. 150. 181. 182.* confunditur,) sed alter hujus nominis, duobus illo seculis Junior, incertum an JCtus extra Controversiam vero Christianus. Vid. Jac. Gothofredi *Manuale Juris, P. II. c. 2. §. 10. p. 59. 60. 61.* Æg. Menagii *Amœnitates Jur. Civ. c. 7.* & *Homonymoscopiam* nostram, *P. II. c. 4. §. 56. p. 402. 403.*

hujus capita nonnulla illuſtravit peculiaribus quibusdam libris Claud. Salmaſius, cui cum Deſiderio Heraldo lites multæ interceſſerunt circa nonnulla juris hujus capita. Ejus *Obſervationes ad jus Atticum, & Romanum, & miſcellæ defenſiones pro ſuis obſervationibus*, prodiere Lugd. Bat. A. 1644. & 45. *in 4to.* Heraldi vero *Jus Atticum cum Romano collatum in fol.* Pariſiis. Conferri poſſent cum his Scriptoribus illi, qui Remp. Atticam deſcripſerunt, Guilh. Poſtellus & Ant. Thyſius, qui brevem aliquam & compendiariam *Juris Attici & Romani comparationem* inſtituit.

SECT. III.

DE LIBRIS ET SCRIPTORIBVS IVRIS ROMANI, ET QVIDEM ILLIS, QVI IN VETEREM IVRISPRVDENTIAM SVNT COMMENTATI.

§. 1. *Legum Regiarum Fragmenta, a variis viris doctis collecta & illuſtrata. Laudatur Diſſ. Joh. Seldeni ad Fletam. 2. Leges XII. Tabularum. Editores illarum & Commentatores, inter quos Conr. Rittershuſius & Jac. Gothofredus præſertim extolluntur, hujusque Fontes quatuor Juris Civ. commendantur. 3. Fori Veteris Romani Proceſſum ac Solennia Guilh. Budæus, Formulas Barn. Briſſonius, expoſuit. 4. Leges poſt XII. Tabb. latæ ac receptæ. Hiſtoriæ Legum Romanarum Scriptores. Collectores earundem, Ludov. Charondas, & hoc accuratior Ant. Auguſtinus. 5. J. Wolfg. Freymonii Symphoniæ Jur. Utr. Chronologicæ, Joh. Bertrandi Libri de JCtis Vett. & Jac. Labitti Indicis Legum Rom. Encomia. 6. Laus Cod. Theodoſiani a Jac. Gothofredo editi ac illuſtrati. 7. Autores, qui, vel unius JCti Leges omnes, vel ex illuſtrioribus ſingulas, ſeorſim explanarunt. Laus Frid. Brummeri. Nummorum, Inſcriptionum, & Autorum Criticorum, in Legibus explicandis uſus. 8. Edicta Prætorum Romanorum annua. Edictum perpetuum Salvii Juliani. Fragmenta hujus collecta & illuſtrata ab Eguin. Barone, Franc. Ranchino, ac præſertim Jac. Gothofredo. Ejusd. Gothofredi Comm. in Regulas Juris laudatur. 9. Rubricæ Legum probe attendendæ. Pauli Sarpii Peritia Juris Canonici. Dav. Blondelli Pſeudo-Iſidorus, Juri Can. oppoſitus, ἐν παρέργῳ laudatur. 10. Secta Veterum JCtorum. Scripta de iſtis edita Chr. Ott. a Bökeln & Pet. Velaſci, affectum Chriſtoph. Ehemii. 11. Jac. Gothofredi Corpus Antiqq. Rom. e Libris Juris promiſſum.*

1 SUb initium Reip. Romanæ, cum *Reges* rerum potirentur, variæ *leges* ſunt latæ, quæ a Sexto Papirio in unum corpus olim collectæ fuerunt. Illæ vero ad noſtra tempora non pervenere. Superſunt tamen aliqua fragmenta, quæ Antonius Auguſtinus, Ant. Contius, Franc. Balduinus, Fulvius Urſinus, Pandulphus Pratejus, Franc. Modius, Paulus Manutius, Juſtus Lipſius, collegerunt. E quibus

bus diligentiæ laudem præcipuam Urſino adſcribit Joh. Seldenus in *Diſſertatione ad Fletam* (Fleta eſt jus anglicum, liber paucis admodum notus,) libro elegantiſſimo, quo Juris Romani Juſtinianei Hiſtoriam breviter & docte proponit. Balduinus XVIII. Romuli Leges ſe habere, ex columna quadam, Romæ in Capitolio olim erecta, affirmat, quod an vero conſentaneum ſit, dubitarunt Eruditi. Exſtant Romuli, Numæ, & Servii Tulli Leges cum aliis quibusdam, quarum capita recenſet Dionyſ. Halicarnaſſæus, *l. 3. c. 5. in fine*, & ex illo fuſius explicat Chriſtoph. Adamus Rupertus in doctiſſimo illo *Commentario*, quem in *Enchiridion* Pomponii *de Origine Juris* ſcripſit *cap. 3.*

Sequuntur has LEGES XII. TABB. quibus continentur omnia Jurisprudentiæ 2
Romanæ ſemina. Diligenter itaque omnis earum hiſtoria tenenda eſt. Hiſtoriam Legum iſtarum, atque Leges ipſas, certo ordine diſpoſitas, ediderunt permulti, ſed in quibus ſinguli ingenio ſuo indulgent. Interpretationes in illas edidit Joh. Oldendorpius, quem bona, vel potius mala fide, exſcripſit Valentinus Forſterus. Dedit & Franc. Balduinus uberrimos in eas *Commentarios*, Franc. item Hotomannus & Jac. Rævardus. Sunt porro & alii, tum JCti, tum Critici, qui in illas Leges aliquid ſunt commentati, & ſe invicem ſolent exſcribere. Poſt illos omnes prodiit CONRADVS RITTERSHVSIVS, qui abſolutiſſimum in has Leges dedit Commentarium, cui tit. *Dodecadeltos*, qui magnis Elogiis in ipſo titulo a filiis Editoribus ornatur. Laudabilis ſane eſt Viri iſtius diligentia, qui in ſuis *Commentariis progreſſum juris recepti*, ex illo jure antiquo, proponit. Prodiit Liber A. 1616. Argentinæ *in 4to.* Sed defuere, in tanto Interpretum & Commentatorum numero, qui juſtam Tabularum iſtarum hiſtoriam, ſeriem, diſtinctionem, ac collationem accuratam, exhibuerint, ideoque poſt omnes palmam hanc meritus eſt IACOBVS GOTHOFREDVS, Dionyſii filius, JCtus conſummatiſſimus, qui hiſtoriam illarum Legum accuratiſſimam, in quantum haberi poteſt, nobis dedit. Legi poteſt *præfatio* ejus libri, qua exhibetur ratio & conſilium, quo uſus eſt in indagando harum Legum ordine, quem ſagaciſſima Critica, tum ex Hiſtoricorum locis, tum e Legibus Juris Juſtinianei, quæ mentionem earum Tabularum, vel diſertis verbis, vel obſcure, faciunt, eduxit, hunc ordinem Legum per tabulas verba ipſis legum ſubjiciens, exprimit, addita e regione paraphraſi. Singulis Legibus probationes ſuas ſubjungit, & breves notas atque explicationes verborum antiquorum. Editus vero eſt cum tribus aliis hic liber ſub titulo: *Fontes 4. juris Civilis.* Nam *Legibus XII. Tabularum* addidit *Legum Juliæ & Papiæ fragmenta, Edicti perpetui & Sabinianorum Librorum ordinem.* Lib. editus eſt Genevæ Anno 1653. *in 4to.*

Poſt Legg. XII. Tabb. acceſſit *Interpretatio Prudentum* & *diſputatio fori.* Com- 3
poſitæ etiam Actiones; quibus inter ſe homines diſputarent, quarum formulas certas conſtituerant, earumque Interpretatio ad Collegium Pontificum pertinebat. His formulis magna inerat ſubtilitas, atque ideo multis fraudibus & technis actiones illæ forenſes patebant. Interveniebant certa negotiis ſolennia, & actus quidam Imaginarii,

rii, de quorum origine non eſſet injucunda diſquiſitio. A Græcis ad Romanos illa fluxiſſe veroſimile eſt; Nam & in Jure Attico multa talia deprehendas, & in antiquiſſimis quoque barbararum gentium Legibus, ut in Vetuſtiſſimis illis Gothicis, (de quibus Joh. Olai Stierenhöeck, *in libro de Jure antiquo Sveo-Gothico*, & in ceteris quoque juribus. Quod proceſſum veterem ſpectat, illum docte, pro more ſuo, exſecutus eſt Guilh. Budæus ſingulari libro, qui non parum lucis huic negotio accendit. Ac confert ſane ad ipſam Veteris juris Theoriam, noſſe veterem illum agendi morem, judiciorum formam, actionum formulas, quæ omnia per univerſum jus diffunduntur, ac tenebras ſæpe offundunt. Barnabæ Briſſonii *liber de formulis* quadam ex parte etiam hic prodeſſe poteſt. Reliquias illarum formularum collegit Joh. Calvinus, *in Lexico ſuo Juridico, ſub finem.*

4 Quoniam vero illæ Diſputationes non exhauriebant, caſuum ambages, & lubrica erat illa conſtituendi juris ratio, ideo quædam Leges tandem ſunt latæ, quæ Jura Certa ſancirent, *XII, Tabularum legibus* non comprehenſa. Pertinet itaque huc primo omnis illa Legum conſtituendarum hiſtoria, quæ prodeſſe poteſt multis modis in Legum ſenſus & fines inquirenti. Generalis Legum hiſtoria pertractatur a Paulo Manutio *in Lib. de Legibus*, & a Nicol. Grucchio *in lib. de Comitiis.* Earum Legum copia ſubinde creſcebat, quarum nomina, & ſumma capita, recenſentur a nonnullis, Franc. Hotomanno & Fluvio Urſino, qui de Legibus aliqua ſcripſerunt, e quibus excerpſit Legum nomina Joh. Calvinus, & ſub finem *Lexici* ſui propoſuit ordine Alphabetico. Harum Legum accurata eſt habenda Chronologia, unde dependet notitia, quo tempore, quam ob rationem & cauſam illæ ſint conſtitutæ. Veteres Romanas Leges Ludov. Charondas collegit, in quo tamen multi ſunt errores. Nam fumos, ſibi non ſatis cauto & attento venditos, lectori rurſus vendidit, & multa addidit ſuppoſititia. Nam, ut in ceteris Inſcriptionibus, ita & in Legibus antiquis, non paucæ fuerunt doctorum Virorum fraudes. Multa poſtea ipſe correxit Charondas in Editione recentiore, quæ An. 1575. Pariſiis eſt excuſa. Prodiit poſtea Antonii Auguſtini liber doctiſſimus *de Legibus & ſingulis Juris Conſultis*, in quem exſtant Fulvii Urſini *notæ*, in quibus ſæpe a Charondæ ſententiis diſceditur: Ejusdem etiam exſtant *Obſervationes & Emendationes*, quibus varia Juris Juſtinianei loca illuſtrantur.

5 Prodeſſe hic poteſt, quod *Chronologiam* attinet, lib. Joh. Wolfgangi Freymonii, quem inſcripſit *Symphoniam Juris utriusque Chronologicam*, in qua, perpetua ſerie, primo numeri Olympiadum, ſecundo Imperatorum, tertio Anni ab U. C. quarto Conſules, quinto Anni a nato Chriſto, ſexto JCti, ſeptimo Pontifices, hinc anni Pontificiales, menſes, & dies, collateraliter ponuntur. Sub Imperatoribus ponuntur Leges, quæ ab illis conſtitutæ, & loca *Pandectarum & Codicis*, ubi earum fit mentio, ſub JCtis Libri, quos ſcripſerunt, & Leges, quæ ex illis libris ſub diverſis habentur titulis, ex Jacobo Labitto excerptæ. Sed non perduxit hanc Chronologiam ſuam ultra tempora Juſtiniani, Lib. Francofurti A. 1584. in fol. eſt editus. Hoc Frey-

Freymonii Opus utiliſſimum eſt ad Hiſtoriam Legum tenendam, ut eo pleniorem habeamus, jungi poteſt illi IOH. BERTRANDVS, qui *de JCtis* ſcripſit, & JCtis ſingulis Commentarios, ab iis ſcriptos, ſubjecit. Liber olim rariſſimus, nunc eſt recuſus Lugd. Batav. an. 1675. *in 8.* Sed imperfectus tamen hactenus ille labor eſt, & alium quendam deſiderat Virum doctum, qui plenius hoc argumentum pertractet. (c) Promiſit certe ÆGIDIVS MENAGIVS *Hiſtoriam JCtorum Veterum*, an unquam edenda in lucem ſit, dies docebit. Interim Bertrandi liber commendari debet, ob defectum melioris. Ad Hiſtoriam Legum deinde IACOBI LABITTI liber facit, qui compilavit *Indicem Legum omnium, quæ in Pandectis continentur*, in quo ſingulæ ad ſingulos JCtorum libros, ex quibus deſumptæ ſunt, referuntur, loca item omnia, quibus JCti in *Pandectis*, & *Juſtinianeo Codice*, & *Inſtitutionibus*, & *Novellis*, citantur. Adjicitur *Diſſertatio* de uſu Indicis, qua repræſentatur, quomodo, in conciliandis Legibus & interpretandis, magno cum fructu illo uti poſſimus. Exempla afferuntur non pauca, e quibus de ceteris judicium poteſt fieri. Præclarus profecto eſt labor, qui plus utilitatis habet in receſſu, quam in fronte promittit. Liber ille olim rarior fuit, nunc recuſus eſt Lugd. Bat. an. 1674. *in 8.*

6 Longe pleniorem viam monſtravit nobis IAC. GOTHOFREDVS in abſolutiſſimo ſuo *Codicis Theodoſiani* Opere, cui præmiſit accuratam illam *Codicis Theodoſiani Chronologiam*, unde ſtatim inſtitui poſſunt Collationes temporum. Chronologiæ ſubjecit *Hiſtoriam*, vel *Chronicon Hiſtoricum* circa ſingulas Leges, quo notantur omnia memorabilia, quæ circa illud tempus geſta ſunt in Rep. Unde ſtatim ratio poteſt iniri de lege ipſa, & inquiri in ejus cauſas per prudentiam Nomotheticam, præſertim ſi in ſubſidium adhibeantur ceteri ejus Indices, uti *Notitia dignitatum Codicis Theodoſiani*, *Proſopographia Cod. Theod.* *Topographia Cod. Theod.* quæ omnia ſi quis junxerit, in omnes angulos & receſſus Legum penetrare poteſt. Qualem laborem ſi *in Digeſtis* haberemus, infinita hæc eſſet utilitas. Lib. editus eſt Lugd. Gall. an. 1665. *in fol. VI. Tomis.*

7 Sunt, qui CERTAS quasdam LEGES, vel certi cujusdam JCti Leges omnes, in unum Corpus collegerunt. Ita Jac. Cujacius Papiniani & Modeſtini Leges unum in corpus collegit, quod & alii fecerunt, Franc. Balduinus, Ant. Contius, &c. in aliis JCtis. Separatas quoque Leges explicarunt nonnulli JCti, Ita *ad Legem Juliam Majeſtatis* ſcripſit Ant. Contius, *ad Legem Juliam de Adulteriis*, Barn. Briſſonius *ad Legem Vellejam* Antonius Auguſtinus. Franc. Balduinus *Legum Falcidiæ*, *Juliæ*, *Papiæ*, *Poppeiæ*, *Rhodiæ*, *Aquiliæ*, capita collegit, quæ Baſil. an. 1559. *in 8.* ſunt edita. Jac. quoque Gothofredus ſpeciales Leges explicandas ſibi ſumſit, quæ ſub *Opuſculorum* nomine

(c) Deſiderio Morhofii, de Vitis JCtorum, poſt Joh. Bertrandum, ab alio Viro docto plenius & accuratius conſcribendis, ſatisfactum jam aliquatenus videtur, poſtquam Guilh. Grotii (Hugonis fratris germani) *Vitæ JCtorum, quorum in Pandectis exſtant nomina, poſthumæ*, Bertrandi, aliorumque, in eodem argumento verſatorum, errores ſæpiſſime caſtigantes, Lugd. Bat. an. 1690. *in 4°* prodierunt.

nomine seorsim sunt edita. Johannes Fichardus *Indicem Autorum, qui in Leges speciales scripserunt*, collegit, qui Pandectis Florentinis præmittitur. Frid. Brummerus *Commentarium ad Legem Cinciam* scripsit, Juvenis magnæ spei, sed cum in Gallia peregrinaretur, infelici fato aquis submersus. Editus ille est Parisiis, ac Joh. Bapt. Colberto inscriptus. Exstat & Hermanni Conringii Comment. *in Legem primam Unicam Codicis de studiis Urbis Constantinopolitanæ & Romæ.* Non parum illustrant Legum notitiam Nummi & Inscriptiones. Nam in nummis illustrium familiarum Romanarum legi solent nomina legum ab ipsis latarum; ut prolixe ostendit Ezech. Spanhemius, *in libro de præstantia & usu Numismatum antiquorum, Dissertatione 6ta.* Similiter & ex Inscriptionibus antiquis multa possumus colligere, quæ ad cognitionem Legum antiquarum pertinent. Hujus rei multa vestigia deprehendere possumus *in Inscriptionibus Gruterianis*, ac suaserim ego, ut quis ex illis Autoribus conficiat Excerpta quædam, ad Leges certas pertinentia. Critici quoque Scriptores & Antiquarii, ac Philologi, quorum exstant Commentarii in Historicos Veteres Romanos, magnam suppeditare possunt huic rei lucem, quos si quis legat diligenter, atque ex iis colligat, quæ de singulis Legibus observarunt, præclaram habebit sylvam, unde cogitata non vulgaria exprimat.

8 Quoniam Legibus in Rep. Romana decidi omnia non poterant, Prætores inter Cives jus dicebant. Illi EDICTVM, sive Juris formulam, e Legibus Romanis constituebant initio Magistratus. Illa Edicta erant annua, quæ necessitas & usus in Republica tandem fecit perpetua. Collectum itaque ex omnibus Edictis est *Edictum perpetuum*, quod licet ante Hadrianum obtinuerit, tamen sub illo Salvius Julianus majori diligentia collegit sub suis titulis, idque interpretatus est. Atque illud quasi fundus quidam est, unde istæ Pandectarum Laciniæ a Compilatoribus sunt desumptæ. Si id hodie superstes esset, multum lucis haberemus in intellectu Legum multarum. Quoniam vero iniquitate Compilatorum Juris Justinianei surreptum nobis est illud Opus, proderit tamen non leviter, si e sparsis illis fragmentis ordinem Edicti Perpetui recolligamus, quoad ejus fieri potest. Quod quidem tentavit Eguinarius Baro *in libris Manualium*, & postea Franc. Guilielmus Ranchinus, qui tamen secundum Justinianeum ordinem capita *Edicti* disposuit, cum disponere debuisset secundum verum illum & genuinum ordinem. Ideo hanc operam quoque suscepit Jac. Gothofredus, mirabili Stochasmo (conjectura) usus in ordine illo solerter eruendo e Veterum JCtorum Commentariis, ad Edictum Julianum Ulpiani, Pauli, Caji, Callistrati, Pomponii, & ceterorum, unde fragmenta plurima in Pandectas sunt depromta. Quam seriem, a se erutam & concinnatam, aliquot tabulis proposuit, quæ habentur inter *fontes* ejus 4. *Juris civilis.* Quis ejus rei usus sit, exemplis illic plurimis docet Autor, & perpetuis exemplis *Commentario suo* doctissimo *super Tit. de ff. Regulis Juris*, in quo communes Regulas proponit, quæ sunt flosculi, ex omni Jurisprudentiæ fundo excerpti, secundum ordinem Edicti Perpetui, e cujus Interpretationibus desumptæ sunt. Infinita enim sunt vulgo doctorum in interpretatione Regularum illarum paroramata.

Summa

Summa omnis interpretationis Regula etiam jure judicanda eſt, reſpiciamus ſemper ad TITT. & RVBRICAS, unde Leges deſumptæ ſunt, quanquam AD. RICCIVS *in Tractatu ſuo Rhapſodico p. 49.* illos reprehendat, & ſpeciatim Jac. Cujacium, quod nimis ſuperſtitioſe inhæreat Rubricis, ſub quibus olim Leges collocatæ fuerunt. Cujus ego quidem judicium hac in parte parum æſtimo. Laudabo potius PAVLI SARPII exemplum, illius ſcil. qui *Concilii Tridentini Hiſtoriam* ſcripſit, de quo Fulgentius, *in vita* ejus Ital. Lingua ſcripta, hæc memorat: Miraculo ſimile fuiſſe, quod ſciret accuratiſſime ſingulorum Canonum tempora, nomina, unde ea petita, errores, vel rationes, quibus impulſi ſcripſerunt eos Pontifices. Quod in Jure Canonico eo magis neceſſarium eſt, quod multa illic habeantur ſuppoſititia & per fraudem invecta, ut demonſtravit Opere ſuo doctiſſimo, quod *Pſeudo-Iſidorum* inſcripſit DAV. BLONDELLVS, Vir iſtarum rerum peritiſſimus. Qui liber, ad lectionem Juris Canonici ſumme utilis, ſed rarus eſt, ac optandum, ut recuderetur. Nam Pontificias technas ita detegit, ut ne ipſi quidem Pontificii adverſus ipſum hiſcere auſint. 9

De SECTIS JCtorum VETERVM & eorum *diverſis opinionibus*, qui ſingulari libro ſcripſerit, neminem hactenus habemus. Quod ad hoc argumentum ſpectat, colligendum eſt *ex Tit. de Origine juris, & ſucceſſione Prudentum*, & Commentatoribus ſuper illum Tit. tum & e Bertrando *de ICtorum vitiis.* Ex iis omnibus, quæ ſpectant ad hoc argumentum, collegit, & doctiſſimis Diſſertationibus illuſtravit Chriſt. Otto a Böckeln, in ſingulari *Diſputatione de diverſis ICtorum Sectis*, quæ cum aliis ejus *Opuſculis* eſt recuſa in Batavia *in 12mo.* Habuerat in animo illud argumentum Chriſtoph. Ehemius, Vir doctiſſimus, Conſiliarius Palatinus, qui *librum* ſcripſit *de principiis juris.* Promittit enim ille ibi, ſe de *Sectis ICtorum, eorumque opinionibus*, aliquando librum editurum. Sed ille non prodiit in lucem. Ex Hiſpanis eſt nonnemo, qui ſe vocat Don Pedro de Velaſco & Medivilla, qui *Caji & Proculi, aliorumque Juris veteris Autorum apertas rixas, & implacabiles concertationes* (ita inſcribitur liber) edidit Salmanticæ, an. 1625. *in 4to.* Sed ipſe hunc non vidi, a Nicolao Antonio *in Bibliotheca Hiſpanica* notatum. 10

Ad veterum Jurisprudentiam pertineret etiam ille labor, ſi, quæ in Jure ſunt obſoleta, & ad antiquitatem potius, quam Jurisprudentiam, pertinent, ſingulari libro colligerentur. Habuit in animo Jacobus Gothofredus ſingulare *Corpus Antiquitatum Romanorum*, e libris Juris concinnandum, cujus ille ideam, & diſpoſitionem dedit *in præfatione Tractatus de 4. Iuris Civilis fontibus.* 11

SECT. IV.
DE SCRIPTORIBVS AD IVRIS HISTORIAM PERTINENTIBVS.

§. 1. *Quantum hue conferant Hiſtorici Veteres, qui tempore latarum legum vixerunt.* 2. *Procopii Hiſtoria Juſtiniani Imp. Arcana. Hyperaſpiſtæ Juſtiniani contra eam, J. Eichelius, Thom. Rivius & Gabr. Thivorius. Hiſtoriæ Juſtiniani Scriptores Moderni, Hub. Giphanius, Franc. Goyetus & Franc. Balduinus. Triboniani in jure compilando Errores. J. Jac. Wiſſenbachii Emblemata illius. Joh. Chiſletii Apol. pro Juris Utr. Architectis.* 3. *Scriptores de libris Juris, Joh. Seldenus, Ad. Riccius, Arth. Duck, Herm. Conringius, Alb. Gentilis, &c.* 4. *Hiſtoriam Juris Rom. tradunt Tit. 2. L. 1. Pandect. de Orig. Juris, ejuſque Commentatores, Chr. Ad. Rupertus (omnium optimus,) Val. Forſterus (Plagiarius J. Ohlendorpii) M. A. Muretus, Vem. Cæcus, Rein. Bachovius, Ant. Garro, Joh. Sithmannus, Arn. Vinnius, Sim. Leelvius, Judicia de ſingulis. Jac. Gothofredi Manualis Juris Elogium. Fragmenta Inſtitutt. Caji Hier. Aleander & Jac. Oiſelius (hujus Plagiarius,) Autores vero de Finibus regundis, Adr. Turnebus, Nic. Rigaltius & Wilh. Goeſius, illuſtrarunt.* 5. *Conſtitutionum Imperatoriarum Codices, Hermogenianus, Gregorianus (quorum nonniſi Fragmenta reſtant,) & Theodoſianus, etiamnum, una cum Aniani Breviario illius, ſuperſtes. Theodoſiani, poſt alios a Jac. Gothofredo editi, Autoritas controverſa. Congeſtus ex iſtis eſt Codex Juſtinianeus, de quo, ac 50. Deciſionibus ei adjectis, breviter diſſeritur.* 6. *Sicut & de Pandectis.* 7. *De Inſtitutionibus, & Theophili Græca illarum Paraphraſi.* 8. *De Novellis item ac Authenticis, quarum hæ Irnerio falſo tribuuntur. I. Strauchii & J. J. Wiſſenbachii Diſſertationes de iis contrariæ.* 9. *Autores quidam de Libris Corporis Juris Juſtinianei. Hujus Editiones optimæ a Dion. Gothofredo & Sim. Leelvio curatæ.* 10. *Juriſprudentiæ Græco-Romanæ Monumenta. Libri Juris Juſtinianei Græce redditi.* 11. *Baſilicorum Libri LX. Horum, uti & Editionum eorundem, a Gentiano Herveto & Car. Hann. Fabrotto curatarum, Hiſtoria. Jac. Cujacii Verſio Lat. affecta, Gloſſæ in illa Græcæ, a Joh. Leunclavio & Car. Labbeo publicatæ Joſ. Mariæ Suareſii Notitia Baſilicorum.*

1 LIbri ad Hiſtoriam Juris pertinentes ſunt vel illi, qui viam ad Hiſtoriam Juris ſternunt, vel qui ipſam Hiſtoriam Juris tradunt. Ad HISTORIAM itaque IVRIS recte intelligendam commendandi ſunt Autores Hiſtorici, qui illo tempore vixerunt, quo leges latæ fuerunt. Ad *Codicis & Novellarum* jura, *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores*, & reliquorum Cæſarum res geſtæ debent eſſe cognitæ. Ad *Jus Feudale* confert ſubſidium hiſtoria mediorum temporum, quæque a Barbaris, & Semi-Latinis Scriptoribus monumenta nobis relicta ſunt. Ad *Jus Pontificium* conferunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores. Qui ad Hiſtoriam liberæ Reip. Romanæ Scriptores ſpectant, in recenſendis iis non eſt opus, ut tempus teramus, cum abunde de illis conſtet.

2 Ipſius IVSTINIANI Hiſtoria accuratior eſt habenda, cum ex Hiſtoricis aliis iſtius temporis, tum imprimis Procopii *Hiſtoria Arcana*, quam edidit Nicol. Alemannus, & Helmſtadii recudi fecit Joh. Eichelius. Quo in libro multa recenſentur de ambitione

tione & avaritia iſtius Imperatoris, deque occaſionibus nonnullarum Legum. Scripſit *Animadverſiones* in iſtam *Hiſtoriam arcanam Eichelius*, quibus mendacia nonnulla contra Juſtinianum detegit, & refellit. Scripſit & Thom. Rivius, ICtus Anglus, *Juſtiniani defenſionem adverſus Alemannum*, & Gabriel Trivorius *Obſervationes Apologeticam ad Inſcriptionem Orationis ad Anteceſſores, ff.* Juſtiniani præpoſitæ. Scripſit & Hub. Gifanius *de Juſtiniano Imperatore Commentarium*, quo Hiſtoriam omnem Juſtiniani, tam rerum geſtarum, quam Legum conditarum, compendio complexus eſt Quibus addi poteſt Franc. Guyeti *Juſtinianus Magnus.* Utrumque hunc librum junctim edidit Chriſtoph. Arnoldus, Norimb. 1660. in 12. Spectat huc quoque Franc. Balduini *Juſtinianus, ſeu libri 4. Commentariorum de jure novo*, quo libro pertexitur Hiſtoria omnium illarum Conſtitutionum, quæ a Juſtiniano ſunt conceptæ. Liber impreſſus eſt Genev. An. 1596. in 8vo. Scripſit idem Autor alium librum, cui titulus *Conſtantini M.* quo antiquum jus eſt perſecutus, cetera ejusdem Autoris, ut *Commentarius de Juriſprudentia Mutiana*, ac ſimiles, multum conferunt ad inſtitutum præſens. Præfatio ejus in *Juſtinianum* non paucas habet de Triboniano querelas, cujus errata non pauca fuere in Jure compilando, quam ob cauſam vehementer exagitatur a nonnullis ICtis. Ejus *Emblemata*, ſeu Laciniæ, quas inſeruit textui Iuris, ſingulari libro ſunt collectæ a Ioh. Iac. Wiſſenbachio, ſub tit. *Emblemata Triboniani.* Ioh. Chifletius *Apologeticam Diſſertationem* ſcripſit *pro juris utriusque Architectis, Juſtiniano, Triboniano, Gratiano, & ſancto Raymundo*, quæ edita eſt Antwerp. A. 1651. Sed mera ſunt excerpta ex Autoribus, qui ab utraque parte rem illam ventilarunt, nihilque omnino ſingulare illi ineſt. Quod Hiſtoriam Iuſtiniani attinet, meretur quoque legi Chriſtoph. Adamus Rupertus *in Synopſi Hiſtoriæ univerſalis Beſoldianæ, cap. XV.*

De Libris Iuris, *in univerſum* etiam aliqui ſcripſere. Præ ceteris hic commen- 3
dandus eſt Seldenus *in Diſſertatione ad Fletam.* Multa in illa de ortu & progreſſu Iuris Iuſtinianei, deque uſu ejus, tam antiquo quam recenti, in foro Anglico, A. 1647. in 4to Londini illa prodiit. Iungi poſſunt huic Erici Mauritii *Diſſertatio de libris Juris*, Ioach. Hagemeyer de eodem argumento, Adamus Riccius in *Tractatu Rhapſodico de libris Juris Rom. tam Civilis, quam Canonici, tam Orientalis, quam Occidentalis, nec non præcipuarum Municipalium in Germania receptorum jurium quantitate, & qualitate.* Qui hoc argumentum utcunque tractavit longe majoris apparatus, ſi titulum ſpectes. Habet & non pauca Anton Wood, *in Antiquitatibus ſuis Oxonienſibus*, de propagatione Iuris, tam Civilis, quam Canonici, per Europæum Orbem, cum in iſta tempora incidit, quæ illi Hiſtoriæ reſpondent. Denique elegans eſt liber Arthuri Duck *de Auctoritate Juris Civilis*, in quo de tempore receptionis, & progreſſu juris Iuſtinianei apud Europæas gentes, plenius agitur. Tractavit & ex parte argumentum hoc Herm. Conringius *in libro de Origine Juris Germanici*, cujus occaſione in controverſias cum Ioh. Ott. Tabore incidit. Legi etiam deber, quem pene omiſeram, Albericus Gentilis *in Diſſertatione de libris juris Civilis.*

4 Hiſtoria Iuris pene tota deſerta eſt, paucula enim illa, quæ habemus *in Tit. 2. libri prim. Pandectarum*, quanquam tot Commentariis incruſtata, nihil perfecti habent. Plerique leves quasdam obſervatiunculas, undique corraſas, congerunt, quidam cramben, toties ab aliis recoctam, recoquunt, ut moris eſt apud ICtos. Optimus inter Commentatores illos eſt Chriſtoph. Ad. Rupertus, non ex ICtorum, ſed e Philologorum familia, atque adeo hoſpes in hoc regno, qui plus præſtitit, quam ante eum tot ICti. Ejus exſtat elegans *Commentatio in Enchiridion Pomponii.* ICtorum Commentarii plurimi quidem ſunt, ſed de illis verum eſt Comicum illud: *Unum noris, omnes noris,* niſi quod poſteriores ſint præferendi prioribus, quia plura legerunt, atque adeo plura collegerunt. Val. Forſterus inter præcipuos eſt, cui plagii crimen intendit Conradus Rittershuſius, quod pleraque ex Ioh. Oldendorpii libro ſimilis argumenti ceperit. (*d*) M. Ant. Mureti & Venturæ Cæci ſolent conjungi *Commentarioli*, quos in *legem ſecundam ff. de Origine Juris* ſcripſerunt. Mureti extemporales videntur lectiones eſſe. Ventura Cæcus multa immiſcet aliena. Reinerus Bachovius, dum reliquis argutior videri & eſſe vult, ea ſæpe ex ingenio ſuo comminiſcitur, quæ non ſunt veritati hiſtoriæ conſentanea. Nam in Pomponio interdum reprehendit aliqua, quæ erudite vindicavit Rupertus. Antonius Garro ſtrictas etiam *notas* in hunc *Tit.* ſcripſit. Ioh. Sithmannus, *in Speculo Imperii Rom.* (ita enim vocat *Comm. in leg. ſecundum de origine juris*,) in Hiſtoriam Rom. excurrit fræno laxiori, quam hiſtoriæ ratio poſtulat. Arn. Vinnius *notas* in hunc *Titulum* ſcripſit, quas, una cum ceteris Autoribus & *fragmentis Veterum JCtorum de Origine & progreſſu Juris Civilis Rom.* collegit Simon Leewius, ICtus Lugdunenſis, Lugd. Batavorum A. 1671. in 8. Elegans pro Hiſtoria Juris Compendium eſt *Manuale* illud, quod publicavit Jac. Gothofredus. Vide illic *cap. 2.* iſtius partis, quam inſcribit *Bibliothecam. Juris Civilis*, ubi agit de Jurisprudentia Juſtinianea. Quæ pleraque in libro illo proſtant, & collecta ſunt, quem edidit Simon Leewius, cujus modo fecimus mentionem. Inter illas Reliquias habentur Caji *fragmenta Inſtitutionum*, unde Juſtinianus Inſtitutiones ſuas formavit. In illas Commentarium ſcripſerunt Hier. Aleander (Romæ in 4to) & Jacobus Oiſelius, JCtus Batavus, qui pleraque Hieronymo Aleandro ſurripuit, uti conferenti patebit. Inde breves quædam notulæ ſunt excerptæ, & una cum Caji *Inſtitutionibus* editæ in Opere iſto Leewiano. Facit & Gothofredus mentionem Autorum illorum, *qui de finibus regundis* ſcripſere, quos Adr. Turnebus primum, poſteaque Nic. Rigaltius edidit, notisque illuſtravit, Pariſ. A. 1614. Sed luculentiſſimam illis operam, poſt illud tempus, impendit

(*d*) Val. Forſterus, JCtus Acad. Julix, plagii a Conr. Rittershuſio (*in Prolegom. Comm. ad LL. XII. Tabb. c. 6. p. 14.*) eam tantum ob cauſam inſimulatur, quod, quæcunque de LL. XII. Tabb. *L. I. Hiſt. Juris Rom. c. 22.* habet, e Joh. Oldendorpii *Expoſitione in LL. XII. Tabb.* nomine illius diſſimulato, ad verbum deſcripſerit, neutiquam vero, quod pleraque totius Operis ſui ex Oldendorpii Libro ſimilis argumenti ceperit. Vid. de hoc Plagio Jac. Thomaſii *Tr. de Plag. Liter. §. 433.*

impendit Guilielmus Goesius, JCtus Batavus, qui Autores illos denuo, cum uberrimis *notis & Emendationibus* suis publicavit *in 4to*, si recte memini, Lugd. Batavorum. De ceteris legatur ipse Gothofredus.

Imperatoriarum Constitutionum, ante Justinianum promulgatarum, Reliquiæ 5
a Jac. Gothofredo memorantur *Cap. 3.* quas ille Codicibus aliquot comprehendit, *Codice* nimirum *Hermogeniano*, *Gregoriano & Theodosiano*. *Gregoriani & Hermogeniani Codicis* fragmenta exstare aliqui negant, exstare tamen ait Jac. Gothofredus in *Prolegomenis Commentarii super Codicem Theodosianum*, *c. 1.* ac integris illis usum fuisse probat Augustinum, *lib. 2. ad Polentiam de adulterio*, *c. 8.* Auctor *Collationis Legum Mosaicarum* sæpe ex illis fragmenta quædam citat. Ad horum Codicum exemplum *Codex* postea *Theodosianus* est editus, in quem conjectæ fuerunt Christianorum Imperatorum Constitutiones. De iis, quæ pertinent ad Historiam hujus Codicis, agit Seldenus *in Dissertatione ad Fletam c. 5. §. 2.* & omnium uberrime Jac. Gothofredus in *Prolegomenis in Codicem Theodosianum*, quem ille cum optimis *Commentariis* in lucem edidit. Hujus Codicis usus & autoritas per Orientem & Occidentem magnus etiam fuit. In Italia sub Ostro Gothis, & sub Vandalis in Africa, auctoritatem suam habuisse, e Cassiodoro præcipue patet. *Breviarium Codicis Theodosiani* postea factum fuit per Arcianum jubente Alarico, in quo multa fuerunt interpolata, quanquam non tantum *Codicis Theodosiani* discrepantiam, & *Breviarii* fuisse Gothofredus autumet. Quid de *Codice* illo *Theodosiano*, quem habemus, sentiendum sit. dubitant Eruditi: vid. Seldenum *in Diss. sua c. 5.* & Er. Mauritium *in Disput. de libris juris*, *Thesi 5.* Miror tamen, ejus Controversiæ nullum exstare vestigium apud Gothofredum, *in Comm. super Cod. hunc.* Nam certe *in Prolegomenis*, ubi de hujus *Codicis* editionibus variis, earumque vel probatione, vel rejectione, deberet institui disputatio nihil apparet ejus rei. In *Manuali* suo a Joh. Fichardo publicatum esse ait *Breviarium* illud Anianeum. Postea Joh. Tilius *Libros VIII. posteriores* integros, non jam ab Aniano decurtatos, postremo libro mutilo, edidit. Deinde Jac. Cujacius *librum 7mum & 8vum* integros eruit, *quinque priores*, *& initium sexti*, sibi eruendos adhuc esse ait, quorum *Breviarium* Anianeum hactenus tantum habemus. An vero illi integri sint & incorrupti in hoc *Codice Theodosiano*, dicere non possum. Antonius quidem Marvillius, ejus *Commentarii* Editor, *in Præfatione* monet, contineri hoc Codice certissimas & incorruptas septem Imperatorum Constitutiones, sed Autor ipse passim a Barbarorum manu mutilatas esse agnoscit. De ipso *Codice Theodosiano* nolo esse prolixior, cum abunde de illo differant, tum ipse Gothofredus, tum Anton. Marvillius, *Codicis* ejus Editor. *Codex Justinianeus e Codice Theodosiano* potissimum, *Gregoriano*, & *Hermogeniano*, collectus, ac altera vice editus est, ac promulgatus, cum Tit. *repetitæ prælectionis*, qui est ille, quem hodie habemus. In isto *Codice* multa esse Compilatorum errata ostendit Gothofredus *in Prolegomenis Comment. super Codicem Theodosianum*, *c. 4.* Additæ sunt *Codici Justinianeo repetitæ prælectionis 50. Decisiones*, in quas exstant *Commentarii* eruditi Ed-

mundi Merilli & Joh. Strauchii. Quod controverſiam ſpectat de Prærogativa *Codicis* & *ff.* videantur Mauritius *in Diſſertatione de libris juris, Theſ. XIV.* & multi alii.

6 PANDECTAE e Reſponſis Juris-Conſultorum Veterum ſunt collectæ. Illarum Editio aliis duplex, aliis triplex eſt. Vide Riccium *in libro Rhapſodico, num. 36.* & Joachimum Hagemeyerum *de auctoritate Juris Civil. c. 4.* Haſce tamen præceſſiſſe alias notat Mauritius, quem de iis pluribus vide. *Pandectas* Florentinas non dubitat Politianus ſcriptas eſſe ætate Juſtiniani, mutata autem non pauca fuiſſe in editionibus ad Autographum Florentinum (*e*) procuratis, notant multi, quæ in aliis editionibus lineolis ſunt incluſa. Vid. Albericus Gentilis *Diſſert. de libris juris cap. 4.* Optandum ſane eſſet, ut Critici, qui tamen & JCti, ſerio in iſtum laborem incumberent, & omnia iſta variantia loca diligenter conferrent, unde profecto non exigua redundaret in Jurisprudentiam utilitas. Joh. Leuwenclavius memorat, *Pandectas* in Turcicam quoque Linguam eſſe converſas.

7 Dum Pandectæ conficiuntur, INSTITVTIONES quoque juſſu Juſtiniani ſcriptæ ſunt. Illæ *Inſtitutiones* e Caji JCti *Inſtitutionibus* ſunt confectæ, ut ſupra vidimus. *Inſtitutionum* exſtat Græca Theophili *paraphraſis*, qui utiliter interdum explicat quædam Inſtitutionum loca, ſed in multis tamen fallit. *Inſtitutionum* Caji etiam 4. olim libri fuere, cum hodie duos tantum habeamus Theophili. Editio optima eſt illa, quam Carolus Hannibal Fabrottus, Anteceſſor Aquiſextienſis, e tribus MSStis Codicibus Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis, recenſuit, ac Scholiis Græcis auxit, qui & Jac. Curtii Latinam interpretationem emendavit, *& notas* adjecit, A. 1638. *in 4to.*

8 Noviſſimum Ius Iuſtinianeum eſt, quod NOVELLIS continetur. Fuerunt autem illæ Græce ſcriptæ, easque Græca Lingua edidit Gregorius Haleander, Norimb. A. 1531. quam inſecutæ ſunt plurimæ Editiones. Vid. de illis Gothofredus *in Manuali* & Mauritius *in Diſſertatione ſæpius citata.* Ceterum e Novellis illis Epitomæ quædam, ſub *Authenticarum* nomine Titt. Codicis accenſentur, quæ fidem non merentur, niſi Novellis ſuis conſpirent. Eæ *Authenticæ* vulgo Irnerio tribuuntur. Quod falſo tamen fieri docuit erudita Diſſertatione Joh. Strauchius, cui tit. fecit: *Irnerius non errans.* Edidit & Ioh. Iac. Wiſſenbachius *Syllogen errorum Irnerianorum*, qua fidem Irnerii, ut non integram ſemper, arguit; ſed & ille hac hypotheſi nititur, quaſi Irnerius harum Authenticarum Autor fuerit.

Reli-

(*e*) *Emendationum in Pandectas, juxta Florentinum Exemplar examinatorum*, Specimen Criticum, in tribus Juſtiniani Præfationibus, & Indice Jurisconſultorum Veterum *Pandectarum* Operi præmiſſis, Lugd. Batav. A. 1685. *in 8vo* dedit Laur. Theod. Gronovius, Joh. Friderici Filius natu minor, qui, in Itinere Italico Florentiæ, per integrum Quadrimeſtre, MStum iſtud pervolverat, & cum Editionibus impreſſis contulerat, inque ipſas *Pandectas* ſimilem laborem eſt pollicitus. Laudes & ſimul Cenſuram *Speciminis* iſtius vid. *in Actis Erud. Lipſ. M. Nov. A. 1685. p. 531. 532.*

Reliqua, quæ pertinent ad auctoritatem & progreſſum Juris Juſtinianei, diſputata uberius ſunt apud Arthurum Duck peculiari libro, Joh. Seldenum *in Diſſert. ad Fletam, & in notis ſuper librum* Joh. Forteſcue *de laudibus Legum Angliæ*, in quibus prolixe inquiritur, quando & quousque Jus Juſtinianeum valorem acquiſierit in Regno Angliæ. Adde his Hermannum Conringium *in libro de Origine Juris Germanici.* Atque hoc Jus Juſtinianeum vulgo ſub nomine *Corporis Juris Civilis* venit, cujus Editiones variæ olim fuere, & nunc ſunt, cum notis, & ſine notis. Dionyſii Gothofredi elegantes ſuper textum ejus Juris *notæ* ſunt, ad paralleliſmum, & Antitheſin Legum valde utiles. Ac certe laudem meritus hoc labore eſt Vir ille, quanquam tenuiter admodum de eo judicet Baudius *alicubi in Epiſtolis.* Optima eſt editio noviſſima, quam procurarunt Elzevirii, Simonis Lewii aliorumque, *notis* aucta. *Corpus Iuris Gloſſatum* ad practicos uſus eſt accommodatius, quod quinque *in fol.* Tomis conſtat. 9

Sequitur *Iurisprudentia* GRAECO-ROMANA, quandoquidem Conſtantinus M. univerſa Græcia potius, eam Romanorum Legibus imbuit, ut Imperii ſedes, & totius Orientis Caput eodem jure regeretur, quo Civitas gentium doctrina. Opus itaque erat, ut Jure uteretur in Græcam Linguam translato. Hinc Græca Lingua pleræque Conſtitutiones compoſitæ, *Pandectarum Libris 50.* comprehenſæ, Græce redditæ etiam Juſtiniani ætate a Thalelæo, e cujus interpretatione multa in Baſilicis ſupereſſe obſervant Ant. Auguſtinus & Jac. Cujacius. De *Codice Juſtinianeo* idem alii dicunt. De Novellarum verſionibus prolixe agit Joſ. Maria Svareſius *in Notitia Baſilicorum.* 10

Poſt Juſtinianum BASILIVS MACEDO Opus novum Jurisprudentiæ eſt meditatus, & cum filiis, Conſtantino & Leone Philoſopho, rem aggreſſus, unde LIBRI *βασιλικῶν* a Baſilio dicti ſunt, in 6. Volumina diſtincti, & libros 60. Diu latuere illi libri, ſed, cum ad Cujacii manus pervenirent, ille feliciter in emendandis juris textibus iis uſus eſt, adeo, ut quidam æſtimarent, contra bonam fidem eum fuiſſe verſatum in illis. Quam ab illo ſuſpicionem avertit Fabrottus in *Editionis Baſilicorum præfatione ad Lectorem*, ubi prolixe de ea re agit. *Baſilicorum libros* primum indicavit Viglius Zwichemus, edidit vero Latine Gentianus Hervetus, Pariſ. an. 1557. *in fol.* Tomos eorum duos, quos ab Antonio Auguſtino acceperat. Joh. Cujacius deinde librorum aliquorum verſionem promiſit, qui tamen promiſſa, ob mortem intervenientem, non implevit, multum dolente eam ob rem Fabrotto. Nam Gentianus Hervetus multa ſphalmata admiſit in verſione, quia non erat JCtus. Prodierunt tamen utcunque Libri X. in lucem. Poſtea Rex Galliæ, qui e Cujaciana Bibliotheca integrum ſibi Opus comparaverat, id negotii dedit Cancellario, Petro Seguierio, ut in lucem produceret omnes *βασιλικῶν* libros. Quare, curante illo, in Lat. Linguam convertit Car. Harm. Fabrotus, JCtorum Aquiſextienſium Decanus. Prodiit Opus integrum Pariſiis an. 1640. apud Cramoiſios. Eſt vero Opus non in ſex, ut olim, ſed 7. ab illo Tomos diviſum. Verum e 60. *Libris* ſuperſunt ſolum, 41. perierunt 19. 11

&

& 31. 38. 43. 44. 49. usque ad 60. Quod pulcherrimi Operis vulnus ſanavit Fabrottus, vel e Synopſi *βασιλικῶν*, tantum edita, vel ex Theodoro Hieropolita nondum publica luce donato, vel ex Conſtantino Harmenopulo, cum Regis Codicibus collato. Sunt vero *Baſilica* compilata e Juſtiniani Cod. ff. *Inſtit. Nov.* & Edictis, quæ ſuperſunt, e Juſtini Junioris, Tiberii, Zenonis, & aliorum Imperatorum, atque ipſius Macedonis, Novellis, e *Paratitulis* ac *Gloſſis*, quas veteres JCti ſcripſerunt, quarum *3. libros* edidit Joh. Lewenclavius, & ex aliis nonnullorum JCtorum ejus temporis & priorum Scriptis. Cauſa autem, cur Opus *βασιλικῶν* ſuſceptum fuerit, illa eſt, ut quæ in Operibus Juſtiniani, in variis libris *Inſtitutionum ff. Cod. & Nov.* diſperſa habentur, in unum Corpus & Syſtema colligerentur, quanquam & vanæ cujusdam gloriolæ cupiditas Baſilium incitavit, a quo primum inſtitutum fuit Opus, teſte Cedreno. Filius vero Leo Philoſophus perfecit, ac poſtea Conſtantinus Porphyrogenetus, Leonis filius, prælectione repetita edidit. In Opus illud variorum JCtorum Commentarii & Gloſſæ exſtant, circa eadem tempora ſcriptæ, de quibus legi poteſt Joſephus Maria Suareſius in *Notitia βασιλικῶν* ad Urbanum VIII. Pontificem, ſcripta, quæ præfixa eſt editioni *βασιλικῶν* Fabrottianæ. In qua ille relationes inſtituit non ſolum de libris *βασιλικῶν*, ſed & aliis Græcis Scriptis Juridicis, quæ vel in Vaticana, vel aliis Bibliothecis, latent. Cum qua conferri poteſt Lambecius *in Comm. ſuo de Bibliotheca Vindobonenſi, Tom. VI.* qui de JCtis agit. De reliquis libris Græcæ Jurisprudentiæ (ſunt enim multa Compendia & Manualia ſcripta) vid. Jacobus Gothofredus *in Manuali* ſuo, & Suareſius *l. c.* Edidit Car. Labbeus *Gloſſarium Juris Græci*, Pariſ. an. 1606. *in 8vo*, quibus in Gloſſis illa habentur verba & termini Græci, qui *in Baſilicis* reperiuntur. Sed pleniores eas exſtare apud Jac. Sirmondum teſtis eſt Jacobus Gothofredus *lib. 2.*

SECT. V.

DE COMMENTATORIBVS IVRIS IVSTINIANEI, QVI NOVA ILLVD METHODO PROPONVNT.

§. 1. *Judicium de Juris Juſtinianei ἀμεθοδείᾳ, & Novatoribus, hanc emendare aggreſſis, in genere.* 2. *Speciatim vero de Franc. Connano.* 3. *Nicol. Vigelio, in Praxi etiam Novatore, variisque illius Scriptis.* 4. *De Joh. Coraſio & Petro Gregorio Tholoſano.* 5. *De Hem. Rennemanno, Iob. Kleinſchmidio, & aliis.* 6. *De Novatoribus, Corpus Iuris reconcinnare aggreſſis.*

1 QUandoquidem Jus Juſtinianeum *ἀμεθοδείᾳ* laborare multis viſum eſt, Novatores non pauci orti ſunt, qui *ſingulari* METHODO illud tradere voluerunt, & tamen iſto conatu ſuo nihil aliud efficiunt, quam ut ſoli in ſcho-

lis

lis relinquantur. Est quidem sua Jurisprudentiæ, ut Scriptoribus Legum Romanarum, cum circa Speciale aliquod Jus versentur, methodus: illud autem cum methodo ista comprehendi non possit, consultius est viam, quæ est præscripta, sequi, quam nova aliqua via erroribus ansam dare. Methodica tractatio potius ad illam universalem & naturalem Jurisprudentiam pertinet.

2 Franc. Connanvs libellorum supplicum Magister in regno Galliæ, Jus Civile Romanum *X. Libris* proposuit, sua quidem methodo, & ordine, sed retinet triplicem illam objectorum juris distinctionem. Elegans illud Opus est, nam diffuse explicat Leges, rationibus e fontibus Juris Naturæ deductis, & contraria sæpe solvit. Specialem enim Syllabum Legum contrariarum, quæ in Opere illo conciliantur, *Commentariis* suis subjunxit. Vehementer commendat illum librum Franc. Hotomannus.

3 Nic. Vigelivs, JCtus Hassus, singularem aliquam methodum excogitavit, quæ omnia complecteretur, *Jus Civile, Pontificium, Controversum*, eo modo, ut Jus omne primo in generales Libros dispescat, Libros in Titulos, Titulos in certas quasdam Sectiones, Sectiones in Regulas suas, Regulas in Exceptiones, Exceptiones iterum in Replicationes, quæ omnia per brevia axiomata & enunciata proponit, addita semper Lege, quo remittat Lectorem. Feliciter quidem uti possumus his, tanquam Locis Communibus, in jure interpretando, & in causis fori agendis; sed excidit tamen illo consilio Vigelius, quod vellet Libros suos a Statibus Imperii approbari, ut jura, secundum ordinem illum reciperentur, docerentur, administrarentur. In Praxi novam itidem methodum instituit, cui fini edidit Tr. Germanicum Richterbüchlein, in quo certam præscribit judicandi methodum. Scripsit & *Practicam forensem*, methodo suæ novæ adaptatam. Sed ut fieri solet in rebus novis, adversus illum est conclamatum ab Advocatis, eum, tanquam praxeos imperitum & processus, traducentibus. Quibus ut responderet, & Praxeos etiam scientiam ostenderet, *Responsorum Juris Centurias 4.* edidit, ubi, ratione methodi suæ, Casum proponit, deinde subjungit disputationem, & ultimo sententiam, semper se referens ad suam *Methodum*, vel *juris Civilis*, vel *Pontificii* vel *Controversi*. Ad hunc modum etiam publicavit Librum utilissimum, quem inscribit *Juris Reperterium*, quo in libro velut indicem proponit, vel directorium aliquod instituit, secundum quod rationes, certis Casibus competentes, investigari, instituique possint. Addidit Opusculo huic *Disputationes XX. Causarum*, quibus illustrat suum consilium. *Mihi* quidem vehementer placuit illa methodus; mira in illo est brevitas, semper se in textibus juris fundat, Disp. & Dissentientes Autores addit, quin habet Casum in terminis decisum, neque, more aliorum JCtorum evagatur per generalia illa Juris Brocardica, quibus vulgo ita obruuntur Consilia & Responsa, ut, si aliena ab iis, quæ ad rem pertinent, separaveris, aliquot interdum Lineis comprehendi totum negotium possit.

4 Joh. Corasius, JCtus Gallus, *de Jure Codicis in artem redigendo* Commentarium etiam scripserat, sed in quo generalia tantum continentur. Neque enim certam

methodum præſcribit, ſed tantum in genere differit de definitione & diviſione juris, de bono & æquo, Juſtitiæ diviſione, tribus Juris præceptis, & ſimilibus argumentis. Exſtat & PETRI GREGORII THOLOSANI *Syntagma Juris Univerſi atque Legum omnium pene gentium ac Rerumpubl.* uti tit. habet, *in quo divini & humani juris totius naturali ac nova methodo, ordineque, materiam univerſalium & ſingularium rerum, ſimulque judicia, explicat.* Quo magnifico & ſplendido titulo quis non rem magnam agi credat? ſed, ſi verum dicere velimus, nihil aliud hac methodo eſt effectum, quam ut ordo ſit turbatior. Tria illa Juris principia & objecta retinet, ſed in illa res perſonis anteponit, futili quadam ratione ductus, quoniam voluerit ſequi naturam rerum, Res autem Corporales, & incorporales, in Opere ſex dierum, primum ſint productæ, poſtea vero homo primum creatus. Quæ certe admodum ridicula eſt ratio, quaſi JCtus Phyſicam aliquam proponeret, vel ſecundum Claſſes, aut Scalam Prædicamentalem, diſponi valde ad Leges pertineret.

5 HENN. RENNEMANNVS ſimili pene modo *Jurisprudentiam ſuam Romano-Germanicam* inſtituit. Nam, cum ipſe ex Ramiſtis fuerit, qui omnia diviſionibus & ſubdiviſionibus concinnare ſolent, in jure, ſecundum ſingulas diſciplinas, principia ſtatuit Metaphyſica, Logica, Phyſica, Rhetorica, Grammatica, Mathematica, atque ad ea reducit, quæ quadam ratione eo perduci poſſunt; quod ſane nihil aliud eſt, quam tempore & otio abuti. Hugo Donellus, Herm. Vultejus, Joh. Althuſius, ſinguli novam aliquam Jurisprudentiæ Methodum faciunt. IOH. KLEINSCHMIT, *in præcognitis Jurisprudentiæ 6.* Tractatibus diſtinctis, in forma diſciplinæ, propoſuit Jurisprudentiam, ſed ille potius προπαιδείαν aliquam ſcripſit, quam Syſtema Juris. Quid porro Joachimus Stephani *in Arte Juris*, Joh. Reblan *in ſuo Hodegeta*, aliique præſtiterint, ſingulatim dicere nimis operoſum foret. Supervacaneus ille eſt labor, ac poteſt ſufficere ordo, quem in Pandectis habemus. Si quis memoriæ cauſa ordinem quendam requirat, eligat ſibi ex Autoribus, qui jus totum Schematiſmis ſunt complexi, unum aliquem, quem ſequatur, ſive Henr. Hahnium, ſive I. Ottonem Taborem, perinde hoc erit.

6 Fruſtra quoque ſolliciti ſunt, qui *rationem Corporis Juris, reconcinnandi* (ſ) propo-

(ſ) *Rationem Corporis Juris reconcinnandi* Anonymus quidam, ſine loci temporisque indicio, *in 12.* edidit. Occaſionem hæc præbuit Viro illuſtri, Gotfr. Guilh. Leibnitio, ejusdem Tituli ſed diverſæ ſententiæ, libellum, ſub *Veridici de Juſtiniani* larva, an. 1669. *in 12.* publicandi, ceu prodromum *Corporis Juris*, quod tunc molibatur, *Reconcinnati*, Septennio poſt a. 1676. *in 12.* prodiit Juſtini Nomici, τῶ ψευδωνύμου, *Conſilium noviſſimum & facillimum de incertitudine & ambiguitate Juris tollenda, ſeu novo Codice faciendo*, Hanoviæ an. 1679. *in 12.* cum W. B. R. C. H. *Examine* illius, recuſum. De ſingulis hiſce Scriptis, aliisque ſimilibus, longe benignius, quam Morhofius, tulit judicium, ſimulque quæ in iis deſideraret, indicavit, & ſua, de reconcinnatione iſta ad Ordinem Inſtitutionum, conſilia expoſuit Vinc. Placcius breviter initio *in Tr. de Scr. Anon. & Pſeudon. P. I. c. 3. p. 34. 35.* ac fuſius deinde *in Epiſtola Curioſa ſuper Quæſtionibus eruditis variis de Tempore* ſub *Niceræ Spilii* per Græcam proprii Metaphraſin efficto nomine, Veronæ an. 1681. *in 12mo* publi-

proponere voluerunt publice, ut tale aliquod Corpus Juris, quo illi ordine disposuerint Leges, concinnaretur, idque publice ab omnibus reciperetur. Sed caruit illud Consilium successu, ut facile quis prudens conjicere potuit. Turbarentur, & Tribunalia, & Cathedræ, hujus rei novitate, quæ usum, vel plane nullum, vel exiguum, habitura esset. Nam, quod Autores illi promittunt, se in Legibus ipsis facturos, id jam dudum a Commentatoribus in Legibus, & Paratitlorum Scriptoribus, est præstitum.

SECT. VI.

DE LIBRIS AD PROTHEORIAM IVRIS FACIENTIBVS.

§. 1. Bibliothecarum Juridicarum Scriptores, Joh. Fichardus, Guido Pancirollus, Joh. Bechtoldus, Mart. Lipenius, Casp. Thurmannus, Corn. a Beughem, ac de iis judicia. 2. Commentatores in Tit. ff. de Verb. Signif. Lexicographi, Glossariorum in Leges Exoticas Scriptores, & Particularum Juris Explanatores. 3. Autores de Interpretatione Juris, & qui Dialecticas scripsere Juridicas. 4. Regularum Juris Commentatores, quorum vitia detteguntur. Optimus hos inter Jac. Gothofredus Collectores Brocardicorum. Horum Emendatio a G. G. Leibnitio promissa.

UT propius ad ipsos Autores Juridicos veniamus, notandi hic sunt primo *Scriptores* Juris Bibliothecarii, *qui vel generatim* de omnibus Scriptoribus, vel speciatim de Juridicis, egere. De illis abunde supra est dictum. De his pauca sunt, quæ dici possunt. Joh. Fichardus, Guido Pancirollus, aliique nonnulli, jejune totam hanc rem tractarunt. Paulo plenius, & cum majori fructu Joh. Bechtoldus *in Locis suis Comm. Juridicis*, nam secundum Titulos materiarum disposuit Autores. Verum nec hic omnia satis accurata sunt & sincera. Parum quoque hoc argumentum ornavit Martinius Lipenius, cujus exstat *Biblioth. Manualis Juridica*, qui liber non est illa ἀκριβεία conscriptus, qua scribi debebat. Non enim tale negotium suscipi debet ab homine extra Jurisprudentiæ Sacra constituto. Putarim ego, perfectum talem laborem non nisi ab optimo JCto fieri posse. Accuratiora procul dubio erunt, quæ *Casp. Thurmannus* promisit, Bibliothecas Juris, secundum Jurisprudentiæ insigniores partes partiturus. Edet enim *Bibliothecam Processualem, Criminalem, Testamentariam*, & sic deinceps. (*g*) 1

publicata, tota *Quæst. I.* Nec multo post specimen suæ idem exhibuit Methodi, in *Justiniani Institutionibus Reconcinnatis*, Francofurti A. 1682. in 8vo excusis. Decidant Litem istam, ad quos ea spectat, Jurisconsulti, peritia Nomothetices accuratiore instructi.

(*g*) E Casp. Thurmanni Bibliothecis Juridicis Specialibus Halæ Saxonum in 4to jam prodierunt, A. 1700. *Academica, Canonica* (de Canonicis, ac illorum Collegiis) & *Duellica*, A. 1701. *Statistica*, ac A. 1702. *Salinaria & Metallica*, laudatæ ab his, culpatæ ab illis.

Ante aliquot annos quidam Cornel. a Beughem ſcripſit *Bibliographiam Juridicam & Politicam*, qua continentur libri, qui prodierunt ab An. 1651. ad Annum 1680. Amſtelodami 1680. in 12. Idem Autor promittit *Bibliothecam materiarum novantiquam.*

2 Sequuntur Autores, qui circa Verba & Terminos ſunt occupati. Quo pertinent primo omnes illi Autores, qui in *Tit. ff. de Verborum Significatione* ſunt commentati, Barth. Briſſonius præcipue & alii, uno Volumine junctim editi, deinde qui Lexica ſcripſerunt, qualia complura ſunt ſcripta. E quibus omnia collegit *Joh. Calvinus*, qui Lexicographorum ante ſe Annotationes plerumque integras, Operi ſuo inſeruit. Multa poſſent hic ſuppleri, ſi a Viris rei Philologicæ & Jurisprudentiæ peritis negotium hoc tractaretur. Gloſſaria Legum Exoticarum, ubi illud Frid. Lindenbrogii, item Feudalium terminorum Lexica, Godfr. Wendelini *Gloſſarium Legis Salicæ*, ad Jus Codicis non pertinent, uſui tamen eſſe poſſint in Juribus Barbaris verſanti, uti & Joh. Loccenii *Lexicon Juris Sveo-Gothici in 8vo.* Pertinent huc Autores, qui particularum Juris uſum explicuerunt, uti *Chriſtoph. Phil. Richterus, in libro de ſignificatione Adverbiorum juris*, & Joh. *Strauchius* in libro *de Particulis juris* quarum uſus, cum in theoria, tum in praxi, permagnus eſt. Pertinent huc Chriſtoph. Beſoldus *in Theſauro practico*, a Chr. Lud. Dietherro aucto, Paulus Matth. Wehnerus *in Practicis Obſervationibus*, Joh. Jac. Speidelius *in Speculo*, qui Autt. terminos Juris conſuetudinarii, ſtatutariique, & practicos, cumulant, ſed & multa aliena inferciunt.

3 Ad Protheoriam Juris pertinent Autores, qui de Interpretatione ſcripſerunt, & ſpectant huc primo, qui in genere de Interpretatione Legum agunt, Joh. Eichelius *in ſingulari libro de Interpretatione juris*, Nomicus Pacemutus (i. e. Vincentius Placcius) *in JCto perfecto*, Joh. Ludov. Praſchius *in JCto Vero & perſonato.* Sunt deinde Autores qui *Dialecticas Juris* ſcripſerunt, magno numero, Franc. Hotomannus, Mart. Schickardus, Joh. Thom. Freigius, Matthias Stephani, Nicol. Vigelius, Daniel Otto, Nicol. Everhardus (cujus *Synopſin* conſcripſit Georg. Adamus Brunnerus,) qui tamen iſtis laboribus ſuis nil minus docuerunt, quam interpretationem Juris. Legendum de iis judicium Dav. Mevii in *præfatione in prodromum Juris N. & G.*

4 Huic interpretationi inſerviunt Juris Regulæ, quarum *in Pandectis* peculiaris titulus magnam habet Commentatorum ſylvam. E quibus omnium optimus eſt Jac. Gothofredus. Nam plerique omnes imperite in explicatione Regularum verſantur. Sed Gothofredus oſtendit, e quibus fontibus illæ deſumptæ, & quomodo ex illis interpretandæ ſint. Sunt &, qui *Juris Regulas prætermiſſas* ſcripſerunt, ut Ryſewick, quorſum refert interdum, quæ apud JCtos reperiuntur indefinita effata. Prodiit in 8. paucis notus liber. Sed in his Axiomatibus caute procedendum eſt, neque, ut univerſalia, accipienda, quæ reſpectu certo dicuntur. Ita enim a particulari argumentamur, quo ſophismate nihil eſt frequentius, abeſſe vero a Regulis juris

juris debet, quantum fieri poteſt. Eſt enim omnis definitio (univerſale effatum) in jure periculoſa. Sunt præterea alii, qui nova illis Axiomata addiderunt e Doctoribus & Practicis, & pene tot Regulas & ſententias Juris confecerunt, ut mole ſua ipſum Jus exæquent, uti Aug. Barboſa *in Axiomatibus* a Joh. Ott. Tabore locupletatus. *Brocardica* appellant, ut dignum habeant elegantiis ipſis nomen, perpetua Cauſidicorum crepitacula. Eorum Brocardicorum reformationem promiſit Autor *Methodi novæ Jurisprudentiæ* Godfr. Guilh. Leibnitius, ad perfectam univerſalitatem ſe omnia reducturum ſperans, qui ne ſpe ſua excidat, valde vereor. Quæ enim vere univerſalia ſunt, pauca ſunt, neque cum tanta turba & apparatu comparent.

SECT. VII.

DE SINGVLORVM IVRIS LIBRORVM INTERPRETIBVS.

§. 1. *Judicium de Antiquis Corporis Juris Gloſſatoribus. 2. De notis in iſtud Dion. Gothofredi & Sim. Lewii. 3. Ad Inſtitutiones Notæ Marginales ſufficiunt. Prolixi in eas Commentatores vituperantur, uti & JCtorum ſe mutuo exſcribendi Cacoëthes. Judicia de Comm. Conr. Rittershuſii, J. Borcholti, Rein. Bachovii, & Arn. Vinnii (e Bachovio ſua mutuati.) 3. Commentatores in Pandectas perpetui Joh. Brunnemannus & J. Otto Tabor, in fragmenta quorundam JCtorum Jac. Cujacius, in Leges inſigniores Paulus Buſius. 4. Paratitla (cujus Vocis ſignificatio fuſius evolvitur) in Pand. Matth. Weſenbecii, ab Henr. Hahnio & R. Bachovio illuſtrata. 5. Commentatores ff. Critici, Guilh. Budæus, Petrus Coſtalius, Paulus Buſius, Pet. Grævius, Princepsque omnium Jac. Cujacius. Joh. Steckii contra hos Liber. Judicium de Comm. Hug. Donelli, ejusque Epitomatore, Oſw. Hilligero. 6. Syſtemata Juridica, Pandectarum ordine diſpoſita, Bernh. Schotani & J. Jac. Wiſſenbachii, hisque addendum Collegium Argentoratenſe. 7. Diod. Thuldeni Comm. inſignis in ff. promiſſus, Scriptaque alia edita. Neceſſitas conjunctionis Theoriæ & Praxeos in Jure. Pet. Denaiſii de Advocatorum imperitorum multitudine Apophtegma. 8. Alii Syſtematum & Diſputationum Jurid. juxta Methodum Digeſtorum, Scriptores, Franc. Duarenus, Georg. Ad. Struvius, Joach. Schnobelius, & Hier. Treutlerus (Rein. Bachovium Cenſorem nactus.) M. Ant. Delrio & Pet. Broſſæi Miscellanea Scriptorum Juris ſive Loci Communes ad Pandectas & Codicem. 9. Commentatores in Codicem præſtantiores, Jac. Gothofredus (in Cod. Theod. omnium optimus,) Azo, Rich. Malumbra, Hub. Giphanius (cujus Eruditio laudatur,) Diod. Thuldenus, Lud. Grenpius, Ant. Perez, J. J. Wiſſenbachius, Matth. Weſenbecius, Joh. Brunnemannus. 10. Jac. Cujacii Paratitla in Cod. Ant. Matthæi Elogium illorum. 11. Ordinem Codicis ſequuntur Ant. Faber. (de quo, & Cenſore ejus importuno, Rein. Bachovio, obiter fertur judicium,) in*

Cod. Fabriano & Paulus Chriſtinæus in Deciſionibus. 12. Novellarum Interpretes, Conr. Rittershuſius & Pet. Gudelinus. Lingua Græca ad illarum lectionem neceſſaria. 13. Jus Canonicum Orientale, Conciliorum conſtans Canonibus, Photii Nomocanon, & Chriſtoph. Juſtelli Biblioth. I. Can. complectuntur. 14. Nonnulla de I. Can. Occidentali, ſive Pontificio, ejusque Compilatoribus (Gratiano & Raymundo) & Illuſtratoribus. Decretum Gratiani juſſu Greg. XIII. emendatum. Pet. Ciacconii Caſtigationes deperditæ. Ant. Auguſtini de Emendatione illa Dialogi. Dav. Blondelli Pſeudo-Iſidorus, Epiſtolis Decretalibus oppoſitus. Forma Proceſſus hodierni e I. Can. eſt derivata. 15. Juris Feudalis in Publico Neceſſitas. Vulgare Jus Feud. ἀμέθοδον. Complura de Aux. Mericutii nova illius Collectione. Scriptores ejusdem alii complures, quos inter Conr. Rittershuſius & Thom. Craigius præcipue commendantur, Stylus Jur. Feudalis Barbarus. Terminos ejus explicant Gloſſariorum Scriptores, quorum Princeps eſt Car. du Freſne. 17. Joh. Strauchii Amœnitates Juris Canonici, & Caſp. Ziegleri de eodem labor, commendantur.

1 Dicendum nunc aliquid de INTERPRETIBVS Inſignioribus *librorum juris.* Et quidem Corpus illud Legum Romanarum nactum eſt plurimos Interpretes, cum quorum notis prodiit in lucem. *Gloſſatores* illi veteres multa quidem ad libros Juris notarunt, ſed quoniam nulla hiſtoria ac philoſophia erant imbuti, & præterea artis Hermeneuticæ inſtrumentis deſtituti, multa protulerunt inepta, in quibus tamen reperiuntur utiliſſima quædam, ad praxin ſpectantia. Occurrunt etiam aliqua, quæ ad ipſius Juris & Legum explicationem pertinent, & veluti conjectando proferuntur. Bartolus Cajus, *in præfatione Commentariorum Juris* Franc. Connani, eleganter comparat Gloſſatorum Juris Volumina, & eorum lectores, iis, qui in metalli-fodinis operantur, quibus eſt magna opera inſumenda, ut, inter tot excrementa & ſcorias, aliquam auri particulam inveniant. Eorum tamen uſus non eſt contemnendus, ut profuerunt ſane in multis Hug. Grotio, cum Opus de I. B. & P. conficeret. Multi quoque, qui tot hodie in Jure novos libros parturiunt, non exiguam partem illis debent. Multa quoque plenius & accuratius pertractare poſſent, ſi legiſſent Vett. illos libros. Veneremur itaque illos, ut ſolemus Opera vetuſta in pretio habere, non ob elegantiam, ſed quod in ruditate illa antiqua lateat aliquid, quod uſui eſſe poſſit.

2 Dionyſii Gothofredi Notulæ ſunt elegantes; nam e Cujacio, aliisque ejus temporis Criticis & JCtis, textuum emendationes notat, locaque parallela, & contrarias Leges. Hodie auctiores illæ notæ in Editione nova Batavica occurrunt, quam Simon Lewius paravit, qui e Salmaſio, aliisque Criticis Autoribus, utiliſſimas prioribus notas adjecit.

3 In libros Juris ſpecłatim ſcripſerunt multi. Quot non ſunt in Inſtitutiones Commentarii? atque hic, ſi ullibi, mos eſt JCtis familiaris, ſe mutuo exſcribere. Jac. Cujacii quidem eſt ſententia, *Inſtitutiones vix Interprete indigere, niſi breviuſculo*

ſculo marginali. Quæ ſententia & mihi placet. Magnam enim confuſionem pariunt ſpiſſi iſti Commentarii, & fuſiores diſputationes Juris, e ff. in Elementa juris illatæ. Qua in re pravus nonnullorum mos eſt, qui ex omni Jure, Divino, Humano, Cæſareo, Canonico, Statutario, Praxi ipſa, & Proceſſu, varia coacervant ad Inſtitutionum Textum, quales ſunt Joh. Schneidewini & Caſp. Manzii *Commentarii.* Quorſum enim attinet, in Elementa Juris iſta omnia congerere, atque ita multiplicare inutiliter labores, neceſſario ſuo loco & tempore repetendos. Conr. Rittershuſii *Commentarius* eruditus eſt, & ad interpretationem verborum & textus multum confere commodi. Joh. Borcholti quoque planus eſt *Commentarius*, & e Cujacio, plurimisque optimis JCtis, congeſtus. Reinerus Bachovius in ſubtilitatibus juris venandis curioſior, quam eſſe oportet. In prima illa juris inſtitutione tyronibus non eſt legendus, commendandusque pro illo Arn. Vinnius, quanquam Bachovium pene omnibus paginis exſcribat, in eo tamen laudandus, quod quæ apud Bachovium ſunt obſcuriora, dilucidius & diſtinctius proponat. Infiniti denique ſunt in *Inſtitutiones* Commentarii, quos omnes recenſere, tempore eſſet abuti, cum verum hic ſit vetus illud: *unum noris, omnes noris.* Si unum habeamus, eumque optimum, aut jungamus illi alterum ſubtiliorem diſputatorem, quid opus eſt de variis nominibus & titulis eſſe ſollicitum?

In PANDECTAS perpetuum *Commentarium* non habuimus, antequam *Joh. Brunnemannus* Opus ſuum publicavit; ſed neſcio, an perpetuos tales Commentarios ſcribere utile ſit, cum poſſit res brevius expediri. Multa enim in legibus ipſis ſunt ſupervacanea, nulla repetita, quibus veſtigiis ſi Commentator inſiſtit, multa illum repetere neceſſe eſt, atque ita Commentarium inutiliter augere. *Jac. Cujacius* aliam quandam methodum inſtituit. Nam ICtorum Reſponſa, ut Pauli, Papiniani, Modeſtini, in unum Volumen collegit, atque ita in ICtorum ſingulorum fragmenta eſt commentatus. Quod ad Hiſtoriam quidem juris egregie conducit, ſed methodum turbat vulgatam. Inediti ſunt hactenus Ioh. Ott. Taboris *perpetui Commentarii in Leges ſingulas*, qui ab hæredibus premuntur, usque dum Bibliopolam liberaliorem invenerint. In aliquas Leges inſigniores *Paulus Buſius* eſt commentatus. 3

PARATITLARES *Scriptores* omnium in manu ſunt. Matth. Weſenbecii *Paratitla* utiliſſima ſunt, quæ poſtea Commentariis ſuis, tum Rein. Bachovius, tum Henr. Hahnius illuſtrarunt. Eo tamen effecerunt, ut non amplius eſſent Paratitla, quæ proprie ſunt, uti Juſtinianus Imperator in *Præfatione de concept. ff.* ait, *Indices* tantummodo *Legum.* Dicuntur autem *Paratitla*, quod ſint Appendices titulorum; Alii vocant *Supplementa titulorum*, notas ſcil. quibus ex reliquis titulis ſupplentur ea, quæ ad titulum præſentem pertinere videntur. Ut recte dixerit Matthæus Monachus *in fragmento*, edito ab Antonio Auguſtino, *Paratitla eſſe repletiones titulorum, i. e. Indices Legum, quæ ex ceteris titulis ad unum ſubtiliter revocari poſſunt.* Idem & Car. Hannibal Fabrottus ait, *in notis ad Collectionem Conſtitutionum Eccleſiaſticarum*, ubi Cujacium reprehendit, quod ignoraverit, quid eſſent Paratitla. Illi enim Paratitla 4

non

non niſi ſummaria habentur, quod & ipſe ſuis Paratitlis, quæ in *ff.* & *Cod. Theodoſ.* ſcripſit, oſtendit. Jac. Gothofredus quoque in *Cod. Theodoſ.* multis monſtravit ſpeciminibus, quid ſint Paratitla. De Paratitlis vide ulterius Æg. Menagium *in Amœnitatibus Juris civ. cap. 15.* Ceterum Paratitla iſta, ſi recte ſint inſtituta, optimi Commentarii inſtar eſſe poſſunt, ſi conſtet de ſenſu verborum. Nil enim melius explicatur, quam ſi res cum re ipſa conferatur.

5 *Commentatores ff.* CRITICI & PHILOLOGICI hic etiam magnum habent numerum & uſum. Guil. Budæi *Comment. in τὰ πρῶτα* utiliſſimus eſt ad intellectum Legum, quam diligentiſſime enim vetera illa explicat, quibus ſi deſtitueremur, in multis eſſet hallucinandum. Petrus Coſtalius *Adverſaria* ſcripſit, in quibus collegit ex *ff.* Leges notabiliores, & ad illas eſt commentatus. Optimus Autor & rarus, editus Colon. an. 1560. Idem fecerunt Paulus Buſius, cujus exſtant *Subtilitates in ff.* quo in libro difficiliores Leges explicat, & Petrus Grævius, *in Exercitationibus ſuper difficiliores Leges*, Ultraj. *in 8vo* editis. Criticorum in Legibus tractandis audaciam reprehendit Joh Steckius *in Obſervationibus Anticriticis Juris, ſ. Vindicationibus Legum a Corruptelis Criticorum & Neotericorum Interpretum*, qui Liber, Baſileæ editus an. 1627. *in 4to*, multa continet ſcitu digniſſima. *Jac. Cujacius* primus hanc viam emendandi jura eſt ingreſſus, & æmulos ob illam cauſam eſt aliquos nactus, qui Libris Eriſticis illum exceperunt. Sed ita ſe adverſus illos defendit Cujacius, ut facile appareat diſcrimen. Hugo Donellus Jus Codicis luculentis *Comm.* illuſtravit, methodum tamen *ff.* paululum immutans. Hunc nimis prolixum enucleavit *Oſwaldus Hilligerus*, cujus liber ad uſum eſt expeditior. Ego tamen malim ipſius Donelli *Commentariis* uti.

6 Aliqui ſecundum ff. *methodum* omnes Libros Juris diſpoſuerunt, quo modo procedit Bernh. Schotanus *in Examine ſuo Juridico* & *in Collegio*, quod tamen non eſt abſolutum. *In Examine* per Erotemata omnia proponit, quod liber eſt commodus pro informatione prima. Joh. Jac. Wiſſenbachius, *in Diſpp. ſuis ad ff. inſigniores Legg. & controv.* perſpicue & breviſſime omnia propoſuit, leges contrarias interdum feliciter conciliat, diligenter & cum cura enumerando varias ICtorum ſententias & interpretationes. Additur his *Diſp. Comment. in titt. de V. S. & R. J.* Celebre quoque eſt *Collegium Juris Argentoratenſe*, quod ſecundum *ff.* concinnatum eſt methodum, per varios Autores, dirigente tamen Juſto Meyero, ICto doctiſſimo, uti patet ex *Endoxis* illis, quæ addidit *Collegio Argentoratenſi.* Adjecit etiam *notas* ſuas Joh. Otto Tabor. Opus certe locuples eſt, & magna cura congeſtum. Pleraque omnia ex aliis Juris Libris, imo & nonnunquam ex Jure Publico, Feudali & Canonico, immiſcentur. Atque eo fine ſcriptum eſt, ut exhiberet velut Digeſta univerſalia Juris. Ex eo *Compendium* adornatum eſt a Greg. Biccio. Nam vaſtus ille liber exercitiis primis juventutis non adeo commodus eſſe videtur.

7 Promiſit & *Diodorus Thuldenus*, JCtus Lovanienſis, Vir, non in Jure ſolum, ſed

ſed & in aliis doctrinis, eleganter doctus, *Comm. in ff. Juris Methodicum, Ætiologicum, Analogicum & Pragmaticum* (ita enim titulus habet.) Non crediderim tamen, lucem illum vidiſſe. Saltem Titulus ille apparet inter reliqua ejus Opera iſtis præfixus, quantum tamen ex illo apparet, optima methodo conceptus eſſe videtur. Nam & cauſas Legum, & Analogiſmum, & praxin, illo oſtendere voluit, quæ omnia ſi conjungantur, feliciſſime res ſuccedet. Rari ſunt illi JCti, qui illa omnia ab ipſis fundamentis conjungunt. Sterilis eſt omnis Ætiologica, & Analogica cognitio, niſi accedat uſus & praxis, rurſusque praxis ſuo eſt fundamento deſtituta, ac infeliciſſime tractatur, ſi cognitio methodica non præceſſerit. Hinc eſt, quod *Petrus Denaiſius*, Aſſeſſor Cameræ Spirenſis, JCtus doctiſſimus, teſte Melch. Adamo *in ejus vita*, ſolitus eſt dicere, ſe vix tres quatuorve vidiſſe Advocatos, qui ſupra rabularum nomen fuerint, quique ſtatum controverſiarum probe intellexerint, & ex fundamentis juris ſuorum Clientum cauſas agere norint. Ceterum Thuldenus ille, quem modo laudavi, plures alios in jure libros ſcripſit, in quibus eminent *libri* ejus *V. de Cauſis ac Remediis corruptorum judiciorum*, qui Coloniæ editi ſunt an. 1624. *in 4to*, item *libri duo de Jurisprudentia extemporali, ſ. de Regulis Juris*, Lovanii primum edit. *in 4to*, an. 1629. qui deinde, tertia parte auctiores recuſi, ibidem prodierunt an. 1643.

Franc. Duareni *Diſputationes Juris* pleraque complectuntur, quæ ſpectant ad 8
Jus univerſum. Vir fuit doctus, qui tamen Thuano ex Æmari Ranconetti ſchedis multa petiviſſe dicitur. Georg. Ad. Struvii *Jurisprudentia* notior eſt, quam ut quicquam de ea dici opus ſit. Hodie plerumque pro libro compendiario univerſi juris habetur. Solet enim ſic fieri, ut liber alicujus JCti, qui famam aliquam eſt promeritus, in uſus publicos adhibeatur. Joach. Schnobelii breves *Diſputatiuncule* non tamen cum cura ſcriptæ, in Academiis Germaniæ plerumque Theſium loco inſervire ſolent, quibus Jus univerſum ὡς ἐν ἐπιτομῇ diſputandum proponitur. Ceterorum Scriptorum Compendiariorum, nec finis, nec modus eſt, quibus recenſendis ut immoremur, vix operæ eſt pretium. Unicum ut addam, Locorum Communium in Jure Exegeticorum ideam dedit *Marcus Antonius Delrio*, cui poſtea augmenta inſignia adjecit Petrus Broſſæus, JCtus, quæ prodierunt Lugd. apud Sam. Criſpinum, an. 1606. *in 4to*, ſub tit. *Miſcellanea Scriptorum univerſi Juris civ. duobus Tomis diſtincta, ex optimis Autoribus & Interpretibus Juris, quæ ſparſim ab illis alieno loco notata, ſub ordinem Titulorum & Legum Digeſtorum & Cod. ad ſuas Leges relata.* Qualis labor ſi continuaretur ab illis, res magnæ ſane utilitatis foret. Illi Autores tantum digitum intendunt, viamque oſtendunt. Hieron. Treutleri *Diſputationes* omiſimus, qui inter Compendiarios eſt referendus, ac frequentari ſolet paſſim in Academiis. Optimum eſt in illo, quod controverſias ad ſedes, & genera ſua, revocavit, quarum definitiones & diviſiones perpetuis JCtorum Autoritatibus confirmat, non diſſimulatis etiam illis, qui diſſentiunt. Laudari itaque Treutlerus debet tanquam Locor. Commun. Collector. Illius Theſes enim non tantum habent ponderis aut curæ. Præcipue ratio

habenda eſt Autorum illorum, quos citat, quorum loca & legenda ſunt, & relegenda quoque, ac cum Autoris Theſibus conferenda, in quibus tamen multa ſunt improbanda, multa per errorem & incuriam admiſſa. Nactus eſt Hypercriticum & cenſorem ſatis rigidum, Reinerum Bachovium, cujus exſtant in illum *Commentaria*, non quod Autor ipſi dignus viſus fuerit, quem *Commentario* illuſtraret, ſed quod hic quaſi ſignentur loca, & veſtigia univerſæ Jurisprudentiæ ducantur.

9 In CODICEM exſtant multorum labores. Omnium anteſignanus eſt Jac. Gothofredus, qui Herculeum pene laborem in *Cod. Theodoſ.* inſumſit, e quo fonte *Juſtinianeus* profluxit. Tam operoſa hujus Viri fuit induſtria, ut omnium conatus unus vinceret. Nemo *Codicis* textum in ipſis incunabilis ſuis intelligit, niſi ab hoc Autore monſtrata via ſit. Omnem enim ſingularum Legum hiſtoriam accuratiſſime & uberrime deduxit. Noti ſunt Veterum Autorum labores, Azonis & Richardi Malumbræ. Ille rudis adhuc, & impolitus, & hic non contemnendo *Commentario* quidem *Cod.* illuſtravit, ſed ſuperavit illum Recentiorum diligentia. Scripſit Hubertus Giphanius *Enarrationes & Commentarios in 8. Libros Cod.* non quidem in Leges omnes, ſed tamen in celebriores & difficiliores, in quibus non ſolum abſtruſiores Antinomias & Controverſias, tam Scholaſticas, quam Forenſes, ſed legum etiam ipſarum ſenſus explicat. Liber editus eſt Francofurti ad Mœnum an. 1631. *in 4to.* Quantus autem Vir Giphanius fuerit, nemini eſt ignotum, Heros ſane inter JCtos Germanos, qui doctrinam multiplicem, multarumque linguarum peritiam, ad juris ſcientiam attulit. Non immerito Johannes Strauchius (ipſe JCtus Germaniæ doctiſſimus) *Germaniæ* illum *Cujacium* vocat *in Diſſ. ſua de Beryto.* Diodorus Thuldenus, in Academia Lovan. Anteceſſor, *Comment. ad Cod. Juſtinianeum* ſcripſit non ſpernendum, qui editus eſt an. 1651. Lovan. *in fol.* in quo ſenſa legum cujusque tituli illuſtrantur, ac quæſtiones adjiciuntur, quæ in judiciis frequentiores occurrunt. Selecta ſunt, quæ illic habentur, quanquam non omnia ſint abſoluta & perfecta. Compendiarium laborem in *Cod.* ſcripſit Ludov. Grempius, cujus exſtat *Cod. Juſtinianei methodica tractatio*, Francof. an. 1593. cura Jacobi Schegkii edita. Ille vero brevis tantum eſt, & per Erotemata ſimplicia, atque in uſum juventutis formata, Jurisprudentiam *Cod.* proponit. Plenior eſt *Comm.* Antonii Perezii, qui poſt ceteros omnes illum edidit, adjectus & poſterioribus tribus Libris, qui vulgo alias omitti ſolent. Non enim adeo ad rem forenſem pertinent, ſed pleraque illa jam in uſu eſſe deſierunt, & ad Veterem Jurisdictionis Romanæ formam ſpectant (non tamen vetuſtiſſimam.) J. Jac. Wiſſenbachius ad *Cod.* etiam nonnulla ſcripſit, ſed pro ſuo more, non ad ſingulas Leges commentatus eſt, ſed excerpta quædam difficiliorum Legum dedit, quarum ſententias & controverſa diligenti Autorum collatione ſic ſatis inveſtigavit. Quæ Matth. Weſenbecius *in Cod.* ſcripſit, mutila ſunt, & manca. Joh. Brunnemannus ad practicos uſus potiſſimum eſt referendus.

10 IAC. CUIACIUS Paratitla *Cod.* ſcripſit, Libellum exiguum, quem omnes JCti mirifice

rifice laudant. Anton. Matthæus, JCtus certe non obesæ naris, in sua *Oratione IV. p. 103.* magnam illi suspendit Elogium, cujus hæc sunt verba: *Omnium lucubrationes, etiam, qui justa Commentaria scripserunt, Viri Excellentissimi, Jac. Cujacii, indefessa contentio supergressa est, cujus aureum Paratitlorum Opus apud sapientes in tanta est admiratione, ut in reliquis quidem scriptis alios, in Paratitlis autem Cod. se ipsum superasse visus sit. Hotomannus certe, quanquam æmulus illi, ac prope inimicus, tamen sine invidia ac simpliciter adversarii vires æstimans, tanti id Opus fecit, ut filium, Joh. Hotomannum, peregre ob studia profecturum, cum Davidis Psalmis, Paratitla ejus perpetuo in itinere circumferre jusserit.*

Fuerunt, qui secundum ordinem & seriem TITT. COD. privatim aliqua sibi promtuaria concinnarunt, quorum deinde specimina publice ediderunt, uti Paulus Christinæus, & Anton. Faber, magni Vir nominis. Et hic quidem, cujus, tam in Theoria, quam in Praxi, superiori seculo celebrata fuit ἀκρίβεια, *Codicem* publicavit, qui *Fabrianus* ab ejus nomine dicitur. Hunc adeo mihi quondam commendavit *Dav. Mevius*, ut hunc sibi unicum ad praxin fuisse magistrum diceret. Claritas nominis ejus movit Rein. Bachovium, ut adversus illum libros scriberet. Nam Opus aliquod adversus ipsum edidit, in quo integram Chiliadem errorum ejus observavit. Sed fuerunt alii, qui ipsum adversus Bachovium defenderunt. Erat enim Bachovio quodammodo Sophisticum ingenium. Insignis quidem fuit ejus eruditio, tam in Historia, quam in Jure, sed importunus erat aliorum Censor, &, libidine contradicendi motus, sæpe lites movit non necessarias, sæpe etiam falsas plane sententias sectatus est, sæpe loca Legum, ex suis conjecturis, pro corruptis habuit, sæpe etiam in ipsos JCtos Veteres, sæpe in Tribonianum, injurius. In praxi certe Juridica non magnopere est aliis æstimatus. Sæpe enim Consuetudines fori in alia omnia abeunt, quod cum observant homines, in rem illam intenti, sæpe excursu illarum admittere aliqua debent, quæ manifeste contra Jura esse clamavit JCtus, Scholæ tantum assuetus. Pleræque ejus subtilitates, in erroribus Fabri notatis, in eo versantur, ut notet actionem non recte institutam, vel alteri non recte mistam, quæ omnia, siquidem ex indole Romani Juris æstimaveris, recte se habere possint, si vero ex usu & observatione forensi, nonnunquam alia ratio est ineunda. Paulus Christinæus itidem *Decisiones supremorum tribunalium*, non fortuito & temere confusas, sed justo ordine *Codicis* diligenter & accurate digestas, edidit, cujus Viri nomen inter Practicos satis est celebratum. 11

Ad NOVELLAS CONSTITVTIONVM pergimus. Earum optimum habemus Interpretem Rittershusium, Virum, non in Juris scientia tantum, sed in omni elegantiori literatura versatissimum. Huic jungendus Pet. Gudelinus in *Jure novissimo*, qui Jus illud Novellarum, inprimis, ubi discrepat a ceteris Juribus, diligenter collegit, ac ea inter se contulit. De *Novellis Constitutionum* quando illæ editæ, deque Imperatorum Novellis, quæ Juris autoritatem non habent, uti Leonis, aliorumque, legendus est Jos. Maria Suaresius, *in Notitia βασιλικῶν*, præmissa Operi ipsi *βασιλικῶν*, 12

quod edidit in Gallia Car. Hann. Fabrottus. Ceterum quoniam omnes Novellæ Græca Lingua ſunt conſcriptæ, vel inde videmus, quam utilis ſit ICto Græcæ Linguæ notitia. Cum enim noviſſima Jura his contineantur, & illa autoritatem ſuam in Græca Lingua habeant, neceſſum eſt, eos, qui e Verſione tantum ſapiunt, in multis titubare. Quinimo in ipſis Verſionibus plurimi ſunt errores paſſim a Viris doctis notati. De variis interpretationibus & Interpretibus Novellarum vid. Er. Mauritius *in Diſſert. de Libris Juris, Theſ. 16.* ubi pluribus ea de re agit.

13 Canonici Ivris Hiſtoria & Interpp. probe quoque notandi ſunt. Et quidem Jus Canonicum quoque duplex eſt, illud, quod in *Oriente* obtinuit ſub Imperatoribus Græcis, & quod deinde *Pontificia autoritate a Compilatoribus* eſt collectum. Antiqui illius non fuit iſta autoritas, quæ Juris Canonici Pontificii, conſtititque Canonibus Conciliorum Græca Lingua ſcriptis. Edidit Photius *Nomocanonem*, quo pleraque comprehenduntur, quem illuſtravit Græco *Commentario* ſuo Theodorus Balſamon. Poſtea autem *Chriſtoph. Juſtellus*, Vir doctiſſimus, quicquid nanciſci potuit Veterum Canonum, & hunc ipſum *Nomocanonem* Photii, uno libro *in folio* collegit, ſub Tit. *Bibliothecæ Juris Canonici.* Liber rariſſimus eſt, & magno pretio venditur, ſed in quo multa continentur, quæ ſpectant ad diſciplinam Eccleſiaſticam Veterum, ut ita non ratione Juris tantum, ſed & ratione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, prodeſſe poſſit.

14 Ivris Canonici *Pontificii* nullam habemus hactenus hiſtoriam (*h*) accurate ſcriptam, præter paucula illa, quæ notarunt Albericus Gentilis *in Diſſertatione de libris J. Civ. & Can.* Arthurus Duck *in Lib. de autoritate J. Can.* & Conr. Rittershuſius *in lib. de Differ. J. Civ.* & *Can.* qui liber utiliſſimus eſt Juris Studioſis, præcipua enim capita tractat, in quibus abit Jus Canonicum a Civili. Ceteri, qui peculiares aliquas Diſſertatiunculas ſcripſere, ut ſunt nonnulli, vix aliud afferunt, quam quod e citatis modo libris concinnarunt. Compilatores hujus Juris præcipui ſunt Gratianus Monachus, & Raymundus, Capellanus Gregorii Noni. Ille *Decretum* congeſſit, hic *Decretales.* Varia de his Compilatoribus Judicia compilavit Joh. Chifletius *in Apologetica Diſſertatione de Juris utriusque Architectis;* ſed nihil ab illo ſolidi affertur, quod facere poſſit ad defenſionem illorum, mera enim tantum ex Autoribus Excerpta ſunt. Gratiani *Decretum*, cum multis ſcateat mendis, inſtitutum fuit a Gregorio XIII. quoddam Virorum doctorum Conſilium eum in finem, ut operam ſuam conferrent in emendandum Decretum. Illi Concilio adhibitus quoque fuit Pet. Ciacconius, Philologus magni nominis Hiſpanus, quem plura, quam ceteros omnes, contuliſſe ad hanc emendationem, ait Andreas Schottus, quæ tamen Caſti-

(*h*) *Hiſtoriam Juris Canonici* (quam inter Deſiderata Jurisprudentiæ refert Morhofius) ſive *de Progreſſu, Incrementis, Collectionibus Auctoribusque Juris Eccleſiaſtici & Pontificii, Tractationem*, Duisburgi A. 1677. *in 8vo* edidit Gerh. a Maſtricht, Reip. nunc Bremenſis Syndicus, de qua, mihi licet non viſa, ob doctrinam Autoris inſignem & multiplicem, optima quæque ominor.

Caſtigationes lucem non adſpexerunt, ipſo teſte. Diſciſſæ enim fuerunt iſtæ paginæ a Ciacconio, quorundam rumoribus offenſo, quaſi ad ſe rapere omnem Editionis laudem vellet. Exſtant & Antonii Auguſtini *Dialogi de Emendatione Gratiani*, Opus eximium, quodque ad Juris Can. intelligentiam magnam afferre lucem poſſit, non ita pridem recuſum in Batavis. Multum quoque operæ poſuit, in ſuppoſititiis quibusdam Pontificum Epiſtolis configendis, Vir in Antiquitatis cognitione verſatiſſimus, *Dav. Blondellus*, cujus exſtat Pſeudo-Iſidorus, præclarum, ſed rarum Opus. Hi ſunt præcipui Autores, quos ad hiſtoriam iſtius Juris commendare poſſum. Commentatorum in Jus Pontificium integra eſt ſylva, cui me non immittam; neque enim neceſſe eſt, in iis nimis eſſe operoſum. Si enim capita illa, in quibus Jus Civile differt a Canonico, cognita habeamus, non eſt, quod moremur cetera. Forma tamen proceſſus hodierni tota ex Jure Can. eſt, quam ob cauſam Commentatores hujus argumenti ex Jure Can. bene delegiſſe non parum ad praxin ipſam confert. Ceterum de Proceſſibus ipſis, eorumque Scriptoribus, integrum quis Volumen facile conficere poſſit, ac promiſit inter ceteras Juris Bibliothecas Bibliothecam quoque *Proceſſualem* Caſp. Thurmannus.

Jus FEVDALE non eſt perfunctorie tractandum iis, qui Jus publicum accura- 15
tius tractare volunt. Cum enim cetera Jura pleraque ſint privata, hæc Feudalia ſe immiſcent rebus Principum, & alte ex hiſtoria ſunt repetenda, in qua non vulgariter doctum eſſe oportet, & quidem usque ab ævo Caroli M. qui Jura Principum eſt tractaturus. Quod habemus in Corpore Juris Jus Feudale, ſine methodo certa & ordine conſcriptum eſt. Ejus collectio poſtrema ab *Antonio de Prato Veteri* facta fuit, quam & a Friderico III. Imperatore probatam aliqui volunt. *(i)* Multa ſunt JCtorum loca, quibus Autor ille deſideratur. Hoc Opus inciderat olim in manus Erici Mauritii, in hac quondam Academia Prof. nunc Cameræ Spirenſis Aſſeſſoris, quod ille, velut ſingularem Theſaurum, ſæpe mihi oſtendit, ac editioni deſtinavit, quæ an unquam ſit proditura, ambigo. Nomen integrum Autoris eſt *Antonius Mericutius de Prato Veteri.* Mentionem facit ejus Mauritius *in Diſputatione de Libris Juris, Theſi 24. & 25.* ac oſtendit, quam diſcrepent multa apud illum a vulgari textu. Quod vero attinet hujus Juris Interpretes, pene non ſunt pauciores illi, quam ipſi juris Civilis Interpretes, diverſa enim methodo omnes utuntur. Aliqui ſcripſerunt Epitomas, Compendia, Methodos, Analyſes, Synopſes. Aliqui celebriora & utiliora ejus Juris loca illuſtrarunt. Alii novum ordinem fabricati ſunt, relicta Librorum

(i) Ant. Mericutii de Prato Veteri, JCti Bononienſis, *Collectio Novæ Juris Feudalis*, A. 1428. juſſu Collegii Juridici Bononienſis, conſcripta, in Libros VI. digeſta, & a Frid. III. Imp. uti fertur, approbata, cujus Editionem tot JCti deſiderarunt, & Er. Mauritius e Codice ſuo pollicitus quidem eſt, ſed non exhibuit, poſt obitum tandem ejus e Codice Regio Pariſienſi, curante Joh. Schiltero, JCto Argentinenſi, prodiit, & ſubjuncta ab hoc eſt *Codici Juris Alemannici Feudalis, Commentario* a ſe illuſtrato, & Argent. A. 1696. in 4to excuſo. Hiſtoriam ejus D. Sam. Reyherus, JCtus Kil. Diſſertatiuncula peculiari, hoc ipſo A. 1704. edita fuſius enarravit.

Feudalium ſerie. Aliqui Controverſias, & Quæſtiones inſigniores tractarunt, uti Hartmannus Piſtorius, & Andr. Fachinæus. Inter Compendiarios præcipuum locum meretur Conr. Rittershuſius, qui *Partitiones Juris Feudalis* ſcripſit, in duos Libros diſtributas, & Marpurgi A. 1615. editas. Methodus, qua utitur, eſt ſimplex, & ad informandum aptiſſima. Proponit enim Erotematice totum illud Jus, perpetuo inſtituto ſermone inter Diſcipulum & Magiſtrum. Autores aliquot præcipuos, qui de Feudis ſcripſere, ſed Compendiarios tantum & breviores, Guilli. ſcil. Fornerium, Ant. Contium, Marqu. Freherum, &c. Francof. A. 1668. in 12. collegit uno libello Magnus Wedderkopfius. Interpretum alioquin magnus eſt numerus. Rittershuſius e Veteribus celebrat Andream de Iſernia, Jac. Alvarottum, Jac. Ardixo, Jac. de Belviſo. E Recentioribus ceteris præferri ſolent Henr. Roſenthal *de Feudis*, & Ludolphus Schraderus. *De Regalibus* Henr. Bocerus ſcripſit, quod itidem argumentum eſt Juris Feudalis. Edidit & *Diſpp.* aliquas *Feudales* in lucem Joh. Borcholt, quem Rittershuſius Præceptorem ſuum laudat. Matthæus de afflictis, Uldaricus Zaſius, Petrus Rebuffus, Joh. Schneidewinus, Matth. Weſenbecius, Nic. Vigelius, Hermannus Vultejus, ſuper Jus Feudale omnes ſcripſerunt, ſed hi poſtremi pro more ſuo methodum immutarunt. Conſilia Feudalia ceteris immiſcuere multi, uti Joachimus Mynſingerus, & Andr. Gailius. Sunt & peregrini Autores, Galli, Itali, Hiſpani, qui Jura Feudalia ex Conſuetudine ſuæ gentis interpretantur, uti Carolus Molinæus *in ſuis Conſuetudinibus Pariſienſibus, & Caſanova*, Vir in omni antiquitate doctiſſimus, in ſingulari quodam Opere *de Galliæ Feudis*, a quo plura habuiſſemus, niſi improviſa mors ejus Conatus, interrupiſſet. Anglicum Jus Feudale, quod continetur Jure illo Anglico, quod *Fleta* inſcribitur, totum, quatenus per Scotiam, Angliam, & partem Galliæ, obtinet, diffuſo libro explicuit *Thom. Craigius* de Riccartum, in lib. cui tit. *Jus Feudale, tribus libris comprehenſum.* Eruditus ille eſt liber, neque tam Jura & Conſuetudines Scotiæ, quam omne in univerſum Feudale Jus complexus, & locis non ſolum Juris Civ. illuſtravit, ſed & Exemplis e variis gentibus petitis antiquis & recentibus. Editus eſt Lond. in fol. A. 1655.

16 Ceterum ad Juris Feudalis intelligentiam pleniorem nova quaſi lingua opus eſt. Nam Autores mediæ ætatis, de quorum fontibus petenda ſunt illa Jura Exotica, Anglica, Gallica, tum & ipſum Jus Feudale, quod inter Juris libros habetur, ſuos quosdam terminos habent, quos nemo intelligit, niſi qui lectioni Librorum iſtorum eſt aſſuetus. Excutienda itaque ſunt Gloſſaria Barbararum Vocum, quas collegerunt Frid. Lindebrogius, Henr. Spelmannus *in Archæologia ſua*, Gothofredus Wendelinus *in Gloſſario Vocum Legis Salicæ*, Gerh. Joh. Voſſius in *Gloſſematis* ſuis, & qui inſtar omnium eſt, Carolus du Freſne *in Gloſſario Scriptorum mediæ & infimæ ætatis*, qui liber quaſi Oceanus eſt omnium illorum Gloſſariorum minorum & particularium. Nam Autor ille, Herculeo plane labore, totum illud Augiæ ſtabulum, non repurgavit, ſed complevit, accurate congeſto omni hoc Latinitatis Sterquilinio. Explicavit & *Franc. Hotomannus* voces Feudales quasdam notiores, quæ Explicationes addi ſolent Lexico Joh. Calvini.

Non

Non pauca eorum, quæ ad Jus Feudale ſpectant, habentur in Johannis Strauchii *Amœnitatibus Juris Canon.* quas ille ad exemplum Æg. Menagii ſcripſit, qui *de Amœnitatibus Juris Civ.* librum ediderat. Ceterum liber ille Strauchii multa quoque habet rariora, quæ ad Juris Canonici interpretationem pertinent. Supra eum omiſimus, uti & *Caſp. Zieglerum*, qui *de Jure Canonico* ſcripſit, & multa erudita, ad hiſtoriam ejus pertinentia, notavit. 17

SECT. VIII.

DE CONTROVERSIARVM ET ARGVMENTORVM SPECIALIVM SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Multitudo hujus generis Scriptorum & Plagia frequentia. De Joh. Jac. Speidelio, Seb. Nævio & Dav. Döringio, Locorum communium in hoc genere Collectoribus, Cenſuræ.* 2. *Legum, quæ ſibi contrariari videntur, Conciliatores, Nicol. de Paſſeribus, Jul. Pacius & Eberh. Bronchorſtius. Quænam ad Conciliationem hanc requirantur. Jac. Gothofredi Opus hujus argumenti promiſſum.* 3. *De Hier. Treutlero, Helfr. Ulr. Hunnio, Rein. Bachovio & Steph. Forcatulo, Controverſiarum juridicarum Scriptoribus, judicia.* 4. *Nec non de variis Lectionibus Juris Guid. Pancirolli & Phil. Jac. Mauſſaci, de Antinomiis Hub. Giphanii & Ant. Matthæi, Diſſertationibus Bernh. Suaholti, Nic. Vigelii Methodo Juris Controverſi, Arn. Vinnii Quæſtionibus Selectis, Ferd. Vasquetz Qq. Illuſtribus, And. Fachinæi & Bachovii Junioris Controverſiis, ac Gerh. Noodti Probabilibus.* 5. *Inter Argumentorum Specialium Scriptores quidam Titulos variores ridicule affectant. Scriptores de Juribus Ægrotorum. Autoris Tr. affectus de Jure Silentii.*

MAgnum mihi maris æquor arandum, ſi huic me Oceano immiſerim. Integra iſtorum Autorum Bibliotheca poſſet concinnari, & IOH. IAC. SPEIDELIVS ſane librum vaſtum *in folio* concinnavit e ſolis quæſtionum controverſarum Titulis, qui utiliſſimus eſt, ſed ſolum ſe Nomenclatorem exhibet. Si quis eſſet, qui quæſtionibus illis ſubjiceret Autores, vel affirmantes, vel negantes, non male meretur de ſtudio Juris. Neminem enim hactenus habemus, qui rem illam ſuſceperit, aut qui ad illam ſuſcipiendam aptus fuerit. Oportet enim aliquo judicio eſſe inſtructum, qui illum laborem ſuſcipit, neque promiſcua debet allegare nomina & loca, quæ ſi excuſſeris, parum ſolidæ frugis illic invenias. Ita enim moris eſt vulgo apud JCtos, ut de charta in papyrum ſcribant inepta, futilia, ſupervacanea, theſin ipſam, vel parum, vel nil attingentia. Subſidio hic quidem ſunt nonnulli Autores, uti SEB. NAEVIVS in ſuo *Syſtemate*, diligens in Autorum variis ſententiis conglobandis ſuper ſingulas tam ff. quam *Cod.* Leges & Inſtitt. §. §. non quidem contemnendus, & cujus non exiguus uſus eſſe poſſit. Sed tamen ille etiam laborat morbo confuſionis, quo plerique omnes. DAV. DÖRINGIVS Collectanea quædam inſtituebat Juridica ſub titulo *Bibliothecæ*, quæ non tam Controverſias, quam omnia ſine diſcri- 1

mine

mine congerebat. Nondum vero absolvit integram Literam A. cujus dimidia circiter pars, grandem in folio librum dedit, unde hariolari facile licet, quantum Chaos futurum fuisset, quod restabat.

2 Inter CONTROVERSIARVM SCRIPTORES primum locum sibi vindicant, qui de contrariis Legibus scripserunt, qua in re pene omnes adeo inepte versantur, ut plus tenebrarum, quam lucis afferant huic argumento. Est aliquis Nicol. de Passeribus, qui consarcinavit *librum antinomiarum*, indoctum & futilissimum. Nihil enim solidi affert ad conciliationem Legum, omnia sunt cerebrina, & imaginaria commenta quædam etiam ridenda. Jul. Pacius & Eb. Bronckhorstius paulo accuratius hoc argumentum tractarunt, sed multa aliis, imo plurima, excutienda reliquerunt. Dignissimus certe labor esset, quem susciperet non vulgaris ingenii JCtus. Requiritur enim ad rem illam perfecta Historiæ & Jur. Rom. cognitio, non ex Interpretibus, sed ex ipsis fontibus, unde Leges istæ profluxerunt, quarum accurata analysis ad methodum Hermenevticam est instituenda. Jac. Gothofredus promiserat in his suam operam, sed morte præventus nihil præstitit. Fuisset vero unus inter ceteros omnes par huic labori Hercules. Meminit ejus in *Manuali suo juridico.*

3 HIERR. TREVTLERVS cujus supra fecimus mentionem, *Compendium* quondam concinnavit omnium illarum *Disputationum*, quæ in Jus Civ. incidunt. Hunc quasi Hodegetam constituerunt sibi in Academiis, & exstant nonnullorum vasti & prolixi super illum libri. HELFRICVS VLRICVS HVNNIVS vastum in illud Opus scripsit, satis quidem perspicuum, sed tamen & in multis jejunum, & plane destitutum illa ἀκριβείᾳ, quæ requirebatur in acuto Disputatore. Coacervat argumenta futilia sæpe & supervacanea, &, ne quid desit verborum, forma syllogistica proponit, quasi tam stupidi essent homines, ut ab illo demum Syllogismum fabricare docendi sint. Solet tyronibus esse in deliciis, qui inde cramben suam, toties coctam, recoquunt. REINERVS BACHOVIVS subtilitate peccat, uti ille simplicitate, & nodos interdum in scirpo quærit & lapides in via plana, ut in illos impingat. Omnia tamen ejus acumen Philosophicum sapiunt, & erectioribus ingeniis sunt scripta. Pene omiseram hic STEPHANVM FORCATVLVM, JCtum Gallum non exigui nominis, qui inter ceteros *Necromantiam* scripsit, monstrosi quidem tituli librum, sed in quo tamen multæ Leges controversæ deciduntur. Introducit autem veteres JCtos perpetua Dissertatione inter se fermocinantes & Legum suarum causam dicentes, earumque argumenta in utramque partem ventilantes. Quæ causa est, quod *Necromantiæ* Titulum libro huic donet, Umbras quasi JCtorum e tumulis suis excitans. Autor non omnino hebetis ingenii, nisi quod abripiatur nonnunquam, nescio quibus Ecstaticis cogitationibus, circa Legum interpretationem, ac librorum Juris distributionem, e quibus tamen ingenium elucet. Opera ejus junctim prodierunt Parisiis *in fol.*

4 Qui *variat* LEGVM LECTIONES in Jure scripserunt, huc quoque referendi sunt; faciunt enim ad sensus Legum veros indagandos. Guido Pancirollus *Thesaurum*

talium

talium *Lectionum* ſcripſit, ac negotium hoc utiliſſimum eſt, quanquam non adeo usque obvium. Editurus quoque erat Phil. Jac. Mauſſacus *Lectionum Juris libros*, in quibus Romanam Jurisprudentiam ex Athenienſi illuſtraturus erat, ut ejus rei Specimina quædam exhibuit in *Diſſertatione*, quæ additur *Dictionario Harpocrationis*, ab illo edito. Feliciter ſane emendantur ſæpe ex illis ſubſidiis Leges Juris Civilis & Feudalis. *Antinomias* Hub. Giphanius ſcripſit, quæ tamen illum titulum non merentur. Cum enim diverſa Jura illa ſint, a diverſis Compilatoribus congeſta, non eſt, quod *Antinomias* in illis quæramus, quæ conciliari debeant. ANTONIVS MATTHAEI, ut multos in ſcirpo nodos quæſivit, ita quoque varias in Jure Antinomias indagavit, a quibus ſupersedere potuiſſet. Novator ille in methodo eſt, ac fundamenta Juris aliter locanda eſſe autumat. Scripſit enim ſingularem librum de fundamentis *Juris aliter jaciendis, quam vulgo jacta ſunt.* Qui Tractatus ſeorſim editus eſt, prodiitque junctim cum aliis ejusdem libb. ſub tit. *Collegia Juris 6.* Vid. Foppius ab Aizema in ſuis *Diſſertationibus Juris lib. 1. c. 4. Diſſertationes* BERNH. SVTHOLTI ſunt accuratæ & elegantes, ac dolendum eſt, Virum illum non potuiſſe plus operæ impendere Juris ſtudio, immaturiori fato abreptum. Nunc & aliorum notæ in illum ſunt ſcriptæ. NICOLAVS VIGELIVS ſcripſit *Methodum Juris civ. controverſi*, librum utiliſſimum, & praxi inprimis ſervientem. Summa enim brevitate, & elegantiſſimo ordine, materias juris adornavit, & controverſa non tam Legum, quam Doctorum, brevibus quaſi lemmatibus propoſuit, ſemper additis locis JCtorum. Magno profecto, ſi quicquam, uſui eſſe poteſt hic liber. ARNOLDI VINNII *Quæſtiones ſelectæ*, ſeorſim editæ, plenius & majori accuratione deductæ ſunt, quam cetera ejus ſcripta, in quibus plerumque ſucus aliena ad pabula eſt, ſcriniorum Bachovianorum præcipue magnus Compilator. Sunt & FERD. VASQVEZII *Quæſtiones Illuſtres* magna diligentia & ἀκριβείᾳ diſcuſſæ, ut ſolent eſſe plerumque Hiſpanorum Scripta, ubi accuratius rem ſuam agunt. Hiſpanorum enim ingenium profundum eſt, apud quos permulta experimenta ad Juris exercitium accedunt. Qui illi operam impendunt, certum habent annorum numerum præfinitum, antequam ad Doctoris titulum adſpirare audeant, neque ſtatim ad tribunalia admittuntur, niſi primum probe perſpecta ſit illorum Juris peritia. Scripſit & ANDR. FACHINAEVS *Controverſias Illuſtres*, quæ per totum Jus ſe diffundunt, ſuntque non pauci alii, qui in variis Juris argumentis ſe exercuerunt, quorum nos numerum inire non poſſumus. Eſt illa cura reſervanda Juridicæ Bibliothecæ integræ. *Bachovii* filius etiam aliqua ſcripſit *de variis Juris Interpretationibus*, ſed exigua illa ſunt, neque ad patris ἀκρίβειαν adſpirant. Prodiere non ita pridem GERH. NOODTII, Profeſſoris Neomagenſis, *Probabilia*, in quibus continentur multa rariora in Legibus explicata, emendata, & illuſtrata. Vir enim ille accuratiorem cognitionem ad Juris intelligentiam affert, & Philologiæ præterea ſacris imbutus eſt.

De *ſpecialibus materiis* infiniti ſunt, qui ſcripſere. Sunt vero materiæ illæ vel directe Juridicæ, ac ſedes ſuas habent in Titulis certis, vel Legibus, vel per totum Jus ſunt diffuſæ. Ubi explodenda & ridenda eſt obſcura quorundam diligentia, qui ſi themata aliqua adornari poſſint peregrini tituli, mire ſibi plaudunt, ut ſunt aliqui, qui de 4. Elementis ſcripſerunt, & ad 4. Elementa pene totum Jus referunt, quo labo- 5.

re nullus poteſt eſſe nugacior. Quis enim in objectis Juris quærat diſpoſitionem rerum, quaſi Phyſicam aliquam ſcripturus. Hoc eſt, jura fori confundere, ut jura culinæ confundit coquus. Sunt tamen ſpeciales interdum materiæ, de quibus certæ Leges non ſunt conſtitutæ, de quibus tamen argumentis Juris tractari aliquid poteſt. Illorum Autores probe ſunt notandi. Sic e. g. de *Juribus agrotorum* non exſtant peculiares, vel tituli, vel Leges. De iis tamen integro Libro egit *Thomas Actius*, & poſtea *Paulus Zacchias in Quæſtionibus Medico-Legalibus.* Sic *de ſimulatis contractibus* nusquam in Jure expreſſe quid ponitur; de iis tamen integros libros ſcripſere JCti. Et talia ſane occurrunt multa, de quibus incidere poſſunt Quæſtiones & Controverſiæ Juridicæ. De *Jure ſilentii* nusquam expreſſe quid traditur, & tamen hæc materia per totum Jus eſt diffuſa, de qua nos *Diſputationem Inauguralem* ſcripſimus, & fortaſſis aliquando integrum Tractatum ſumus ſcripturi. Materiæ vulgares, & ubivis obviæ, notatæ ſunt a Scriptoribus Bibliothecarum Juridicarum, præprimis Joh. Bechtoldo, quanquam is mutilus ſit, & multis modis augeri poſſit.

SECT. IX.
DE IVRIS PVBLICI SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Jus Publicum Vetus Romanum Scriptores de Magiſtratibus Romanis, & Cod. Theodoſianus Jac. Gothofredi, illuſtrant.* 2. *Modernum Germanicum Hiſtorici ævi medii, Scripta Imperii Romano-Germ. Publica, Eriſtica de Controverſiis Illuſtribus, Jus Feudale, imprimis vero Car. IV. Imp. Aurea Bulla, Ordinationes Judiciorum Cameralis & Imperialis Aulici, Anonymi* Grundfeſte des H. Röm. Reiches, *Car. Sigonii Hiſtoria Imperii Occidentalis, & Chr. Lehmanni Chronicon Spirenſe.* 3. *Scriptores J. Publ. Univerſales, J. Limnæus, Dan. Otto, &c. Laus Notitiæ S. Rom. Imperii J. Henr. Böcleri.* 4. *Diſſertationes Speciales Herm. Conringii & Joh. Strauchii.* 5. *De Statu Imperii Romani Scripta Sev. a Monzambano & Hippolyti a Lapide. Diſputationes Er. Mauritii, & aliorum, de Argumentis J. Publ. ab Abaſv. Fritſchio collecta.* 6. *Judicia de Scriptis Henn. Arniſæi & Chr. Beſoldi. Conſilium de ratione addiſcendi Juris Publici Germanici. Perperam illud a JCtis ad normam Juris Romani exigitur.*

1 AD PVBLICVM IVS accedimus. Illud vero duplex eſt, *Vetus Romanum & hodiernum Germanicum.* Utriusque fundus ſunt *Hiſtoria*, & *Conſtitutiones.* Hiſtoria Veteris Juris Publici inprimis ad Magiſtratus eſt referenda. Debent itaque libri eſſe cogniti, qui agunt de Notitia Officiorum Domus Auguſtæ, tam Occidentalis, quam Orientalis. De illis dixi quædam ſuperius, ubi agebam de Antiquitatibus Romanis, quæ hic repetere non eſt opus. Ceterum ad Jurisprudentiam Juſtinianeam Publicam illuſtrandam *Codex Theodoſianus*, a Jac. Gothofredo illuſtratus, tantam afferre lucem poteſt, ut non indigeamus multum aliorum opera.

2 Eos potius ſpectabimus, qui magis in noſtrum uſum ſunt. Juris Publici Germanici Scriptorum fundus, uti dixi, petendus eſt ex Hiſtoria medii ævi, a Caroli M. usque temporibus. Quicquid eſt Germanicarum rerum collectum a variis Autoribus

variis

variis Tomis, a Beato ſc. Rhenano, Chr. Urſtiſio, Joh. Piſtorio, Sim. Schardio, &c. id omne huc pertinet. Dehinc Autores, qui Conſtitutiones & Jura collegerunt, tam Vetuſtiora, quam Recentiora, uti *Melch. Goldaſtus in Conſtitutionibus Politicis, Receſſus Imperii* (de quibus legi poteſt Er. Mauritius ſingulari *Diſputatione*,) *Capitulationes Imperii, Inſtrumenta pacis, Negotiationes religioſæ*, & ſimilia. Pertinent huc Scripta ſuper controverſiis Principum in diverſis illorum familiis, quorum aliquod ſpecimen nuper exhibuit *Tobias Pfannerus*. Qui ad Hiſtoriam Germaniæ pertinent, ac ſingulorum Principatuum & Urbium libri, collecti ſunt a Mich. Hertzio *in Biblioth. Germanica*. Fundamentum Juris Publici Germanici ex parte conſtituit Jus Feudale, quatenus ſcil. ſpectat ad controverſias Principum ſuper terris & poſſeſſionibus eorum. (*k*) Quod attinet Jura Imperatorum & Principum, legem fundamentalem præbet *Aurea Bulla* Caroli IV. ſuper quam ſunt commentati Nicol. Mylerus. Domin. Arumæus, Gerlacus Buxtorfius. Eſt & elegans liber Germanicus, Grundfeſte des Heil. Römiſchen Reichs, Liber optimus, & qui magnam lucem affert huic argumento. (*l*) Ad Judicia publica pertinent Ordinatio Cameralis, in quam exſtant variorum Commentarii, Ordinatio Aulici Judicii, de quo *Diſputationem* conſcripſit Er. Mauritius. Hæc, uti dixi, omnia fundamentum ſubſternunt Juri Publico, de quibus plenius Sam. Rachelius *in Introductione ad Jus Publicum Germanicum, c. 8. 9. 10.* Duo optimi libri ſunt, quorum uſus ſe per omne Jus Publicum diffundit, Car. Sigonii *Hiſtoria Imperii Occidentalis*, & *Comm. de Statu Italiæ*, ac Chriſtoph. Lehmanni *Chronicon Spirenſe*, quibus aliqui feliciſſime uſi ſunt in Juris Publici argumentis pertractandis.

3 Scriptores Ivris Pvblici, tam univerſales, quam particulares, varii ſunt. Diffuſum Opus dedit *Joh. Limnæus*, ſed mera ſunt Collectanea, unde quis ædificium quaſi conſtruere poſſit ſatis concinnum, ſi ſubſidia omnia conjungat. Compendia habemus multa, ſed revera parum bonæ frugis in illis eſt. Notiſſimus eſt liber Danielis Ottonis, qui multa e Politicis admiſcuit, ſuper quem exſtant J. Henr. Böcleri quædam Commentatiunculæ. Sunt *Georgius Brautlacht*, *Wilh. Beckerus*, *Car. Scharſchmid*, *Herm. Hermes*, *Theod. Sprengerus*, ſed, ut dixi, non implet omnem illam, quam ſibi quis promiſerit, ἀκρίβειαν. Optimum laborem impendit J. Henr. Böclervs, qui *Notitiam Sacri Rom. Imperii* ſcripſit. Liber ille, Argentorati. A. 1678. in 4to editus, Indicem tantum habet materiarum Juris Publici, ſed utiliſſima tamen eſt illa delineatio, ſemper enim addit Autores, unde peti omnia poſſunt. Quod ſi Böclero tempus ſuperfuiſſet, facili negotio ex illa Ichnographia integrum Opus concinnaſſet. Qui nunc talem laborem forte molirentur, ſubſidia abunde in hoc libro haberent.

(*k*) *Bibliothecæ* ſuæ *Germanicæ*, Erfurti A. 1679. *in fol.* editæ, novam & longe auctiorem Mich. Hertzius, Hiſt. olim Prof. Erfurtenſis, promiſit Editionem, in Sciagraphia hujus peculiari, Lipſiæ A. 1692. *in 4to* excuſa. Sed nondum illa prodiit.

(*l*) De Libro Vernaculo Grundfeſte des H. Röm. Reichs, ſub fictitio nomine Eitelii Friderici ab Herden, Franc. A. 1663. *in 4vo* edito, quem nonnulli Joh. Schwartzkopfio, Cancellario Aulæ Guelphicæ, alii Heidenreichio, Conſiliario Saxonico, alii aliis, vindicant, vid. Vinc. Placcii *Tr. de Scr. Anon. & Pſeud. p. 206.* & Joh. Deckheri *Conjecturas de Scriptis Adeſpotis p. 113. 114.*

4 Speciales Diſſertationes varii argumenti ſcripſit HERM. CONRINGIVS, qui maxima cum laude Juris Publici Profeſſionem ſuſtinuit Helmſtadii. Continent vero illæ Diſſertationes pleraque Juris Publici capita, ut proinde vera fundamenta ex his ſolide ſterni queant. Idem Vir inſignem ſcripſit *Commentarium* in *Jac. Lampadii Jus Publicum*, quo in libro illa habentur ſuo loco poſita, quæ in *Diſſertationibus* fuſius ſunt deducta. Scripſit & IOHANNES STRAVCHIVS *Exercitationes Exotericas*, in quibus ille præcipua Juris Publici capita pertractat. Multa, illic, quæ ad negotium religionis ſpectant, & controverſias, ſuperiori ſeculo inter Principes agitatas, quorum hiſtoria ſummaria habetur apud Sleidanum, *in Commentariis de Statu religionis*, ſed hic plenius deducuntur omnia, cumque omnibus fundamentis & argumentis partium.

5 Quod STATVM IMPERII ROM. attinet, varii de illo ſunt Libri ſcripti, in quibus non tam magnifice de illo ſentitur, quam ſentiunt JCti ipſi. *Sever. Monzambani Exercitat.* cuivis ſunt notæ, in quas multorum extant Obſervationes. (*m*) Ante illum multa ſcripſit in præjudicium Domus Auſtriacæ nonnemo, qui ſe vocat *Hippolytum a Lapide*, & peculiari libro eſt refutatus a *Joh. Schlütero.* De variis materiis ſpecialibus varii ſunt libri editi, v. g. de Regalibus, de Auſtregis, de Archi Cancellariis Imperii (de quibus ſcripſit Bernh. Mallincrotius, Decanus Monaſterienſis,) de Judiciis Imperii, &c. Diſputationes ſparſim editas varii argumenti collegit Ahasv. *Fritſchius*, in quibus pene omnes Erici Mauritii habentur, qui magna cum diligentia argumenta Juris Publici perſecutus eſt, (*n*) ut teſtantur Diſpp. ejus *de Electoribus & Comitiis Electoralibus, de Matricula Imperii, de Receſſibus Imperii, de Judicio Aulico, de Judicio Rothvilenſi, de Seculariſatione* (quæ tamen non ab ipſo ſcripta eſt, ſed cui ille ſubſidia commodavit.) Cetera, quæ circumferuntur, non habent iſtum antiquitatis & eruditionis guſtum.

6 HENN. ARNISAEI pene oblitus ſum, cujus exſtant Scripta non pauca, ad Jus Publicum pertinentia. Fuit ille Vir doctiſſimus, & in Politicis non vulgariter verſatus, ſed evenit illi, quod vulgo ſolet JCtis, qui multa ſolent inter ſe miſcere & confundere, quod & unice in illo reprehendit Conringius. Par alioquin erat futurus tam Civili prudentiæ, quam Juri Publico. CHRISTOPH. BESOLDI multa quoque habemus ſcripta, ſed & ille lutulentus eſt, & digna, indigna relatu, prout ipſi viſum eſt, coagmentat. Nos quidem Juris Publici Studioſo non ſuadebimus, ut in Scriptorculorum illorum lectione omne tempus perdat, & inanem operam impendat. A capite & fonte omnia arceſſat. Hiſtoria primum medii temporis, deinde quæ a Caroli V. tempore procedit, & tandem

(*m*) De Severino Monzambono (quem non alium fuiſſe, quam Sam. Puſendorfium, nemo hodie dubitat, licet ipſe fœtum hunc pro ſuo agnoſcere aliquamdiu noluerit) vid. Placcium *de Anon. & Pſeudon. p. 228.* & Joh. Deckheri *Conjecturas de Scr. Adeſp. p. 86.* Quis autem ſub Hippolyti a Lapide larva delituerit, duumviri illi diſſenſu ſuo ex incerto reddidere incertius. Ille p. 208. Joh. Joach. Rusdorfio, Elect. Palatini Conſiliario, hic autem, p. 70. 73. Joach. Dranſeo, Legato in Aula Brandeb. Suecico, ſcriptum Hippolyti vindicat.

(*n*) Erici Mauritii variæ de Argumentis Juris Publ. Diſſertationes, una cum ceteris Juris Feudalis & Privati, junctim prodierunt in Syntagmate *Opuſculorum* ejus, a Joh. Nicol. Hertzio JCto Gieſſenſi, Francof. 1692. in 4to publicato.

tandem recentior, fundus ille eſt, ſuper quo ædificari debet omnis illa doctrina ju-ctis in ſubſidium Legibus illis, quæ ad Statum publicum pertinent, de quibus jam ſupra a nobis eſt dictum. Intemperies illa nonnullorum eſt, qui Juris Publici Diſpp. ad Juris Rom. normam exigunt, atque inde controverſias decidunt. Atque in illum lapidem plerique ICtorum offendunt, quod nihil ſapiunt extra forum ſuum. At vero aliis legibus Jura publica definienda ſunt, & illæ quidem ad ſtatum Imperii Germanici pertinent, de quo certe nil diſponit Jus Civile. Denique, quæ ſunt in Jure Civili Juris Publici argumenta, ad longe aliam familiam pertinent. Vetus enim illud Jus Publicum Rom. nihil habet cum noſtro commercii. Quare non inutilis ſolum illa eſt opera, ſed & damnoſa & noxia, cum perverſi imprimantur Tyronibus conceptus.

SECT. X.

DE IVRIS STATVTARII SCRIPTORIBVS.

§. 1. *Quid ſint Statuta. Ad Notitiam Juris Statutarii Germanici commendantur Frid. Lindebrogii Codex Legum Antiquarum, & Herm. Conringii Liber de Origine Juris Germ.* 2. *Scriptores alii de Conſuetudinibus & Statutis, tum generales, tum ſpeciales de Belgicis.* 3. *De Juribus item Germania Statutariis potioribus, Bavarico, Saxonico, Lubecenſi (per Dav. Mevium præcipue illuſtrato,) &c. Holſaticis quoque, Danicis & Svecicis.* 4. *Conſilium de Harmonia Statutorum, & Judicium de Henr. Gieſeberti Juſtiniano Harmonico.*

Præter Jus Civile, IVRA STATVTARIA cuique ſua tenenda ſunt. Sunt vero Statuta Leges Rerumpublicarum ſpeciales, quæ a communi Jure abeunt, atque illis tum opera ſingularis danda eſt, cum Jus Civile probe habebimus cognitum. Jura iſta Statutaria multa ſunt, & fuerunt olim. Referri huc poſſunt omnes illæ Leges Gothorum, Burgundiorum, &c. quas uno Volumine comprehendit *Frid. Lindenbrogius*, qui & *Gloſſarium* in illas ſcripſit. De ſingulis illis Juribus magna cura & induſtria egit *Herm. Conringius, in libro de Origine Juris Germanici*, ubi inprimis Germanica Jura, eorumque Origines, diligentiſſime excuſſit. 1

Sunt præterea, præter Statuta, ſuis quoque locis CONSVETVDINES, i. e. *Jura non ſcripta*, quæ communi quoque Juri derogant. Scripſit Lud. Carbo *de Bello legali inter Legem & Conſuetudines*, ubi doctrina illa, quatenus conveniant, & diſcrepent a Legibus, eleganter proponitur. De Statutis in genere qui ſcripſere, nonnulli ſunt, ut Paulus Voëtius *in Tractatu de Statutis, eorumque Concurſu*, qui & *Commentarium in Inſtitutiones* edidit, ubi perpetuo illuſtrat textum Statutis Batavicis. Quod Jus Batavicum ſi quis ſcire velit, legere poteſt huic fini utilem librum Hug. Grotii, Inleyding in der Hollandſchee Rechts-Gelartheit. De *Statutis* in univerſum elegantem Diſſertationem ſcripſit Wolfg. Ad. Lauterbachius, *Tractatum* Buccius. Statuta variarum gentium qui velit omnia noſſe, multum laboris & operæ inſumere oportet. Gallica Statuta & Conſuetudines ſingularibus libris conſcripta ſunt, uti & Hiſpanica & Italica, de quibus non opus eſt ut ſolliciti ſimus. 2

3 Tantum Germanica præſtantiora noſſe oportet, horumque a Jure Communi differentiam. Habemus in tota Germania pene, quot Urbes, tot *Jura ſingularia*, niſi quod tamen illa præcipue habeat unum aliquod Jus Statutarium, quod in multis locis receptum eſt. Ita *Jus* eſt *Bavaricum*, cujus *Inſtitutiones* ſcripſit Sebaſt. Khraiſerus, easque cum *Inſtitutionibus* Juris Rom. contulit, ita ut e latere ſibi reſpondentia poneret, hinc Jus Romanum, inde Bavaricum. Habemus *Ulmenſe, Suevicum, Magdeburgenſe*, &c. Præcipua vero ſunt, & quæ quam latiſſime dominantur, *Saxonicum* & *Lubecenſe. Saxonici* Juris diverſitatem a Civili ſingularibus libris oſtenderunt multi. Georgius Schultzius *Synopſin* confecit *Inſtitutionum Juris Civilis*, & ſemper addidit diſcrepantiam Juris Saxonici. Bened. Carpzovius, tam theoretica, quam practica, Juris Saxonici, in libris ſuis, paſſim inculcat. Jus *Francofurtanum* ab aliquo Schultzio editum eſt. *Lubecenſe* latiſſime dominatur, tam intra, quam extra Germaniam, & receptum eſt pene ab omnibus Balthici maris accolis. In illud inſignem *Commentarium* edidit *Dav. Mevius*, cujus præfatio de Origine hujus Juris multa docet. *Commentarius* ipſe diſcrepantiam a Jure Communi paſſim & ubique inculcat, e quo in Compendium contraxit Frid. Movius exiguo libello. Doctrinam de differentia Juris Lubec. & Civilis & Ant. Dan. Sonnemann (Præſide Sam. Stryckio) peculiari Diſſertatione, Andr. item Bilderbeckius & Paulus Kochius, Schediasmatis brevioribus, expoſuerunt. (*o*) Habemus hic in Holſatia Jus Dithmarſicum & Jus Provinciale, in Dania Statuta ſunt ſingularia (das Low-Buch,) ſuper quibus omnibus Practicorum multa ſunt obſervata. Habet & Svecia ſua Jura Statutaria, quæ cum *Commentario* edidit *Joh. Loccenius*, qui & *Lexicon Juris Sueo-Gothici* ſcripſit.

4 Horum Statutorum omnium ſi quis HARMONIAM velit, operoſa quidem res eſſet, ſed tamen utilis. Moliebatur hanc HENR. GISEBERTVS, (*p*) qui, poſtquam *Commentarium in Jus Dithmarſicum* ſcripſerat, *Juſtinianum Harmonicum* edidit, Commentarium ſcil. in *Inſtitutiones Juris*, additis Locis variorum Statutorum, quæ concordant, vel diſcrepant a communi Jure. Sed velim illam rem a quopiam tractari, qui ſit Nomotheticæ peritus, atque ex ejus principiis doctrinam illam Statutorum proponat. Nam Gieſeberti opera tantum tumultuaria eſt, neque multum rem iſtam ornat. Quorſum enim facit, loca parallela tam ſollicite notaſſe? Rectius eſſet, ſi diſcrepantiæ cum majori cura notarentur. Gieſebertus quidem majora animo movit, ſed hic ipſi tamen ſubſiſtendum fuit.

(*o*) De Juris Lubecenſis Hiſtoria, Editionibus & Exegetis, fuſe diſſeruimus *in Iſagoge ad Hiſtor. Cherſoneſi Cimbricæ. P. IV. cap. VI. p. 493-505.* de Jure Dithmarſico *ibidem Cap. XII. ſ. 6. 7. p. 635. 636. 637.* de Juribus autem ceteris Slesvigo. Holſaticis Provincialibus, tum Antiquis, tum Modernis, ac præſertim de Nomocanone Jutico (dem Jütiſchen Lowbuche,) & Conſtitutione Judiciaria Slesvigo-Holſatico Provinciali (der Schleswig-Holſteiniſchen Landgerichts-Ordnung,) *h. l.* allegatis, *Parte ejusd. Iſag. Prima, toto Capit. XVto, p. 246-252.*

(*p*) De Henr. Gieſeberti, JCti Dithmarſici, Scriptis, quibus jurium Statutariorum complurium Collationem qualemcunque exhibuit, diverſis, *Harmoniæ* ſcil. *Statutorum Practicæ in Jus Dithmarſicum Periculis duobus*, Lubec. A. 1652. & Hamb. 1652. *Juſtiniani Harmonico* Lubec. A. 1670. & *Deuteronomio Harmonico* Francof. 1677. in 4to editis, nonnulla diximus *P. IV. Iſag. ad Hiſt. Cimbr. Cap. XII. ſ. 7. p. 636. 637.* plura in *Cimbriæ Literata* allaturi.

fuit. Ceterum, qui juris eſt ſtudioſus, id operam dare debet, ne in Jure patrio ſit hoſpes, & diligenter notare paralleliſmos, & diſcrepantias ſui juris a communi, factis etiam ſuper hac re certis Locis Communibus. Diligenter in iſtis notentur quoque Præjudicia & Conſuetudines non ſcriptæ, quorum uſus in praxi longe eſt maximus.

SECT. XI.

DE SCRIPTORIBVS IVRIS PRACTICIS.

§. 1. *In quo Praxis Juridica conſiſtat. Jac. Gothofredi Ars Cauſandi promiſſa, Defenſio Jac. Cujacii, & Theoreticorum, quibus Praxeos imperitia objicitur. 2. Praxis, & ex Experientia, & ex Libris, diſcenda. Scriptores de Proceſſu Judiciario, & Stylo Curiæ, Lexicorum item & Axiomatum Practicorum Collectores. 3. Autores, qui Praxin & Proceſſum Cameræ Imperialis docuerunt & illuſtrarunt, præcipui. 4. Diverſitas Praxeos Saxonicæ, Lubecenſis (e Dav: Mevii Deciſionibus hauriendæ) ac Holſato-Sleſvicenſis. Scripta de Jure Obſtagii, Ratio Experientiæ in Praxi forenſi parandæ.*

AD Scriptores tandem PRACTICOS accedimus, qui veluti duces ſunt ad uſum fori. Eſt vero praxis iſta, quæ facta applicat generalia Juris præcepta, & Leges ac theſin ad hypotheſin transfert. Hanc artem ut recte teneat, prænoſſe debet Juris ſtudioſus, quomodo Jus facto debeat applicari, i. e. quomodo caſus aliquis ex Legibus formandus. Hæc enim quaſi præexercitamenta ſunt tyronum, & in Theoria prius probe excutienda. Neque adeo nulla ad hanc rem opus eſt peritia, ut quidam exiſtimant, ſed tenenda eſt quædam ratio, quomodo facta Legibus quaſi commenſurari debeant. Certe tanti fecit hanc rem IAC. GOTHOFREDVS, ut proponeret ſibi ſcribendum peculiarem *Cauſandi Artem*, ut vocat. Cui fini ſeponere jubet Leges ſingulares & practicabiles, ſeorſim locandas, & diligenter excutiendas. Sed non prodiit illius Liber, qui magnam certe lucem accendere Juris Studioſis potuiſſet. Credunt vulgo, Theoreticos Juris peſſimos fuiſſe Practicos, in quo tamen falluntur. Nam certe, quod *Jac. Cujacium* attinet, quem teſtatur Joſ. Scaliger in praxi plane fuiſſe imperitum, falſum apparet ex eo, quod reliquerit inter Opera ſua *Conſultationes*, magno cum ingenio & judicio ſcriptas. 1

Praxin illam diſcendi duplex eſt ratio, una ex experientia, altera ex libris. Prior illa ſine dubio præferenda poſteriori; Poſterior vero non ſolum utilis eſt, ſed & neceſſaria. Cum enim tædioſum ſit, & nimis prolixum, experientia ſola ſapere, ideo etiam ad libros eſt confugiendum. Illud vero, quod doceri poteſt, proceſſus forma eſt. Iam vero quædam ejus ſunt generalia, quæ inculcant omnes proceſſus judiciarii Scriptores, e quibus, inter Veteres, ceteris eſt præferendus Guil. Durandus in ſuo *Speculo Juris*, e Recentioribus Gotfr. Fibigius, Joh. Georg. Nicolai & Joach. Chriſt. Kochius, quanquam & Ilico Ummius non ſit ſua laude privandus. Joh. Oldendorpius *Actionum Formulas*, omnemque proponendi & excipiendi Methodum propoſuit. Eſt & *Praxis aurea* Joh. Petri Ferrarienſis, in qua ſimilia habentur. Specialia proceſſuum continet Stylus Curiæ, qui conſtat Juribus quibusdam non ſcriptis, ex Actibus judi- 2

ciariis

ciariis ortus, & ille quidem libris conſignari ſolet. Atque iſte eſt, qui diverſitatem in praxi efficit, quæ tam multa, tamque varia eſt. Ille, ſi non experientia ipſa, ex Obſervationibus Judiciorum, quas varii ſcripſerunt Autores, habendus eſt. Prodeſſe etiam hic poſſunt illi, qui *Practica Lexica* ſcripſerunt; uti J. Jac. Speidelius, Chr. Beſoldus, Paul. Matth. Wehnerus, de quibus ante dictum eſt, tum & Axiomatum Scriptores, ut Aug. Barboſa, ejusque locupletator, I. Otto Tabor, Arn. Reigerus *in Theſauro practico*, cum *Additt.* Ahasv. Fritſchii recuſo.

3 Praxis in Germania florentiſſima eſt, in *Imperatoria Camera*, cujus primum *Ordinatio* prænoſcenda eſt, variæque ejus Editiones, deinde præcipui ejus Obſervatores, And. Gailius, Joach. Mynſingerus, & in Gailium ſcriptæ Eberhardi Fabricii *Repetitiones*, in Mynſingerum autem Weiperti Lud. Fabricii *Obſervationes*. Succedunt poſtea Scriptores, qui Obſervationes Practicas Camerales, Deciſiones, Symphoremata Supplicationum, Relationes, Vota, ſcripſerunt. De proceſſu Camerali ſingulares libros ſcripſere Neumeierus, & Joh. Forſterus. Exſtant Guilh. Rodingii *Pandectæ Camerales*, Jacobi Blumii *Proceſſus Cameralis*, *Sententiæ Camerales* ſpiſſis *in fol.* Voluminibus collegit Chr. Barthius. *Chiliadem ſententiarum recentiorum* publicavit Jac. Blumius. Scripſit & Pet. Denaiſius *Methodum Cameralem*. De quibus ſingulis nolo eſſe prolixior, cum doctiſſime & prolixe de iis omnibus egerit Ericus Mauritius *in Conſiliorum Kilon. præfatione ad Lectorem*, ubi ille proponit *Introductionem* quandam *ad Praxin.* (q)

4 Praxis Saxonici Juris & Lubecenſis itidem diverſa eſt, & ſua quædam habet obſervanda, de quibus idem *loc. cit.* agit. Juris Lubec. praxis doceri diſcique non poteſt plenius, quam exlibris *Dav. Mevii*, præcipue vero ex ejus *Deciſionibus*, quæ nunc junctim ſunt editæ, continentque plerumque Controverſias Jure Lubec. decidendas. Quoniam enim Jus hoc eſt receptum a plerisque Civitatibus, quæ Svecico regimini ſubſunt, ideo argumenta litium talibus e cauſis plerumque oriuntur, quæ Jure Lubec. ſunt decidendæ. In Holſatia viventi, vel in Ducatu Sleſvicenſi, alia praxeos ratio eſt obſervanda. Proceſſum hic moderatur Ordinatio Provincialis (Landgerichts-Ordnung.) Sunt & hinc introducti conſuetudine certi quidam Proceſſus Ruſticorum, de quibus inter illos ſolos ratio conſtat. Eſt & Jus, quod continetur Libro dicto das Lowbuch, quod in Ducatu Sleſvicenſi proceſſum moderatur. Multum quoque hic variat praxin *Obſtagii Jus*, de quo exſtant *Conſtitutio Haderslebienſis*, utiliſſimus Joh. Ortonis Taboris liber, & Frid. Reinbohtii *Diſp. Inauguralis*. Longe vero plurima relinquuntur exercitio ipſi, quod omni doctrinæ prævalet. Quare in rem ipſam veniendum eſt, Judicia frequentanda, audiendi Advocatorum ex utraque parte Receſſus, quos vocant, ponderandæ Judicum ſententiæ, atque ex illorum omnium collatione haurienda eſt illa, quæ nobis uſui eſſe poteſt, Praxis, in qua tandem ſubſiſtendum.

POLY-

(q) Erici Mauritii *Introductio in Praxin Forenſem*, præſertim Cimbricam, non ſolum, Præfationis inſtar, *Specimini* ejus *Conſiliorum Kilonienſium*, Kilonii A. 1669. *in 4to* excuſo, eſt præmiſſa, ſed A. 1692. etiam Francofurti, in *Diſſertationum* illius Volumine (*p. 337-388.*) & A. 1696. Kilonii, ſub finem *Introductionis* Joh. Fuchſii *in Proceſſum Holſaticum*, recuſa.

POLYHISTORIS
TOMI III.
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER VII. MEDICVS,
DE SCRIPTORIBVS MEDICIS.

§. 1. *Cauſæ brevitatis ejus. Elogium inſigne Introductionis ad Artem Medicam Herm. Conringii. 2. Hippocratis Editiones optimæ. Caſp. Hoffmanni in Galenum, Thomæ Bartholini & Jac. Holſtii in Corn. Celſum, Jac. Rhodii in Scribonium Largum, Joſ. Scaligeri in Paulum Æginetam, Labores inediti commendantur. Veterum Medicorum Lectio Philiatris utiliſſima. 3. Bibliothecarum Medicarum Scriptores Paſch. Gallus, J. G. Schenckius, J. Ant. a Linden, Iſr. Spachius, Mart. Lipenius, Corn. a Beüghem. 4. Inter Autores Phyſiologicos, Honor. Fabri Lib. de Homine, & Thomæ Bartholini Anatome, præcipue commendantur. 5. Scriptores aliquot Botanici potiores. Benj. Priolivana in Hiſtoria Plantarum promiſſa. 6. Moderna in Medicina Dogmatica novaturiendi prurigo, & Sectarum multitudo. 7. In Praxi chymica Conr. Geſneri Evonymus, Joh. Zwelferi Pharmacopœa, & Joh. Joach. Beccheri Scripta commendantur.*

